BIBLIOTHÈQUE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES & DE ROME

PUBLIÉE

SOUS LES AUSPICES DU MINISTÈRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE

2e SÉRIE. IV, 2.

LES

REGISTRES DE BONIFACE VIII

RECUEIL DES BULLES DE CE PAPE

PUBLIÉES OU ANALYSÉES

D'APRÈS LES MANUSCRITS ORIGINAUX DES ARCHIVES DU VATICAN

PAR

GEORGES DIGARD, MAURICE FAUCON & ANTOINE THOMAS

ANCIENS ÉLÈVES DE L'ÉCOLE DES CHARTES, MEMBRES DE L'ÉCOLE FRANÇAISE DE ROME.

~~DEUXIÈME~~ FASCICULE 5

PUBLIÉ PAR

MAURICE FAUCON & ANTOINE THOMAS

V 2

PARIS

ERNEST THORIN, ÉDITEUR

LIBRAIRE DES ÉCOLES FRANÇAISES D'ATHÈNES ET DE ROME, DU COLLÈGE DE FRANCE
ET DE L'ÉCOLE NORMALE SUPÉRIEURE

Rue de Médicis, 7.

JUIN 1885

MODE DE PUBLICATION.

Les *Registres de Boniface VIII* formeront trois beaux volumes grand in-4° cavalier, à deux colonnes, en beaux caractères neufs. Ils seront publiés en fascicules de 15 à 20 feuilles environ, de 8 pages chacune, avec couverture imprimée. Le prix est fixé à 60 centimes par chaque feuille de texte et à *un franc* par chaque planche de *fac-simile* qui pourra être publiée. Aucun fascicule ne sera vendu séparément. Tout souscripteur s'engage à retirer les livraisons au fur et à mesure qu'elles paraîtront. L'ouvrage complet se composera de 250 à 260 feuilles environ.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM QUARTI ANNI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

2391 (I) Vatican, 26 janvier 1298.

« Quod possit contrahere mutuum. » (Reg. 49 fol. 1.)

Venerabili fratri Johanni episcopo Cathalaunensi. Cum sicut —.

Ut usque ad summam sex millium florenorum auri mutuum contrahere possit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

2392 (II) Vatican, 24 janvier 1298.

Idem. (fol. 1.)

In e. m. *venerabili fratri Eximino episcopo Cesaraugustano* quod possit contrahere mutuum usque ad summam quatuor milium librarum turonensium parvorum. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIIII kal. februarii, pontificatus nostri anno quarto.

2393 (III) Vatican, 25 janvier 1298.

« Confirmatur sibi exemptio facta per episcopum et capitulum Tudertinos. » (fol. 1.)

Dilecto filio.. priori hospitalis pauperum de Caritate Tudertine diocesis. Cum a nobis petitur —.

Confirmat ad instar felicis recordationis Alexandri pape quarti exemptionem quam concesserunt dicto hospitali ab omni sua juridictione episcopus, prior et canonici Tudertini.

Tenorem instrumenti predicti presentibus inseri facientes qui talis est : « In nomine Domini nostri, ab ejus Incarnatione facta anno millesimo CC. LV. indictione tertia decima, III idus junii, tempore domini Alexandri IIII pape. Nos quidem Petrus, Dei gratia Tudertinus episcopus, R. prior et canonici beate Marie canonice Tudertine, ipsius beate Marie virginis et religionis obtentu et pauperum Christi intuitu, nulla vi vel dolo ac calliditate inducti, sed libera, spontanea voluntate secundum Deum inclinati, damus, donamus, concedimus et largimur vobis domino Bentevengne, priori sive custodi hospitalis pauperum de Caritate, positi juxta viam publicam prope dictam civitatem Tudertinam, recipienti nomine et vice dicti hospitalis, pauperum ibidem nunc morantium et qui pro tempore fuerint, et ipsis pauperibus, et toti familie ibidem Deo servienti, et omnibus rebus quas nunc habent et possident et in futurum Deo propitio acquisierint vel acquisita fuerint hospitali predicto, cum

omnibus juribus, actionibus et pertinentiis suis habitis et habendis, plenam et liberam exemptionem et immunitatem et libertatem, volentes ut prior sive custos et familia ipsius hospitalis et pauperes, tam clerici quam laici, qui pro tempore fuerint, undecumque advenerint, cum omnibus rebus, juribus et pertinentiis suis plena gaudeant exemptione, libertate et immunitate qua gaudent alia loca que pleno jure noscuntur esse exempta, salva reverentia Sancte Romane Ecclesie, nichil omnino nobis vel successoribus nostris in hiis omnibus tam in spiritualibus quam in temporalibus reservantes preter ecclesiasticorum sacramentorum collationem, dedicationem ecclesie, consecrationem altarium, ordinationes clericorum, que gratis et sine pravitate qualibet ipsis per nos et nostros successores volumus exhiberi, et preter unam libram cere, quam per priorem sive custodem vel alium eorum nuntium in festo Assumptionis beate Marie virginis nobis et nostris successoribus volumus exhiberi sive prestari pro hospitali predicto nomine census. Que omnia et singula fecimus absolute, libere et precise, Dei amore ac pauperum utilitate, nullius conventionis sive pactionis aut conditionis, tacite vel expresse, generalis vel specialis, nobis comodo reservato, nisi que superius sunt expressa de sacramentis prestandis et libra cere; renuntiamus etiam in premissis omnibus inquisitioni, visitationi, correctioni, procurationi, cathedratico, impositioni servitutis tempore consecrationis, universis cartis et quibuscumque rationibus vel conditionibus sive juribus que in hoc contraria apparerent; que, si contigerit inveniri nolumus in aliquo nobis vel successoribus nostris prodesse, sed eas vel ea omnino cassas sive cassa esse volumus et mandamus, ita tamen quod nulli alteri nisi in eo statu in quo nunc est supponentur religioso vel seculari; quod si secus a quoque fieret redeat ad eundem statum in quo fuit a principio, exemptione, libertate, immunitate et ceteris premissis nullatenus eis suffragantibus. In cujus rei testimonium et cautelam supradicta conscribi fecimus et sigillorum nostrorum subscriptionis proprie munimine roborari. Hoc actum est in camera supradicti domini episcopi coram domino Jacobo presbytero, dominis Ranutio Mandadori et Jacobo Albometi, militibus, Phylippo Petri et aliis pluribus rogatis testibus. Et ego Angelerius — notarius predictis interfui et de mandato et auctoritate supradictorum domini episcopi et capituli scripsi et in publicam formam redegi. Ego Petrus Tudertinus episcopus, ego Rusticus, prior, ego presbyter Ugolinus, canonicus, ego Paulus, canonicus, ego presbyter Bonaventura, canonicus, ego Hugolinus, canonicus, ego Offredutius. canonicus, ego Herricus, canonicus, ego Thereodinus canonicus, ego Jacobus, canonicus Tudertini subscripsimus. » Nulli ergo etc. nostre confirmationis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. februarii, anno quarto.

2394 (IIII) Vatican, 1[er] février 1298.

« Quod possint sibi eligere rectorem undecumque usque ad Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis. » (fol 1 v°.)

Dilectis filiis consilio et communi civitatis Narniensis. Antiqua devotio quam ad Romanam habuistis Ecclesiam, et illa ad quam nuper humiliter rediistis excitat mentem nostram, grata insuper et accepta servitia que contra Columpnenses, scismaticos et rebelles nobis et ipsi Ecclesie, prebuistis et prosecutione continua exhibetis et ad beneplacitum nostrum exhibere disponitis in futurum specialiter nos inducunt ut vos et terram vestram gratiosis affectibus et misericordiarum exhibitionibus prosequamur. Olim siquidem cum, tempore felicis recordationis Innocentii pape quarti predecessoris nostri, commune ac homines civitatis vestre contra castrum Strunconis, Narniensis diocesis, hostiliter procedentes, illud miserabiliter destruxissent, idem predecessor procedens propterea contra vos mandavit inter cetera et prohibuit ne de cetero in civitate predicta eligeretur vel reciperetur aliqua persona extranea in rectorem sine sua licentia speciali. Adjecit idem predecessor nichilominus et injunxit ut per dictum commune vestrum duo milia librarum denariorum senatus occasione predictorum excessuum camere ipsius Romane Ecclesie pene nomine solverentur, de quibus duobus milibus librarum per dictum commune aliqua fuit quantitas persoluta sed de reliqua non exstitit ipsi camere persolutum. Cumque postmodum, tempore vacationis Ecclesie memorate per obitum bone memorie N[icolai] pape quarti predecessoris nostri, vos dictum castrum obsedissetis hostiliter et intulissetis ipsi castro et habitatoribus ejus in personis et rebus dampna gravia et injurias, venerabilis frater noster Matheus, Portuensis et Sancte Rufine episcopus, occurrens in subsidium dicti castri de beneplacito Sancte Romane Ecclesie cardinalium qui Reate tunc temporis morabantur, cum honorabili equitum et peditum comitiva processit, vosque jurastis super hiis ipsius Ecclesie stare mandatis et, datis fidejussoriis et obligatoriis cautionibus, nonnulla servare occasione hujusmodi et facere promisistis sub pena duarum milium marcharum argenti, prout in instrumentis publicis inde

confectis plenius dicitur contineri. Nos vero postmodum ad apicem summi apostolatus assumpti, cum homines dicti castri graves de vestris adhuc processibus, contra eos per vos factis et comminatis etiam, querelas coram nobis exponerent, venerabili fratri nostro .. episcopo Narniensi dedimus, nostris sub certa forma litteris, in mandatis ut vobis, ad penam mille marcharum argenti quam, si secus fieret, vos incurrere volumus ipso facto, ex parte nostra preciperet ne prelibatis hominibus de Struncone, per vos vel alios, in personis et rebus, molestiam aliquam infereretis (*sic*), nullamque feceritis adversus eos noxiam novitatem; ac demum, inter alios nostros processus quos occasione dicti castri contra vos fecimus, vobis duximus specialiter injungendum ut, ratione injuriarum et contemptus quibus nobis super premissis fueratis obnoxii, duo milia marcharum argenti, nostre camere infra certum terminum solveretis. Quare pro parte vestra fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum redieritis ad nostra et Ecclesie memorate mandata, providere vobis super hiis de benignitate Sedis Apostolice misericorditer curaremus. Nos itaque more pii patris volentes benigne vobiscum agere in premissis, sperando vos firmiter erga nos et prefatam Romanam Ecclesiam matrem vestram fidelitatis et devotionis firmam et debitam perseverantiam servaturos, vobis, in hujusmodi devotione ac fidelitate manentibus et perseverantibus, presentium auctoritate concedimus ut, hujusmodi mandato seu prohibitione prefati predecessoris Innocentii non obstante, possitis vobis et civitati vestre usque ad Apostolice Sedis beneplacitum voluntatis undecumque et quemcumque volueritis eligere, assumere ac retinere in annuum rectorem, dum tamen sit catholicus et fidelis et devotus Ecclesie memorate et ecclesiastice voluntati, nec partis sepedicte Ecclesie adversantis, nec de Columpnensium scismaticorum atque rebellium domo seu progenie, vel alias ipsi suspectus Ecclesie non existat. Residuam insuper quantitatem de predictis duobus milibus librarum, ut premittitur, ipsi camere non solutam, necnon et predictas mille marchas, in quarum penam vos decrevimus, si secus fieret, ut predicitur, incursuros, et prefata duo milia marcharum que, sicut predictum est, mandavimus per vos camere nostre persolvi, de simili gratia vobis remittimus et donamus, ita quod de ipsis ad satisffactionem aliam nullatenus teneamini nec ad ea facienda cogi quomodolibet debeatis. Statuentes et decernentes ex nunc ut, quandocumque, quod absit, ad vomitum redire contingeret vel in fidelitate et devotione ejusdem non perseveraretis Ecclesie, predicte vobis facte gratie evanescant et nullum robur obtineant, presertim si scismaticis supradictis daretis auxilium, consilium vel favorem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. februarii, anno quarto.

2395 (v) Vatican, 1er février 1298.

« Quod non possint trahi in primis civilibus causis et criminalibus extra civitatem et districtum ad examen rectoris Marchie Anconitane. » (fol. 2.)

Dilectis filiis consilio et communi civitatis Esculane. Sincera devotio quam preteritis temporibus et modernis erga Romanam habuistis et habetis Ecclesiam, grata insuper et accepta servitia que contra Columpnenses, scismaticos ac nostros et Ecclesie supradicte rebelles, nobis et ipsi Ecclesie prebuistis, et ad beneplacitum nostrum exhibere disponitis in futurum, digne merentur ut vestris et civitatis vestre profectibus favorabiliter, in quibus honeste possumus, intendamus. Cum itaque, sicut pro parte vestra fuit propositum coram nobis, ex privilegiis apostolicis et de antiqua consuetudine a tempore cujus non extat memoria, habeatis quod vos vel vestrum aliquis in primis civilibus causis extra civitatem ipsam ejusque districtum ad examen rectoris Anconitane Marchie accedere minime teneamini nec coram ei in causam trahi vel ad judicium evocari possitis inviti, nos, vestris supplicationibus inclinati, vobis, in devotione, fidelitate ac obedientia ejusdem Ecclesie persistentibus et perseverantibus, usque ad beneplacitum Sedis Apostolice auctoritate presentium indulgemus ut vos vel vestrum aliquis coram rectore vel officialibus supradictis in primis causis civilibus et criminalibus extra civitatem eamdem et districtum ipsius in causam trahi vel evocari ad judicium minime valeatis. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. ut supra.

2396 (vi) Vatican, 1er février 1298.

« Remittuntur sibi quedam condempnationes. » (fol. 2).

Eisdem. Apostolice Sedis —. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, diversa exbannimenta et condempnationes ac penarum impositiones, processus et sententias in diversis pecuniarum summis, contra commune vestrum et nonnullas speciales personas vestre civitatis et districtus ejusdem, nonnulli rectores Anconitane Marchie ac officiales eorum, super diversis contra ipsam Ecclesiam per ipsum commune ac ceteras personas commissis excessibus, contumaciis et offensis, fecisse ac

protulisse hactenus dinoscuntur, ad quorum nondum est realem executionem processum, nos, vestris supplicationibus inclinati, omnes pecuniarias penas in quibus, quorumcumque [occasione] exbannimentorum, condemnationum, processuum, penarum et sententiarum factorum, habitorum vel prolatorum, seu factarum, habitarum vel prolatarum, per quoscumque rectores dicte Marchie vel officiales eorum, quibuscumque retroactis temporibus usque ad hodiernum diem, contra commune vestrum vel quascumque personas vestre civitatis vel districtus ipsius, super quibuscumque excessibus, maleficiis sive culpis, eidem duntaxat Ecclesie tenemini vel teneri possetis, vobis in nostre et dicte Ecclesie fidelitate et devotione manentibus et perseverantibus, de speciali gratia, auctoritate apostolica remittimus et donamus, ac vos et personas hujusmodi ab exbannimentis, condempnationibus, processibus, penis et sententiis nec non excessibus, maleficiis atque culpis, quoad easdem pecuniarias penas, quatenus prefatam Ecclesiam contingunt, absolvimus et liberamus, salvis semper juribus aliorum et quod, si in hiis vel interea de restituendis aliquibus castris vel terris ad Ecclesiam memoratam vel quasvis alias universitates seu personas pertinentes (*sic*) occupatis per vos forsitan vel detentis vel per aliquas universitates seu personas vestrarum civitatis vel diocesis, ab Apostolica Sede vel rectoribus Marchie vel eorum officialibus mandatum aliquod processisset, per hoc ipsi mandato et ejus effectui derogatio nulla fiat. Statuentes etc. ut supra capitulo IIII usque in finem. Nulli ergo — nostre remissionis, donationis, absolutionis, liberationis et constitutionis etc. Dat. ut supra.

2397 (VII) Vatican, 29 janvier 1298.

« Super quadam pecunie summa concessa regi Aragonie pro armata contra Siculos. » (fol. 2 v°.)

Venerabilibus fratribus B. Barchinonensi et A. Dertusiensi episcopis. Dudum per nostras sub certa forma litteras vobis duximus inter cetera committendum ut tam mares quam mulieres viventes nec non et heredes etiam defunctorum de regnis et terris carissimi in Christo filii nostri Jacobi Aragonie, Sardinie et Corsice regis illustris, qui in Alexandriam accedentes, ferrum, lignamina et alia prohibita Saracenis illarum partium detulerunt et alias habeurunt cum Saracenis ipsis commercia, seu consilium et auxilium impenderunt, et quovis alio modo participaverunt eisdem, ab excommunicationum et quibuslibet aliis penis atque sententiis latis atque statutis contra tales per Sedem Apostoliscam et alias ab homine vel a jure, quas propter hoc eos incurrisse constaret, vos et unusquisque vestrum ea vice absolvere valeretis, injuncta eis penitentia salutari, dummodo mares ipsi quintam, mulieres vero predicte quartam partem lucri quod ex his rebus et commerciis ad ipsos pervenerit vobis partem ipsam recipientibus nomine nostro persolverent, in aliquos pios usus juxta nostram dispositionem postmodum convertendam. Per alias quoque litteras nostras vobis injunximus ut, cum prefatus rex armatam, in estate tunc ventura nunc preterita, pro Christi et Ecclesie Romane servitio foret Domino auctore facturus, totam pecuniam quam vos et vestrum quemlibet contingerit (*sic*) ex premisse absolutionis causa recipere ipsi regi, armatam hujusmodi personaliter prosequenti, vel ejus certo procuratori seu nuntio, ad hoc ab eo specialiter constituto, pro expensis viagii quod facturus erat pro armata predicta curaretis integraliter assignare. Sed quia postmodum idem rex, ex certis, ut asseritur, impeditus obstaculis, armatam ipsam non exstitit effectualiter statuto tempore prosecutus, vos videntes negotium in defectu nichil ei vel alii pro ipso de dicta pecunia, sicut accepimus, persolvistis. Cum autem, sicut nuper ex ipsius regis et carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris accepimus litteris, inter eosdem reges sit ipsius armate negotium pro instanti vere futuro resumptum, nos, nolentes ut negotium sub nostra fiducia — quomodolibet dissolvatur sed cupientes ut votivum et celerem, dante Domino, sortiatur effectum, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, in executione commisse vobis absolutionis et receptionis pecunie procedentes predicte, armate preterite non secute lapsu temporis non obstante, totam pecuniam tam collectam quam colligendam, que collecta fuerit eo tempore quo idem rex Aragonie in dicto futuro vere personaliter iter arripiet, vel in procinctu fuerit efficaciter cum armata ipsa contra Sicilie insulam accedendi, nec non et illam que colligetur postquam idem rex de partibus Aragonie et Cathalonie cum dicta armata discesserit contra eamdem insulam processurus, nomine nostro et Ecclesie Romane, pro ipso duntaxat negotio, assignare curetis: recepturi ab eo, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, sufficientem et ydoneam recognitionem et cautionem suo sigillo munitam, per quam idem rex pro armata predicta pecuniam ipsam se recipere fateatur ac promittat quod armatam hujusmodi bona fide effectualiter prosequetur, secundum conventiones inter ipsum et dictum regem Sicilie super hoc nuper habitas et per nos auctoritate apostolica confirmatas: proviso quod de ipsa pecunia nichil assignetis eidem vel alii pro ipso, nisi

cum eum videritis tempore dicti veris in procintu (*sic*) vasa intrandi marina et effectualiter absque dubitationis obstaculo cum armata hujusmodi progrediendi contra rebelles et insulam memoratos. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. februarii, anno quarto.

2398 (VIII) Vatican, 28 janvier 1298.

« Quod habeat commendatos .. magistrum et Hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani super concessione monasterii Sancte Trinitatis Venusini. » (fol. 3.)

Dilecto filio L. sancti Angeli diacono cardinali Apostolice Sedis legato. Inter cetera —.

Ei significat, se fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani monasterium Sancte Trinitatis Venusinum ordinis sancti Benedicti, Sedi Apostolice immediate subjectum, adeo per incuriam et improvidam ac inordinatam administrationem abbatum et monachorum ipsius qui fuerunt pro tempore collapsum quod vix adicere possit ut resurgat et in deteriora prolabens ob imprudentiam et desidiam personarum commorantium in eodem, concessisse et incorporasse et mandat ei ut Melphiensi et Frequentino episcopis ac Uguitioni de Vercellis canonico ecclesie Brugensis Tornacensis diocesis executoribus super hoc exequendo negotio impendat auxilium.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. februarii, anno quarto.

(POTTHAST, 24624).

In e. m. *dilecto filio nobili viro Roberto, nato carissimi in Christo filii nostri C. regis Sicilie illustris, duci Apulie.* Dat. ut supra.

2399 (VIIII) Vatican, 3 février 1298.

« Relaxatur interdictum et remittuntur quedam condempnationes. » (fol. 3.)

Dilectis filiis comuni civitatis Racanatensis. Apostolice Sedis mansueta benignitas—. Petitio quidem vestra nobis exposita continebat quod dudum venerabilis frater noster Raymundus, episcopus Valentinus, tunc Marchie Anconitane rector, contra vos, occasione quorumdam excessuum commissorum per vos, nonnullas pro Romana Ecclesia pecuniarum condempnationes emisit, et in vos et civitatem vestram interdicti, ac in majores officiales et consiliarios vestros, qui tunc erant, excommunicationis sententias promulgavit. Nonnulli quoque alii ejusdem rectores Marchie, ipsius episcopi in rectoris officio successores, et officiales eorum, diversas super diversis excessibus per vos commissis pecuniarum penas et sententias pro eadem Ecclesia protulerunt seu etiam instixerunt (*sic*) : super quibus omnibus pecuniarum condempnationibus, sententiis atque penis pridem cum dilecto filio magistro Rogerio Caccia, preposito ecclesie Sancti Antonii Placentine, capellano nostro, et in eadem Marchia ad condempnatorum et condempnationum compositionem pro prefata Ecclesia faciendam tunc a nobis specialiter deputato in quatuor milibus et octingentis florenis aureis, persolvendis nostre camere, finaliter componere curavistis. Cum autem de predictis quatuor milibus et octingentis florenis aureis duo milia et octingentos florenos nostre duxeritis camere persolvendos, fuit pro parte vestra nobis humiliter supplicatum ut quantitatem residuam non solutam, duo milia florenorum scilicet, vobis remittere ac vos a prefatis penis et condempnationibus absolvere de speciali gratia dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, volentes vobiscum misericorditer agere in premissis, cum etiam per alias nostras litteras predictum interdictum relaxari et eosdem excommunicatos juxta Ecclesie formam absolvi mandemus, prefata duo milia florenorum residua, ut predicitur, non soluta, vobis, in nostra et ejusdem Ecclesie fidelitate et devotione perseverantibus de gratia speciali remittimus et donamus, vosque ab eisdem pecuniariis condempnationibus sententiis et penis absolvimus, quatenus nostram cameram contingere dinoscuntur. Salvis semper juribus ut supra in capitulo VI usque : nulla fiat, et cetera ut supra capitulo IIII usque in finem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III non. februarii, anno quarto.

In. e. m. *venerabili fratri.. episcopo Rachanatensi.* Apostolice sedis—.

Ut, « cum super predictis et aliis certis pecuniariis condempnationibus cum ipso comuni per alias nostras sub certa forma litteras sit provisum » interdictum relaxare et eosdem excommunicatos absolvere procuret « ad requisitionem humilem eorumdem » injuncto eis quod animarum eorum saluti viderit expedire.

Dat. ut supra.

2400 (X) Vatican, 9 février 1298.

« Executoria super mutuo pro Johanne episcopo Cathalaunensi. » (fol. 3 v°).

Dilectis filiis magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis, et.. officiali Parisiensis et Leonardo de Anticulo, canonico Autisiodorensis ecclesiarum. Exponente nobis —.

Dantur executores super mutuo quinque milium florenorum auri receptorum per Johannem episcopum Cathalaunensem a « Symone Gerardi cive et mercatore Florentino de societate Ro-

geri et Lapi Spine de Spinis de Florentia mutuante pro se ipso et pro eisdem Rogerio et Lapo, Philippo et Spina fratribus dicti Lapi, Piero et Vanne fratribus dicti Rogerii, Nero Cambii, Nero Aliotti, Duccio Juncte, Bencio Davanzati, Advocato Gerardi, Masseo Clarissimi, Gerardo et Raynutio Hughi, Bartolomeo Marchi, Bonifatio Rogerini, Vanni Paganetti, Philippo Lamberti, Bartholo Abandichi et Albizo Martini sociis et concivibus suis ac ceteris eorum sociis mercatoribus de societate predicta.»

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. februarii, anno quarto.

2401 (XI) Vatican, 27 janvier 1298.

« Littera: *Ea que de bonis* pro monasterio Sancte Trinitatis Venusino concesso predicto Hospitali. » (fol. 4 v°).

Venerabilibus fratribus .. Melfiensi et .. Frequentino episcopis ac dilecto filio magistro Uguitioni de Vercellis, canonico ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis, subdiacono et capellano nostro. Pridem diligentius. —

Eis mandat ut ea que de bonis monasterii Sancte Trinitatis Venusini ordinis sancti Benedicti nuper Hospitali Sancti Johannis Jerosolimitani concessi alienata nonnullis clericis et laïcis, quorum aliqui dicuntur confirmationis litteras a Sede Apostolica impetrasse, invenerint illicite alienata vel distracta, ad jus et proprietatem ejusdem legitime revocent.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. februarii, anno quarto.

(POTTHAST, 24623.)

2402 (XII) Vatican, 9 février 1298.

« Quod impendant munus consecrationis Henrico electo Eboracensi. » (fol. 4 v°).

Venerabilibus fratribus.. Dunelmensi et .. Carleoliensi episcopis salutem etc. Vacante dudum —.

Vacante Eboracensi ecclesia per obitum bone memorie Johannis archiepiscopi, capitulum ad electionem procedens unanimi voto consensit in Henricum decanum ipsius ecclesie et electionem per procuratores confirmationi Sedis Apostolice presentavit. Cum vero dictus electus, juxta tenorem constitutionis Nicolai pape III, licet diu exspectatus, coram domino papa comparere personaliter non curaverit, electio ejus decreta fuit viribus vacuata. Verum, considerans dictam electionem unanimiter fuisse celebratam et volens in eis gratificari affectibus Eduardi regis Anglie, eundem Henricum preficit in archiepiscopum, et parcere volens expensis ei « qui in illis partibus moram trahit » mandat supradictis ut eidem munus consecrationis impendant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v. id. februarii, anno quarto.

2403 (XIII) Vatican, 9 février 1298.

« Conceditur sibi palleum. » (fol. 5.)

Dilecto filio Herrico electo Eboracensi. Cum palleum —. Dat. ut supra.

In c. m. *venerabilibus fratribus.. Dunelmensi et.. Eliensi episcopis.*

Ut palleum assignent eidem electo. Dat. ut supra.

2404 (XIIII) Vatican, 8 février 1298

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 5).

Venerabili fratri R. episcopo Lemovicensi. Quia presentis vite —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. februarii, anno quarto.

2405 (XV) Vatican, 31 janvier 1298.

« Quod instituat in rectorem quem Bennutius Sennis civis Florentinus sibi duxerit presentandum ad rectoriam cujusdam hospitalis quem construxit. » (fol. 5, v°).

Venerabili fratri.. episcopo Florentino. Dudum nobis dilecto filio Bennutio Senni cive Florentino humiliter exponente quod ipse, terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutando, quoddam hospitale cum oratorio in honorem beati Bartholomei apostoli in fundo proprio infra parochiam ecclesie beate Lucie juxta Portam Novam civitatis Florentine, pro suorum et parentum suorum remedio peccatorum edificare ac de bonis suis dotare usque ad certam pecunie quantitatem, ad opus infirmorum et pauperum recipiendorum ibidem, desiderans, hospitale ipsum construere inchoarat, nos, ejus supplicationibus inclinati, ut prefatum hospitale cum oratorio juxta hujusmodi suum desiderium posset construere ac dotare, jure patronatus sibi et ejus heredibus imperpetuum reservato, et, postquam dicta hospitale et oratorium constructa existerent et cimiterium inibi benedictum, rectores hospitalis ejusdem, qui essent pro tempore, ac alie persone que continue in hospitali morarentur eodem, in prefato cimiterio sepeliri, ac idem Bennutius et heredes ac successores ejusdem apud hospitale predictum possent sepulturam eligere sine juris prejudicio alieni sibi per nostras duximus litteras conceden-

dum. Cum autem prefatus Bennutius, sicut nobis insinuare curavit, hospitale ac oratorium et cimiterium construi fecerit supradicta, nosque hospitale ac oratorium eadem cum omnibus juribus ac pertinentiis suis nec non et rectores ipsius hospitalis, qui pro tempore fuerint, ceterasque personas quas in eo continue morari contigerit in jus et proprietatem beati Petri et Apostolice Sedis per nostras receperimus litteras, illa ab omni jurisdictione potestate ac dominio tam tuo et capituli tui quam cujuslibet alterius prelati seu ecclesiastice persone totaliter et perpetuo eximentes, ita quod nec tu nec quevis alia persona jure ordinario ipsum hospitale, utpote prorsus exemptum, nec personas que inibi morabuntur interdicere, suspendere, vel excommunicare valeatis seu quocumque modo alias in prefatum hospitale seu personas ipsius potestatem vel jurisdictionem aliquam exercere, dictus Bennutius suppliciter postulavit a nobis ut personam, presentandam ab ipso, in ejusdem hospitalis rectorem institui, dedicari oratorium et cimiterium benedici de benignitate Sedis Apostolice faceremus. Nos itaque, benigne volentes prefati Bennutii piis desideriis annuere in hac parte, fraternitati tue presentium auctoritate committimus et mandamus quatinus, si eum quem idem Bennutius ad rectoriam hospitalis ejusdem tibi duxerit presentandum idoneum ad hoc esse repereris, ipsum hac vice in rectorem instituas hospitalis memorati nec non et oratorium dedicare ac cimiterium benedicere supradicta nostra fretus auctoritate procures: sic te in hiis sollicite habiturus ut a nobis proinde non immerito commenderis. Ceterum per hec que circa hospitale, oratorium et cimiterium prelibata fieri mandamus ad presens nequaquam intendimus tibi vel ecclesie tue aliquid juris vel jurisdictionis acquiri, quin potius hospitale, oratorium, jura, pertinentie, rector et persone predicta prorsus exempta et Romane Ecclesie immediate subjecta existere volumus ut superius est expressum. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. februarii, anno quarto.

2406 (XVI) Vatican, 31 janvier 1298.

« Approbatur sibi quedam gratia olim concessa per Celestinum. » (fol. 5 v°).

Dilecto filio Matheo de Columpna, preposito ecclesie de Sancto Audomaro, Morinensis diocesis, capellano nostro. Quondam frater Petrus de Murrone — ipsa omnino carere viribus decernentes. Tu vero quasdam litteras predecessoris continentes quod tu, qui tunc subdiaconus existebas, in de Sancto Audomaro Morinensis diocesis et de Ingreyo in Carnotensi ecclesiis preposituras et in eadem Carnotensi ac Laudunensi et Belvacensi ecclesiis canonicatus obtinens et prebendas, pro eo quod post factam in eisdem Carnotensi, Laudunensi et Belvacensi ecclesiis primam residentiam consuetam, aliquibus annis in dictis ecclesiis seu in Romana curia vel in scolis aut peregrinatione per sex menses juxta earumdem ecclesiarum statuta et consuetudines non fueras, effectus eras foraneus, ita quod secundum predictas consuetudines fructus prebendarum ipsarum percipere non valebas, nisi personaliter ad ecclesias ipsas accedens iterato solitam residentiam perficeres in eisdem, quodque dictus predecessor tibi auctoritate apostolica per ipsas tibi litteras indulgebat ut, singulis annis quibus in dicta ecclesia de Sancto Audomaro predictam residentiam faceres personalem sive apud Sedem Apostolicam vel in scolis per tantum tempus moram traheres quanti temporis residentiam consuetudines predicte requirunt, fructus, redditus et proventus prepositurarum et prebendarum predictarum cum ea integritate percipere posses, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes si in eisdem ecclesiis personaliter resideres, nec ad residendum alias in eisdem ecclesiis, neque ad susceptionem superiorum ordinum tenereris neque ad id a quoquam coartari valeres; nec non et alias ipsius predecessoris certi tenoris litteras directas certis executoribus super executionem hujus gratie, infra prescriptum tempus per nos, ut premittitur, assignatum, dilecto filio nostro P. Sancte Marie Nove diacono cardinali, tunc Sancte Romane Ecclesie vice cancellario cui commisimus receptionem litterarum talium presentasti. Quare tu, qui post indultum hujusmodi ipsius predecessoris diaconatus ordinem recepisti, canonicatus et prebendas quos in predictis Laudunensi et Belvacensi ecclesiis sponte ac libere nosceris dimisisse, a nobis suppliciter postulasti ut providere tibi super hoc paterna diligentia curaremus. Nosque litteras ipsas ejusdem predecessoris inspici et examinari fecimus diligenter que per examinationem hanc reperte fuerunt cujuslibet vitii suspicione carere.

Littere Celestini pape quinti approbantur.

Dat. ut supra.

2407 (XVII) Vatican, 25 février 1298.

« Quod non teneatur prestare juramentum personaliter hac vice episcopo Noviomensi. » (fol. 6).

Dilecto filio Nicolao de Frejapanibus, cancellario ecclesie Noviomensis, capellano nostro. Tue devotionis

grata merita nos inducunt ut te favore prosequamur gratie specialis. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod in ecclesia Noviomensi ex statuto aut consuetudine a longis retroactis temporibus est obtentum ut cancellarius Noviomensis singulis episcopis, cum de novo creantur, ex certis et legitimis causis fidelitatis prestare tenetur corporaliter juramentum: propter quod venerabilis frater noster Noviomensis episcopus, qui in Noviomensem episcopum noviter est assumptus, pro eo quod tu in stabilito ad hoc termino non prestitisti eidem hoc juramentum, fructus et proventus cancellarie tue ipsius ecclesie fecit occasione hujusmodi sequestrari. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum tu de mandamento nostro in Lateranensi ecclesia, cujus existis canonicus, pro necessariis utilitatibus ipsius et utilibus necessitatibus moram trahas, propter quod ad prestandum juramentum hujusmodi episcopi prefati presentiam adire minime potuisti, providere tibi super hoc de benignitate Sedis Apostolice dignaremur —.

Indulget ei ut ad prestationem hujus sacramenti personaliter hac vice minime teneatur dummodo infra trium mensium spatium, per procuratorem ad hoc specialiter constitutum et, cum ad ecclesiam ipsam accesserit, memorato episcopo personaliter illud prestet.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. martii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .., thesaurario Suessionensis et Johanni de Anibaldis, Lateranensis et Cinthio de Urbe, Suessionensis ecclesiarum canonicis*. Dat. ut. supra.

2408 (XVIII) Vatican, 22 février 1298.

« Super dispensatione matrimonii. » (fol. 6 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Neapolitano. Licet matrimonialem —.

Ut de matrimonio cum nobili viro Marcutio, nato quondam Philippi Caraccioli et nobili muliere Philippa, nata quondam Landulfi Filimarini, ad corroborandum sinceritatis et dilectionis affectum presertim hoc tempore, nonobstante quarto consanguinitatis gradu, si id expedire videtur, dispenset.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. martii, anno quarto.

2409 (XVIIII) Vatican, 20 février 1298.

« Quod non possint trahi etc. » (fol. 6 v°.)

Dilectis filiis consilio et communi civitatis Anconitane Ecclesie Romane fidelibus. Sincera devotio —.

Ob servitia contra Columpnenses prestita, concedit suprascriptis ut in principalibus causis et etiam in primis causis appellationum tam in civilibus quam in criminalibus, extra civitatem et districtum ejus, ad rectoris Anconitane Marchie examen inviti trahi non possint et ut de eisdem infra civitatem possint cognoscere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. martii, anno quarto.

2410 Vatican, 13 février 1298.

« Committitur sibi ecclesia Sanctorum Sergi et Bacchi de Urbe. » (fol. 6 v°.)

Dilecto filio Landulfo, nato nobilis viri Landulfi de Columpna, canonico Carnotensi. Inter alia que humeris nostris incumbunt, de Urbis ecclesiarum dispositione pensamus. — Hoc itaque in hac parte non indigne pensantes, tibi, de cujus industria fiduciam obtinemus, ecclesiam Sanctorum Sergi et Bacchi de Urbe, carentem ad presens proprio cardinali, in spiritualibus et temporalibus usque ad beneplacitum Sedis Apostolice, presentium auctoritate committimus, eam per te seu alios, quibus committendum duxeris, in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernandam. Contradictores —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. februarii, anno quarto.

2411 (XXI)

« Palleum pro Lucifero Sancte Severine archiepiscopo. » (fol. 6 v°.)

Forma dandi palleum. Ad honorem —.

2412 (XXII)

Pro eodem. (fol. 6 v°.)

Forma juramenti. Ego Luciferus —.

2413 (XXIII) Vatican, 15 février 1298.

Conceditur ei palleum per Thomasium abbatem monasterii Fontislaureati nuntium ejus postulatum. (fol. 6 v°.)

Venerabili fratri LuciferoSancte Severine archiepiscopo. Cum palleum —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. martii, anno quarto.

In e. m. *venerabilibus fratribus nostris .. Rossanensi archiepiscopo et.. Geratino episcopo.* — Ut ei illud assignent. — Dat. ut supra.

2414 (XXIIII) Vatican, 22 février 1298.

« Super revocatione cujusdam gravaminis illati .. abbati et conventui monasterii Sancte Berte, ordinis sancti Benedicti, Morinensis diocesis.» (fol. 7.)

Carissimo in Christo filio Phylippo regi Francie illustri. Zelantes ab intimis, fili carissime, tue salutis et exaltationis augmentum teque gerentes in visceribus caritatis, mansuetudinem regiam, quam firmiter credimus ad actus laudabiles et salubres expositam, ad ea libenter inducimus et sollicitis studiis excitamus per que Regi regum terrenorum solia principum gubernanti de bono semper in melius reddaris acceptior [1], occuras gratiosior excellentia meritorum.

Sane dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancte Berte, ordinis sancti Benedicti, Morinensis diocesis, nuper nobis oblata petitio continebat quod ab olim sancta ipsa, dum adhuc in seculo permaneret, salubri ducta proposito et ad opera pietatis intenta, priusquam comitatus Sancti Pauli principium suscepisset, monasterium ipsum in proposito comitatu fundavit, illud de bonis suis et ad patrimonium ejus spectantibus pia liberalitate dotando, assensu regis Francie qui tunc erat et a quo dictum comitatum immediate tenebat ad id nichilominus accedente : sicque prefati abbas et conventus in terra ejusdem monasterii jurisdictionem plenariam, resorto, ut verbis patrie utamur, dumtaxat excepto ad regem Francie pertinente, habuisse et exercuisse noscuntur temporibus retroactis. Verum, licet tu et progenitores tui, reges Francie, qui fuere pro tempore, in possessione guardie monasterii memorati ac etiam hujus resorti fueritis a tempore cujus memoria non existit, tamen dilectus filius nobilis vir Guido de Castellione, comes dicti comitatus Sancti Pauli, ad eorumdem abbatis et conventus indebite turbationem et molestationem aspirans, super guardia et resorto prefatis fecit eos coram te ad judicium evocari, asserendo ad eum pertinere predicta, prelibatis abbate et conventu constanter respondentibus ex adverso quod non ad eum sed ad te illa totaliter pertinebant. Cumque in causa hujusmodi super possessorio processum, ut dicitur, extitisset ac in eo prenominatus comes succubuisset omnino, tandem super petitorio inter te ac eosdem abbatem et conventum ex parte una et comitem sepedictum ex altera processu legitime habito et inquisitione super hoc facta sollicite ac diligenter inspecta, prout exigit ordo juris, comes ipse non immerito reformidans ne contrariam in hac parte sententiam reportaret erga celsitudinem regiam, ut dicitur, procuravit quod, hac lite pendente, guardia et resortum predicta, eisdem abbate et conventu expresse contradicentibus et proponentibus talia fieri non debere, dicto comiti concessisti, ea in ipsum et ejus heredes nichilominus transferendo in non modicum predictorum abbatis et conventus ac monasterii prejudicium et gravamen, et quia postmodum iidem abbas et conventus coram prefato comite nolebant, sicuti nec debebant neque salva conscientia poterant, in temporalibus respondere, dictus comes aut sui, de mandato ipsius, omnia bona temporalia et spiritualia monasterii memorati, divino timore postposito et extensis ad illicita manibus, occuparunt, que adhuc detinere noscuntur taliter occupata, eumdem abbatem et administratores ipsius monasterii, quantum in eis extitit, ab illorum administrationibus amoventes, censuariis et debitoribus monasterii supradicti ne pretactis abbati et conventui aliquid solvere quoquomodo presumerent sub certis penis districtius inhibendo, nec permittit prefatus comes quod abbas et conventus predicti de bonis ejusdem monasterii necessaria vite percipiant, nisi eis per manus ejusdem comitis vel suorum eadem ministrentur. Quare prenominati abbas et conventus a nobis humiliter et suppliciter postularunt ut tantis et tam gravibus eorum dispendiis, injuriis et jacturis de Apostolice Sedis providere clemencia dignaremur.

Cum itaque, si diligenter attenditur et sollicita meditatione pensatur, talia Deo displiceant, honoris regii titulis derogent et redundent in prejudicium ecclesiastice libertatis, nosque, pastoralis officii debito exigente, religiosorum potissime, qui mundi comtentis illecebris se divinis obsequiis dedicarunt, bona et jura tueri sollicite

1. *Ms:* Acceptor.

teneamur eisque adesse favoribus et auxiliis opportunis, et speremus firmiter quod tu, tanquam filius benedictionis et gratie, preces nostras devote recipias et effectu celeri prosequaris, regalem magnificentiam attente duximus rogandam et ortandam (*sic*), nichilominus tibi paternis affectibus suadentes, quod provida consideratione discutiens et prudenter advertens quod concessioni et translationi hiis predictis comiti et ejus heredibus a te factis juris rectitudo non annuit nec assistit, sed potius obviat et apertius contradicit, eas ad te obice difficultatis amoto non differas revocare, guardiam et defensionem solitam circa memoratos abbatem et conventum ac bona et jura monasterii supradicti, prout decet celsitudinem regiam, favorabiliter exercendo ac faciendo abbati, conventui et monasterio prelibatis, bona et jura eis ablata restitui et ab ipsorum dampnis, gravaminibus et molestiis quibuscumque prefatum comitem ac suos ulterius abstinere : sic te in hiis efficaciter habiturus ut proinde ab omnium Retributore bonorum condigna premia consequaris, ac iidem abbas et conventus divinis obsequiis commodius immorentur et nos devotionem regiam uberibus in Domino laudibus attollamus. Ceterum gerentes cordi negotium propter Deum instanter petimus quod super hoc feceris tua nobis pagina referat responsura. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. martii, anno quarto.

2415 (XXV) Vatican, 22 février 1298.

« Super eodem. » (fol. 7 v°.)

Dilecto filio nobili viro Guidoni de Castelione, comiti Sancti Pauli. Sincere caritatis affectus quo personam tuam in Christo prosequimur pulsat instanter et excitat mentem nostram ut, te ab hiis que tue saluti prejudicant, honori derogant, famam ledunt, sollicitis studiis revocantes, animum tuum ad salubrium exercitium actionum vigilanter inducere studeamus. Sane dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Sancte Berte ordinis sancti Benedicti Morinensis diocesis nuper nobis oblata et cetera ut in precedenti usque : temporibus retroactis. Verum, licet carissimus in Christo filius noster Phylippus rex Francorum illustris et progenitores ejus reges Francie et cetera usque : non existit, tu tamen qui comitatum obtines supradictum ad eorumdem abbatis et cetera usque : ex adverso, quod non ad te sed ad prefatum regem illa totaliter pertinebant : cumque in causa hac et cetera usque : omnino, tandem super petitorio inter eosdem regem, abbatem et conventum ex parte una et te ex altera processu legitime habito et cetera usque : dignaremur, verbis convenienter mutatis. Cum itaque si diligenter attenditur et cetera usque : speremus firmiter quod tu, tanquam devotionis et obedientie filius, preces nostras devote recipias et studeas efficaciter adimplere, nos tuam rogandam et cetera usque : suadentes quod provida et cetera usque : hiis tibi et heredibus tuis a rege factis eodem juris rectitudo non annuit et cetera usque : contradicit, memoratos abbatem et conventum ecclesie hujus guardie ulterius non molestes nec facias per te vel alium seu alios aliquatenus molestari sed, eos potius habens divine pietatis intuitu propensius commendatos, ipsis bona et jura per te vel de mandato tuo eis ablata facias absque more dispendio cum integritate restitui, ab ipsorum dampnis, gravaminibus et injuriis quibuscumque ulterius abstinendo : sic te in hiis et cetera usque : attollamus. Quod autem feceris in premissis nobis per tuas intimare litteras non omittas. Dat. ut supra.

2416 (XXVII) Vatican, 31 janvier 1298.

« Super receptione Berengarii de Villarone in ecclesia Barchinonensi. » (fol. 7 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Urgellensi et dilectis filiis .. abbati monasterii sancti Vincentii de Cardona ac.. priori Sancti Pauli, Urgellensis et Barchinonensis diocesium. Sua nobis Berengarius —.

Apostolica auctoritate Berengario de Villarone, archidiacono de Ger in ecclesia Urgellensi, ob labores quos pro reformanda pace inter carissimos in Christo filios C. Sicilie ac J. Aragonum reges pertulerat, canonicatum Barchinonensis ecclesie cum plenitudine juris canonici ac prebendam et preposituram, que alias mensata vulgariter nuncupatur, consuetam tantum canonicis ipsius ecclesie, nec non et personatum seu dignitatem, vacantes, si nulli alii de jure deberentur, contulerat vel, si non vacarent, inhibuerat illi vel illis ad quem vel ad quos personatuum vel dignitatum collatio pertinere nosceretur ne personatum aut dignitatem taliter inibi reservatos conferre vel de illis disponere quoquo modo presumerent, ea tantum lege ut Berengarius, infra unius mensis spatium post vacationis notitiam, vacantem personatum vel dignitatem acceptare vel abnuere teneretur.

Verum venerabilis frater noster.. episcopus et aliqui ca-

nonici de capitulo ejusdem Barchinonensis ecclesie, se capitulum asserentes, ac Raymundus Amilii, Barchinonensis canonicus, et Guillelmus Tarafa, qui se dicit canonicum Barchinonensem, opponentes ipsi Berengario quod cum plures quam duos, quos tantum, ut dicebant, clausula « non obstante si pro aliis in eadem ecclesia nostra scripta direximus » nostris inserta litteris comprehendebat, ad mandatum nostrum recepissent in ecclesia ipsa, canonicos ipsos dictus Berengarius saltem nominatim exprimere debuit vel facere plenam et expressam de eorumdem numero mentionem, quodque idem Berengarius subticuerat nobis exprimere certam et specialem consuetudinem et constitutionem ecclesie memorate, juratas et per Sedem Apostolicam confirmatas, quibus cavebatur quod nullus posset habere in dicta ecclesia domos, prepositturam, mensatam, dignitatem seu personatum nisi esset de gremio et assidue residens in eadem, et quod ad prebendam presbyteralem erat in ecclesia Vicensi receptus et juraverat se facturum personalem residentiam in eadem, prout ipsius prebende sacerdotalis onus exigere noscebatur, quodque residentiam ibi non fecerat vel non faciebat, propter quod ipsum et non posse residere in Barchinonensi ecclesia et crimine perjurii irretitum dicebant ac insuper quod erat idem Berengarius, tempore impetrationis dictarum litterarum nostrarum, per dilectum filium Johannem de Turrefracta, precentorem ecclesie Illerdensis, executorem deputatum a felicis recordationis Nicolao papa quarto predecessore nostro Ferrario de Berberano, canonico ecclesie Urgellensis, super provisione sibi facta per eum de canonicatu et prebenda ipsius ecclesie Urgellensis majori excommunicatione ligatus, pro eo quod idem Berengarius, ad mandatum executoris ejusdem sibi factum, contumaciter non receperat dictum Ferrarium in prefata Urgellensi ecclesia, cujus ipse Berengarius erat canonicus, in canonicum et in fratrem, que si expressisset prefatam a nobis gratiam minime habuisset, objecto sibi nichilominus per eosdem quod littere executorie presentate pro eo super hujusmodi per nos sibi facta gratia continebant in constructione [1] peccatum, contra eumdem Berengarium, ex predictis occasionibus sive causis, ad Sedem Apostolicam semel et pluries appellarunt, eum ad gratiam predictam admittere ac in canonicum ejusdem ecclesie Barchinonensis juxta mandatum nostrum hujusmodi recipere recusantes. Propter quod prefatus Berengarius nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Cum igitur idem Berengarius se nobis et Ecclesie Romane in negotio dicte pacis et alias obsequiosum et devotum reddiderit atque reddat, nosque, longe ante provisionem hujusmodi sibi factam per nos in dicta Barchinonensi ecclesia, tunc scilicet temporis cum eum in Siciliam transmisimus pro certis ipsius Ecclesie Romane negotiis promovendis duxerimus ipsum de apostolice potestatis plenitudine ab hujusmodi objectis sibi majoris excommunicationis sententia ac perjurio absolvendum, si absolutione indigere forsitan nosceretur, ita quod in nullo posset ei imposterum obici vel obesse, omnemque notam infamie juris aut facti, si quam ex eis vel imposterum aliquando forsitan incurrisset vel posset incurrere in futurum, duxerimus auctoritate apostolica ab eo penitus abolendam, et intendentes eum in hac parte potissime specialis prosequi prerogativa favoris, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, memoratum Berengarium vel procuratorem suum ejus nomine in prefata Barchinonensi ecclesia recipi facientes in canonicum et in fratrem, ad executionem premisse gracie sibi facte per nos in dicta Barchinonensi ecclesia juxta priorum nostrarum litterarum continentiam procedatis : non obstantibus omnibus supradictis aut si prefatis episcopo et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede sit indultum eadem quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras etc. mentionem. Contradictores etc. — Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. februarii, anno quarto.

2417 (XXVIII) Vatican, 9 février 1298.

« Super gratia concessa regi Francie in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis regni Francie. » (fol. 8.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. Dolensi ac .. Autisiodorensi episcopis. Pridem, carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris volentes honorare personam et per honorem sibi exhibitum aliis providere, vobis per nostras sub certa forma litteras dedimus in mandatis ut vos vel duo aut unus vestrum in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis regni Francie, Lugdunensi et Vivariensi ecclesiis que de regno ipso non esse se asserunt dumtaxat exceptis, singulis personis ydoneis quas rex ipse vobis duxerit nominandas de singulis canonicatibus ecclesiarum ipsarum et prebendis nulli alii de jure debitis, si vacant in ipsis ecclesiis vel quam cito vacarent, auctoritate nostra providere sollicite curaretis dictasque personas in predictis ecclesiis ab earum capitulis et aliis ad quos in eis canonico-

1. *Ms :* constructionem.

rum receptio noscitur pertinere, faceretis in canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo cum plenitudine juris canonici assignatis, ac eis vel ipsarum procuratoribus pro eisdem de fructibus, redditibus et proventibus prebendarum ipsarum, postquam illas existerent pacifice assecute, integre responderi, contradictores etc., non obstantibus de certo canonicorum numero seu quibuslibet aliis dictarum ecclesiarum statutis et consuetudinibus contrariis, juramento, constitutione apostolica vel alia quavis firmitate vallatis, aut si aliqui auctoritate nostra, quibus nolumus per hoc generari prejudicium, in eisdem ecclesiis in canonicos recepti existerent vel ut reciperentur instarent, seu si eisdem capitulis aut aliis, ad quos in eisdem ecclesiis canonicorum receptio et prebendarum collatio pertinerent, comuniter vel divisim a Sede Apostolica esset indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime tenerentur et ad id compelli non possent, quodque de prebendis ecclesiarum ipsarum seu beneficiis ad earum collationem spectantibus nulli providere valeret per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam ac de verbo et cetera usque : mentionem et qualibet alia prefate Sedis indulgentia et cetera usque : mentio specialis, seu si predicte persone alias beneficiate existerent aut si presentes non essent ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ecclesiarum ipsarum solitum juramentum, dummodo in earum absentia per procuratores ydoneos et, cum ad ecclesias supradictas accederent, illud corporaliter exhiberent. Ut igitur hujusmodi provisionum negotium facilius et celerius effectum debitum consequatur, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, postquam provisiones easdem, prout superius est expressum, duxeritis faciendas, ad executiones earum vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, procedere studeatis. Contradictores etc., non obstantibus supradictis aut si aliquibus, cujuscumque preeminentie, dignitatis, ordinis, condictionis aut status, a Sede Apostolica sit indultum quod interdici suspendi vel excommunicari non possint per litteras et cetera usque : mentionem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. februarii, anno quarto.

2418 (xxviii) Vatican, 9 février 1298.

« Super decima concessa regi Francie » (fol. 8 v°.)

Dilectis filiis .. Majoris monasterii Turonensis et .. de Sancto Dyonisio, Parisiensis diocesis, monasterii abbatibus.

Dudum, sicut vestra discrettio non ignorat, nonnulli archiepiscopi et episcopi regni Francie, nostra super hoc freti licentia, carissimo in Christo filio nostro Philippo regi Francorum illustri, pro ipsius defensione regni moderno tempore facienda, decimas suorum ecclesiasticorum proventuum et reddituum per certi temporis spatium, certis terminis in eorum comunibus litteris super hoc directis expressis integre persolvendas, prout in litteris ipsis plenius et seriosius haberi conspicitur, voluntate spontanea concesserunt. Unde nos, ad ipsius regni statum tranquillum et prosperum paternis studiis intendentes et volentes propterea ut ab universis archiepiscopis et episcopis ceterisque prelatis, ecclesiis et personis ecclesiasticis dicti regni predicte decime juxta concessiones eorum integre solverentur, et gerentes de vestra circumspectione fiduciam in Domino specialem vobis et vestrum cuilibet colligendi et faciendi per vos vel per alium seu alios a vestris subditis et etiam ab universis abbatibus, prioribus, prepositis, ceterisque personis ecclesiasticis regularibus dicti regni Romane Ecclesie immediate subjectis, illis dumtaxat exceptis qui de Cluniacensi et Cisterciensi ordinibus ac de Hospitali Sancti Johannis et Domo Militie Templi Jerosolimitani esse noscuntur, secundum predicte concessionis tenorem decimas colligi prelibatas et eas prefato regi integraliter exhibendi, nec non et compellendi per censuram ecclesiasticam vestros subditos ad solutionem decimarum ipsarum, prout singulariter illos contingeret, ac eos ab excomunicationis, suspensionis et interdicti sententiis solutione hujusmodi prestita juxta formam Ecclesie absolvendi et dispensandi super irregularitatibus, si quas hujusmodi sententiis ligati contraherent, plenam et liberam per easdem concessimus litteras facultatem, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica esset indultum quod interdici, suspendi, excomunicari non possent per litteras dicte Sedis et cetera usque : mentionem. Postmodum autem, ad efficacem et celerem hujusmodi expeditionem negotii propentius intendentes et credentes firmiter quod ea que committeremus vobis studeretis exequi diligenter, vobis per alias nostras litteras dedimus in mandatis[1] ut predictas decimas ab universis abbatibus, prioribus, prepositis, magistris ceterisque personis ecclesiasticis regularibus dicti regni, cujuscumque conditionis aut status existerent, tam exemptis quam non exemptis, secundum tenorem concessionis ejusdem colligeretis et faceretis ab aliis colligi diligenter, eidem regi sicut premittitur exhibendas, in ceteris in predicto negotio processuri juxta formam in eisdem nostris litteris comprehensam, invocato ad hoc, si opus existeret, auxi-

1. *Ms* : inmadatis.

lio bracchii secularis, prout in litteris ipsis plenius continetur, volentes igitur ut hujusmodi negotium celerius et facilius ad executionem debitam perducatur, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, super eodem exequendo negotio juxta premissam formam diligenter et sollicite procedatis. Contradictores —. Dat. ut supra.

2419 (XXX) Vatican, 22 février 1298.

« Super gratia concessa eidem regi pro clericis. » (fol. 8 v°.)

Venerabilibus fratribus.. archiepiscopo Narbonensi et.. Dolensi ac.. Autisiodorensi episcopis. Volentes hactenus carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris honorare personam et cetera ut supra capitulo XXVIII usque : compescendo. Postmodum autem, ut hujusmodi provisionis negotium facilius et celerius effectum debitum sortiretur, vobis per alias nostras certi tenoris mandavimus litteras ut, postquam dicte provisiones existerent per vos facte, ad executiones earum vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, procedere curaretis. Ut igitur ex predicto negotio eo major prefato regi honor proveniat quo gratiosius et favorabilius procedi contigerit in eodem, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus quatinus personis ydoneis, per eundem regem ad predictas cathedrales ecclesias nominatis jam forsitan et etiam nominandis, de prebendis liberis, integris et non sacerdotalibus ecclesiarum ipsarum, nulli alii de jure debitis, si vacant vel quamcito vacaverint, providere curetis ; ad executiones provisionis hujusmodi sollicite processuri juxta formam in predictis nostris vobis secundo directis litteris comprehensam. Contradictores —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. martii, anno quarto.

2420 (XXXI) Vatican, 13 février 1298.

« Super gratia sibi concessa in ecclesia Cameracensi. » (fol. 9.)

Dilecto filio magistro Guillelmo Flotte, canonico et archidiacono de Brabantia in ecclesia Cameracensi. Laudanda tue multiplicis merita probitatis et dilecti filii Petri Flote, consiliarii carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris, patris tui consideratio nos inducunt ut personam tuam gratiosis favoribus prosequamur. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod nos, olim volentes tibi gratiam facere specialem, archidiaconatum de Brabantia in ecclesia Cameracensi et canonicatum ac prebendam ipsius ecclesie tunc vacantes tibi duximus conferendos. Cum autem in eadem ecclesia de speciali statu vel consuetudine observetur quod de prebendis ibidem vacantibus earum tertie sacerdotii onus incumbat et ad donationem seu collationem capituli ecclesie pertineat supradicte, ac prebenda predicta, per nos sicut premittitur tibi collata, sit tertia, cui onus hujusmodi noscitur imminere, tibique ad presens litterarum studio insistenti grave nimis et dispendiosum existat si te hoc tempore ad sacerdotium oporteat promoveri, provideri tibi super hoc a nobis humiliter implorasti. Volentes itaque personam tuam omeritorum (*sic*) tuorum cumulo exigente dictique patris tui obtentu speciali prosequi gratia et favore, tibi ut alia prebenda proximo in eadem ecclesia vacatura cedat loco hujusmodi tertie capitulo memorato ipsique prebende onus immineat antedictum, non obstantibus quibuscumque contrariis ipsius ecclesie consuetudinibus vel statutis, juramento, constitutione Sedis Apostolice seu quacumque firmitate alia roboratis, aut quod de observandis eisdem per te vel per procuratorem tuum juramentum diceris prestitisse seu quibuscumque privilegiis et indulgentiis apostolicis de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in presentibus fieri mentionem et per que effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. februarii, anno quarto.

2421 (XXXII) Vatican, 27 février 1298.

« Confertur sibi eadem ecclesia. » (fol. 9.)

Dilecto filio Meo, nato nobilis viri Petrucii de Tholomeis, rectori ecclesie Sancti Christofori Senensis. Generis et morum —.

Ob sua et suorum merita ei ecclesiam Sancti Christofori, Senensis diocesis, per mortem quondam Christofori de Tholomeis rectoris ipsius vacantem, et apostolice donationi ex tunc reservatam confert et de illa providet, non valente electione quam canonici ejusdem ecclesie, ad quos electio rectoris in ea pertinet, reservationis et decreti ignari de eo fecissent et non obstante quod idem in ecclesia Sancte

Marie de Salteano, Senensis diocesis, canonicatum et prebendam obtinere noscatur et defectum in ordinibus et etate patiatur, quum sit in minoribus tantum ordinibus nec decimum octavum etatis annum exegerit, ea tamen condicione ut, postquam ad etatem pervenerit, ad omnes sacros ordines se faciat promoveri et interim per idoneum vicarium, congrua de proventibus portione reservata, faciat desserviri.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kal. martii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Atrebatensi et dilectis filiis.. priori de Monte Liscario, Senensis diocesis, et Raynaldo Mei Grassi, canonico Senensi.* — Dat. ut supra.

2422 (XXXIII) Vatican, 1 février 1298.

« Quod concedat quasdam domos ecclesie Perusine communi Perusino sub certis conditionibus. » (fol. 9 v°.)

Dilecto filio.. guardiano Fratrum Minorum Perusino. Devotionis et fidei —.

Cum commune Perusinum pro edificatione et ampliatione sui palatii ecclesiam Sancti Severi de Platea Perusinam ipsi palatio contiguam, ac circuitum et domos ipsius ecclesie coherentes eidem ac etiam partem superiorem cujusdam domus, episcopatui Perusino pertinentis et supra viam publicam usque ad ejusdem episcopatus domos se protendentis, habeat necessaria et paratum existat aliam ecclesiam ejusdem magnitudinis et altitudinis, infra ipsius parrochiam vel juxta eam in ejusdem sancti honorem edificare de novo et pro domibus et circuitu prefatis ecclesie ac episcopatui recompensationem exhibere congruam, mandat ei ut dicto communi ea que in hac parte facturum se asserit efficaciter adimplenti, « super quibus conscientiam tuam intendimus onerare », auctoritate apostolica predicta ecclesiam et domos concedat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. februarii, anno quarto.

Potthast, 24626.

2423 (XXXIIII) Vatican, 27 janvier 1298.

« Confertur sibi primum beneficium, si quod vacat vel quam primum vacaverit in diocesi Asisinati. » (fol. 9 v°.)

Dilecto filio Petro, nato dilecti filii Andree dicti Suffati de Assisio, clerico ecclesie Sancte Marie de Bufis, Nucerine diocesis. Excitat nos —.

Ei beneficium, dummodo consueverit clericis secularibus assignari, in quavis ecclesiarum Assisinatis diocesis confert vel reservat, non obstante quod in ecclesia Sancte Marie de Bufis, Nucerine diocesis, locum et beneficium noscatur obtinere et ab Assisinati episcopo quamdam quantitatem bladi, pensionis nomine, percipiat annuatim et patiatur in ordinibus et etate defectum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. februarii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis.. abbati monasterii Sancti Benedicti de Montesuasio, Asisinatis diocesis, et Bertuldo de Labro, Ulixbonensis, capellano nostro, ac Hugolino Pigalotti, Asisinatis ecclesiarum canonicis.* — Dat. ut supra.

2424 (XXXV) Vatican, 20 février 1298.

« Quod non valeat visitari vel amoveri per aliquem superiorem sui ordinis. » (fol. 10.)

Dilecto filio fratri Nicolao, abbati monasterii Sancti Angeli supra Ninfam, Florensis ordinis, Velletrensis diocesis. Personam tuam, honestate morum, conversatione vite laudabilis et aliarum probitatum meritis a Domino decoratam, speciali benevolentia prosequentes et tibi, jam senio et debilitate confracto, qui monasterium tuum Sancti Angeli supra Ninfam, Florensis ordinis, Velletrensis diocesis, cujus abbas existis, sicut testimonio fidedignorum accepimus in bonis temporalibus non modicum augmentasti [1] et alias in spiritualibus et temporalibus exercuisti laudabiliter curam ejus, paterno compatientes affectu ac propterea volentes ut quieto statu letaris, auctoritate tibi presentium indulgemus ut ab abbatia, servitio, officio vel regimine abbatie ipsius monasterii Sancti Angeli per abbatem monasterii Sancte Marie de Gloria, predicti ordinis, Anagnine diocesis, qui est vel qui pro tempore fuerit, cum monasterio Sancte Marie prefatum monasterium Sancti Angeli per ordinationem Sedis Apostolice dicitur esse subjectum, vel quemvis alium tui ordinis superiorem tuum suspendi nequeas, quoad vixeris, vel quomodolibet amoveri, nec dictus abbas vel hujusmodi superior in personam tuam visitationem vel

1. Ms : augmetasti.

correctionem aliquam valeat exercere absque mandato Sedis Apostolice speciali. Non obstantibus quibuslibet statutis et consuetudinibus predictorum monasteriorum et ordinum vel alicujus eorum. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. martii anno quarto.

2425 (XXXVI) Vatican, 7 mars 1298.

« Revocatur quoddam mandatum factum contra Ranutium de Abbatibus et socios ejus. » (fol. 10.)

Universis judicibus ordinariis, delegatis, subdelegatis, auditoribus et executoribus quibuscumque. Nuper certis ex causis et rationibus que super hoc litteris sunt expresse inhibuimus pecuniariis debitoribus Ranutii de Abbatibus et sociorum ipsius, Florentinorum civium, ne sub pena excommunicationis a se debita eis solverent sine nostra licentia speciali ac vobis et vestrum cuilibet — mandavimus quatinus ipsis omnibus ac singulis et habentibus causam ab eisdem adversus suos debitores — jurisdictionem vestram, nisi circa hoc aliud a nobis in mandatis reciperetis, denegaretis omnino. Nunc vero, quia sepedicti R.[anutius] et socii ejus in contritione cordis et humilitate spiritus super hiis, propter que ad hujusmodi mandatum et inhibitionem processimus, sicut devoti subditi et obedientie filii, nostris paruere preceptis — mandatum et inhibitionem predictam ac litteras super eis confectas — penitus revocamus et viribus carere censemus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. martii, anno quarto.

(POTTHAST. 24618.)

2426-2428 (XXXVII) Vatican, 23 février 1298.

« Petitur subsidium contra Columpnenses. » (fol. 10 v°.)

Dilectis filiis.. magistro et fratribus Domus Militie Templi Jerosolimitani. Imminens Ecclesie Romane necessitas quam Columpnenses scismatici et ipsius rebelles et hostes Ecclesie suis detestabilibus et perversis inducunt actibus, et damnatis contenptibus et nequitiis, velut filii maledictionis, imponunt, nos multipliciter urget ut ad eorum damnabilis presumptionis plectendam audaciam et nequitiam conterendam apostolice partes auctoritatis eo efficacius apponamus, eoque fiducialius, celerius et ferventius fidelium ipsius Ecclesie convocemus subsidia, quin potius ministremus, quo eidem Ecclesie ac orthodoxe fidei et cause Dei, que super hoc agitur, nisi provideretur celeriter, majus inspicimus, maxime per exempli mali perniciem, periculum imminere. Cum igitur ex justis et rationalibus causis Jacobum et Petrum de Columpna, quondam ipsius Romane Ecclesie cardinales, exigentibus ipsorum culpis et demeritis, a dignitate cardinalatus, de fratrum nostrorum consilio, deposuerimus, ipsosque privaverimus omni cardinalatuum comodo et honore, ac judicaverimus eos scismaticos et blasphemos, et in hujusmodi scismate persistentes tanquam hereticos puniendos; exercitum quoque fidelium contra ipsos et terras que tenebantur et tenentur seu etiam tenebuntur per eos sive per alios pro eisdem duxerimus aggregandum, quampluribus ad ipsius stipendia conductis et retentis Ecclesie, ac ad impugnationem et destructionem ipsorum Columpnensium, adjutorum et fautorum ipsorum et terrarum hujusmodi, donec nobis et ipsi Ecclesie omnino subsint, voluntarii vel coacti, procedere successive fortius intendamus, et ex iis nos et prefatam Ecclesiam subire oportuerit et oportet adeo gravia onera expensarum quod recurrere ad bona ecclesiastica et maxime vestri ordinis ex inevitabili quodammodo necessitate cogamur pro hujusmodi expensarum oneribus sublevandis, dignum duximus, equitati consonum arbitramur ut vos et ordo predictus, velut honorabile ac magnum ex multitudine personarum et ecclesiarum habundantia facultatum ipsius membrum Ecclesie, communicantes et participantes in tante necessitatis articulo onera nostra nobiscum, indigentie nostre et Ecclesie prelibate cum decenti subsidio filiali promptitudine succurratis : propter quod vobis et eidem ordini universaliter duodecim milia florenorum auri pro hujusmodi subsidio expensarum, solvenda nobis de bonis vestris et ordinis memorati, ad presens duximus auctoritate presentium imponenda. Universitatem itaque vestram monemus et affectuose rogamus ac hortamur in Domino per apostolica vobis scripta mandantes, in remissionem peccaminum injungendo, quatinus magnam et instantem necessitatem negotii memorati, que multam accelerationem et promotionem exposcit, et etiam indigentiam ipsius Ecclesie sedula consideratione pensantes et ad ulciscendas in hac parte injurias et jacturas ipsius Romane matris vestre, ac ad predictorum scismaticorum et rebellium exterminendam perfidiam promptis affectibus consurgentes, ob divinam et Apostolice Sedis ac nostram reverentiam, prefata duodecim milia florenorum auri nobis pro prefato subsidio absque more dispendio persolvatis : sic vos in hac parte prompte ac efficaciter habituri quod devotionem vestram exinde commendare

merito valeamus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vii kal. martii, anno quarto.

(Potthast, 24630.)

Vatican, 23 février 1298.

In e. m. *dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani.* Imminens Ecclesie Romane ut in precedenti per totum usque in finem.

Vatican, 19 mars 1298.

Item in e. m. *dilectis filiis.. magistro et conventui Domus Beate Marie Thetonicorum.* Imminens et cetera usque : universaliter mille marchas sterlingorum pro hujusmodi subsidio expensarum solvendas nobis infra festum Nativitatis beati Joannis Baptiste proxime futurum de bonis vestris et ordinis memorati ad presens duximus auctoritate presentium imponendas. Universitatem itaque vestram mutatis mutandis et cetera usque : valeamus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xiiii kal. aprilis, anno quarto.

2429-2430 (xxxviii) Vatican, 23 février 1298.

« Super eodem. » (fol. 10 v°.)

Dilecto filio fratri Petro de Bononia, procuratori generali ordinis Militie Templi Jerosolimitani in Romana curia. Ad plectendam Columpnensium scismaticorum et Ecclesie Romane rebellium inique rebellionis et nephande presumptionis audaciam, quam ipsi contra nos et Romanam Ecclesiam nequiter assumpserunt, spiritualiter et temporaliter, diversis modis et temporibus duximus procedendum, per exercitum etiam processimus et procedimus contra eos et terras que per ipsos vel pro eis per alios etiam detinentur, cumque ratione prosecutionis hujusmodi negotii nos et prefata Ecclesia subire oportuerit et oporteat adeo gravia onera expensarum quod recurrere ad bona ecclesiastica et maxime tui ordinis pro hujusmodi expensarum sublevandis oneribus ex quadam necessitate cogamur, dilectis filiis magistro et fratribus Domus Militie Templi Jerosolimitani et eidem ordini universaliter duodecim milia florenorum auri pro hujusmodi subsidio expensarum solvenda nobis de bonis eorumdem magistri et fratrum ac ordinis per alias nostras sub certa forma litteras duximus imponenda. Verum, cum idem magister sit absens et ipsius presentia de facili haberi non possit, ita quod predicte littere sibi presentari non possent tempore competenti ac hujusmodi subventionis negotium maximam accelerationem requirat, nos nolentes ne adeo ipsa subventio prorogetur quod mora possit afferre periculum discretioni tue per apostolica [scripta] mandamus quatinus hujusmodi duodecim milia florenorum auri, nomine predictorum magistri et fratrum ac ordinis, pro prefato subsidio nobis absque dilatione persolvas et, cum ad id non habeas speciale mandatum nec auctoritatem super hoc mutuum contrahendi, nos volentes super hoc de oportuno remedio providere contrahendi mutuum super hoc usque ad predictam summam duodecim milia florenorum auri et cetera ut supra capitulo x mutatis mutandis usque : fuerit persoluta. Ceterum ne in hoc vorago et cetera usque : impugnandis. Dat. ut supra.

Vatican, 23 février 1298.

In e. m. *dilecto filio Bonifacio de Calamandrano, magistro preceptori ordinis Hospitalis Sancti Johannis Jerosolomitani in partibus cismarinis.* Ad plectendum et cetera ut in precedenti per totum usque in finem. Dat. ut supra.

2431 (xxxviiii) Vatican, 25 février 1298.

« Committitur sibi cura episcopatus Velletrensis. » (fol. 11.)

Venerabili Leonardo episcopo Alatrino. Velletrensem ecclesiam paternis affectibus prosequentes, circa statum ipsius aciem sollicite considerationis extendimus —. Cum itaque predicta ecclesia per obitum bone memorie H., Ostiensis et Velletrensis episcopi, sit ad presens solatio destituta, nos — tibi curam et administrationem ejusdem ecclesie et episcopatus ipsius in spiritualibus et temporalibus, Ostiensi ecclesia prorsus excepta, presentium auctoritate plene committimus, a te usque ad Apostolice Sedis beneplacitum exercendas : volentes ut interim proventus et redditus episcopatus ejusdem diligenter studeas conservare quousque ab eadem Ecclesia aliud receperis in mandatis. Omnem (*sic*) insuper alienationis genus bonorum episcopatus ejusdem tibi forecongnoscas tenore presentium interdictum. Si tamen aliquis casus emerserit quo ipsius episcopatus necessitate urgente vel suadente utilitate de aliquibus bonorum predictorum fuerit alienatio facienda illam facere poteris postquam a nobis tibi super hoc facultas extiterit attributa. Contradictores —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. martii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Velletrensis* — Dat. ut supra.

2432 (XL) Vatican, 23 février 1298.

« Committitur sibi cura monasterii Marmossolii, Cisterciensis ordinis. » (fol. 11.)

Eidem. Specialis dilectionis affectus quem ab olim, dum essemus in minori officio constituti, erga monasterium Marmossolii, Cisterciensis ordinis, Velletrensis diocesis, habuimus et habemus nostrum instanter sollicitat animum ut circa illud — vigilantie studium impendamus —. Cum itaque nuper de te, tunc abbate monasterii supradicti, Alatrine ecclesie duxerimus providere et de tua circumpectione fiduciam in Domino geramus pleniorem, nos, volentes ut monasterium ipsum specialis gubernationis presidio muniatur, fraternitati tue curam et sollicitudinem ipsius monasterii, tam in spiritualibus quam in temporalibus, auctoritate presentium usque ad Apostolice Sedis beneplacitum duximus committendas ut in eo et ejus membris, quotiens expedire putaveris, per te vel alium spiritualiter et temporaliter visites, corrigas, ordines et reformes que visitationis, correctionis, ordinationis et reformationis (*sic*) noveris indigere. Contradictores — ad alienationem aliquorum bonorum immobilium ipsius monasterii nullatenus processurus absque Sedis predicte licentia speciali. Tu igitur —. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Marmossolii, Cisterciensis ordinis, Velletrensis diocesis.*—Dat. ut supra.

2433 (XLI) Vatican, 1er février 1298.

« Super locatione quarumdam possessionum. » (fol. 11.)

Dilectis filiis Gauberto abbati et conventui monasterii Sancti Pauli de Urbe. Ea libenter —.

Eis indulget ut domos, piscarias et casalina cum consuetis hortis et canapinis ad monasterium ipsum spectantia, emphyteutica et locari solita, aliis locare, aliquas quoque possessionum ad hoc aptas dare ad pastinandum nec non vineas, solitas vel insolitas locari, locare et ad pastinandum dare, juxta formam contractus super hoc in dicto monasterio solitam observari, possint non obstante juramento per abbatem de non locandis possessionibus vel alienandis prestito.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. februarii, anno quarto.

(Potthast, 24625.)

2434 (XLII) Vatican. 8 mars 1298.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Henrico, electo Eboracensi. » (fol. 11 v°.)

Dilectis filiis .. abbati monasterii de Waltan, Londoniensis diocesis, et magistris Leonardo de Anticulo, Autisiodorensis, ac Bartholomeo de Ferentino, Londoniensis ecclesiarum canonicis. Exponentibus nobis pridem dilectis filiis magistro Adam de Driffend, canonico Pontiselandi, et Rogerio de Mar, rectore de Quiselley ecclesiarum, Dunelmensis et Eboracensis diocesium, procuratoribus dilecti filii Henrici, electi Eboracensis, quod idem electus, ipsos in Romana curia procuratores suos pro quibusdam in ea expediendis negotiis ordinando, eis dederat inter cetera sufficientem et plenariam potestatem contrahendi mutuum in dicta curia, nomine ipsius electi et ecclesie Eboracensis, usque ad summam mille marcharum sterlingorum a mercatoribus quibuscumque, ac eum et successores et dictam ecclesiam pro ipsius restitutione pecunie obligandi de nostra licentia speciali, prout in ejusdem electi patentibus litteris inde confectis suo sigillo munitis plenius continebatur, ac supplicantibus ut, cum pro predictorum electi et ecclesie Eboracensis negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis utiliter procuratores ipsos subire oporteret magna onera expensarum, contrahendi mutuum propter hoc nomine predictorum electi et ecclesie usque ad predictam summam mille marcharum sterlingorum sub modis et formis, et cetera ut in forma usque : exceptionibus eisdem, a dilecto filio Symone Gerardi cive et mercatore Florentino de societate Rogerii et Lapi Spine de Spinis de Florentia, mutuante pro se ipso et eisdem Rogerio et Lapo et Philippo et Spina fratribus dicti Lapi, Piero et Vanne fratribus dicti Rogerii, Nero Cambii, Medico Aliotti, Duccio Juncte, Bencio Davanzati, Masseo Clarissimi, Ranuccio Huchi, Cino Bosii, Bonifatio Rogerini, Vanni Paganetti, Guidone Bardi, Guidone Bertaldi, Bartholo Abedinchi, Albizo Martini, et Philippo Lamberti, sociis et concivibus suis, et pro omnibus aliis suis, sociis de societate predicta pro negotiis eisdem, et cetera usque : jurisdictio censeatur. Volumus quoque ut, satisfactione semel impensa prefatis mercatoribus vel eorum alicui pro eisdem per prefatum electum seu successores vel administratores predictos seu alios eorum nomine de predictis octingentis octuaginta marchis, ex tunc prefatus electus et dicti successores et administratores et memorata Eboracensis ecclesia maneant ab hujusmodi debito firmiter absoluti, nec pretextu quarumcumque aliarum litterarum nostrarum executoriarum dudum super hoc confectarum, si que de predicta quantitate sub data eadem vel diversa forsitan apparerent, quas viribus peni-

tus vacuamus et presentes solummodo volumus obtinere vigorem, compelli possint ad quantitatem eandem iterum persolvendam. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. martii, anno quarto.

2435 (XLIII) Vatican, 7 mars 1298.

« Confirmatur sibi prebenda adjudicata sibi super qua diu litigavit. » (fol. 11 v°.)

Dilecto filio Thome de Sernaco, canonico Suessionensi, clerico carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris. Hiis que —.

Confirmatur sententia a quodam judice delegato lata cujus tenor sequitur:

« In nomine Domini. Amen. Orta dudum inter dominum Leonem domini Francisci Neapoleonis de filiis Ursi, ex parte una, et magistrum Thomam de Sernaco, clericum domini regis Francorum illustris, ex altera, super canonicatu et prebenda quos venerabilis pater dominus Symon Mattifardi, episcopus Parisiensis, olim canonicus Suessionensis, in ecclesia Suessionensi obtinuit, in quibus uterque ipsorum se jus habere dicebat, materia questionis, sanctissimus pater et dominus noster dominus Bonifatius divina providentia papa octavus nobis magistro Bartholomeo, decano Pictavensi, capellano suo, hujusmodi causam sub certa forma commisit. Sane, post processus aliquos in causa predicta habitos coram nobis, partes eedem, vitare volentes litigiorum anfractus, in nos super predicta causa concorditer ac de expressa voluntate et licentia speciali ipsius domini nostri compromittere curaverunt, de parendo ordinationi nostre corporali ab ipsis partibus hinc inde prestito juramento. Nos itaque, de mandato ipsius domini nostri facto nobis per venerabilem patrem dominum Franciscum, Sancte Lucie in Silice diaconum cardinalem, ex parte ipsius domini oraculo vive vocis, hujusmodi compromisso recepto, juxta formam dicti mandati in hujusmodi procedentes negotio, partibus ipsis in nostra presentia constitutis, Christi nomine invocato, tam ex vigore dicti compromissi, quatenus ad hoc poterat extendi, quam auctoritate dicti domini nostri nobis in hac parte concessa, pronuntiamus et etiam ordinamus quod magister prefatus Thomas canonicatum et prebendam predictos, de quibus inter eum et dictum Leonem questio vertebatur, pacifice debeat obtinere ipsosque sibi adjudicamus, super illis dicto domino Leoni perpetuum silentium imponendo; predicto vero domino Leoni eadem auctoritate apostolica nobis concessa canonicatum ecclesie Suessionensis cum plenitudine juris canonici ac prebendam, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, cum juribus et pertinentiis suis conferimus et providemus de illis, investiendo ipsum per birretum nostrum presentialiter de eisdem ; si vero nulla prebenda vacat ad presens in ecclesia supradicta, nos proximam inibi proximo vacaturam conferendam dicto domino Leoni, cum vacaverit, donationi nostre immo potius apostolice reservamus, decernentes ex tunc irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari, ita tamen quod ex hoc hiis qui in eadem ecclesia Suessionensi sunt apostolica auctoritate recepti, vel ut recipiantur insistant, seu prebendas in ea vacaturas exspectant, nullum prejudicium generetur. In cujus rei testimonium et certitudinem pleniorem, presentem sententiam et ordinationem et processum, ut premittitur, ac omnia supradicta per nos facta per Nicolaum de Interamno, nostrum notarium infrascriptum, scribi et publicari mandavimus nostrique sigilli munimine roborari. Lecta, lata et pronuntiata fuit in scriptis predicta sententia et ordinatio et processus, ac investitura facta per supradictum dominum auditorem, ut premissum est, Rome apud Sanctum Petrum, in palatio domini pape, ipso domino auditore pro tribunali sedente, presentibus dictis domino Leone et magistro Thoma ac sententiam et predicta fieri cum instantia postulantibus, ac presentibus discretis viris domino Eunofrio dicto Papa, capellano dicti domini cardinalis, magistro Johanne de Veliaco, Suessionensis diocesis, preposito Remensi, magistro Guidone de Sardellis, decano Peronensi, magistro Alano de Guegat, canonico Corisopitensi, et Petro de Flangiaco, canonico Ariensi, magistro Bartholomeo de Placentia, capellano, et magistro Johanne de Interamne notario dicti domini auditoris, testibus vocatis et rogatis. Sub anno Domini millesimo CCLXXXXVIII, indictione XI, pontificatus domini Bonifatii pape octavi anno quarto, die VI mensis februarii. Et ego Nicolaus Raynerii de Interamne imperiali auctoritate notarius—.» Nulli ergo — nostre confirmationis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. martii, anno quarto.

2436 (XLIIII) Vatican, 9 mars 1298.

« Executoria super mutuo contrahendo pro .. abbate et conventu monasterii Sancti Remigii Remensis. » (fol. 12).

Dilectis filiis fratri Guillermo, priori prioratus de Condis, monacho monasterii Sancti Remisii Remensis, ordinis sancti

Benedicti, magistro Huberto de Advocatis de Placentia, canonico Cathalaunensi, et Guillermo de Clavato, presbitero, perpetuo capellano in ecclesia Remensi, procuratoribus dilecti filii Rogerii abbatis ejusdem monasterii Sancti Remisii. Nuper in nostra proposuistis presentia constituti quod dilectus filius Rogerius, abbas monasterii Sancti Remisii, habens ad hoc a dilectis filiis.. suppriore et conventu ejusdem monasterii liberam potestatem, dedit vobis inter cetera potestatem plenariam et speciale mandatum contrahendi mutuum, nomine ipsorum abbatis et conventus, usque ad summam trium milium septingentarum et quinquagintarum librarum turonensium parvorum a personis quibuscumque, et cetera ut in forma usque in finem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. martii, anno quarto.

2437 (XLV) Vatican, 28 février 1298.

« Preficitur in episcopum ecclesie Mindoniensi. » (fol. 12.)

Venerabili fratri Roderico, episcopo Mindoniensi. Nuper Mindoniensi ecclesia —.

Suprascripto ecclesiam Mindoniensem, per translationem Alvari Palentini ad ecclesiam Palentinam vacantem et ea vice dispositioni apostolice reservatam, committit, consecrationis munere ei per G., episcopum Sabinensem, impenso.

Dat Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. martii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Mindoniensis* —. Dat. ut supra,

2438 (XLVI) Vatican, 20 mars 1298.

« Super concordia inter Templarios et regem Cypri. » (fol 12.)

Dilecto filio fratri Jacobo de Molay, magistro Domus Militie Templi Jerosolimitani. Dilectum filium fratrem Jofredum de Gonavilla, tui ordinis, nuntium tuum, et litteras quas ipse nobis ex tua parte portavit benigne recepimus, et que ipse continebant littere queve dictus frater voluit nobis viva voce referre et ex tua et tui ordinis [parte] petere inspeximus et audivimus diligenter. Sane molestum admodum votis nostris accessit quod, sicut per lata percepimus, inter carissimum in Christo filium nostrum regem Cipri illustrem et gentem ejus, et te et fratres tuos in ipsius regno morantes erat, procurante inimico humani generis, materia aliqualis scandali suscitata. Profecto, si ad tuam et ipsorum fratrum decentiam debitum respectum habueris, considerare te decet quanta ex tui ordinis et aliorum discordiis hactenus in Terra Sancta pericula contigerint, quanta sit accita dispendiis et lacerationibus desolata Christiana religio in eadem, quam obprobriose Terra ipsa conculcata fedatorum pedibus dinoscatur, ad cujus defensionem ordo tuus extitit specialiter deputatus. Ex horum siquidem consideratione resultat fore cum diligentia multa pensandum quod in regno prefato, ad quod fiducialiter confugistis, vitanda est omnino discordia, fugienda sunt scandala estque via prehibenda rancoribus, ne, quod absit, per dissensionis dispendium, modicula illa pars que dumtaxat in prefata Terra Sancta Christianis remansisse dinoscitur possit illorum canum subici feritati; set sic oportet pacem et concordiam in ipsa particula enutriri quod, ad tuitionem ipsius incolarum animis in idemptitate currentibus, preservetur a noxiis, et per eam dante Domino facilius recuperari valeat, pro dolor, pars deperdita Christianis. Ad que te ac fratres ipsos unaqueque facti circumstantia pre ceteris fortius interpellat. Quapropter discretionem tuam rogamus et hortamur ac per apostolica tibi scripta mandamus quatinus erga Deum et prefatum regem ac gentem ipsius in humilitate, devotione ac patientia, quas, licet ubique religiosum quemlibet, vos tamen inibi potius condecet observare, te ac fratres predictos sic provide dirigas et conformes et directos corrobores et confirmes, sic tua et illorum studia convertas ad pacem, sic ad tuendum, manutenendum et defendendum regnum prefatum vires exerceas ac opem et operam interponas quod ipsis dicto regi et genti, necnon nobis et Ecclesie Romane, ac universo Christianorum populo tu et prelibati fratres merito reddamini gratiores ac dignis extolli commendationibus valeatis. Nos enim, qui dictum ordinem ab olim speciali prerogativa favoris fuimus prosecuti et nunc personam tuam et ipsum prosequimur, super articulis nobis pro tua parte porrectis, et illis quos nobis porrexit nuntius regis ejusdem, sic auctore Domino disponimus procedere et taliter ordinare quod in regno ipso et specialiter inter dictum regem et te ac ordinem supradictum concordia, tranquillitas et caritas vigeant, et Christianitas illarum partium reddatur fortior contra hostes, ac regnum ipsum in pacis pulcritudine conquiescat. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIII kal. aprilis, anno quarto.

2439 (XLVII) Vatican, 19 mars 1298.

« Super eodem. » (fol. 13)

Carissimo in Christo filio H., regi Cipri illustri. Licet ex incumbentium nobis undique negotiorum ardui-

tate gravemur, ad ea tamen que negotium Terre Sancte contingunt tanto potioribus vigiliis anxiamur tantoque profundioribus excitamur obtutibus, quanto potioribus Terram ipsam inspicimus consiliis et auxiliis indigere. Si quando igitur quevis inde sinistra percipimus perturbamur. Sane molestum admodum et grave nostris votis accessit quod, sicut accepimus, inter te et gentem tuam et dilectos filios..magistrum et fratres Domus Militie Templi Jerosolimitani in tuo regno morantes aliqualis erat, procurante inimico humani generis, materia scandali suscitata. Profecto, fili carissime, tuam volumus considerare prudentiam quanta olim ipsis magistro et fratribus in dicta Terra Sancta pericula contigerunt (*sic*), quantis eos afflixere pericula languoribus, quanta eos fiducia duxerit ad confugiendum ad tui regni presidia et quibus ipsi inibi fiducialiter respirantes sint allitiendi favoribus et mansuetudinibus confovendi. Nec minus advertendum inspicimus quod mora eorum in dicto regno securitatem maximam contra hostes fidei tibi et ipsi regno producit et, si, quod absit, sive per eorum sive tue gentis incuriam recessus ipsorum inde contingeret, magnam sumerent ex hoc dicti hostes audatiam, et grandia tibi ac regno prefato ac irreparabilia forsitan propterea possent pericula provenire, quorum sancta mater Ecclesia et universus fidelium christianorum populus non redderentur expertes sed hujusmodi vitanda procella percelleret universos. Quapropter serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus, premissis et aliis que in hac parte pensanda concurrunt clementi benignitate consideratis, sic provide hinc et inde deformata reformes, indecentiam repares et discordiam reducas ad pacem, sicque predictos magistrum et fratres regali mansuetudine per te ac tuos foveas et pertractes quod quelibet in prelibato regno precidatur occasio dissidendi, vitentur noxia et periculis obvietur, nullaque hostibus prebeatur occasio adversus idem regnum hostiliter insurgendi, sed, Divina tibi et incolis dicti regni ac prefatis magistro et fratribus assistente Potentia, regnum ipsum in prospero statu remaneat, ac tam ei de oportune subventionis remedio quam parti dicte Terre deperdite proddolor (*sic*) de optate recuperationis remedio possit commodius et facilius provideri, tuque proinde apud Dominum et homines commendationis premium merearis. Nos enim, qui personam tuam et prefatum regnum speciali dilectione prosequimur, super articulis nobis pro tua parte porrectis per dilectum filium Balduinum de Mari, militem et nuntium tuum, et illis quos nobis nuntius dicti magistri porrexit sic auctore Domino, et cetera ut supra, verbis convenienter mutatis, usque : conquiescat. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIIII kal. aprilis, anno quarto.

2440 (XLVIII) Vatican. 21 février 1298.

« Preficitur in pastorem ecclesie Alatrine. » (fol. 13.)

Dilecto filio Leonardo, electo Alatrino. Militanti ecclesie —.

Ecclesie Alatrine, per obitum bone memorie Raynaldi solatio destitute pastoris, suprascriptum, tunc abbatem monasterii Marmossolii, Cisterciensis ordinis, Velletrensis diocesis, de cardinalium consilio et apostolice plenitudine potestatis in episcopum preficit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIIII kal. martii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Alatrine.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Alatrine.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Alatrine.* — Dat. ut supra.

2441 (XLVIIII) Vatican, 23 février 1298.

« Impenditur sibi munus consecrationis. » (fol. 13 v°.)

Venerabili fratri Leonardo, episcopo Alatrino. Militanti ecclesie —.

Testatur eum munus consecrationis recepisse a G., episcopo Sabinensi.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. martii, anno quarto.

2442 (L) Vatican, 15 mars 1298.

« Dispensatur super matrimonio cum quibusdam civibus Amalfitanis. » (fol. 13 v°.)

Dilecto filio nobili viro Andree dicto Neapolitano et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite, nate dilecti filii nobilis viri Philippi de Judice, civibus Amalfitanis. Etsi conjunctio copule —.

Ad preces Landulfi, Sancti Angeli diaconi cardinalis, Sedis Apostolice legati, dispensatur cum eis ut non obstante quarto affinitatis gradu matrimonium contrahere possint.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. martii, anno quarto.

2443 (LI) Vatican, 1er mars 1298.

« Quod possit facere missam celebrari ante diurnam lucem. »

Dilecto filio viro Lodovico de Sabaudia. Apostolice Sedis benignitas —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. martii, anno quarto.

2444 (LII) Vatican, 11 mars 1298.

« Super dispensatione matrimonii. » (fol. 13 v°.)

Dilecto filio nobili viro Henrico, comiti Ruthenensi. Magne devotionis affectum —.

Cum eo supplicante dispensat super quarto consanguinitatis gradu ut due ejus filie nominibus Walburgis et Cecilia matrimonio possint conjungi Bernardo, Armaniaci et Fesensiaci comiti, et Gastoni, vicecomiti Fesensaguelli, fratribus.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. martii, anno quarto.

(POTTHAST, 24637.)

2445 (LIII) Vatican, 25 février 1298.

« Dispensatur super quibusdam fructibus perceptis de quadam ecclesia quam resignavit. » (fol. 13 v°.)

Dilecto filio Amaudrico de Petra Castri, clerico Bellicensis diocesis. Exhibita nobis tue devotionis petitio continebat quod tu olim, post generale concilium Lugdunense, in minoribus ordinibus constitutus ecclesiam de Sancto Germano, Bellicensis diocesis, cui cura imminet animarum, tunc tibi collatam, per duos annos tres menses et amplius absque dispensatione Sedis Apostolice tenuisti, fructus percipiens ex eadem, qui sicut asseris valorem triginta librarum turonensium non excedunt. Verumtamen postmodum, ductus consilio saniori, eandem ecclesiam in manibus venerabilis fratris nostri.. episcopi Bellicensis libere dimisisti. Quare supplicasti nobis humiliter ut, supra eo quod eam taliter tenuisti et applicuisti tuis usibus fructus ejus, subvenire tibi misericorditer dignaremur. Nos itaque auctoritate tibi presentium concedimus ut talis dicte ecclesie retentio et fructuum perceptio tibi ad culpam non redundet et notam quin ad quelibet alia ecclesiastica beneficia, etiam si curam habeant animarum, eligi valeas et assumi. Nulli ergo — nostre remissionis, donationis et concessionis—. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. martii, anno quarto.

2446 (LIIII) Vatican, 3 mars 1298.

« Mandatur procurari Angelo, nato nobilis viri Angeli Pharaonis de Gaieta, clerico, de beneficio valoris sex unciarum auri in civitate vel diocesi Gaietana. » (fol. 14.)

Venerabili fratri .. episcopo Venafrano et dilectis filiis Jacobo, primicerio, et Jacobo judicis Mathei, canonico ecclesie Sancti Petri de Trajetto, Gaietane diocesis. Probitatis studia —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. martii, anno quarto.

2447 (LV) Vatican, 3 mars 1298.

Idem pro alio in diocesi Fundana. (fol. 14.)

Eisdem. In eundem modum eisdem judicibus pro dilecto filio Richardo, nato dilecti filii nobilis viri Thadei Pharaonis de Gaieta, clerico, in civitate vel diocesi Fundana ut in precedenti per totum.

2448 (LVI) Vatican, 15 février 1298.

« Ut nullus judex delegatus et cetera. » (fol. 14.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Lemovicensi. Magne devotionis affectus quem ad nos et Apostolicam Sedem habere dinosceris promeretur ut personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequamur, hinc est quod nos, volentes tue tranquilitatis et pacis comodis providere, fraternitati tue auctoritate presentium indulgemus ut nullus judex delegatus Apostolice Sedis vel subdelegatus ab eo, executor seu etiam conservator deputatus ab ipsa, auctoritate litterarum ejusdem vel legatorum ejus, possit in personam tuam excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias promulgare absque mandato speciali Sedis ejusdem faciente plenam et expressam ac de verbo, et cetera usque : mentionem. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, si quas in te contra ejusdem indulti tenorem promulgari contigerit irritas decernimus et inanes. Nulli ergo — nostre concessionis et constitutionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. martii, anno quarto.

2449 (LVII) Vatican, 21 mars 1298.

« Super relaxatione interdicti civitatis Viterbiensis per .. rectorem in spirituatibus in Patrimonio. » (fol. 14.)

Dilecto filio magistro Andree de Eugubio, plebano Sancti Stephani de Loreto, Eugubine diocesis, in spiritualibus Patrimonii beati Petri in Tuscia rectori. Ex parte .. potestatis, consilii et comunis Viterbiensium est nuper expositum coram nobis quod tu, imponens eisdem quod pridem, cum nos de Urbevetana civitate veniebamus ad Urbem per civitatem Viterbiensem transitum facientes, certum numerum equitum, per dilectum filium nobilem virum Amatonem, militem Anagninum, Patrimonii beati Petri in Tuscia vicarium generalem, ipsis impositum ad sociandum nos, juxta mandatum ejusdem vicarii non duxerant destinandum, in .. potestatem, consiliarios et alios officiales comunis ejusdem civitatis Viterbiensis excomunicationis et in civitatem eandem interdicti sententias promulgasti. Quare fuit nobis humiliter supplicatum ut providere ipsis in hac parte de benignitate Sedis Apostolice misericorditer dignaremur. Cum igitur idem potestas, consilium et comune stare super hoc mandatis nostris et Ecclesie Romane obtulerunt se paratos, nos, volentes misericorditer agere cum eisdem, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatos potestatem, consiliarios et officiales ab hujusmodi sententia excomunicationis juxta Ecclesie formam absolvere ac prefatum interdictum relaxare absque qualibet difficultate procures de gratia speciali. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. aprilis, anno quarto.

2450 (LVIII) Vatican, 15 février 1298.

« Quod impendat favorem regium super corrigendis quibusdam excessibus illatis contra.. abbatem monasterii Dolensis, ordinis sancti Benedicti, Bituricensis diocesis. » (fol. 14.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri. Si quando viri monastici a vita laudabili publice in devium dilabuntur, tanto sunt acrius cohercendi quanto potius eorum detestabiles actus transeunt in exempli perniciem aliorum. Nuper siquidem ex parte dilecti filii Johannis, abbatis monasterii Dolensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Bituricensis diocesis, ad nos gravis querella pervenit quod Zacharias, de Nozolio, Matheus de Vallibus, de Foizliaco, et Guiffredus de Berssolis, de Closis inferioribus prioratuum priores, ac Bernardus de Ventedor, qui pro priore de Altobosco se gerit, predicte diocesis, Philippus de Leron, Philippus de Masso, Petrus dictus Pot, Guido de Lozayo, Yordanus Pautin, Girbertus Malochie, Guillelmus de Landis et Harbertus Lupi, monachi ejusdem monasterii, diabolico ducti spiritu, associatis sibi nonnullis aliis, tam clericis quam laicis, diversarum religionum apostatis, eorum in hac parte complicibus, ad prioratum de Maynilio, honorabile dicti monasterii membrum, more predonum, manu armata, nocturno tempore accedentes ac, domos ipsius prioratus violenter intrantes, fratrem Petrum, priorem dicti prioratus, manibus injectis in eum, Dei timore postposito, violenter capere et ligatis manibus captum ducere, nec non calicem argenteum, ornamenta ecclesiastica, servos, equos et nonnulla alia bona inventa ibidem a dicto prioratu asportare temere presumpserunt; deinde dictum priorem per nemora et diversa loca ducendo et captum in locis ignotis et abditis detinendo, et, mala malis ac injurias injuriis cumulantes, ad dictum monasterium, dum ibidem celebrarentur missarum solemnia, cum armis hostiliter accedentes, quominus solemnia predicta celebrari et compleri possent impedire ausu nephario presumpserunt; ac postmodum, claustrum ipsius monasterii violenter intrantes, in Johannem, priorem claustralem dicti monasterii, et Petrum, priorem de Bomez, in dicto monasterio existentem, manus injecerunt, Dei timore postposito, temere violentas, alias eis graves injurias irrogando; preterea de Bomez, de Floret, Sancti Pauli Captivi, de Cassanolis, de Genalac et quosdam alios prioratus, monasterio predicto subjectos, hostiliter invadentes, bladum, pecuniam et res alias ibidem inventas exinde nequiter asportarunt, in eorum aliquibus plura detestanda et enormia committendo in animarum suarum periculum, plurimorum scandalum et dicti monasterii non modicum prejudicium et gravamen. Quare fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsius abbatis potentia non sufficiat ad ipsorum malefactorum proterviam et maliciam edomandas, et predictus prior de Maynilio per ipsos malefactores captivus detineatur, et utrum vivat per ipsum abbatem et alios de dicto monasterio penitus ignoretur, providere super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, nolentes hec, sicut etiam nec debemus, conniventibus oculis pertransire quin ad correctionem eorum opportune provisionis consilium apponamus, venerabili fratri nostro .. episcopo Autisiodorensi et dilectis filiis .. Majoris, Turonensis, ac Carroffensis, Pictavensis diocesium, monasteriorum abbatibus, de quibus fiduciam gerimus in Domino pleniorem, damus nostris litteris in mandatis ut ipsi, vel duo aut unus eorum, ad prefatum monasterium et ad predictos prioratus in qui-

bus dicti malefactores dicuntur talia commisisse personaliter accedentes et, inquisita super hiis de plano sine strepitu et figura judicii ex officio nostro diligentius veritate, si eis constiterit de premissis, predictos monachos quod ad ejusdem abbatis obedientiam et reverentiam debitam redeant, et penitentiam sive penam, quam eis propter premissos excessus secundum predicti ordinis disciplinam duxerit imponendam, devote suscipiant et humiliter adimpleant, monitione premissa per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant. Si vero ipsi hoc facere contempnerent vel quomodolibet recusarent, ipsi eos ex tunc et eorum quemlibet capi personaliter facientes ad manus ejusdem abbatis reducant, eosdem penitentiam sive penam hujusmodi subituros, invocato ad hoc, et cetera usque : secularis. Contradictores, et cetera usque : compellendo. Cum igitur honori regio competat ut tales excessus in tuo regno commissos taliter puniantur quod talia vel similia de cetero inibi de facili non contingant, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente quatinus, pro divina et Apostolice Sedis reverentia, predictis inquisitoribus favorem regium sic efficaciter exhibeas in premissis quod ipsi, tuo suffulti presidio, comodius et efficacius officii sui debitum exequantur, tuque possis exinde apud Deum et homines merito commendari. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. martii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Autisiodorensi et dilectis filiis.. Majoris, Turonensis, ac .. Carroffensis, Pictavensis diocesium, monasterium abbatibus.*— Dat. ut supra.

2451 (LX) (sic.) Vatican, 17 mars 1298.

« Confirmatur electio facta de eo in ecclesia Tholosana. » (fol. 15.)

Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Tholosano. Summo pastori, Jesu Christi vicario, generali sollicitudine super omnes ecclesias incumbente, in eo precipue nos, qui ad ferendum tanti onus officii, licet indigni, dignatione divina sumus assumpti, teneri cognoscimus ut ecclesiarum ipsarum regimini nostro attento studio persone ydonee ac utiles preponantur, que meritorum claritate Deo amabiles et accepte, proficient sibi per vite honestatem, et subditis per exempla; ac eisdem ecclesiis per eorum diligentiam in spiritualibus et temporalibus salubria proveniant incrementa. Sane Tholosana ecclesia, per obitum bone memorie L[udovici], episcopi Tholosani, qui extra suum episcopatum dicitur obiisse, pastore vacante, dilecti filii.. prior et capitulum ipsius ecclesie, postquam id ad eorum pervenit notitiam, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, pro futuri substitutione pastoris die ad eligendum prefixa, ut moris est, convenientes in unum, et ad hoc per viam deliberantes procedere compromissi, in dilectum filium Petrum, de Caboneriis, et Arnaldum, de Ordatio priores, Tholosane diocesis, Sicardum, archidiaconum de Simoesio in eadem ecclesia, Bernardum, thesaurarium, Olivarium, operarium, et Bertrandum, elemosinarium, canonicos ecclesie predicte, unanimiter et concorditer compromittere curaverunt, concessa eis providendi ea vice per electionem canonicam vel postulationem concordem ipsi ecclesie de pastore plena et libera potestate, promittentes quod illum in suum et dicte ecclesie pastorem reciperent et haberent quem iidem compromissarii vel major pars eorum ducerent eligendum ; sicque prefati compromissarii, secedentes in partem, compromissi forma diligenter servata suisque votis plene discussis, in te, tunc ipsius ecclesie prepositum, unanimiter et concorditer compromittere consenserunt, et dictus Olivarius, suo et aliorum collegarum suorum compromissariorum vice et nomine totius capituli, te elegit in pastorem ecclesie prelibate, tuque postmodum electioni hujusmodi de te facte tibique existenti apud Sedem Apostolicam presentate ad instantiam ipsius capituli consensisti. Demum vero te ac dicto capitulo per procuratores electionem hujusmodi a nobis petentibus confirmari, nos electionem ipsam per bone memorie H., episcopum Ostiensem, ac dilectos filios nostros Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbiterum, et Napoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinales, diligenter examinari fecimus et, quia invenimus eam de te persona ydonea canonice celebratam, illam, de fratrum nostrorum consilo et apostolice potestatis plenitudine, confirmamus teque eidem ecclesie preficimus in episcopum et pastorem, ac postmodum consecrationis munus tibi nostris manibus duximus impendendum, non intendentes per hoc imposterum prejudicare in aliquo ecclesie Narbonensi, cui prefata Tholosane ecclesia suffraganea existit, firma et indubitata tenentes fiducia quod, cum sis vir ex nobilibus ortus natalibus, litterarum scientia preditus, munditie vite decorus, gravitate morum et consilii maturitate conspicuus et aliis dona (*sic*) virtutum ab Altissimo multipliciter decoratus, ecclesia ipsa per tuam solertem industriam et prudentiam circumspectam preservabitur a noxiis et adversis, et alias spiritualiter et temporaliter Deo actore incrementa suscipiet comodi et honoris, et tam clerus quam populus, tuo commissus regimini, tua salubri doctrina et pie actionis exemplo ad salutem edificabitur animarum. Suave igitur jugum Domini, cui te reverenter et humiliter submisisti, studeas por-

tare viriliter, manumque mittens ad fortia ipsius administrationem ecclesie prudenter exequi studeas et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter oppositurus te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut, laudabili de ipso reddita ratione, regnum Patris Eterni ab origine mundi paratum electis accipias, et in dilecta domini tabernacula letabundus introeas, et eumdem tibi commissum gregem ad [1] uberioris retributionis cumulum introducas. Dat Rome, apud Sanctum Petrum, xvi kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et capitulo ecclesie Tholosane.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Tholosane.*

In e. m. *dilectis filiis universis ecclesie Tholosane vassalis.*

In e. m. *carissimo in Christo filio.. regi Francie illustri.* Divine gratia majestatis acquiritur, si ministris ejus et hiis precipue qui potificali (*sic*) dignitate sunt prediti pro ipsius reverentia condignus honor impenditur et favor necessarius exhibetur. Tanto quidem plenius pro hujusmodi caritatis opera te Regi regum gratum condecet inveniri, quanto ipse de sue benignitatis affluentia te in dominum multis preesse voluit, et grandem bonorum copiam tuis pedibus subjugavit. Sane Tholosana ecclesia, et cetera ut supra usque : gloria venerari. Serenitatem regiam, quam alias super hoc per nostras litteras rogandam duximus, iterato rogamus et hortamur, et cetera usque : actio gratiarum. Dat. ut supra.

2452 (LXI) Vatican, 15 mars 1298.

« Preficitur in rectorem ipsius hospitalis. » (fol. 15 v°.)

Dilecto filio Blasio, rectori hospitalis Sancte Marie de Urbeveteri. Vacante dudum hospitali Sancte Marie de Urbeveteri per amotionem et privationem fratris Johannis de Florentia, qui se pro ipsius hospitalis rectore gerebat, factam per venerabilem fratrem nostrum Leonardum, episcopum Urbevetanum, nos, tunc in Urbevetana civitate cum nostra curia residentes, quod ab eodem episcopo super hoc factum erat, ratum et gratum habentes, et attendentes quod, sicut nobis de te fidedignorum testimonium asserebat, tu ad ipsius hospitalis regimen, propter tua laudabilia merita probitatis, utilis et necessarius habebaris [2], de te hospitali predicto providimus teque ipsi hospitali vive vocis oraculo prefecimus in rectorem, tibi curam, gubernationem, administrationem et regimen ejusdem hospitalis ac membrorum et fratrum, jurium et bonorum ipsius, in spiritualibus et temporalibus plenarie committentes; tu quoque, de mandato nostro fuisti, ut asseris, ad hospitale prefatum admissus ac ipsorum hospitalis, membrorum, fratrum, personarum, jurium et bonorum gessisti postmodum et geris administrationem, curam et regimen sicut rector. Ut autem super hiis omne dubium excludatur, nos, tuis supplicationibus inclinati, provisionem hujusmodi et omnia et singula supradicta ratificamus et approbamus de apostolice plenitudine potestatis, — predicti episcopi Urbevetani et successorum suorum juribus nichilominus semper salvis. Quocirca — apud Deum et homines merito commendari. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. martii, anno quarto.

1. *Ms :* ab.
2. *Ms :* hebaris.

2453 (XLII) Vatican, 15 mars 1298.

« Quod revocet alienata illicite ipsius hospitalis. » (fol. 15 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Urbevetano. Ad audientiam nostram pervenit quod frater Johannes de Florentia, olim magister hospitalis Sancte Marie de Urbeveteri, dudum ante amotionem et privationem ipsius ab hospitali predicto, dum pro ipsius hospitalis rectore se gerebat, nonnulla bona inmobilia et jura ejusdem hospitalis nonnullis clericis et laïcis in ipsius hospitalis lesionem enormem vendidit vel donavit sive concessit, vel alias alienavit illicite vel distraxit. Cum igitur nostri intersit super hoc ipsi hospitali de oportuno remedio providere, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, per te vel alium seu alios, omnes venditiones, donationes, concessiones, alienationes et distractiones illicitas, quocumque nomine censeantur, quas per dictum Johannem, sub quavis forma vel expressione verborum, quibuscumque personis seu locis de quibuscumque bonis immobilibus et juribus ad dictum hospitale spectantibus, in ipsius hospitalis lesionem enormem, vocatis partibus, de plano, sine strepitu et figura judicii, inveneris esse factas, auctoritate nostra decernens irritas et inanes, bona et jura hujusmodi ad jus et proprietatem dicti hospitalis revocare procures, legitima tamen satisfactione impensa locis et personis predictis de omni pretio quod pro venditionibus, donationibus, concessionibus, alienationibus et distractionibus hujusmodi persolverunt. Contradictores — non obstantibus quibuslibet confirmationis litteris super hiis a Sede Apostolica impetratis seu — usque : mentionem. Dat. ut supra.

2454 (LXIII) Vatican, 15 mars 1298.

« Quod possit ordinare de medietate bonorum suorum in subventionem pauperum consanguineorum suorum. » (fol. 15 v°.)

Dilecto filio Blasio Petri, rectori hospitalis Sancte Marie de Urbeveteri. Sicut ex serie tue petitionis accepimus, tu, olim assumpto Continentium ordine, inter alia tua salutaria vota firmiter disponebas de bonis tuis que habebas certis tuis consanguineis pauperibus et debilibus caritativis affectibus subvenire, sed, quia te postmodum hospitali Sancte Marie de Urbeveteri prefecimus in rectorem, licet adhuc hoc geras in votis, id non potes efficere licite absque Sedis Apostolice licentia speciali. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de speciali gratia dignaremur. Nos itaque — ut de bonis tuis nunc extantibus, que habebas licite eo tempore quo te ipsi hospitali prefecimus, ut predicitur, in rectorem, usque ad medietatem bonorum ipsorum dumtaxat, pro subventione hujusmodi pauperum consanguineorum disponere libere ac eis licite erogare valeas, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. ut supra.

2455 (LXIIII) Vatican, 25 février 1298.

« Super quadam ordinatione in quibusdam castris Vallis Lacus. » (fol. 15 v°.)

Venerabili fratri.. episcopo et dilectis filiis.. potestati et capitaneo Urbevetanis. Sicut ad nostrum non sine gravi turbatione pervenit auditum, universitates et homines Bulseni, Sancti Laurentii, Cryptarum, Gradularum et Latere, castrorum Vallis Lacus, non absque ingratitudinis, quin immo contemptus et pertinatie, nota, ordinationi nostre, quam inter Romanam Ecclesiam et Urbevetanam ac ipsos universitates et homines, dudum cum eramus Anagnie, pro bono et quieto statu partium duximus faciendam ac postmodum eis ex parte nostra per specialem nostrum nuntium presentandam, stare ac parere contempnunt[1] pro eorum libito voluntatis. Nos autem, intendentes quod ordinatio ipsa hinc et inde inviolabiliter observetur, prefatis universitatibus et hominibus districte per alias litteras nostras injungimus ut ordinationem eandem et que continentur in ea observare, ipsisque firmiter parere procuretis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si predicti universitates et homines, postquam eis de mandato nostro constiterit et per vos vel vestrum aliquem, cum casus requisitionis ingruerit, fuerint ydonee requisiti, mandatis nostris in hac parte obedire contempserint, tu, frater episcope, per censuram ecclesiasticam, vos vero, potestas et capitanee vel vestrum quilibet, per potentiam laicalem, eos ad id auctoritate nostra, appellatione remota, cogatis. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. martii, anno quarto.

1. *Ms* : contenunt.

2456 (LXV) Vatican, 25 février 1298.

Super eodem. (fol. 16.)

Dilectis filiis universitatibus et hominibus Bulseni, Sancti Laurentii, Criptarum, Gradu et Latere, castrorum Vallis Lacus. Sicut ad nostrum ut in precedenti verbis convenienter mutatis usque : parere curetis. Alioquin venerabili fratri nostro.. episcopo et dilectis filiis.. potestati et.. capitaneo Urbevetanis damus per alias nostras litteras in mandatis ut si vos, postquam vobis de hujusmodi mandato, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

2457 (LXVI) Vatican, 25 février 1298.

Super eodem. (fol. 16).

Venerabili fratri.. episcopo et dilectis filiis.. potestati et.. capitaneo Urbevetanis. Sicut ad nostrum non sine gravi turbatione pervenit auditum, comune ac homines castri Aquependentis, Urbevetane diocesis, non absque, et cetera ut supra, verbis convenienter mutatis, usque in finem. Dat ut supra.

In e. m. *dilectis filiis comuni et hominibus castri Aquependentis, Urbevetane diocesis.* Sicut ad nostrum, et cetera usque : parere curetis, verbis convenienter mutatis, alioquin venerabili fratri nostro.. episcopo, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

2458 (LXVII) Vatican, 20 mars 1298.

De eodem negotio. (fol. 16).

Dilecto filio Meo Lotti de Mitinellis, civi Urbevetano, potestati castri Bulseni, Urbevetane diocesis. Cum potestaria et regimen Castri Bulseni, Urbevetane diocesis, ad nos

et Romanam Ecclesiam pertinere noscantur, ac juxta ordinationem factam per nos dudum inter Romanam Ecclesiam, et dilectos filios consilium et comune civitatis Urbevetane, ac universitates et homines, tam ipsius castri quam aliorum castrorum et terrarum Vallis Lacus, predicte diocesis, nominatio potestatis sive rectoris in castris predictis ad Urbevetanos ipsos, non continue sed pro tempore, pertineat certo modo, nos, de tue fidelitatis et circumspectionis industria confidentes, potestariam et regimen ipsius castri Bulseni, et que ad ea pertinent, pro anno presenti incipiendo ab instantibus kalendis mensis aprilis proximo futuris usque ad alias kalendas ejusdem mensis proximo sequentis, ad denominationem predictorum consilii et comunis Urbevetanorum de te nobis factam, presentium tibi auctoritate committimus, per te providenter et fideliter modo debito exercenda. Quocirca — exinde commendare merito valeamus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIII kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis universitati et hominibus castri Bulseni, Urbevetane diocesis, nostris et Ecclesie Romane fidelibus.* Cum potestaria, et cetera ut in precedenti usque : exercenda. Quocirca vobis universis per apostolica scripta mandamus quatinus, eundem Meum devote recipientes et benigne tractantes, sibi tanquam potestati vestro, in omnibus que ad hujusmodi potestariam et regimen pertinent, efficaciter intendere ac obedire curetis, ita quod ejus studia cum providentia vestra fructificent et nos in vestris successibus prosperis gaudeamus. Dat. ut supra.

2459 (LXVIII) Vatican, 20 mars 1298.

De eodem negotio. (fol. 16).

Dilectis filiis universitatibus et hominibus Bulseni, Sancti Laurentii, Criptarum, Gradularum et Latere, castrorum Vallis Lacus, et castri Aquependentis, Urbevetane diocesis. Pro parte dilectorum filiorum consilii et comunis civitatis Urbevetane nobis est nuper oblata querela quod vos nobilibus et aliis singularibus personis civitatis ejusdem, pro domibus, terris, possessionibus et bonis eorum que habere [contingit] in castris et territoriis vestris, datia vel collectas imponitis et exigitis ab eisdem pro vestre libito voluntatis. Nos autem, precavere volentes ne ex hoc inter vos ac ipsos materia scandali suscitetur, vobis universis per apostolica scripta mandamus quatinus super hiis supersedere curetis, donec inter vos et ipsos concordia bona proveniat vel nos inde aliud duxerimus ordinandum. — Dat. ut supra.

2460 (LXVIIII) Vatican, 20 février 1298.

« Quod possit exercere officium visitationis in diocesi sua per aliquam seu aliquas personas ydoneas. » (fol. 16).

Venerabili fratri B[ernardo], episcopo Appamiarum. Tue devotionis sinceritas promeretur ut illa te prosequamur gratia que tibi fore dinoscitur oportuna. Ex parte siquidem tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum propter discordiam que est inter te ac nobilem virum comitem Fusci secure diocesim tuam, que quasi tota vel pro majori parte in dicti comitis comitatu consistit, nequeas personaliter visitare, quod per alias ad hoc personas ydoneas id exequi valeas, tibi concedere dignaremur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, volentes in hac parte tibi de oportuno remedio providere, fraternitati tue ut, durante discordia supradicta, prefatam diocesim per aliquam seu aliquas personas ydoneas, in dignitate seu personatu constitutas, hujus visitationis officium exercere valeas, et procurationes moderatas in pecunia numerata recipere ab ecclesiis et locis ac personis hujusmodi visitationis exemptis et non exemptis, a quibus procurationes Tholosanus episcopus, qui erat pro tempore, priusquam ecclesia tua existeret cathedralis, recipere consuevit, qualibet constitutione super hoc in contrarium edita non obstante, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo— nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. martii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Papuli, ordinis sancti Benedicti, Appamiarum diocesis, et .. archidiacono Fenolheti in ecclesia Narbonensi.* — Dat ut supra.

2461 (LXX) Vatican, 20 février 1298.

« Quod possit habere altare portatile. » (fol. 16 v°)

Eidem Episcopo. Devotionis tue precibus —. Dat. ut supra.

2462 (LXXII) Vatican, 16 novembre 1297.

Collatio ecclesie de Sancto Altissimo. (fol. 16)

Dilecto filio Balduino, nato dilecti filii nobilis viri Raynaldi de Supino, rectori parochialis ecclesie de Sancto Altissimo, Sorane diocesis. Specialis devotionis affectus —.

Suprascripto parochialem ecclesiam de Sancto Altissimo, Sorane diocesis, per mortem quondam Rolandi de Ferentino,

capellani sui, ejusdem ecclesie rectoris, qui nuper in civitate Ferentinati diem clausit extremum, vacantem confert et de ipsa providet.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVI kal. decembris, anno tertio.

In e. m. *dilectis filiis, magistro Guidoni de Anagnia, notario nostro, Parisiensis, et Petro dicto Corvo de Murolo, Autisiodorensis, ac Johanni Philippi, Ferentinatis ecclesiarum canonicis.* — Dat. ut supra.

2463 (LXXII) Vatican, 27 février 1298.

« Super dispensatione matrimonii cum quibusdam de diocesi Xanctonensi. » (fol. 16 v°)

Venerabilibus fratribus .. Xactonensi et .. Engolismensi episcopis. Licet matrimonialem —.

Dispensatio matrimonii cum nobili viro Guiardo domicello, nato nobilis viri Hugonis, domini de Vallanis, et nobili muliere Clementia, nata quondam Eblonis, domini de Tertio, Xanctonensis diocesis, nonobstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kal. martii, anno quarto.

2464 (LXXIII)

Forma juramenti pro abbate Juncellensi.

Forma juramenti. Ego Guillelmus, abbas monasterii Juncellensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Biterrensis diocesis, ab hac hora in antea fidelis et obediens, et cetera ut in forma usque in finem.

2465 (LXXIIII) Vatican, 20 février 1298.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 17)

Venerabili fratri B[ernardo], episcopo Appamiarum. Quia presentis vite —. Dat. Rome, apud sanctum Petrum, X kal. martii, anno quarto.

2466 (LXXV) Vatican, 20 février 1298.

Super construenda quadam capella in diocesi Appamiarum. (fol. 17)

Eidem. Sincere devotionis affectus quam erga nos ab olim et Apostolicam Sedem habere te novimus promeretur ut, personam tuam plenis favoribus prosequentes, petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, annuamus. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat quod tu, ad honorem Dei et beati Bonifatii martyris atque nostrum, et pro nostre ac tue aliorumque fidelium animarum salute, quamdam ecclesiam seu capellam infra fines tue diocesis affectas de novo construere, in qua sex clerici jugiter Domino famulentur divina ibidem officia celebrando. Nos itaque, tuum in hac parte pium desiderium in Domino commendantes ac volentes illud favoris apostolici suffragio confovere, tuis supplicationibus inclinati, construendi ecclesiam seu capellam predictam et eam, [tam] de bonis que fuerunt quondam. B. Xacxeti patris et G. fratris tuorum, de quibus per te in pios usus convertendis, et alias etiam ordinandi de illis prout expedire videres eosdem patrem et fratrem tuos in ultima voluntate sua tibi dedisse dicis liberam potestatem, quam etiam ecclesie Appamiarum, cui presides, ita tamen quod ex hoc grave dampnum eadem Appamiarum ecclesia non incurrat, sic dotandi decenter quod ex illius proventibus prefati clerici inibi servientes congrue valeant sustentari, nec non instituendi predictos clericos in eadem, postquam constructa fuerit et dotata, plenam et liberam presentium tibi auctoritate concedimus facultatem. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. ut supra.

2467 (LXXVI) Vatican, 29 mars 1298.

« Conceditur sibi quedam domus cum casalino in civitate Anagnina. » (fol. 17)

Dilecto filio nobili viro Jacobo dicto Armato, militi Anagnino, nepoti nostro. Exposuisti nobis quod olim dilecte in Christo filie .. abbatissa et conventus monasterii monialium Sancte Marie de Viano, Cisterciensis ordinis, Anagnine diocesis, quamdam domum, cum casalino juxta eam, ipsius monasterii, positam in civitate Anagnina, in loco ubi dicitur Castellum, juxta introitum et rem olim abbatis Orlandi et juxta rem Berardi de Pileo, tibi ad vitam tuam, titulo locationis seu in emphiteosim, pro certo per te ipsis abbatisse et conventui soluto pretio, concesserunt. Quare nobis humiliter supplicasti ut de domo et de casalino predictis ampliori te gratia prosequi auctoritate apostolica dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, volentes in hac parte tibi gratiam facere ampliorem, domum et casalinum prefata, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi ac tuis heredibus usque in tertiam generationem apostolica auctoritate concedimus, a te ac ipsis ab eodem monasterio retinenda sub annuo censu duorum solidorum prevesinensium (*sic*) post vitam dumtaxat ab eisdem heredibus annis singulis infra quindenam Natalis Domini persolvendo. Tu vero ad cen

sum hujusmodi, quoad vixeris, persolvendum nullatenus tenearis, non obstantibus quibuscumque pactis et conventionibus inter te ac predictas abbatissam et conventum dudum habitis pro predictis, seu quibusvis ipsius monasterii contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, constitutione apostolica seu firmitate alia vallatis, seu si eisdem abbatisse et conventui a Sede Apostolica sit indultum quod de domibus seu quibuscumque bonis et juribus ejusdem monasterii nulli valeat provideri vel concessio quedam fieri per litteras, et cetera usque : mentionem, et qualibet alia, et cetera usque : habenda sit mentio specialis. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. aprilis, anno quarto.

2468 (LXXVII) Vatican, 1er avril 1298.

« Conceditur sibi prebenda Pictavensis cum dignitate. » (fol. 17.)

Dilecto filio magistro Guillelmo Pagani, canonico Pictavensi, capellano dilecti filii nostri Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis. Consuevit Apostolica Sedes —.

Ei, ob ejus merita et obsequia que Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, studio continuato impendit, canonicatum ecclesie Pictavensis et prebendam integram, non sacerdotalem, ac dignitatem vel personatum, cum cura vel sine cura, ad electionem seu collationem capituli ejusdem ecclesie pertinentes, confert et de illis providet vel, si non vacant, reservat, dispensando cum eo ut archipresbiteratum in majori Claromontensi ac Sancti Petri Claromontensi et de Gueziaco et de Sebaziaco ecclesiis, Claromontensis diocesis, canonicatus et prebendas possit licite retinere.

Dat. Rome, apud sanctum Petrum, kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Claromontensi et dilectis filiis.. abbati secularis ecclesie Brivatensis, Claromontensis diocesis, ac magistro Leonardo de Anticulo, canonico Baiocensi.* — Dat. ut supra.

2469 (LXXVIII) Vatican, 7 mars 1298.

« Mandatur provideri de aliqua persona ydonea in abbatissam Sancti Andree de Porta Januensis, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 17 v°.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo et dilectis filiis.. priori Predicatorum et.. guardiano Minorum Fratrum ordinum Januensibus. Inter alias sollicitudines —.

Eis mandat ut monasterio Sancti Augustini de Porta Januensi, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Simone de Camilla abbatisse vacanti, personam ydoneam preficiant in abbatissam. Duas in eo electiones, unam videlicet de Petragrilla, priorissa, et alteram de Sybilia de Camilla, moniali ipsius monasterii contigerat celebrari ; sed archiepiscopus, auctoritate ordinaria procedens, neutram ipsarum inveniens a majore et saniore parte conventus celebratam, illas nullas nuntiavit. Negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluto, et concesso partibus Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, auditore, utraque appellans cessit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. martii, anno quarto.

(POTTHAST, 24635.)

2470 (LXXVIIII) Vatican, 15 mars 1298.

« Absolvitur a communi servitio in quo tenebatur camere et collegio. » (fol. 18.)

Venerabili fratri.. episcopo Gienensi. Amaricavit tabernaculum mentis nostre flebilis tue adversitatis eventus et ad compassionis incendia nos aduxit. Nam, sicut nuper ex parte tue fraternitatis accepimus, dum pridem tuam visitares diocesim predicando populo ac eum ad defensionem fidei et patrie informando et corroborando fideles, Saracenorum immanitas te ac quosdam alios de comitiva tua, clericos et laycos, casualiter comprehendit, qui te ac illos ad begem Granate aduxere captivos, sub cujus estis carcere miserabiliter mancipati. Nos itaque, tibi super tante afflictionis causa compatientes ab intimis, libenter tibi remediis consolationis occurrimus et votiva solamina ministramus. Cum igitur dudum, tempore promotionis tue ad episcopatum Giennensem, pro servitio tam camere nostre quam collegio venerabilium fratrum nostrorum Sancte Romane Ecclesie cardinalium, ratione promotionis hujusmodi, faciendo, te duxeris ipsis camere et collegio in mille florenis auri apud Sedem Apostolicam obligandum, nos, ut ab servitio liberatus tuam et predictorum captivorum redemptionem comodius valeas procurare, tuis supplicationibus inclinati, de predictorum fratrum nostrorum consilio et assensu, predictos mille florenos et hujusmodi servitium de gratia tibi remittimus speciali, te ab omni obligatione, submissione, quam propterea tam camere quam collegio

supradictis vel alii seu aliis quibuscumque pro nobis et ipsis camera et collegio fecisse noscaris, totaliter absolventes, ita quod ad satisfactionem aliquam de hujusmodi pecunia et servitio tu vel successores tui, Giennenses episcopi, nullatenus teneamini, nec ad id valeatis quomodolibet coartari. Te insuper ab omni excommunicationis, suspensionis et interdicti sententia, si quam ob defectum solutionis dicte pecunie forsitan incurristi, presentium auctoritate absolvimus, et tecum misericorditer dispensamus super irregularitate, si quam forsitan incurristi te immiscendo divinis, abolentes a te omnem notam sive infamiam, si quam propterea contraxisti, ita quod in nullo possit tibi obici vel obesse. Nulli ergo — nostre remissionis, absolutionis, dispensationis et abolitionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. martii, anno quarto.

2471 (LXXX) Vatican, 12 mars 1298.

« Confertur sibi prebenda cum archidiaconatu. » (fol. 18.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Belloforti, canonico ecclesie Aurelianensis, archidiacono de Baugentiaco in eadem ecclesia. Ex tue provenit —.

Vacantibus dicto archidiaconatu, consueto tantum canonico ecclesie Aurelianensis assignari, nec non canonicatu et prebenda, eidem archidiaconatui non annexis, per mortem magistri Jacobi de Flatiaco, episcopus Aurelianensis, ad quem collatio prebendarum et dignitatum in ipsa eccclesia pertinet, eadem suprascripto contulerat. Verum, cum prius dicta canonicatus et prebenda reservata fuissent auctoritate apostolica Guillelmo de Belliaco, canonico Aurelianensi, executoribus ei super hoc deputatis, hec collatio episcopi nulla extitit, et concessio archidiaconatus per consequens irrita fuit, cum in eadem ecclesia certus esset canonicorum numerus per Sedem Apostolicam confirmatus, qui tunc erat perfectus, et dignitas in sepedicta ecclesia conferri de antiqua et approbata consuetudine non posset nec possit nisi canonico ejusdem ecclesie. Ei, consideratione episcopi Sabinensis pro eo supplicantis, hanc provisionem de dicto archidiaconatu factam confirmat, supplendo defectum qui ex eo in illa extitit quod tempore ipsius collationis canonicus ecclesie non erat, et insuper ei prebendam, integram et non sacerdotalem, et canonicatum vacantes confert vel, cum vacaverint, reservat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII id. martii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano Parisiensis et .. ejusdem ac .. Belvacensis succentoribus ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2472 (LXXXI) Vatican, 10 mars 1298.

Confirmatur provisio monasterii Juncellensis. (fol. 10 v°.)

Dilecto filio Guillelmo, abbati monasterii Juncellensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Cum a nobis petitur —.

Confirmantur auctoritate apostolica littere Nicolai, tituli Sancti Laurentii in Damaso diaconi cardinalis, cui commissum fuerat negotium provisionis dicti monasterii.

Tenorem vero dictarum litterarum de verbo ad verbum presentibus inseri fecimus qui talis est: « Nicolaus, miseratione divina tituli Sancti Laurentii in Damaso presbiter cardinalis, religioso viro fratri Guillelmo, abbati monasterii Juncellensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Biterrensis diocesis, salutem et sinceram in Domino caritatem. Vacante nuper monasterio Juncellensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Biterrensis diocesis, per obitum quondam Arrasaldi, abbatis ipsius conventus, ejusdem monachi, die ad hoc prefixa convenientes in unum pro futuri facienda substitutione abbatis, ac deliberantes ad id per viam procedere compromissi, fratribus Guillelmo Petri, infirmario, Guillelmo Arthaldi, quondam priori de Siliis, Fredolo de Pinhano, sacriste, et Arnaldo de Maransano, cancellario, monachis ejusdem monasterii, providendi dicto monasterio de abbate concesserunt unanimiter potestatem, ac iidem compromissarii, hujusmodi potestate recepta, fratrem Johannem Castanee, priorem claustralem prefati monasterii, in abbatem ipsius monasterii elegerunt. Cumque dictus Johannes, hujusmodi electioni de se facte consentiens, quemdam procuratorem ad Sedem Apostolicam transmisisset pro ipsius electionis confirmatione petenda, bone memorie H., episcopus Ostiensis, cui sanctissimus pater et dominus noster dominus Bonifacius divina providentia papa octavus commiserat ut ipse, sepedicte electionis diligenter examinato processu, ipsam prout canonicum esset confirmare vel infirmare curaret, in hujusmodi procedens negotio juxta traditam sibi formam, quia sibi legitime constitit quod idem Johannes confirmationem dicte electionis non petierat infra tempus contentum in constitutione felicis recordationis domini Nicolai pape tertii super hoc edita, nec pro illa petenda secundum tenorem constitutionis ipsius ad Sedem accesserat supradictam, quamvis ad eam procuratorem, ut predicitur, transmisisset, pronuntiavit juxta formam constitutionis ejusdem cecidisse prefatum Johannem ab omni jure, si quidem ei fuisset ex tali electione quesitum,

justitia exigente. Sane Guillelmo Petri, infirmario, Johanne Gunbaudi, camerario, ac Guillelmo de Severiaco, thesaurario, monachis dicti monasterii, apud Sedem Apostolicam constitutis, supplicantibus eidem domino nostro ut predicto monasterio Juncellensi, quod jam per biennium vacationis incomoda deplorarat ac alias tam paupertatis quam etiam debitorum oneribus gravibus multipliciter premebatur, providere de persona idonea dignaretur, idem dominus, prefato monasterio affectu compatiens paterno volensque illi de celeris et salubris provisionis remedio subveniri, nobis provisionem illius ea vice duxit vive vocis oraculo committendam. Nos igitur, post deliberationem super hoc habitam diligentem, ad te, quondam priorem prioratus de Lesignano, dicte diocesis, ad monasterium Anianense, dicti ordinis, Magalonensis diocesis, pertinentis, ob laudabilia testimonia que tibi tam a predictis infirmario, camerario et thesaurario, supplicantibus instanter de persona tua ipsi Juncellensi monasterio provideri, quam aliis fide dignis multipliciter exhibentur, considerationis oculum dirigentes, de persona tua, quam ad hoc reputamus ydoneam, auctoritate dicti domini nostri, nobis ut predicitur in hac parte concessa, ipsi Juncellensi monasterio providemus, teque illi in abbatem preficimus et pastorem, firma de te concepta fiducia quod, cum sis vir moribus et genere nobilis, discretionis et etate (*sic*) maturitate conspicuus, in spiritualibus providus et temporalibus circumspectus, monasterium ipsum Juncellense sub tuo regimine prospere dirigetur et salutaria, concedente Domino, suscipiet incrementa. In cujus etc. usque: roborari. Dat. Rome, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, octavo id. martii, pontificatus supradicti domini Bonifatii pape octavi anno quarto. » Nulli ergo — nostre confirmationis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. martii, anno quarto.

2473 (LXXXII) [1]. Vatican, 10 mars 1298.

Notificatur eadem provisio. (fol. 19.)

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui monasterii Juncellensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Biterrensis diocesis.* Vacante nuper — Dat. ut supra.

1. Hec notificatio inserta est contra solitum sub speciali capitulo.

2474 (LXXXIII) Vatican, 19 mars 1298.

« Quod impendat munus benedictionis eidem abbati. » (fol. 19.)

Venerabili fratri.. episcopo Lodovensi. Nuper dilectus—.

Cum novo abbati monasterii Juncellensis sit valde difficile et grave adire Sedem Apostolicam, mandat suprascripto ut ei benedictionis munus in illis partibus impendat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIIII kal. aprilis, anno quarto.

2475 (LXXXIIII)

« Forma juramenti pro.. abbate monasterii Sancti Petri Generensis, Tarviensis diocesis. » (fol. 19 v°.)

Forma juramenti. Ego .. abbas —.

2476 (LXXXV) Vatican, 11 mars 1298.

« Mandatur judicibus provideri de fratre Guillelmo Arnaldo de Loyco in abbatem monasterii Sancti Petri Generensis, Tarviensis diocesis. » (fol. 19 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Olorensi et dilectis filiis Augerio de Sariaco, archidiacono ecclesie Tarviensis, et .. custodi Fratrum ordinis Minorum Auxitano. Dudum monasterio —.

Vacante monasterio Sancti Petri Generensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Tarviensis diocesis, per obitum quondam Arnaldi abbatis, prior et conventus decreverunt per viam compromissi ad electionem procedere. Episcopus Tarviensis et suprascripti archidiaconus et custos, compromissarii electi, fratrem Guillelmum Arnaldi de Loyco, priorem de Benaco, ejusdem ordinis monachum, unanimiter elegerunt. Qui quidem electus pro confirmatione ad Sedem Apostolicam accessit, ubi tam electionis ejusdem quam persone ipsius examinatio Johanni, episcopo Tusculano, Johanni, tituli sanctorum Marcellini et Petri presbytero, ac Neapoleoni, sancti Adriani diacono cardinalibus commissa fuit. Tamen, quia suprascripti de negotii qualitate et persone ipsius electi meritis ac ejusdem monasterii statu habere poterunt notitiam pleniorem, mandat eis quatinus, si dictum electum ad ejusdem regimen ydoneum et utilem esse repererint, super quo eorum conscientias onerat, de ipso auctoritate apostolica prefato monasterio providere curent,

eique munus benedictionis impendi faciant. Alioquin de alio providere curent.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. martii, anno quarto.

2477 (LXXXVI) Vatican, 13 mars 1298.

« Mandatur impendi munus benedictionis Ermengarde, abbatisse monasterii in Gerenrode, ordinis sancti Augustini, Alberstadensis diocesis. » (fol. 19 v°.)

Dilectis filiis.. de Lapide Sancti Michahelis, Cisterciensis, et .. de Ilseneborch, sancti Benedicti, Alberstadensis diocesis, monasteriorum abbatibus et .. preposito Sancti Johannis prope Alberstad, sancti Augustini ordinum. Dudum monasterio in Gerenrode, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Augustini, Alberstadensis diocesis, abbatisse regimine destituto, dilecte in Christo filie .. decana et conventus ejusdem monasterii ac .. decana et tres de conventu ecclesie de Urosa, ejusdem ordinis, dicte diocesis, nomine ipsarum decane et conventus de Urosa, cum earum nomine decana, que pro tempore foret, ac tres de ipso conventu de Urosa ad electionem abbatisse ipsius monasterii pro tempore celebrandam mitti et recipi consueverint, pro future substitutione abbatisse convenientes in unum, post invocationem Sancti Spiritus, ut moris est, dilectam in Christo filiam Ermengardim, monasterii predicti prepositam, in ipsius monasterii abbatissam quasi per inspirationem divinam unanimiter et concorditer elegerunt, electionem hujusmodi solenniter publicantes, ac, eadem electa electioni sibi presentate consentiente, memorate decane ac dictorum monasterii et ecclesie conventus procuratorem ydoneum infra tempus legitimum pro hujus electionis negotio ad Sedem Apostolicam destinavit (*sic*). Presentato itaque nobis electionis predicte decreto dictoque procuratore illam a nobis confirmare cum instantia postulante, nos electionis examinationem ejusdem venerabili fratri Johanni, episcopo Tusculano, et dilectis filiis nostris Nicolao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbitero, et Guillelmo, Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinalibus, duximus committendam. Facta igitur postmodum per eosdem episcopum et cardinales relatione fideli super examinatione electionis ipsius, quia per examinationem hujusmodi eandem electionem invenimus canonice celebratam, ipsam auctoritate apostolica duximus confirmandam. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, eidem electe, nisi in persona ejus defectum vel impedimentum inveneritis propter que non esset impendendum munus benedictionis eidem, auctoritate nostra per aliquem catholicum episcopum, gratiam et comunionem Apostolice Sedis habentem, faciatis hujusmodi munus benedictionis impendi et a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi ; recepturi postmodum ab ea, nostro et Ecclesie Romane nomine, fidelitatis solite juramentum juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam. Contradictores — formam juramenti — usque : munitas quamtotius transmissuri. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III id. martii, pontificatus nostri anno quarto.

2478 (LXXXVII)

« Forma juramenti pro eadem. » (fol. 19 v°.)

Forma juramenti. Ego Ermengardis —.

2479 (LXXXVIII) Vatican, 11 avril 1298.

« Dispensatur cum eo super defectu quem patitur in ordinibus. » (fol. 20.)

Dilecto filio Bernardo de Bastida, medico, rectori parochialis ecclesie Sancti Andree de Magencolis, Nemausensis diocesis. Personam tuam, laudabilium meritorum obtentu, super quibus fidedignorum testimonio commendaris, ac consideratione venerabilis fratris nostri G., archiepiscopi Ebredunensis, pro te nobis in hac parte humiliter supplicantis, favorabiliter prosequentes, tibique volentes propterea gratiam facere specialem, ipsius archiepiscopi precibus inclinati, tecum auctoritate apostolica dispensamus ut, defectu quem in ordinibus pateris, cum primam tantum tonsuram habeas clericalem, et quacumque constitutione contraria nequaquam obstantibus, possis parochialem ecclesiam Sancti Andree de Magencolis, Nemausensis diocesis, quam alias canonice te proponis adeptum, licite retinere, nec tenearis illius pretextu ad ordines ulteriores ascendere neque ad id invitus a quoque valeas coartari. Proviso ut interim dicta ecclesia debitis etc. usque : negligatur. Nulli ergo — nostre dispensationis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III id. aprilis, anno quarto.

2480 (LXXXVIIII) Vatican, 21 mars 1298.

« Confertur Nicolao Benencase de Petra de Tuscanella parrochialis ecclesia Sancti Felicis de Castro Tessennani. » (fol. 20.)

Dilecto filio Nicolao, nato dilecti filii Benencase de Petra

de Tuscanella, rectori parochialis ecclesie Sancti Felicis de Castro Tessennani, Viterbiensis et Tuscanensis diocesis. Ut tua et tuorum sincera devotio —. Cum itaque, sicut asseritur, parochialis ecclesia Sancti Felicis de Castro Tessennani, Viterbiensis et Tuscanensis diocesis, vacare dicatur ad presens, — nos ecclesiam ipsam sic vacantem apostolica tibi auctoritate conferimus et de illa etiam providemus. Decernentes — non obstante — sive quod pateris in ordinibus et etate defectum super quo tecum, qui jam quintumdecimum etatis tue annum diceris attigisse, auctoritate simili dispensamus, volumus autem quod — per ydoneum vicarium deserviri, alioquin hujusmodi gratia nullius penitus sit momenti, seu quod inter venerabilem fratrem nostrum Viterbiensem et Tuscanensem episcopum, ex parte una, et dilectos filios capitulum ecclesie Tuscanensis, ex altera, super collatione seu provisione vel dispositione ipsius ecclesie Sancti Felicis, quam utraque pars ad se asserit pertinere, lis seu contentio, ut asseritur, est exorta. Nulli ergo — nostre collationis, provisionis, constitutionis et dispensationis—. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. Sancti Jacobi et .. Sancte Marie Majoris ac.. Sancti Angli de Canonica ecclesiarum de civitate Tuscanensi prioribus.* — Dat. ut supra.

2481 (LXXXX) Vatican, 1er avril 1298.

« Super restitutione castri Argente. » (fol. 20.)

Dilectis filiis nobilibus viris Azoni et Francisco fratribus, marchionibus Estensibus. Non sine admiratione gravi referimus quod vos, quos in votis suis Ecclesia experiri deberet filios generosos, motibus propriis inherentes, castrum Argente, quod est Ravennatis ecclesie speciale, detinetis pro vestre voluntatis libito occupatum, ad illud contra voluntatem venerabilis fratris nostri O., archiepiscopi Ravennatis, per vestros homines custodiri, congregationes quoque et parlamenta in eo fieri facientes, ipsum eidem archiepiscopo restituere non curatis, in ipsius et ecclesie Ravennatis grave dispendium, plurimorum scandalum et jacturam. Cum itaque hec adeo sint notoria, magnifesta quod pallatione aliqua velari non possint, monemus vos et vobis etiam paterne dilectionis instantia suademus quatinus, infra unius mensis spatium a receptione presentium, castrum ipsum — dilecto filio magistro Rogerio Caze, capellano et nuntio nostro, nomine nostro et Romane Ecclesie, vel eidem archiepiscopo, aut dilectis filiis.. archidiacono et.. preposito ecclesie Ravennatis, per eundem archiepiscopum ad hoc specialiter deputatis, seu eorum alteri, restitui faciatis, ita quod propter hoc devotionem vestram merito commendare possimus. Alioquin — eidem magistro Rogerio nostris damus litteris in mandatis ut vos ad id ecclesiastica censura compellat, et terras regimini vestro subjectas ecclesiastico subitiat interdicto; invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio bracchii secularis. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilecto filio Rogerio Caze, capellano et nuntio nostro.* Dat. ut supra.

2482 (LXXXXI) Vatican, 1er avril 1298.

« Quod possit retinere archidiaconatum ecclesie Senensis cum dicta ecclesia. » (fol. 20 v°.)

Dilecto filio Nerio Brunatii, rectori parochialis ecclesie Sancti Stephani Senensis. Laudabilia tua merita — prosequamur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, vacante nuper archidiaconatu ecclesie Senensis, venerabilis frater noster R., episcopus Senensis, ad quem in eadem Senensi ecclesia, cum archidiaconatus ipse vacat electio et provisio archidiaconi pertinet pleno jure, supra castrum Columpne in exercitu nostro et Ecclesie Romane contra Columpnenses scismaticos et nostros et Ecclesie Romane rebelles de beneplacito nostro existens, te, obtinentem parochialem ecclesiam Sancti Stephani Senensis, cujus rector existis, duxit in ipsius ecclesie Senensis archidiaconum eligendum, ac tibi de ipso archidiaconatu providit.

Dispensat cum eo qui sacerdos esse dicitur ut ipsis electioni et provisioni consentire ac eundem archidiaconatum acceptare, illumque una cum prefata ecclesia Sancti Stephani, Claromontensi prebenda, que sacerdotalis existit, ac aliis beneficiis ecclesiasticis que obtinet licite retinere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, ut supra.

2483 (LXXXXII) Vatican, 3 avril 1298.

« Quod gaudeant privilegio exemptionis et immunitatis concesso ordini Fratrum Minorum. » (fol. 20 v°).

Dilectis in Christo filiabus .. abbatissis et conventibus sororibus inclusis ordinis sancte Clare, presentibus et futuris. In sinu sedis —.

Cum Urbanus IIII, earum regule institutor, statuerit ut sub cardinalium protectorum ordinis Fratrum Minorum obedien-

tia, cura et regimine deberent de cetero permanere, qui monasteriis ordinis dicte sancte et personis degentibus in eis visitationis officium studerent impendere et instituerent, destituerent, ordinarent, atque disponerent prout secundum Deum expedire viderent, et per hec et alia inter earum et Fratrum Minorum ordines « specialis esse caritas censeatur, » concedit eis ut ipse et omnia ac singula monasteria ejusdem ordinis tam exemptionis privilegiis quam omnibus immunitatibus, libertatibus et indulgentiis ac aliis privilegiis quibuscumque concessis et concedendis ordini Fratrum Minorum gaudeant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. aprilis, anno quarto.

(POTTHAST, 24652.)

2484 (LXXXXIII) Vatican, 13 avril 1298.

« Super constructione cujusdam monasterii, Cisterciensis ordinis, in diocesi Parmensi. » (fol. 21 v°).

Venerabili fratri G., episcopo Sabinensi. Tua nobis fraternitas —.

Ei, qui decreverat in loco qui dicitur ad Sanctum Martinum de Bozis, Parmensis diocesis, vel alibi in ipsa diocesi unum monasterium ordinis Cisterciensis cum ecclesia, domibus et officinis de novo construere, concedit facultatem hoc exequendi.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. aprilis, anno quarto.

(POTTHAST, 24657.)

2485 (LXXXXIIII) Vatican, 13 avril 1298.

« Quod ecclesia de Gainago, Parmensis diocesis, sit baptismalis ecclesia sicut erat ecclesia Sancti Martini de Bozis in qua contructum est dictum monasterium. » (fol. 21).

Eidem. Sicut nobis tua —.

Ei concedit facultatem retinendi ecclesiam Sancti Martini de Bozis, paucos parochianos habentem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, pro monasterio ordinis Cisterciensis construendo, ac transferendi jus ipsius ecclesie baptismalis cum archipresbytero suo ad ecclesiam de Gainago Parmensis diocesis.

Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24658.)

2486 (LXXXXV) Vatican, 20 mars 1298.

« Quod possit assumi ad dignitates ipsius ordinis non obstante quod fuit de ordine Minorum. » (fol. 21 v°).

Dilecto filio fratri Francisco de Castro Florentino, monacho ordinis Camaldunensis. Exhibita nobis tue devotionis petitio continebat quod olim, post professionem in ordine Fratrum Minorum a te factam, de licentia .. ministri ejusdem ordinis, pro eo quod asperitatem ipsius ordinis substinere non poteras, te ad Camaldunensem ordinem transtulisti. Sed, sicut fidedignorum habet assertio, tu jam diu facta professione in eodem Camaldunensi ordine fuisti in eo laudabiliter conversatus. Nos itaque attendentes tue devotionis merita, super quibus fidedignorum testimonio commendaris, ac volentes te, hujusmodi meritorum obtentu et consideratione dilecti filii Tuctii fratris tui, sartoris et familiaris nostri, pro te nobis humiliter supplicantis, dono prosequi gratie specialis, tuis devotis supplicationibus inclinati, ut non obstantibus quibuscumque contrariis privilegiis Apostolice Sedis aut statuto, regula seu consuetudine ipsius ordinis Minorum ad dignitates, administrationes et officia quelibet ipsius Camaldunensis ordinis alias canonice vocari, eligi vel assumi eaque recipere licite valeas, prioratu majori Camaldunensi dumtaxat excepto, tecum auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus, omnem maculam sive notam, si quam ex premissis forsitan contraxisti, de apostolice plenitudine potestatis a te totaliter abolentes. Nulli ergo — nostre dispensationis et abolitionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIII kal. aprilis, anno quarto.

2487 (LXXXXVI) Vatican, 3 mars 1298.

« Quod possint apprehendere possessionem ecclesie de Hertindone, Conventrensis et Lichefeldensis diocesis. » (fol. 21 v°).

Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui sororum inclusarum monasterii de Domo Gratie beate Marie Virginis, ordinis sancte Clare, Londoniensis diocesis. Petitio vestra nobis —.

Olim tenuitatem reddituum suprascripti monasterii attendens, dominus papa unam de ecclesiis, in quibus quondam Edmundus, frater Eduardi Anglie regis, jus patronatus habebat, cujus quidem ecclesie redditus valorem annuum quadraginta marcharum sterlingarum attingerent, « eodem Edmundo nobis dum adhuc viveret super hoc supplicante », in usus proprios concessit ita quod, cum hujusmodi ecclesiam vacare contingeret, ejus possessionem auctoritate propria apprehendere, dioce-

sani loci seu cujuscumque alterius assensu minime requisito, illamque in usus proprios perpetuo retinere possint, reservata tamen in perpetuum vicario in ea serviluro congrua portione ex qua posset commode sustentari ac episcopalia et alia jura incumbentia eidem ecclesie onera supportare. Verum, vacante postmodum ecclesia de Hertindon, Conventrensis et Lichefeldensis diocesis, in qua dictus Edmundus jus obtinuit patronatus, possessionem ejusdem ecclesie apprehendere curaverunt. Sed .. episcopus Conventrensis et Lichelfeldensis, loci diocesanus, ac officiales ipsius asserentes quod fructus ejusdem ecclesie secundum verum valorem ipsorum quadraginta marcharum valorem excedunt, « quanquam secundum taxationem proventuum ecclesiarum novissime in regno Anglie factam summam non excedant eandem », eas super eadem ecclesia multipliciter aggravant et perturbant. Gratiam eis ampliare volens et earum quieti precavere indulget eis ut dictam ecclesiam, dummodo secundum taxationem predictam sexaginta marcharum valorem annuum non excedat, auctoritate propria apprehendere et tenere possint.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. martii, anno quarto.

(POTTHAST, 24631.)

In e. m. *dilectis filiis magistro Johanni de Lacy, cancellario Cicestrensis, et Berthuldo de Labro, capellano nostro, Carnotensis, ac Giffredo de Vezano, camere nostre clerico, Cameracensis canonicis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2488 (LXXXXVII) Vatican, 29 janvier 1298.

« Confertur sibi quodcumque beneficium quod primo vacaverit in civitate et diocesi Perusinis. » (fol. 21 v°).

Dilecto filio Petro, nato dilecti filii Angelutii Sinibaldi civis Perusini, clerico. Probitatis studia —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. februarii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis magistro Benedicto de Aquino, notario nostro, archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi, et Bernardino Jacopelli ac Johanni Ugolini, canonicis Perusinis.* — Dat. ut supra.

2489 (LXXXXVIII) Vatican, 21 mars 1298.

« Super baronia Pistillionis. » (fol. 22).

Dilecto filio nobili viro Roberto, duci Calabrie, primogenito carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris. Dudum inter carissimum in Christo filium nostrum Carolum Sicilie regem illustrem patrem tuum ac nobilem virum Johannem de Procida fidelem ejus de beneplacito nostro meminimus ordinatum ut super baronia Pistillionis, in regno Sicilie consistente, ad Franciscum filium ipsius Johannis, ut asserit, pertinente, quam dilectus filius nobilis vir Thomas chomes (*sic*) Sancti Severini ex concessione ipsius regis dicitur possidere, cognosceretur in nostra curia de juribus utriusque, nosque dilecto filio magistro Ottobono, auditori litterarum nostrarum contradictarum, causam hujusmodi certo modo commisimus audiendam. Intendentes igitur ut negotium hujusmodi salubriter per viam compendii terminetur, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica scripta mandantes quatinus ex te ipsi comiti districte precipias et efficaciter absque qualibet fictione compellas eundem ut infra quindecim dies post mandatum tuum coram auditore predicto cum omnibus actis, juribus et munimentis suis negotium hujusmodi contingentibus per procuratorem ydoneum comparere procuret, prefato Francisco vel eidem Johanni pro eo in ipso negotio summarie ac de plano sine strepitu et figura juditii de justitia responsurus ; sic te in hac parte provide, liberaliter et efficaciter habiturus quod nobilitatem tuam exinde commendare merito valeamus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. aprilis, anno quarto.

2490 (LXXXXVIIII) Vatican, 21 mars 1298.

« Super restitutione bonorum Johannis de Procida. » (fol. 22).

Eidem. Inter alia que ad virtutem principibus et magnatibus ascribuntur servare promissa plurimum commendatur. Sane per dilectum filium nobilem virum Johannem de Procida, fidelem regium atque tuum, fuit confidenter expositum coram nobis quod, licet dudum per nos cum carissimo in Christo filio nostro Carolo, rege Sicilie illustri, patre tuo, fuerit ordinatum quod omnia bona bursensatica que, ubique per regnum Sicilie consistentia, usque ad exitum dicti Johannis de regno predicto, Johannes ipse tenuerat restituerentur eidem, et de tua nec non dilecti filii nobilis viri Bartholomei de Capua, logothete regni predicti, voluntate ac ordinatione processerit ut idem Johannes tecum et cum predicto Bartholomeo, ad recipiendam possessionem predictorum bonorum, nuntium mitteret specialem, ac ipse, juxta dispositionem eandem, nuntium suum propter hoc miserit, et negotium pro parte sua fuerit prosecutus, et quod in eo fuit fecerit cum effectu, tu tamen et idem Bartholomeus, pretendentes quod non inveniebatis super hiis aliquid mandatum regium in regestris, facere sibi restitutionem

hujusmodi denegastis. Quare dictus Johannes nobis humiliter supplicavit ut impertiri sibi super hoc favoris nostri suffragium dignaremur. Nos igitur, attendentes regiis et tuis honoribus et profectibus expedire quod eidem Johanni secundum quod extitit, ut premittitur, ordinatum restitutio fiat, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente per apostolica tibi scripta mandantes quatinus Johannem ipsum liberaliter ad bona restituas supradicta, exceptione hujusmodi mandati regii non inventi in regestris, ut premittitur, non obstante. Per hoc enim regium et tuum servabis honorem nobisque non indigne placebis, et scimus quod id prefato regi gratum erit plurimum et acceptum. Dat. ut supra.

2491 (c) Vatican, 21 mars 1298.

« Super eodem. » (fol. 22 v°).

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Exposuit nobis —.

Memorat eisdem fere verbis quam in duobus capitulis precedentibus querelas expositas a Johanne de Procida tam de ejus bonis non restitutis quam de baronia Pistillionis et prosequitur :

Nos igitur honores et profectus tuos ac ducis ejusdem super hoc specialiter attendentes eundem ducem per alias nostras litteras rogamus et hortamur attente sibique mandamus ut predictum Johannem liberaliter ad bona restituat supradicta, exceptione mandati tui hujusmodi non inventi in registris, ut premittitur, non obstante, mandamus insuper ipsi duci ut predicto comiti districte precipiat et efficaciter absque qualibet fictione compellat eundem ut infra quindecim, ut supra in secundo usque : responsurus. Quocirca serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus per speciales tuas litteras ipsi scribas efficaciter et injungas ut hec que sibi pro Johanne ac Francisco scribimus memoratis cum effectu liberaliter, celeriter et favorabiliter exequatur. Sic ergo, fili, super hiis partes regias studeas adhibere quod per hoc decentiam tui honoris observes, et prefati Johannes et Franciscus ad beneplacita regia strictius obligentur, tuque possis exinde apud Deum et homines merito commendari, et nos id gratum habere possimus. Dat. ut supra.

2492 (ci) Vatican 13 avril 1298.

« Quod dispenset cum Everco Sancii, diacono Pampilonensis diocesis. » (fol. 22 v°).

Venerabili fratri .. episcopo Ovetensi. Petitio dilecti filii Everci Sancii, diaconi Pampilonensis diocesis, nobis exhibita continebat quod, licet ipse dudum ecclesiam parochialem de Moriello, dicte diocesis, canonice fuisset adeptus, habens tamen conscientiam remordentem super quibusdam occultis excessibus super quibus erat Sedes Apostolica requirenda, se non fecit occasione hujusmodi ad sacerdotium infra annum post assecutionem ipsius, prout tenebatur ex constitutione felicis recordationis Gregorii pape decimi predecessoris nostri super hoc in Concilio Lugdunensi edite, promoveri, ac nichilominus, post annum predictum eandem ecclesiam per quadriennium et ultra de facto retinens, percepit fructus et redditus ex eadem, qui viginti librarum turonensium parvorum, deductis exinde necessariis servitiis ejusdem ecclesie, valorem annuum non excedunt. Cum autem idem diaconus, prout asserit, ad Sedem propter hoc predictam accedens absolutionis ab ea munus obtinuerit super excessibus prelibatis ac presbiteratus ordinem recipere sit paratus, nos ipsum, de cujus meritis alias laudabilia nobis testimonia perhibentur, prosequentes in hac parte favore, ipsius supplicationibus inclinati, fraternitati tue, de qua fiduciam gerimus in Domino specialem, per apostolica scripta mandamus quatinus, imposita eidem diacono pro eo quod ecclesiam sic illicite retinuit supradictam percipiendo fructus ex ea pro modo culpe penitentia salutari, omnem inhabilitatem, infamiam, maculam sive notam horum occasione contractas in eo prorsus aboleas de nostre plenitudine potestatis remittendo ac donando sibi auctoritate nostra predictos fructus ab eo ut predicitur minus juste perceptos de dono gratie amplioris ; dictam insuper ecclesiam, dummodo in ea non sit jus alteri acquisitum sibique aliud canonicum non obsistat, cum juribus et pertinentiis suis memorato diacono, constitutione non obstante predicta, auctoritate nostra de novo conferas et assignes, faciens ipsum illius pacifica possessione gaudere. Contra —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. aprilis, anno quarto.

2493 (cii) Vatican, 13 mars 1298.

« Mandatur citari Franciscus Rigotii prior ecclesie Eugubine. » (fol. 22 v°).

Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Salvatoris de Monteacuto, Perusine, et .. Sancte Crucis de Avellana ac .. Sancti Secundi, Eugubine diocesium prioratuum prioribus. Ad audientiam nostram pervenit quod Franciscus Rigotii, qui pro priore ecclesie Eugubine, ordinis sancti Augustini, se gerit, ordinem regularem quem professus esse dinoscitur non observans, vitam ducit penitus dissolutam ; canonicos

dicte ecclesie, quos fraterna deberet dilectione fovere, diversis injuriis et presuris afficere non veretur; beneficia ecclesiastica ipsius ecclesie, curam animarum habentia et ad collationem.. prioris et capituli communiter pertinentia, que consueverunt conferri ecclesie memorate capellanis et conversis, clericis secularibus irrequisito capitulo predicto conferre propria temeritate presumit; bona insuper dicte ecclesie, de quibus disponere ac ordinare deberet cum ipsius capituli consilio vel assensu, solus distribuit et de ipsis disponit pro sue arbitrio voluntatis, dicti capituli consilio vel assensu minime requisito; ac, bona ipsa dilapidans enormiter et consumens, alia plura committit enormia que Deum offendunt et homines scandalizant. Ne igitur alienas culpas, nostris insinuatas auribus, si eas indiscussas relinquamus vel sub silentio deseramus incorrectas, et illorum maxime qui nobis in vicino sunt positi, commendare quodam modo videamur, nos volentes super premissis inquirere plenius veritatem discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, predictum Franciscum auctoritate nostra perentorie citare curetis ut infra quindecim dies post citationem vestram personaliter apostolico se conspectui representet, pro meritis recepturus ac facturus super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem autem citationis, et cetera usque: fideliter intimare. Dat Rome, apud Sanctum Petrum, III id. martii, anno quarto.

2494 (CIII) Vatican, 18 mars 1298.

« Eximitur a personali residentia. » (fol. 23.)

Dilecto filio Bonohomini de Sublacu, clerico et familiari venerabilis fratris Guidonis episcopi Cameracensis, canonico Cameracensi. Personam tuam speciali —.

Dispensatur cum eo super residentia, cui tenetur quum prebenda quam in dicta ecclesia obtinet sacerdotalis sit, et statuitur ut prima prebenda in eadem ecclesia vacatura, que sacerdotalis non existat nec similem exigat residentiam, loco predicte interim sacerdotii et residentie personalis, eo ipso cum vacaverit, subjaceat oneri.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XV kal. aprilis, anno quarto.

2495 (CIIII) Vatican, 5 mars 1298.

« Quod inquirat contra Bremundum, prepositum ecclesie Nemausensis. » (fol. 23).

Dilecto filio.. archidiacono Uticensi. Cum ex injuncto —.

Insinuantibus dilectis filiis P. de Vedillano, Bertrando de Bercanicis et Augerio de Salada, canonicis Nemausensibus, pro se et aliis in hoc adherentibus canonicis ecclesie Nemausensis, ordinis sancti Augustini, quod Bremondus, prepositus ejusdem ecclesie, in administratione sibi commissa, bona dilapidet et in conferendis beneficiis. ad ejus collationem ratione prepositure una cum quibusdam aliis spectantibus, et administrationibus ipsius ecclesie committendis statuta et consuetudines laudabiles observata hactenus non observet, mandat dicto archidiacono, de procuratorum predicti prepositi et predictorum canonicorum assensu, quatinus personaliter ad eandem ecclesiam accedens super hiis diligenter inquirat, corrigendo et reformando ibidem que correctione et reformatione indigent.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III non. martii, anno quarto.

2496 (CV) Vatican, 21 mars 1298.

« Dispensatur super matrimonio contracto nonobstante quarto consanguinitatis gradu. » (fol. 23).

Dilecto filio Petro Raymundi de Ryule layco et dilecte in Christo filie Saure uxori ejus, Caturcensis diocesis. Sedis Apostolice —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. aprilis, anno quarto.

2497 (CVI) Vatican, 28 mars 1298.

« Dispensatur super matrimonio contracto non obstante quarto consanguinitatis gradu. » (fol. 23 v°),

Dilecto filio Oddoni de Montealto militi et dilecte in Christo filie Honos de Martafaba uxori ejus, Tholosane diocesis. Cum summus pontifex —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, V kal. aprilis, anno quarto.

2498 (CVII) Vatican, 9 mars 1298.

« Preficitur in episcopum Olenensem. » (fol. 23 v°).

Venerabili fratri Johanni, episcopo Olenensi. Olim Olenensis ecclesia —.

Ecclesie Olenensi per obitum Nicolai episcopi vacanti et Sedis Apostolice provisioni ea vice de consilio cardinalium reservate dictum Johannem, tunc ecclesie Lateranensis capellanum, preficit in episcopum, consecratione per J., Tusculanum episcopum, eidem impensa.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. martii, anno quarto.

2499 (CVIII) Vatican, 28 mars 1298.

« Quod dispenset super matrimonio cum quibusdam de Fabriano. » (fol. 23 v°).

Venerabili fratri .. episcopo Camerinensi. Petitio dilecti filii nobilis viri Rigocetti Conradi Raynaldi Rigotii et dilecte in Christo filie Guarnite, nate Muczoli Pauli Attonis medici, de Fabriano, tue diocesis, nobis exposita —.

Mandatur ut dispenset cum illis super futuro matrimonio non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

2500 (CVIIII) Vatican, 16 avril 1298.

« Conceditur sibi officium tabellionatus. » (fol. 23 v°).

Dilecto filio Petro Nicolai Gisi de Guarcino. Ne contractuum memoria —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVI kal. madii. anno quarto.

2501 (CX) Vatican, 22 mars 1298.

« Dispensatio super matrimonio cum quibusdam de diocesi Agennensi. » (fol. 24).

Venerabili fratri .. episcopo Agenensi. Petitio dilecti filii nobilis viri Arnaldi de Bonisvilla et dilecte in Christo filie nobilis mulieris Orbrie, nate quondam Augerii de Podiobarsaco, tue diocesis, nobis exhibita continebat —.

Mandatur ut dispenset cum eis super matrimonio quod utriusque partis consanguinei prestitis juramentis fieri promiserunt.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. aprilis, anno quarto.

2502 (CXI) Vatican, 13 avril 1298.

« Dispensatio super matrimonio cum quibusdam civibus Ravellensibus. » (fol. 24).

Dilecto filio nobili viro Stephano dicto Castaldo et dilecte in Christo filie nobili mulieri Guisande, filie quondam Ursonis, civibus Ravellensibus. Romani pontificis precellens —.

Dispensatur cum illis super matrimonio contracto non obstante quod Guisanda quarto consanguinitatis gradu esset conjuncta cum Johanna priore uxore Stephani.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. aprilis, anno quarto.

2503 (CXII) Vatican, 31 mars 1298.

« Quod possit recipere quodcumque beneficium ecclesiasticum, si sibi canonice offeratur. » (fol. 24).

Dilecto filio Guillelmo, nato nobilis viri Eustachii de Flavacuria, canonico Rothomagensi. Virtutum merita quibus mente vigili vacare diceris te, genere nobilem, dignum constituunt ut te favore apostolico prosequamur. Hinc est quod nos, obtentu meritorum hujusmodi ac intuitu venerabilis fratris nostri G., archiepiscopi Rothomagensis, cujus, sicut accepimus, nepos existis quique pro te nobis humiliter supplicavit, volentes tibi gratiam facere specialem, ut personatum vel dignitatem in cathedrali seu collegiata ecclesia, sive parochialem ecclesiam aut quodvis beneficium ecclesiasticum, etiam si curam habeat animarum, et tibi canonice offeratur, licite recipere valeas et libere obtinere, non obstante quod nondum in vicesimo quinto anno constitutus existis, licet decimum nonum annum etatis tue peregisse dicaris, seu constitutione concilii generalis, auctoritate tibi presentium indulgemus. Volumus autem quod, si, antequam ad etatem legitimam perveneris, personatum seu dignitatem sive ecclesiam aut beneficium hujusmodi assequi te contingat, in eo vel ea donec ad etatem predictam perveneris per ydoneum facias vicarium deserviri et animarum cura in ipso vel ipsa ullatenus negligatur. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. aprilis, anno quarto.

2504 (CXIII) Vatican, 31 mars 1298.

« Quod usque ad septennium insistere valeat studio juris civilis. » (fol. 24).

Eidem. Apostolice Sedis —. Cum itaque, sicut accepimus, juris civilis studio ut equum ab iniquo discernere valeas cupias immorari, nos, tuis et venerabilis fratris nostri G., archiepiscopi Rothomagensis, pro te nepote suo humiliter supplicantis devotis supplicationibus inclinati, ut, postquam dignitatem vel personatum seu parochialem ecclesiam sive quodcumque beneficium ecclesiasticum curam habens animarum, prout per nostras litteras tibi duximus

indulgendum, assequi te continget, ex tunc usque ad setennium (*sic*) insistere predicti juris studio et in eodem jure docere licite valeas, constitutione felicis recordationis Honorii pape tertii predecessoris nostri super hoc edita et qualibet alia contraria non obstante, auctoritate tibi presentium indulgemus. Proviso quod interim hujusmodi dignitas, personatus vel ecclesia seu beneficium debitis, et cetera usque: negligatur. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. ut supra.

2505 (CXIIII)

« Forma juramenti pro abbatissa monasterii Jotrensis. » (fol. 24).

Forma juramenti. Ego .. abbatissa monasterii Jotrensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Meldensis diocesis, ab hac hora in antea, et cetera ut in forma usque in finem.

2506 (CXV) Vatican, 13 mars 1298.

« Quod possit compellere preceptores et fratres hospitalium et domorum dicti hospitalis Sancti Antonii. » (fol. 24).

Dilecto filio Aymoni, abbati monasterii Sancti Antonii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis. Exhibita nobis tua petitio continebat quod olim, diu antequam tu, super causa quam dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Montismajoris, ad predictam Ecclesiam pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis, contra te, tunc magistrum hospitalis Sancti Antonii, Viennensis diocesis, et ordinem ipsius hospitalis movisse noscuntur, ad nostram curiam citareris, preceptores et fratres hospitalium et domorum dicti hospitalis Sancti Antonii certam pecunie summam, infra certum, nondum elapsum, tempus, pro solvendis debitis tuis et predicti ordinis Sancti Antonii, tibi solvere convenerunt, tuque certo termino predicta solvere debita creditoribus juramento proprio promisisti. Cum autem tu, post conventionem hujusmodi, predicti tui monasterii factus abbas, apud Sedem Apostolicam moram trahens, pro tuis et ipsius hospitalis ac pro predicti monasterii tui negotiis promovendis et expediendis magna in prefata curia subieris onera expensarum et a diversis creditoribus plurima debita de licentia nostra contraxeris, nosque tibi per nostras sub certa forma litteras duxerimus indulgendum ut, donec predictis creditoribus, a quibus in ipsa curia debita, ut predicitur, contraxisti, foret de ipsis debitis satisfactum, ad satisfactionem quorumcumque debitorum, a te olim sine nostra licentia contractorum, minime tenearis, neque ad id a quocumque posses interim coartari, nobis humiliter supplicasti ut predictos preceptores et fratres, quod tibi, juxta prefatam conventionem et promissionem factam tibi per eos, pecuniam persolvant eandem, in solutionem hujusmodi debitorum apud dictam Sedem taliter contractorum totaliter convertendam, compelli specialiter mandaremus. Nos igitur, ut hujusmodi debitis, per te in ipsa curia nostra contractis, in statutis ad id terminis comodius satisfacere valeas, tuis supplicationibus inclinati, exigendi a preceptoribus et fratribus supradictis hujusmodi promissam seu conventam tibi pecuniam per eosdem, in solutionem predictorum debitorum apud Sedem eandem, ut predicitur, contractorum, et contradictores, et cetera usque: compescendi, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem, ita tamen quod iidem preceptores et fratres ad solvendum iterum hujusmodi quantitatem pecunie pro satisfactione predictorum debitorum, extra prelibatam curiam contractorum, nichilominus [teneantur], tuque ipsos ad id, sicut de predicta promissa tibi quantitate, censura simili valeas coartare. Si vero eosdem preceptores et fratres vel eorum aliquos contradictores tibi super hiis fore contigerit vel rebelles, nos dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Rufi extra muros Valentie et .. preposito Ulciensis, Thaurinensis diocesis, ac .. cantori Lugdunensis ecclesiarum damus per alias nostras litteras in mandatis ut ipsi, vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, sententias et processus, quos a te contra hujusmodi rebelles et inobedientes rite haberi vel proferri contigerit, faciant auctoritate nostra per censuram eandem appellatione cessante inviolabiliter observari. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Rufi extra muros Valentie et .. preposito Ulciensis, Thaurinensis diocesis, ac .. cantori Lugdunensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2507 (CXVI) Vatican, 13 mars 1298.

« Quod non teneatur ad satisfactionem quorumcumque debitorum donec satisfactum fuerit de debitis contractis in curia. » (fol. 24 v°).

Dilecto filio Aymoni, abbati monasterii Sancti Antonii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis. Cum dudum, postquam perventi fuimus ad apicem apostolice dignitatis, tu apud

Sedem Apostolicam moram trahens, pro tuis et monasterii tui ac hospitalis Sancti Antonii, cujus hospitalis fuisti magister, negotiis promovendis et expediendis, magna subieris onera expensarum et a diversis creditoribus de licentia nostra plurima contraxeris debita, nos, volentes tue ac predictorum creditorum quieti consulere ipsorumque creditorum indemnitati salubriter precavere, auctoritate tibi presentium indulgemus ut, donec creditoribus ipsis fuerit de hujusmodi debitis juxta conventiones et pacta inter te ac ipsos dudum habita statutis terminis satisfactum, satisfactioni quorumcumque debitorum, a te olim sine nostra licentia contractorum, minime tenearis, neque ad id a quocumque tu vel illi qui pro te fidejusserunt in predictis possitis interim coartari. Nos enim hujusmodi debita, per te olim, ut predicitur, sine licentia nostra contracta, et omnes penas et sententias spirituales et temporales, quas propterea tu vel fidejussores hujusmodi possetis incurrere, et omnem effectum eorum, ac juramenta etiam prestita super illis, usque ad finem terminorum in quibus teneris satisfacere de hujusmodi debitis, apud dictam Sedem de licentia nostra contractis, suspendimus de apostolice plenitudine potestatis, ita tamen quod ex tunc debita ipsa, et hujusmodi sententie atque pene, ac omnes eorum effectus, et juramenta prefata in pristinum vigorem pro facti qualitate redeant atque robur, et tu ex tunc immediate de ipsis tenearis satisfacere sicut prius. Omnes insuper processus omnesque sententias et penas, spirituales et temporales, quos vel quas contra te vel fidejussores predictos seu alios, occasione debitorum a te sine nostra licentia contractorum, contra indulti hujusmodi nostri tenorem, quacumque auctoritate per quoscumque fieri vel proferri contigerit, ex nunc irritos decernimus et inanes, ac nullius existere firmitatis. Nulli ergo — nostre concessionis, suspensionis et constitutionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum III id. martii, anno quarto.

2508 (CXVII) Vatican, 15 mars 1298.

« Mandatur citari personaliter Paganus de Petrasancta, miles Mediolanensis. » (fol. 25).

Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Dionysii ac .. Sancte Thecle Mediolanensis et .. Sancti Stephani de Vicomercato, Mediolanensis diocesis, ecclesiarum prepositis. In causa que —.

In causa que inter quondam F. Guillelmum de Aquis, ordinis Predicatorum, tunc inquisitorem in Lombardia et Marchia Januensi, et Paganum de Petrasancta, militem Mediolanensem, super inquisitionis processu contra prefatum militem habito de heretica pravitate « ac appellatione super hoc per memoratum militem ab eodem inquisitore ad Sedem Apostolicam interposita vertebatur, quondam F. Petrus de Murrone, tunc Celestinus papa quintus, antecessor noster » Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum cardinalem, concessit eisdem partibus auditorem. Quo interim renuntiante papatui et F. Guillelmo vita functo, dominus papa hujusmodi negotium primo dicto cardinali et tandem .. priori Predicatorum et .. ministro provincie Minorum et .. preposito ecclesie Sancti Ambrosii Mediolanensibus commisit. Sed F. Thomas, ordinis Predicatorum, Guillelmo in officio inquisitionis succedens et, post multos processus coram predictis habitos, asserens quod iidem reddebant se in eodem negotio negligentes, inquisitionem predictam, per eundem F. Guillelmum inchoatam, contra militem predictum resumpsit. Propter quod ex parte ipsius militis ad Sedem Apostolicam fuit iterum appellatum, ac idem F. Thomas nichilominus, post hujusmodi appellationem interpositam ab eodem, prefatum militem de heresi dicitur sententialiter condemnasse. Porro dominus papa, jam dictum negotium ad examen apostolicum revocans, eumdem F. Thomam ad suam fecit presentiam evocari personaliter et demum negotium ipsum prefato cardinali commisit, sine strepitu et figura judicii audiendum. Constitutis coram cardinali predicto prefato F. Thoma et Francisco de Petrasancta, procuratore dicti militis, dictus cardinalis, receptis ab eis de calumnia et veritate dicenda juramentis, productis et exhibitis hinc inde quibusdam actis, juribus et munimentis, auditis insuper et intellectis allegationibus partium, tandem, de mandato domini pape oraculo vive vocis facto, omnes processus habitos per eundem F. Thomam inquisitorem contra dictum militem et quosvis alios, ipsius occasione seu pretextu dicti negotii, postquam fuit predictis judicibus commissum, suspendit, inhibendo nichilominus eidem F. Thome inquisitori ne de curia Romana recederet absque domini pape licentia speciali. « Ut igitur nobis de meritis ipsius negotii, ad cujus decisionem intendimus, possit plene liquere, » mandatur suprascriptis ut prefatum militem peremptorie citare curent ad presentandum se coram Sede Apostolica infra unius mensis spatium post citationem.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. martii, anno quarto.

(POTTHAST, 24642.)

2509 (CVIIII) Vatican, 28 mars 1298.

« Quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria sue diocesis et civitatis. » (fol. 25).

Venerabili fratri G., archiepiscopo Rothomagensi. Exigentibus tue devotionis —.

Indulget ad quinquiennium ut ecclesias et cimeteria sue civitatis et diocesis violata reconciliari facere valeat per decanos

rurales aut alios sacerdotes idoneos, sine prejudicio constitutionis que id per episcopos fieri precipit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

2510 (CXVIIII) Vatican, 23 mars 1298.

« Quod dispenset super defectu natalium cum Johanne de Clamiciaco, clerico sue diocesis. » (fol. 25).

Venerabili fratri .. episcopo Autisiodorensi. Accedens ad presentiam nostram dilectus filius Johannes de Clamiciaco, clericus tue diocesis, nobis humiliter supplicavit ut, cum olim pater ejus, conversus ordinis Grandimontensis, habitu regulari dimisso tanquam secularis incedens, eum genuerit de soluta que illum fore conversum penitus ignorabat, secum super hujusmodi defectu natalium quod eo non obstante possit ad omnes ordines promoveri et ecclesiasticum beneficium obtinere, etiam si curam habeat animarum, dispensare misericorditer dignaremur—.

Ut cum eodem, consideratis diligenter circumstantiis universis que circa ydoneitatem persone fuerint attendende, dispensare valeat, ita tamen quod idem clericus, prout requiret onus beneficii quod eum post dispensationem hujusmodi obtinere contigerit, ad omnes ordines se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem. Alioquin hujusmodi gratia, quoad beneficium ipsum, nullius penitus sit momenti.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. aprilis, anno quarto.

2511 (CXX)

« Forma juramenti pro abbatissa monasterii Sancti Nicolai de Sexto, Mediolanensis diocesis. » (fol. 25 v°)

Forma Juramenti. Ego.. abbatissa monasterii Sancti Nicolai de Sexto, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Mediolanensis diocesis, ab hac ora in antea, et cetera ut in forma usque in finem.

2512 (CXXI) Vatican, 1er avril 1298.

« Preficitur in priorem heremi et ordinis Camaldunensium. » (fol. 25 v°).

Dilecto filio Anselmo, priori generali Camaldunensi. Debitum officii nostri requirit —.

Rogerio abbate monasterii Vallumbrose, tunc priore generali heremi Camaldulensis, Aretine diocesis, ac totius ordinis Camaldulensis, de predictis heremo ac ordine Camaldulensibus, quibus tunc preerat, ab Apostolica Sede ad ipsum monasterium translato, suprascriptus, tunc prior prioratus Sancti Felicis Florentini, ordinis sancti Benedicti, de consilio cardinalium preficitur eisdem heremo et ordini Camaldulensibus.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis conventui Camaldulensi, Aretine diocesis.*

In e. m. *dilectis filiis universis vassalis heremi Camaldulensis, Aretine diocesis.* — Dat. ut supra.

2513 (CXXII) Vatican, 28 mars 1298.

« Quod dispenset super matrimonio cum quibusdam civibus Januensibus. » (fol. 25 v°).

Venerabili fratri .. archiepiscopo Januensi. Exposuerunt nobis dilectus filius Gabriel Scalsaficus et dilecta in Christo filia Benedicta de Cicadis, cives Januenses, quod ipsi olim, consanguinitatis inter eos existentis prorsus ignari, ad sedandam discordiam que erat inter utriusque parentes, consanguineos et amicos, per verba de presenti matrimonium contraxerunt.

Ut inquirat super premissis diligenter veritatem et, si sibi constiterit, dispenset cum predictis ut non obstante consanguinitatis impedimento possint in eodem matrimonio licite remanere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

2514 (CXXIII) Vatican, 23 mars 1298.

« Dispensatio super matrimonio cum quibusdam civibus Abulensibus. » (fol. 26.)

Venerabili fratri.. episcopo Abulensi. Dilecti filii Ferrandi Blasii et dilecte in Christo filie Marie Velasci, civium Abulensium, petitio nobis exhibita continebat quod, olim inter progenitores et consanguineos eorumdem ac alios affines et amicos ipsorum, inimico homine superseminante zizaniam, gravibus odiis et discordiis suscitatis, tandem parentes dictorum Ferrandi et Marie, ut suis et suorum obviarent periculis, quod iidem Ferrandus et Maria inter se matrimonium contraherent procurarunt.

Licentia dispensandi cum ipsis ut in matrimonio licite possint remanere nonobstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. aprilis, anno quarto.

2515 (CXXIIII) Vatican, 28 mars 1298.

« Quod possit conferre Guillelmo de Flavacuria unicum personatum seu dignitatem. » (fol. 26).

Venerabili fratri G., archiepiscopo Rothomagensi. Devotionis tue probata sinceritas —.

Licentia conferendi vel reservandi, si non vacat, Guillelmo, nato quondam Petri de Flavacuria militis, canonico Rothomagensi nepoti suo, unicum personatum seu dignitatem in ecclesia Rothomagensi.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

2516 (CXXV) Vatican, 23 mars 1298.

« Quod instituat Johannem Hermanni, presbyterum sue diocesis, in parrochiali ecclesia Rurenensi in Stodolok, predicte diocesis, in rectorem. » (fol. 26 v°).

Venerabili fratri. . episcopo Pragensi. Constitutus in presentia —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. aprilis, anno quarto.

(POTTHAST, 24646.)

2517 (CXXVI) Vatican, 21 mars 1298.

Collatio archipresbyteratus Sancti Agapiti de Castro Nerule. (fol. 26 v°).

Dilecto filio Paulo, nato dilecti filii nobilis viri Angeli de Sancto Alberto civis romani, archipresbitero parochialis ecclesie Sancti Agapiti de Castro Nerule, Sabinensis diocesis. Ut tua et tuorum —.

Archipresbyteratus parochialis ecclesie Sancti Agapiti de Castro Nerule, Sabinensis diocesis, que collegiata non existit nec extitit et in qua Angelus, pater suprascripti, et Paulus de Sancto Alberto, frater ejus, cives romani, jus obtinent patronatus, vacans per mortem quondam Jacobi, archipresbyteri ejusdem ecclesie, qui nuper diem clausit extremum in dicto castro, confertur suprascripto ad supplicationem Angeli et Pauli predictorum et dispensatur cum eo super etate.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori Sancti Serii et Nicolao Laurentii, canonico ecclesie Sancte Potentiane de Urbe* —. Dat. ut supra.

2518 (CXXVII) Vatican, 7 mars 1298.

« Confirmatur sibi gratia facta per Celestinum. » (fol. 26 v°).

Dilecto filio Droconi de Tillardo, canonico Belvacensi. Exhibita nobis ex parte tua petitio continebat quod quondam frater Petrus de Murrone, tunc Celestinus papa quintus, antecessor noster, volens tibi, obtentu carissime in Christo filie nostre Marie regine Sicilie illustris cujus clericus existebas, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Belvacensis cum plenitudine juris canonici ac prebendam non sacerdotalem — tibi — contulit et providit nichilominus de eisdem.

Confirmatur suprascripto prebenda quam, auctoritate dictarum litterarum, per mortem quondam Symonis de Nigella vacantem, obtinuit in eadem ecclesia, quum, secundum constitutionem a papa emissam de suspensione gratiarum antecessoris sui, litteras predictas statuto tempore P., Sancte Marie Nove diacono cardinali, tunc Sancte Romane Ecclesie vicecancellario, cui commissa fuerat receptio litterarum talium, presentaverit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. martii, anno quarto.

2519 (XXVIII) Vatican, 15 février 1298.

« Mandatur inquiri in monasterio Sancti Medardi Suessionensi. » (fol. 27).

Dilectis filiis .. de Longo Ponte, Cisterciensis ordinis, Suessionensis diocesis, et . . Sancti Johannis Laudunensis, ordinis sancti Benedicti, monasteriorum abbatibus. In vinea Domini Sabahot, licet insufficientibus meritis, cultores positi et custodes non possumus non turbari cum eam intelligimus in aliqua parte ledi. Sane ad aures nostras pervenit quod monasterium Sancti Medardi Suessionense, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinet mediante, adeo in spiritualibus ac temporalibus per

negligentiam vel malitiam tam abbatis ipsius monasterii quam aliarum personarum degentium in eodem dicitur esse collapsum quod, nisi celeriter succurratur eidem, vix aliquis adiciet ut resurgat. Cum igitur instantia nostra cotidiana sit omnium ecclesiarum sollicitudo, ne torpere circa ipsarum custodiam videamur, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, ad dictum monasterium personaliter accedentes et habentes pre oculis solum Deum, inquiratis super premissis diligentius veritatem, rescripturi nobis fideliter quod inveneritis, ut per vos instructi super hoc salubre consilium apponamus. Contra, et cetera. Quod si ambo hiis exequendis non poteritis, alter vestrum ea nichilominus exequatur. — Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. martii, anno quarto.

2520 (CXXVIIII) Vatican, 17 avril 1298.

« Ut possit contrahere mutuum usque ad summam viginti millium florenorum auri. » (fol. 27).

Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Tholosano. Cum sicut in nostra —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. madii, anno quarto.

2521 (CXXX) Vatican, 18 avril 1298.

« Dispensatio matrimonii cum quibusdam Romanis. » (fol. 27).

Dilecto filio Urso, Johannis Montanarii, et dilecte in Christo filie Leonarde, Nicolai Jacobini de Jacobinis de Urbe nobilium virorum natis. Licet matrimonium —.

Suprascriptis conceditur, nobilis viri Ursi de filiis Ursi civis Romani obtentu, ut nonobstante quarto consanguinitatis gradu matrimonium contrahere valeant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIIII kal. maii, anno quarto.

2522 (CXXXI) Vatican, 8 avril 1298.

« Quod possit prior generalis Heremitarum ordinis sancti Augustini absolvi a diffinitoribus ipsius ordinis a prioratus officio et etiam amoveri. » (fol. 27).

Dilecto filio .. priori generali et fratribus Heremitarum ordinis sancti Augustini. Sacre religionis merita in qua mundanis derelictis illecebris querentes celestia Domino militatis exposcunt ut nos ordinem vestrum piis affectibus favorabiliter prosequamur. Hinc est quod nos, devotionis vestre supplicationibus inclinati, vobis et successoribus vestris ac eidem ordini auctoritate presentium indulgemus quod tu, generalis prior, ac successores tui, generales priores dicti ordinis, quorum confirmatio ad Sedem Apostolicam noscitur pertinere, qui pro tempore fuerint, a diffinitoribus et discretis ipsius ordinis, qui secundum ipsius instituta ordinis electi fuerint vel assumpti, absolvi possitis ab hujusmodi generalis prioratus officio et etiam amoveri; quodque in manus ipsorum diffinitorum et discretorum dictum officium resignare eisque tradere sigillum ipsius officii ad requisitionem et mandatum teneamini eorumdem. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. aprilis anno quarto.

2523 (CXXXII) Vatican, 13 avril 1298.

« Super clandestinis matrimoniis in sua provincia. » (fol. 27).

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Ebredunensi. Significasti nobis quod olim quidam Apostolice Sedis legati ad partes ultramontanas transmissi tam in tua quam in quibusdam aliis vicinis provinciis per sua, sicut prorsus dicitur, licet de hoc ut asseris certitudinem plenariam habere non possis, inhibuere statuta ne quis clandestina matrimonia contrahere quoquo modo presumat, alias sic contrahens excommunicationis incurrat sententiam eo ipso nec citra Sedem eandem absolutionis beneficium consequatur. Verum, quia illarum partium incole inhibitione hujusmodi nequaquam obstante matrimonia clandestina frequenter contrahunt, propter quod prefata sententia, si verum est quod lata fuerit ut premittitur, involvuntur, oriuntur scandala et pericula exinde proveniunt animarum, maxime quia indici nequeunt ad eundum Sedem ipsam (*sic*) pro absolutionis beneficio obtinendo; tu, de illorum salute sollicitus, nobis humiliter supplicasti ut tam circa revocationem inhibitionis ejusdem, cum satis super hoc alias per statuta canonica sit provisum, quam circa illorum absolutionem qui in excommunicationis hujusmodi laqueum

inciderunt providere paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur, tuam in hac parte diligentiam in Domino commendantes plenamque gerentes in hiis et aliis de tua circumspectione fiduciam, revocandi in tuis civitate et diocesi ac provincia inhibitionem hujusmodi seu statutum, quoad sententiam supradictam, si id cognoveris salubriter expedire, ac absolvendi illos qui talia clandestina matrimonia contrasserunt hactenus vel in antea contrahent priusquam eadem inhibitio revocetur ab excommunicatione hujusmodi juxta formam Ecclesie vice[1] nostra, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate [presentium] facultatem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. aprilis, anno quarto.

2524 (CXXXIII) Vatican, 31 mars 1298.

« Quod possit usque ad septennium insistere studio juris civilis. » (fol. 27 v°).

Dilecto filio Guillelmo, nato quondam Petri de Flavacuria militis, canonico Rothomagensi. Nuper venerabili fratri nostro G., archiepiscopo Rothomagensi, conferendi tibi, nepoti suo, auctoritate nostra, per se vel per alium aut alios, unicum personatum seu dignitatem, cum cura vel sine cura, nulli alii de jure debitum vel debitam, si quis vel si qua in Rothomagensi ecclesia tunc vacabat, si vero hujusmodi personatus vel dignitas tunc non vacaret in ecclesia supradicta, reservandi eadem auctoritate personatum vel dignitatem hujusmodi, qui vel que de jure nulli alii deberetur, proximo in ipsa ecclesia vacaturum vel etiam vacaturam, donationi sue, conferendum vel conferendam tibi, per nostras sub certa forma litteras ad supplicationem ipsius concessimus facultatem. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, juris civilis studio, ut equum ab iniquo discernere valeas, cupias immorari, nos, obtentu ejusdem archiepiepiscopi pro te nobis in hac parte supplicantis, volentes annuere votis tuis, ut, postquam de dignitate vel personatu hujusmodi tibi sicut premittitur provisum fuerit in Rothomagensi ecclesia supradicta, ex tunc usque ad septennium predicti juris studio insistere ac in eodem jure docere valeas, constitutione felicis recordationis Honorii pape tertii, predecessoris nostri, super hoc edita et qualibet alia contraria non obstante, tibi auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo — nostre concessionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. aprilis, anno quarto.

1. *Ms*: vicem.

2525 (CXXXIIII) Vatican, 21 mars 1298.

« Conceditur eis casale Sallonis. » (fol. 27 v°.)

Dilectis filiis .. priori et capitulo basilice Sancte Marie Majoris de Urbe. Ex parte vestra per dilectum filium nostrum Franciscum, Sancte Lucie in Silice diaconum cardinalem, cui cura basilice Sancte Marie de Urbe per nos in spiritualibus et temporalibus est commissa, fuit propositum coram nobis quod Jacobus de Columpna, quondam Romane Ecclesie cardinalis, casale Sallonis necnon et quasdam vineas, ortos et possessiones emit pro certis pecuniarum summis, illam (*sic*) eidem basilice dare disponens, ut ex illorum fructibus certi beneficiati, qui in capella Sancti Johannis, quam in dicta basilica construi fecerat, et etiam in altari, quod in eadem basilica extra dictam capellam de novo erectum fuerat, pro anima felicis recordationis Nicolai pape IIII, predecessoris nostri, cujus corpus in eadem basilica requiescit, et aliorum fidelium remedio peccatorum, missarum solemnia et alia divina officia celebrarent, vite subsidia perciperent et haberent. Verum, predicto Jacobo, utpote scismatico et suis culpis exigentibus, interim a gratia et communione Sedis Apostolice segregato, hujusmodi concessio bonorum ipsorum eidem basilice, sicut asseritis, non est facta. Nos igitur, ad predictam basilicam ob Dei reverentiam et gloriose Virginis matris ejus, que illius structuram in terris miris prodigiis indicavit, habentes specialis devotionis affectum, ut de ipsius Virginis plenitudine gratiarum per hoc alicujus pie retributionis et gratie calicem auriamus cassale cum aquis, balca (*sic*) et aliis juribus et pertinentiis suis, ac ortos, vineas et possessiones predicta vobis et per vos eidem basilice apostolica auctoritate concedimus, ut illa sicut ipsius ecclesie propria vos et successores vestri in perpetuum teneatis; nichilominus statuentes, quod ex nunc beneficiati, qui in eisdem capella et altari pro tempore fuerint, cardinali dicte basilice sint subjecti. Volumus et mandamus quod ipsi fructus, in substentationem dictorum beneficiorum integre convertendi, per unum vel duos ex predictis beneficiatis, quos ad hoc idem cardinalis vel ejus vicarius statuerit, sollicite ac fideliter pro tempore colligantur, qui unicuique dictorum beneficiatorum de ipsis fructibus pro rata equalem distribuat portionem, ac nichilominus beneficiati predicti, qui ad collectionem et distributionem dictorum fructuum et proventuum de mandato ipsius cardinalis vel ejus vicarii fuerint ordinati, de receptis et expensis eidem cardinali vel vicario rationem reddere teneantur. Et, ut studium vestrum et favor que circa protectionem et conservationem cassalis ac aliorum bo

norum predictorum predictis beneficiatis temporibus utilibus et necessariis vos prestare contigerit, vobis alicujus subventionis et gratie ferant opem, in Nativitatis Dominice viginti, et in Absumptionis beate Virginis fesivitatibus tantumdem, pro pittantiis vestris, et pro anniversario ejusdem predecessoris viginti solidos proveniensium de predictis fructibus proventibus precipimus vobis annis singulis exhiberi. Ceterum, cum nos pridem palatium Antonianum cum omnibus ortis, vineis, juribus, pertinentiis et adjacentiis basilice Lateranensi duxerimus concedendum, nolumus quod per predicta hujusmodi concessioni facte dicte basilice Lateranensi in aliquo derogetur, nec ad ea que basilice Lateranensi predicte concessimus presens concessio aliquatenus se extendat. Nulli ergo — nostre concessionis, constitutionis, voluntatis et precepti —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII. kal. aprilis, anno quarto.

2526 (CXXXV) Vatican, 27 mars 1298.

« Mittitur ad regnum Datie super reformatione pacis inter Johannem archiepiscopum Lundensem et.. regem Datie. » (fol. 28).

Dilecto filio Ysarno archipresbytero Carcasonensi. Dudum inter plures archiepiscopos Lundenses, predecessores venerabilis fratris nostri Johannis archiepiscopi Lundensis Suetie primatis, et ipsum archiepiscopum, ex parte una, et nonnullos reges Datie, progenitores Erici regis Datie illustris, ac eundem regem, ex altera, successive grandis fuit materia questionis exorta, que diutius retroactis temporibus noscitur perdurasse ; cumque diceretur modernis diebus prefatum regem predictum Johannem archiepiscopum, per nobilem virum Cristoforum fratrem ipsius regis, ac quondam Jacobum prepositum ecclesie Lundensis, per quosdam suos satellites, violenter, Dei timore postposito, capi fecisse et diro carceri mancipari, seu captionem et incarcerationem hujusmodi, ipsius regis nomine factas, ratas habuisse, ac eosdem archiepiscopum et prepositum et nonnullos alios adherentes eisdem eorum bonis contra justitiam per se vel per alios spoliasse, tandem dictus prepositus, carcerem predictum evadens et ad Apostolicam Sedem accedens, nobis captionem et detentionem prefati archiepiscopi et spoliationem hujusmodi nuntiavit. Nos autem mandavimus eundem archiepiscopum restitui libertati, et quod archiepiscopus ipse ad eandem Sedem personaliter se transferret, idemque rex ad Sedem ipsam procuratorem ydoneum destinaret, cum intenderemus audire quicquid questionis existeret inter partes. Prefatis itaque archiepiscopo et preposito ac magistro Martino, dicti regis cancellario et procuratore ad hoc specialiter ordinato, in nostra presentia comparentibus, nos, auditis que hinc inde fuerunt proposita coram nobis, dilectos filios nostros Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, ac Nicolaum, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyteros cardinales, in negotio hujusmodi deputavimus partibus auditores et, postquam coram ipsis cardinalibus plures articuli a predictis archiepiscopo, preposito et procuratore exhibiti et responsiones ad eos subsecute fuerunt, per nos ad nostrum examen eodem negotio revocato, idem procurator, procuratorio nomine ejusdem regis, prout ex forma mandati sibi ab ipso rege facti poterat, nec non et iidem archiepiscopus et prepositus super hiis nostre dispositioni seu ordinationi se voluntarie supmiserunt, ac idem magister Martinus procuratorio nomine expresse promisit se ratum habiturum et firmum quicquid per nos de dicto negotio contingeret ordinari. Nos igitur, auditis que tam archiepiscopus et prepositus quam magister Martinus predicti coram nobis proponere voluerunt, de fratrum nostrorum consilio, tam auctoritate ordinaria et arbitraria potestate nobis ex hujusmodi sumissione ipsarum partium attributa, quam etiam de apostolice plenitudine potestatis, quamdam ordinationem super hiis edidimus inter partes, per quam inter alia precepimus quod dictus rex suique successores eidem archiepiscopo et cuilibet successorum suorum, tamquam spirituali patri et venerabili Dei ministro, pro divina et pontificalis dignitatis reverentia et ecclesiastice libertatis honore, sicut decet catholicos principes, intendentes, eos devota honorificentia prosequantur eorumque ac ecclesie Lundensis jura nec non et eandem libertatem ecclesiasticam illibata conservent, ita quod iidem archiepiscopus ac ipsius successores, regio favore suffulti, plena securitate in eodem regno letari valeant et omnia que ad eos pertinent libere exercere ; ac quod archiepiscopus ipse ac ejus successores eisdem regi et successoribus suis, in Ecclesie devotione persistentibus, prout convenit officio pontificali, honorem impendant. Et quia nobis plene constitit de hujusmodi violentia, captione ac detentione archiepiscopi et prepositi predictorum, nec non de spoliatione bonorum ipsorum, prefatum cancellarium, procuratorio nomine dicti regis, et, per ipsum, eundem regem ad restitutionem eorundem bonorum, si extarent, alioquin in certis pecunie quantitatibus, eidem archiepiscopo pro extimatione bonorum ipsorum solvendis, nostra taxatione prehabita et juramento ab ipso archiepiscopo subsequenter prestito, inter cetera duximus condemnandos, hortantes tamen partes ipsas ut, si potuerint, super

hujusmodi condemnatione componant; et, si super premissis dictus rex in hiis que pacis et concordie fuerint se dicto archiepiscopo coaptaret, nos potestatem moderandi taxationem et condempnationem hujusmodi juramento non obstante predicto nostre providentie reservavimus, prout nobis expediens videretur, sicut in nostris litteris super hujusmodi ordinatione confectis plenius continetur, te super premissis executore per alias nostras sub certa forma litteras deputato. Statum igitur prosperum dicti regis nec non et unionem pacis inter partes predictas vigere ardenti desiderio affectantes, providimus te fore propter hoc ad prefatum regnum specialiter destinandum. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, personaliter ad dictum regnum accedens, si partes ipse ad invicem concordabunt, tu eas ad pacis et concordie unitatem reformandam atque servandam auctoritate nostra diligentius moneas, et inducas eas ad id, etiam cum juramento corporaliter ab ipsis prestando, si tibi expedire videbitur, per censuram ecclesiasticam, appellatione etc., ita quod id, quantum ad hunc articulum, [quod] pro pacifico et salubri statu dicti regni sic fieri mandamus personale existat et ad ipsarum partium non transeat successores, cum illud perniciosum esse posset exemplo si ad consequentiam traheretur. Quod si forsan inter easdem partes non contingat concordiam provenire, tu ex officio nostro super hiis de quibus inter partes ipsas et adherentes dicto archiepiscopo questio fuerit inquiras sollicite veritatem, testes —; que vero super premissis inveneris fideliter in scriptis redacta nobis referes, vel sub tuo inclusa sigillo ad presentiam nostram transmittes, prefixo partibus ipsis termino perentorio competenti, quo per se vel procuratores ydoneos cum omnibus juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus Apostolice Sedis se conspectui representent, facture et recepture super predictis quod justitia suadebit, ac omnibus que super hiis statuere, ordinare atque precipere voluerimus humiliter pariture. Nec propter hoc executionem ordinationis per prefatas alias nostras litteras tibi commissas (*sic*) volumus retardari sed efficaciter per te vel alium seu alios in illa procedi juxta litterarum continentiam earumdem. Diem vero prefixionis hujusmodi et quicquid, et cetera usque : intimare procures. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. aprilis, anno quarto.

2527 (CXXXVI) Vatican, 28 mars 1298.

« Mandatur inquiri contra Petrum Martini qui pro priore se gerit monasterii Sancte Crucis Colimbriensis. » (fol. 28 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Ulixbonensi et .. Visensi episcopis ac dilecto filio .. decano ecclesie Visensis. Regimini universalis ecclesie —.

Intimantibus Gonsaldo Juliani, Gonsaldo Martini, Pascasio Stephi (*sic*) et Petro Martini, canonicis monasterii Sancte Crucis Colimbriensis, ordinis sancti Augustini, accepit dominus papa quod idem monasterium propter incuriam et excessus Petri Martini, qui se pro priore gerit, in spiritualibus et temporalibus ad desolationem irreparabilem deducitur; quodque dictus Petrus, excommunicationis laqueo majoris involutus propter injectionem manuum in personas ecclesiasticas, bona ejusdem monasterii vitam ducens penitus dissolutam dilapidat enormiter et consumit, aliaque multa enormia committit que apostolice correctionis limam exposcunt. Mandat igitur suprascriptis ut personaliter accedentes contra eumdem Petrum, se pro priore gerentem, inquirant et quod invenerint intimare curent domino pape, ut ex relatione eorumdem plenius informari possit.

Ne autem predicti canonici ab hujusmodi prosecutione negotii desistere compellantur, volumus quod ipsos, in eodem monasterio vel extra dictum negotium prosequentes, plena faciatis securitate gaudere, non permittentes ipsis per eumdem Petrum, se pro priore gerentem, qui est forsitan contra eos occasione hujusmodi provocatus, vel quoscumque alios quicquam molestie irrogari, molestatores hujusmodi, si qui fuerint, per censuram, et cetera usque : compescendo, quod si non omnes, et cetera usque : exequantur. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, V kal. aprilis, anno quarto.

2528 (CXXXII) Vatican, 28 mars 1298.

« Super dispensatione matrimonii cum quibusdam civibus Januensibus. » (fol. 28 v°).

Venerabili fratri .. archiepiscopo Januensi. Exposuerunt nobis dilectus filius Gasparus de Cicadis et dilecta in Christo filia Johanna de Campis, cives Januenses, quod olim predicta Johanna, quintum vel circa etatis proprio annum agens, cum quondam Riccaldo de Auria, cive Januensi, tunc vivente, eidem Gasparo quarto consanguinitatis gradu conjuncto, contraxit sponsalia que Riccaldus et Joanna predicti rata post completum ab eadem Johanna septennium habuerunt. Demum vero, antequam dicta Johanna cum dicto Riccaldo matrimonium contraheret de presenti, idem Riccaldus diem clausit extremum. Cum itaque Gasparus et Johanna predicti, ex diversis que super hoc occurrunt commoditatibus, inter eos desiderent ad invicem matrimonialiter copulari, et

de contrahendo matrimonio inter eos sint hinc inde prestita juramenta, nobis humiliter supplicarunt ut, publice honestatis hujusmodi justitia non obstante, contrahendi matrimonium inter eos licentiam concedere dignaremur.

Ut hanc licentiam, inquisita super premissis diligentius veritate, si videtur expedire, illis concedat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v. kal. aprilis, anno quarto.

2529 (CXXXVIII) Vatican, 22 mars 1298.

« Mandatur provideri de abbatissa monasterio Jotrensi, Meldensis diocesis. » (fol. 29).

Dilectis filiis fratri Joanni de Samesio, ordinis Minorum, electo Redonensi, .. decano et .. cancellario ecclesie Parisiensis. Laudanda magne prudentie —.

Vacante dicto monasterio, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, Meldensis diocesis, per obitum quondam Falbe, ipsius monasterii abbatisse, moniales frustra insimul convenerunt super negotio electionis, et per lapsum statuti ad eligendum temporis ejusdem monasterii provisio ad Apostolicam Sedem fuit secundum statutum concilii hac vice devoluta. Mandat suprascriptis ut, ad monasterium ipsum accedentes, ei illam « quam majorem partem habere, nedum totius conventus monasterii supradicti sed etiam partium comparatione minorum, reperiri contigerit, » preficiant in abbatissam; si vero in duas partes equaliter dividi monialium vota contigerit ei illam de electis quam putabunt digniorem, « super quo intendimus vestram onerare conscientiam », preficere studeant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XI kal. aprilis, anno quarto.

(POTTHAST, 24645.)

2530 (CXXXVIIII) Vatican, 30 mars 1298.

« Super dispensatione beneficiorum. » (fol. 29).

Dilecto filio Hamoni de Gatele, presbitero Norvicensis diocesis. Exhibita nobis —.

Supradictus litteras a Nicolao papa quarto impetraverat ut episcopus Norvicensis, diocesanus ejus, super defectu natalium quem patitur de soluto genitus et soluta dispensari posset, et licet ante presentationem litterarum ipsarum idem papa viam fuerit universe carnis ingressus, tamen pretextu dictarum litterarum, fuit statutis a jure temporibus ad sacerdotium promotus, in illo ministravit et ecclesiam de Estrudenham Norvicensis diocesis adeptus fuit, quam de facto retinuit fructus percipiens et redditus ex eadem. Super eis cum eodem dispensatur ita ut in susceptis possit ordinibus libere ministrare et de dono gratie amplioris ut fructus minus juste perceptos non reddere teneatur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kal. aprilis, anno quarto.

2531 (CXL) Vatican, 28 mars 1298.

« Preficitur in episcopum Redonensem. » (fol. 29. v°).

Dilecto filio fratri Johanni de Samesio, electo Redonensi. Inter cuncta que —.

Vacante Redonensi ecclesia per obitum G., Redonensis episcopi, due fuerunt electiones in ea, una de Guidone, cantore, et altera de Guillelmo, scolastico ipsius ecclesie, in discordia celebrate. Hujus electionis negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam devoluto, ambo apud Sedem eandem personaliter accedentes renunciaverunt libere. Suprascriptus, ordinis Fratrum Minorum professor, « cujus vitam in Christo laudabilem longa tui, penitentiarii quidem nostri, experientia nobis et nostris fratribus notam fecit », eidem ecclesie preficitur in episcopum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

(POTTHAST, 24650.)

In e. m. *dilectis filiis. . decano et capitulo ecclesie Redonensis.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Redonensis.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Redonensis.*

In e. m. *dilectis filiis universis vassallis ecclesie Redonensis.*

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Turonensi* — ut ei munus consecrationis impendat. — Dat. ut supra.

2532 (CCXLI) Vatican, 20 avril 1298.

« Littera de mutuo contrahendo. » (fol. 30).

Dilecto filio Rogerio, abbati monasterii Vallisumbrose,

ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Fesulane diocesis. Cum te apud —.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quinque millium florenorum auri.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. maii, anno quarto.

2533 (CXLII) Vatican, 17 avril 1298.

« Super mutuo. » (fol. 30).

Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Tholosano. Cum sicut in nostra —.

Ut possit contrahere mutuum usque ad summam viginti millium florenorum auri

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XV kal. maii, anno quarto.

2534 (CXLIII) Vatican, 29 avril 1298.

« Super ordinandis inquisitoribus heretice pravitatis in partibus Sclavonie. » (fol. 30).

Dilecto filio .. ministro provinciali ordinis Fratrum Minorum in administratione provincie Sclavonie. Licet ex omnibus —.

Ei mandat, eligat de consilio aliquorum fratrum ipsius ordinis duos fratres ipsius ordinis, sue administrationis, idoneos ad extirpandum letiferam pestem heretice pravitatis, eisque precipiat ut inquisitionis officium in partibus Servie, Rascie, Dalmatie, Croatie, Bosnie atque Istrie, provincie Sclavonie et in archiepiscopatibus Duracensi, Antibarensi, Ragusino, Spalatensi et Jadrensi contra hereticos, fautores et defensores eorum exequantur. Si vero suprascriptus vel ejus vicarius aliquem inquisitorum hujusmodi ex aliqua forte causa nonnunquam fore viderit amovendum, ipsum amoveat et substituat alium de consilio aliquorum discretorum fratrum dicti ordinis et, si aliquem vel aliquos inquisitorum decedere contigerit, simili utatur facultate.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III maii, anno quarto.

(POTTHAST, 24670.)

2535 (CXLIIII) Vatican, 22 avril 1298.

« Quod tanquam conservator ordinis Predicatorum faciat demoliri ecclesias et oratoria constructa in Romana provincia infra spatium C et XL cannarum ab ecclesiis seu oratoriis eorumdem. » (fol. 30.)

Venerabili fratri .. episcopo Senensi. Sua nobis dilecti —.

Ei mandat ut Clementis ordinationem, qua statuit ut Fratrum Minorum, Penitentie Jesu Christi, beate Marie de Monte Carmeli, Heremitarum sancti Augustini, sancte Clare aliorumque ordinum in paupertate fundatorum et cujuslibet alii ordinis extruenda cenobia, ecclesie vel oratoria 140 cannis distent ab edibus sacris ordinis Fratrum Predicatorum et ut infra hoc spatium constructa diruantur, per censuram ecclesiasticam exerceat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, X kal. maii, anno quarto.

(POTTHAST, 24665.)

2536 (CXLV) Vatican, 1er mai 1298.

« Confirmantur quedam statuta olim in Lundensi provinciali concilio edita. » (fol. 30 v°).

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Lundensi et suffraganeis suis. Hiis que pro ecclesiastica libertate ac utilitate et statu ecclesiarum ab ipsarum prelatis provide statuuntur libenter adicimus apostolici muniminis firmitatem, ut intemerata consistant que nostro fuerint presidio comunita. Cum igitur, sicut ex parte vestra fuit propositum coram nobis, quedam olim in Lundensi provinciali concilio pro libertate ecclesiastica et utilitatibus ac statu ecclesiarum vestrarum comuni deliberatione ac provida ejusdem concilii edita sint statuta salubria et honesta, prout in litteris inde confectis plenius continetur, nos vestris supplicationibus inclinati, ad instar felicis recordationis Alexandri pape quarti, predecessoris nostri, statuta ipsa sicut provide facta sunt habentes grata et rata, eadem auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio comunimus, tenorem litterarum ipsarum presentibus de verbo ad verbum inseri facientes qui talis est : « Cum ecclesia Datiana adeo gravi persecutioni sit exposita tyrannorum qui personis que se pro domo [Domini] murum obiciunt defensionis, etiam in presentia domini regis, in ipsorum personas non verentur minas injuriosas inferre, que satis probabiliter sunt timende, cum clerus secularis defensione videatur carere penitus potestatis, ac illorum

superbia a metu regio libera et secura in malum possit ascendere quantum velit, sanxit presentis concilii auctoritas ut quicumque episcoporum infra terminos regni Datie mala captione, de mandato domini regis sive ejus conniventia vel consensu, vel alicujus nobilis qui manet infra fines predicti regni, captus fuerit vel membrum amiserit aut atrocem injuriam in persona sua passus fuerit, ipso facto, dummodo probabiliter presumi possit hoc de voluntate domini regis processisse ac dubium non sit ipsum hoc faciliter coercere posse, in toto regno divina sint officia interdicta. Si vero aliquid predictorum alicui episcoporum illatum fuerit per aliquem potentem qui manet extra regnum Datie, et ex conjecturis conjici possit hoc aliquo modo ex regis vel principum sive nobilium regni Datie consilio provenisse, eo ipso ejusdem episcopi diocesis a celebratione misteriorum sileat divinorum ; et, si rex amonitus per duos episcopos vel quoscumque clericos sue diocesis distulerit vel non curaverit taliter leso infra mensem justitiam exhibere, regnum ipsum usque ad condignam satisfactionem habeatur a divinis suspensum. Prohibemus etiam sub pena excomunicationis ne aliquis presbyter vel capellanus alicujus nobilis durantibus predictorum interdictorum sententiis ipsis nobilibus presentibus aut alio aliquo in dictorum terris nobilium vel alias publice vel private, et cetera. » Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. maii, anno quarto.

2537 (CXLVI) Vatican, 28 avril 1298.

« Executoria super mutuo contrahendo pro Rogerio, abbate monasterii Sancti Remigii Remensis. » (fol. 31).

Dilectis filiis Guillelmo de Urbe, archidiacono Tyburtino, et Johanni dicto Ardis, cantori Furnensis, ac Paulo dicto Patio de Urbe, canonico Noviomensis ecclesiarum. Exponentibus pridem nobis dilectis filiis fratre Guillelmo, priore prioratus de Condis, monacho monasterii Sancti Remigii Remensis, ordinis sancti Benedicti, magistro Huberto de Advocatis de Placentia, canonico Cathalaunensi, et Guillermo de Clavaro, presbytero, perpetuo capellano in ecclesia Remensi, procuratoribus dilecti filii Rogerii abbatis ejusdem monasterii Sancti Remigii, quod idem abbas, habens ad hoc a dilectis filiis .. suppriore et conventu ejusdem monasterii liberam potestatem, dederat eis inter cetera potestatem plenariam et speciale mandatum contrahendi mutuum nomine ipsorum abbatis et conventus usque ad summam trium milium septingentarum et quinquaginta librarum turonensium parvorum a personis quibuscumque, ac eum et dictum conventum pro ipsius restitutione pecunie obligandi, prout in eorumdem abbatis et conventus patentibus litteris inde confectis ipsorum munitis sigillis plenius continebatur.

Conceditur eisdem procuratoribus licentiam contrahendi mutuum usque ad summam predictam in solita forma a dilecto filio Johanne quondam Anibaldi de Urbe, canonico Remensi, capellano pape, mutuante pro se ac heredibus et successoribus suis de predicta summa trium milium septingentarum et quinquaginta librarum turonensium parvorum pro negotiis eisdem duo milia ducentos et quinquaginta florenos auri, certis loco et termino eidem persolvendos.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. maii, anno quarto.

2538 (CXLVII) Vatican, 29 mars 1298.

« Preficitur in episcopum Ferentinatem. » (fol. 31).

Dilecto filio Landulfo dicto Rubeo, electo Ferentinati, capellano nostro. Rationis oculis —.

Vacanti nuper Ferentinati ecclesie per obitum bone memorie Jacobi, Ferentinatis episcopi, preficitur suprascriptus, ejusdem ecclesie canonicus.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Ferentinatis.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Ferentinatis.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Ferentinatis.* — Dat. ut supra.

2539 (CXLVIII) Vatican, 29 mars 1298.

« Mandatur eidem electo munus consecrationis impendi. » (fol. 31 v°).

Venerabili fratri P., episcopo Ferentinati (sic). Pridem Ferentinate ecclesia pastoris solatio destituta, nos, volentes obviare dispendiis que solent viduatis ecclesiis ex vacatione diutina imminere, dilectum filium Landulfum ecclesie predicte canonicum de fratrum nostrorum consilio eidem ecclesie prefecimus in episcopum et pastorem

curam et administrationem ipsius sibi in spiritualibus et temporalibus committendo. Cum autem electus ipse, ut asserit, sit tantum clericali caractere insignitus, volumus et fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus prefatum electum ad minores et sacros ordines statutis temporibus studeas promovere; eique postmodum, ascitis duobus vel tribus vicinis episcopis gratiam et communionem Apostolice Sedis habentibus de quibus videris expedire, munus consecrationis impendas, recepturus ab eo nostro et Ecclesie Romane nomine, secundum formam quam tibi sub bulla nostra dirigimus interclusam, fidelitatis debite juramentum ; et nichilominus formam quam ipse prestabit de verbo ad verbum, per ejus patentes litteras suo sigillo signatas, per proprium nuncium nobis quantocius destinare procures, significaturus nobis plenarie per tuas litteras harum seriem continentes quod in hac parte duxeris faciendum. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. aprilis, anno quarto.

2540 (CXLVIIII)

« Forma juramenti pro eodem. » (fol. 31 v°.)

Forma juramenti. Ego Landolfus —.

2541 (CL) Vatican, 22 avril 1298.

« Preficitur in episcopum Nolanum. » (fol. 31 v°)

Venerabili fratri Landoni, episcopo Nolano. Romani pontificis —. Dudum siquidem ecclesia Nolana solatio destituta pastoris, administratio ipsius ecclesie venerabili fratri nostro F., Mediolanensi, tunc Messanensi archiepiscopo, sub certa forma per Apostolicam Sedem fuit commissa. Nos vero, postmodum ad apostolatus officium Domino faciente vocati, eumdem F. de ipsa Messanensi ecclesia de fratrum nostrorum consilio ad Mediolanensem ecclesiam transferentes, prefata commissione facta sibi de predicta Nolana ecclesia revocata et provisione ipsius ecclesie Nolane dispositioni nostre ac dicte Sedis auctoritate apostolica reservata, curam et administrationem ejusdem ecclesie Nolane venerabili fratri nostro P., Capuano, tunc Montisregalis archiepiscopo, qui propter invalescentem perfidiam Siculorum et aliorum rebellium et inimicorum Ecclesie Romane bonorum ecclesie Montisregalis comoditate frustratus patiebatur inopiam, ne cogeretur in pontificalis officii dedecus mendicare, duximus de fratrum predictorum consilio committendas.

Dicti Petri ad Capuanam ecclesiam translati commissione revocata et provisione Nolane ecclesie dispositioni Apostolice Sedis reservata, suprascriptus absolvitur a vinculo quo, tunc episcopus Suanensis, eidem ecclesie tenebatur et ad ecclesiam Nolanam transfertur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis... decano et capitulo ecclesie Nolane.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Nolane.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Nolane.*

In e. m. *dilectis filiis vasallis ecclesie Nolane.*

In e. m. *carissimo in Christo filio C. regi Sicilie illustri.* — Dat. ut supra.

2542 (CLI) Vatican, 2 mai 1298.

« Confirmatur eis quedam venditio facta per Perusinos de quibusdam possessionibus de Montemarta. » (fol. 32).

Dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni civitati Tudertine. Dum ad civitatem Tudertinam —.

Ad commoda civitatis Tudertine, « apud quam olim, cum minor status nos habebat, plura tempora etatis nostre peregimus, » intendere volens, venditionem loci et territorii de Montemarta, Tudertine diocesis, cum omnibus vineis, silvis, juribus, jurisdictione, etc. per Perusinos dicte civitati factam confirmat. Nobiles viri Leo, Petrus et Farulfus quondam Andree Farulfi, comites de Montemarta, locum ipsum de Montemarta, in quo tunc castrum, quod postmodum per commune et populum civitatis Perusine juxta conventionem per eos cum eisdem nobilibus super hoc habitam fuit dirutum, existebat totumque territorium ipsius certis finibus limitatum communi et populo Perusinis pro certa quantitate pecunie vendiderant. Attribuit etiam eidem civitati jus patronatus ecclesiarum infra fines predictos consistentium, quamvis de ipso jure patronatus in predictis contractibus specialiter mentio nullatenus habeatur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI non. maii, anno quarto.

(POTTHAST, 24673.)

2543 (CLII) Vatican, 9 mars 1298.

Littera super mutuo contrahendo pro Rogerio, abbate monasterii Sancti Remigii Remensis. » (fol. 32).

Delicti filiis fratri Guillermo, priori prioratus de [*Condis,*]

monacho monasterii Sancti Remigii Remensis, ordinis sancti Benedicti, magistro Huberto de Advocatis de Placentia, canonico Cathalaunensi, et Guillermo de Claravo, presbitero, perpetuo capellano in ecclesia Remensi, procuratoribus dilecti filii Rogerii abbatis ejusdem monasterii Sancti Remigii. Nuper in nostra —.

Ut mutuum usque ad summam trium millium septingentarum et quadraginta librarum turonensium parvorum, juxta mandatum eis concessum a suprascripto abbate habente ad hoc a suppriore et conventu liberam potestatem, contrahere valeant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. martii, anno quarto.

2544 (CLIII) Vatican, 1er mai 1298.

« Quod de villa Sebenicensi faciaut civitatem et quod preficiant ei episcopum. » (fol. 32 vo).

Venerabili fratri .. archiepiscopo Jadrensi et dilecto filio .. electo Spalatensi. Sacrosancta Romana Ecclesia —.

Cum ab olim inter cives Tragurienses et homines ville Sebenicensis in Spalatensi provincia constitute dissensio adhuc durans ea occasione potissime fuerit exorta quod episcopus Traguriensis et cives predicti villam ipsam debere subesse asserebant et asserunt Traguriensi ecclesie ac de diocesi ejus esse, prefatis hominibus asserentibus ex adverso predictam villam non eidem subjectam esse ecclesie sed sibi potius proprium deberi episcopum, ad preces Marie consortis Caroli regis Sicilie, regine Hungarie, et Georgii, comitis civitatum Dalmatie, in qua Traguriensis civitas et villa predicta consistunt, mandat suprascriptis, « qui super hiis omnibus habere poterint notitiam pleniorem », ut dictam Sebenicensem villam civitatis insigniis decorent ibique majorem et solemniorem ecclesiam, cum ei fuerit de dote decenti cathedrali ecclesie per dictam reginam et dictum comitem provisum, in cathedralem ecclesiam erigant, que Spalatensi ecclesie loci metropolitice tanquam ejus suffraganea jure metropolitano sit subjecta.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum [1], kal. maii, anno quarto.

(POTTHAST, 24672.)

1. Sic legitur in registro et non « *apud Sanctam Mariam* » sicut legitur apud Potthast qui non minus perperam hunc locum indicat in litteris datis ab x kal. maii usque ad xv kal. junii. (24666-24677).

2545 (CLIII) Vatican, 22 avril 1298.

« Preficitur in episcopum ecclesie Callensi. » (fol. 32 vo).

Venerabili fratri Lituardo, episcopo Callensi. Dum attente considerationis —.

Ad Callensem ecclesiam per translationem Angeli, Callensis episcopi, ad ecclesiam Fesulanam vacantem suprascriptus tunc Nepesinus episcopus transfertur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo Callensi.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Callensis.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Callensis.* — Dat. ut supra.

2546 (CLV) Vatican, 28 mars 1298.

Preficitur in abbatem monasterii Vallisumbrose. (fol. 33).

Dilecto filio Rogerio, abbati monasterii Vallisumbrose, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Fesulane diocesis. Inter cetera —. Sane dilectus filius frater Alamannus, ordinis Minorum, inquisitor pravitatis heretice Apostolice Sedis auctoritate in partibus Tuscie deputatus, pridem ad ejus producto notitiam quod Valentinus, monachus tunc abbas monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis, Romane Ecclesie immediate subjecti, a tramite veritatis exorbitans et salutares fidei catholice limites dampnabiliter deserens, pravitatis hujusmodi sequebatur errorem in proprie salutis dispendium et grave sui ordinis detrimentum, super hoc, prout ad ejus spectabat officium, diligenter et sollicite inquisivit, et tandem, quia de hiis per inquisitionem hujusmodi sibi, ut asseritur, constitit, eumdem Valentinum sententialiter pronuntiavit fuisse seu fore hereticum et in labem hujusmodi criminis incidisse, et ab abbatia Vallisumbrose amovit eumdem, nichilominus ipsum regimine tam abbatie predicte quam ordinis Vallisumbrose privando. Cumque hoc postmodum ad apostolatus nostri notitiam pervenisset, nos prefatum Valentinum, tunc apud Sedem Apostolicam constitutum, capi et carceri mancipari mandavimus, qui adhuc in illo detinetur inclusus, ac amotionem et privationem hujusmodi, per dictum inquisitorem contra Valentinum factas, ratas habuimus et habemus, quem alias nequaquam reputamus ydoneum ad regimen predictorum abbatie ac ordinis exercendum. Per hoc tamen amotionis et privationis ipsarum causam ratione criminis hereseos subortam, cum de ipsius cause veri-

tate [non] nobis constet ad plenum, non approbamus nec etiam reprobamus, quin potius de apostolice benignitatis clementia eidem reservamus amoto excusationes et defensiones legitimas, si quas contra causam habere dinoscitur prelibatam, ne propter ipsam vel ejus occasione, si forsan in hac parte sit innocens, penis hujusmodi sceleris habeatur adstrictus, licet amotionem et privationem easdem obtinere velimus roboris firmitatem, dictumque Valentinum auctoritate apostolica pro amoto et privato reputari legitime et haberi, ac provisionem dictorum monasterii et ordinis ea [1] vice Apostolice Sedi duxerimus reservandam, decernentes — attemptari. Sic igitur monasterio et ordine — destitutis, nos — pensantes etiam quod tu, de fideli devoto et nobili genere procreatus, in observantia regulari ejusdem ordinis hactenus laudabiliter te gessisti et jugiter gerere comprobaris — te, qui monasterio de Passignano ejusdem ordinis et diocesis prefuisti et quem nos ad prioratum Camaldulensis monasterii vocavimus seu duximus assumendum, prefato monasterio Vallisumbrose de fratrum nostrorum consilio in abbatem preficimus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano et conventui monasterii Vallisumbrose.*

In e. m. *dilectis filiis universis, abbatibus, prioribus et conventibus monasterii Vallisumbrose.*

In e. m. *dilectis filiis universis vasallis ecclesie predicte Vallisumbrose.* — Dat. ut supra.

2547 (CLVI) Vatican, 22 avril 1298.

« Confirmatur provisio facta de Hugolino in abbatem monasterii Sancti Bartholomei de Petrorio, Eugubine diocesis. » (fol. 33 vo.)

Dilecto filio Hugolino Munaldelli de Eugubio, abbati monasterii Sancti Bartholomei de Petrorio seu Sancti Donati de Pulpiano, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis. Vacante dudum monasterio Sancti Bartholomei de Petrorio seu Sancti Donati de Pulpiano — per mortem quondam Aldebrandi, abbatis ipsius monasterii, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, nos — provisionem ejusdem monasterii ea vice dispositioni nostre a c dicte Sedis duximus reservandam —. Demum · – dilectis filiis nostris Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero, et Matheo, Sancte Marie in Porticu

1. *Ms* : ac.

diacono cardinalibus, duximus vive vocis oraculo committendum ut auctoritate nostra de te providere possent, prout expedire viderent, monasterio memorato. Qui quidem cardinales — te, tunc monachum monasterii Sancti Benedicti de Montepellio, ejusdem ordinis et ejusdem diocesis, — prefecerunt auctoritate prefata ipsi monasterio in abbatem ac de te duxerunt eidem monasterio providendum, non obstante defectu etatis, si quem patiebaris, super quo si indigeres tecum, qui jam eras, ut asserebatur, in vicesimo quarto vel circa etatis tue anno constitutus, auctoritate simili dispensarunt — prout in ipsorum cardinalium patentibus litteris inde confectis et sigillis eorum munitis plenius continetur.

Has prefectionem, provisionem et dispositionem dominus papa confirmat, tenorem litterarum predictorum cardinalium « Dat. Rome, III non. aprilis, anno Domini millesimo CCLXXXXVIII, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno quarto. » inserendo.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui monasterii Sancti Bartholomei de Petrorio seu Sancti Donati de Pulpiano.*

In e. m. *dilectis filiis universis vasallis monasterii Sancti Bartholomei predicti.* — Dat. ut supra.

2548 (CLVII) Vatican, 2 mai 1298.

« Quod possit compellere abbates, priores ceterosque prelatos dicti ordinis ad contribuendum. » (fol. 34).

Dilecto filio Rogerio abbati monasterii Vallisumbrose, Fesulane diocesis. Cum te nuper, apud Sedem Apostolicam constitutum, nomine tuo et successorum tuorum ac totius ordinis tui Vallisumbrose de mandato nostro subire oportuerit onera expensarum, et propterea mutuum quinque milium florenorum auri de mandato simili apud eandem Sedem contraxisse noscaris, nos, quia onus divisum in partes facilius supportatur, compellendi per te, vel alium seu alios, universos abbates, priores ceterosque prelatos, conventus et personas omnium et singulorum monasteriorum dicti ordinis ad contribuendum tibi hac vice, prout expedire videris, in pecunia supradicta et contradictores, et cetera usque : compescendi, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI non. maii, anno quarto.

2549 [1] Vatican, 30 juin 1298.

Idem pro abbate Camaldunensi.

In e. m. scribitur *dilecto filio Anselmo, priori heremi et totius ordinis Camaldunensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Aretine diocesis.* Cum te —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. julii, anno quarto.

2550 (CLVIII) Vatican, 3 mai 1298.

« Executoria pro mutuo contrahendo pro .. magistro et fratribus Domus Militie Templi. » (fol. 34).

Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Miniatis ad Montem prope Florentiam, .. archidiacono Florentine et magistro Leonardo de Anticulo, canonico Autisiodorensis ecclesiarum. Dudum ad plectendam —.

Memorat qualiter, pro subsidio expensarum exercitus adversus Columpnenses procedentis, ad bona ecclesiastica et maxime ordinis Militie Templi Jerosolimitani ex quadam necessitate recurrens, eidem ordini duodecim millia florenorum auri duxerit imponenda et qualiter, ad accelerationem dicti negotii, cum magistro ordinis predicti littere presentari non possint, F. Petro de Bononia, procuratori generali memorati ordinis in curia Romana, dederit mandatum usque ad dictam summam mutuum contrahendi, licet dictus procurator ad hoc ab ordine non haberet auctoritatem. Dantur executores pro hoc mutuo contrahendo a « Lando Sigoli et Calojanne Cipriani sociis, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Mozorum, mutuantibus pro se ipsis et pro Richardo Vanne et Andrea de Mozis, Jano Bentevegne, Borchino Locterii, Bartholo Usimbardi, Bartholo Gherardi, Gambino Falconerii, Philippo Borchi, Davanzato Franasa et pro ceteris sociis dicte societatis. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. maii, anno quarto.

2551 (CLVIIII) Vatican, 22 avril 1298.

« Quod possit petere procurationes concessas Berardo predecessori suo. » (fol. 34 v°).

Venerabili fratri .. archiepiscopo Lugdunensi. Gerentes ab olim dum cura nobis officii minoris incumberet erga Lugdunensem ecclesiam affectum benivolentie specialis, opem libenter impertimur et operam ut, subductis obstaculis et impedimentis quibuslibet eminus profugatis, tranquillis fulciatur eventibus et successibus prosperis gratuletur. Habet siquidem exposite nobis tue petitionis assertio quod bone memorie Berardo, Albanensi episcopo, dum ipsius Lugdunensis ecclesie regimini presideret, sibi extitit (*sic*) ab Apostolica Sede concessum ut procurationes ei ratione visitationis in Lugdunensi provincia debitas posset per certi temporis spatium in pecunia recipere numerata, et etiam fructus, proventus et redditus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum, que per hujusmodi temporis spatium vacare contingeret in provincia supradicta, cum integritate percipere, in exonerationem debitorum archiepiscopalis sedis Lugdunensis totaliter convertendos; verum cum nonnulli tam ex causis hujusmodi quam aliis etiam ratione Sedis Lugdunensis predicte memorato B., dum adhuc regimini preesset eidem, in certis pecuniarum existerent quantitatibus obligati, nec postmodum sibi vel alii aut aliis pro eodem de jamdictis pecuniis satisfactionem duxerint impendendam, providere super hoc tibi et eidem ecclesie de benignitate solita dignaremur.

Conceditur suprascripto facultas petendi, exigendi et percipiendi omnia que de fructibus, proventibus et redditibus memoratis vel ex aliis causis ratione Sedis Lugdunensis eidem Berardo predecessori suo, dum preerat Lugdunensi ecclesie, a personis quibuslibet debebantur ac in exonerationem debitorum ipsorum totaliter convertendi.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

2552 (CLX) Vatican, 9 avril 1298.

« Remittuntur eis quedam condempnationes. » (fol. 34 v°).

Dilectis filiis comuni civitatis Firmane . Apostolice Sedis mansueta benignitas —. Nos quidem — attendentes — maxime grata et accepta servitia que contra Columpnenses scismaticos et rebelles nobis et ipsi Ecclesie prebuistis, et persecutione continuata exhibetis, et ad beneplacitum nostrum exhibere disponitis in futurum, dignum duximus ut — mansuetudinem et misericordiam impendamus. Exhibita nuper nobis vestra quidem petitio continebat quod pridem ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod dudum venerabilis frater noster Raymundus, episcopus Valentinus, tunc Marchie Anconitane rector, contra vos et sequaces vestros, occasione quorumdam excessuum commissorum per vos et illos, nonnullas pro Romana Ecclesia pecuniarum condempnationes emiserat, et in vos et civitatem vestram interdicti ac in majores officiales et consiliarios vestros, qui tunc

1. Hec littera inserta est in margine capituli precedentis nec annotata fuit in indice.

erant, excommunicationis sententias promulgarat, nonnulli quoque alii ejusdem rectores Marchie ipsius episcopi in rectorie officio successores et officiales eorum diversas super diversis excessibus per vos commissis pecuniarum penas et sententias pro eadem Ecclesia proferendas duxerant seu etiam infligendas; quodque vos super omnibus hujusmodi pecuniarum condempnationibus, sententiis atque penis cum dilecto filio magistro Rogero Caccia, preposito ecclesie Sancti Antonini Placentine, capellano nostro et in eadem Marchia ad condempnatorum et condempnationum compositionem pro prefata Ecclesia faciendam a nobis specialiter deputato, deveneratis finaliter ad certum tractatum compositionis scilicet octo milium et ducentorum florenorum auri nostre camere solvendorum, sed supervenientibus aliquibus impedimentis tractatus hujusmodi nec firmatus extiterat nec perfectus. Nos vero ad vestre supplicationis instantiam volentes vobiscum misericorditer agere in premissis interdictum hujusmodi relaxari et excommunicatos eosdem juxta Ecclesie formam absolvi mandavimus, prefatas vero pecuniarias condempnationes, sententias atque penas et predicta octo milia et ducentos florenos auri, licet tractatus predictus non fuisset finitus, quatenus nostram cameram contingebant, per nostras sub certa forma litteras vobis remisimus et donavimus de gratia speciali, ac vos ab eis duximus absolvendos. Verum, cum sicut asseritis, hujusmodi compositionis tractatus octo milium et ducentorum florenorum auri fuerit per vos habitus cum capellano predicto, nedum pro vobis, sed etiam pro specialibus [1] personis vestre civitatis et comitatus sive districtus civitatis ejusdem, ac pro comuni castri Montiscausarii, Firmane diocesis, et pro nonnullis singularibus personis ejusdem castri, super omnibus penis, sententiis et condempnationibus pecuniariis inflictis, habitis vel prolatis tam contra vos quam contra ipsos per rectores prefatos occasione predictorum excessuum, in quibus quidem excessibus predicte speciales et singulares persone vestre civitatis et comitatus sive districtus ipsius et castri Montiscaurii (*sic*) et predictum comune ipsius castri extiterunt vestri sequaces atque fautores, nec fuerit eis provisum ut vobis super hoc per nostras litteras supradictas, vobis humiliter providere nunc supplicastis ut ipsis specialibus et singularibus personis et comuni castri Montiscausarii in hac parte speciali gratia dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. aprilis, anno quarto.

1. *Ms* : Spiritualibus

2553 (CLXI) Vatican, 20 avril 1298.

« Preficitur in episcopum Wibergensem. » (fol. 35).

Venerabili fratri Petro, episcopo Wibergensi. Ex suscepte servitutis —.

Eum, prepositum ecclesie in Humbersysel, Wibergensis diocesis, preficit in episcopum Wibergensem.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. maii, anno quarto.

(POTTHAST, 24664.)

In e. m. *dilectis filiis .. preposito et capitulo ecclesie Wibergensis.*

In e. m. *carissimo in Christo filio .. regi Dacie illustri.* — Dat. ut supra.

2554 (CLXII) Vatican, 22 avril 1298.

« Transfertur ad ecclesiam Fesulanam. » (fol. 35 v°).

Venerabili fratri Angelo, episcopo Fesulano. Pastoralis officii cura —.

Eum, post resignationem liberam Philippi de Perusio, ordinis Minorum, tunc Fesulani episcopi, in manibus G., Sabinensis episcopi, et M., Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalium, factam, de Callensi ecclesia ad Fesulanam ea vice apostolice dispositioni reservatam transfert.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

(POTTHAST, 24666.)

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Fesulane.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Fesulane.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Fesulane.*

In e. m. *dilectis filiis universis ecclesie Fesulane vassallis.*

2555 (CLXIII) Vatican, 13 avril 1298.

« Super relaxatione interdicti in civitate et districtu communis Firmane. » (fol. 36.)

Venerabili fratri .. episcopo Firmano. Apostolice Sedis mansueta —.

Mandat suprascripto, qui absens a civitate firmana et gravi egritudine impeditus non potuerat adhuc apostolicas litteras super hoc impetratas debite executioni mandare, ut interdictum relaxet civitatis Firmane et excommunicatos ejusdem civitatis, de quibus amplius in capitulo CLX fit mentio, absolvat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. aprilis, anno quarto.

2556 (CLXIIII) Vatican, 12 avril 1298.

« Quod exhibeat justitie complementum Putio Gualterutii, de castro Sancti Martini, Firmane diocesis, in causa que vertitur inter ipsum et consortes suos et cives ejusdem castri. » (fol. 36.)

Dilecto filio nobili viro Davino de Ferentino, in Anconitana Marchia vicario generali. Sua nobis dilectus filius nobilis vir Putius quondam Gualterutii Gentilis, de castro Sancti Martini, Firmane diocesis, pro se ac aliis consortibus suis dudum dominis dicti castri, conquestione monstravit quod comune ac homines ejusdem castri, contra ipsos Putium et consortes maligno spiritu concitati, eis de dicto castro violenter ejectis, domos, vineas, arbores et alia eorum bona que habebant in dicto castro et ejus territorio nequiter destruxerunt, ac alias multipliciter dampna gravia et injurias intulerunt eisdem ac inferre cotidie non verentur, statuendo nichilominus in grave prejudicium eorumdem ut nullus de ipso castro de terris, possessionibus et aliis bonis ipsorum Putii et consortium audeat laborare, ac imponendo eis tallias et collectas ac alia onera plurima contra pacta et conventiones inter eosdem Putium et consortes vel progenitores eorum, ex parte una, et predictos comune ac homines, ex altera, olim inita et firmata; sicque iidem Putius et consortes adeo per eosdem comune ac homines indebitis gravaminibus, dampnis et molestiis sunt afflicti quod vix adicere poterunt ut resurgant, nisi eis per Apostolice Sedis providentiam salubri remedio consulatur. Quare dictus Putius pro se ac consortibus memoratis nobis humiliter supplicavit ut, sibi et dictis consortibus super hiis de oportuno remedio providentes, prefatos comune ac homines quod ab hujusmodi predictorum Putii et consortium dampnis et injuriis omnino desisterent, et eis de illatis plenam et debitam satisfactionem impenderent, et predictum statutum sublata difficultate qualibet revocarent, ac pacta et conventiones servarent ad que tenerentur eisdem, compelli sumarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, de benignitate apostolica mandaremus. Nos igitur, predictorum Putii et consortium supplicationibus inclinati, nobilitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus eisdem Putio et consortibus super premissis, qualenus ea contra ipsos de facto ac sine mandato et auctoritate Sedis Apostolice vel rectoris Marchie attemptata noscuntur et hujusmodi petita per eos in Ecclesie Romane prejudicium non redundant, exhibeas sumarie ac de plano, sine strepitu ac figura judicii, ex potestate tibi tradita, justitie complementum. Si autem aliquid rationabile subesset negotium quod te a premissorum vel aliquorum ex eis executione retraheret, id nobis per tuas litteras harum seriem continentes studeas seriosius et fideliter intimare. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II id. aprilis, anno quarto.

2557 (CLXV) Vatican, 11 mars 1298.

« Super provisione de abbatissa in monasterio Sancti Nicolai de Sexto Johanne, Mediolanensis diocesis. » (fol. 36 v°.)

Dilecto filio .. priori ordinis Fratrum Predicatorum Mediolanensi. Dilecte in Christo filie .. priorissa et conventus monasterii Sancti Nicolai de Sexto Johanne, ad Romanam Ecclesiam nullo medio [pertinentis], ordinis sancti Benedicti, Mediolanensis diocesis, sua nobis petitione monstrarunt quod, nuper eo monasterio per mortem quondam Darie abbatisse ipsius vacante, eedem .. priorissa et conventus duas ex monialibus ipsius monasterii ad ipsius regimen in discordia elegerunt, sed electe hujusmodi, saniori ducte concilio, ne monasterium ipsum contingeret diuturne vacationis incurrere detrimentum, omni juri quod eis ex electionibus hujusmodi competebat renuntiaverunt spontanea voluntate, priorissa vero et conventus predicte postmodum, ad utilitatem et comoda ipsius monasterii intentionem propriam salubriter dirigentes, dilectam in Christo filiam Jacobam de Azago, monialem monasterii Sancte Grate Pergamensis, ordinis supradicti, providam, ut asserunt, et honestam in earum abbatissam per viam scrutinii canonice ac concorditer elegerunt, que prius obtenta ab abbatissa sua licentia electioni sue hujusmodi de se facte consensit. Quare eedem priorissa et conventus nobis humiliter supplicarunt ut, cum rectis dispositionibus nichil debeat difficultatis afferri, confirmari electionem predictam ipsamque electam benedici in illis partibus mandaremus.

Suprascripto, si eum constiterit « quod predictum monasterium Sancti Nicolai ad Romanam Ecclesiam nullo pertineat mediante », committit ut dictam electionem examinet et electe, si confirmetur, per aliquem de vicinis episcopis benedictionis munus impendi faciat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. martii, anno quarto.

2558 (CLXVI) Vatican, 26 avril 1298.

« Scribitur judicibus quod faciant provideri fratri Philippo, dudum episcopo Fesulano, annis singulis quoad vixerit, de c florenis auri de bonis ad sedem Spoletanam spectantibus. » (fol. 36 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Assisinati et dilecto filio .. abbati monasterii Sancti [*Petri*] *Perusini, ordinis sancti Benedicti.* Frater Philippus, ordinis Fratrum Minorum, dudum episcopus Fesulanus, senectutis et infirmitatis incomoda patiens, cessit nuper Fesulano episcopatui, cujus regimini presidebat, et pontificalis officii oneri et honori resignans, ea libere ac absolute in manibus venerabilis fratris nostri G., Sabinensis episcopi, et dilecti filii nostri .. Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalium, recipientium cessionem et resignationem hujusmodi de nostro beneplacito ac mandato facto eis per nos oraculo vive vocis, nosque, cessionem et resignationem hujusmodi ratas et gratas habentes, ipsum ab administratione et regimine Fesulane ecclesie ac vinculo quo tenebatur eidem auctoritate apostolica duximus absolvendum. Attendentes igitur quod dictus frater Phylippus senio premitur et gravatur infirmitate [1], frequenter ad ipsum oculos compassionis extendimus et libenter sibi manus porigimus adjutrices. Considerantes itaque quod episcopalis sedes Spoletana per Dei gratiam deliciis affluit ac temporalium habet habundantiam facultatum, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, eidem fratri Phylippo vel ejus procuratori, annis singulis quoad vixerit, pro necessitatibus et oportunitatibus suis, centum florenos auri de bonis ad sedem ipsam spectantibus a venerabili fratre nostro .. episcopo Spoletano et successoribus suis, infra octabas Ascensionis, in domo seu loco Fratrum Minorum de Perusio persolvi faciatis nomine pensionis, predictum episcopum et successores ac contradictores quoslibet et rebelles auctoritate nostra, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. maii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Spoletano.* — Dat. ut supra.

2559 (CLXVII) Vatican, 9 mai 1298.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Rogerio, abbate monasterii Vallisumbrose. » (fol. 37.)

Dilectis filiis .. plebano plebis de Campolis, Florentine diocesis, et magistro Petro de Eugubio camere nostre clerico, cantori Morinensis, ac magistro Leonardo de Anticulo, canonico Autisiodorensis ecclesiarum. Cum pridem —.

Executoria de mutuo quod contrahit Rogerius, abbas monasterii Vallisumbrose, a Bartholo Abandinghi, et Albizo Martini sociis, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate Rogerii et Lapi Spine de Spinis de Florentia mutuantibus pro se ac pro eisdem Rogerio et Lapo, Phylippo et Spina fratribus dicti Lapi, Piero et Vanne fratribus dicti Rogerii, Nero Cambii, Dutio Junte, Symone et Advocato Gerardi et Mainetto Jacobi, sociis et concivibus suis et pro ceteris sociis dicte societatis, usque ad summam quinque milium florenorum auri.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. maii, anno quarto.

2560 (CLXVIII) Vatican, 6 mai 1298.

« Executoria super mutuo pro Arnaldo, episcopo Tholosano. » (fol. 37.)

Dilectis filiis .. officialis Nemausensis et magistro Leonardo de Anticulo, Autisiodorensis, et Raynerio Ghiberti, Florentine canonicis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum viginti millium florenorum auri quos Arnaldus, episcopus Tholosanus, recepit a Symone Gerardi, cive et mercatore Florentino, de societate Rogerii et Lapi Spine de Spinis de Florentia, mutuante pro se et eisdem Rogerio et Lapo, Phylippo et Spina fratribus dicti Lapi, Piero et Vanne fratribus dicti Rogerii, Nero Cambii, Ductio Junte, Bentio Davanzati, Gerardo et Ranutio Hughi, Advocato Gerardi, Guarente Jacobi, Masseo Clarissimi, Bartholomeo Marchi, Albizo Martini, Bartholo Abadinghi et Manetto Jacobi, mercatoribus de societate predicta.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II non. mai, anno quarto.

2561 (CLXVIIII) Vatican, 28 mars 1298.

« Confiscantur bona quorumdam de Arrono, Spoletane diocesis, qui adheserunt Columpnensibus. » (fol. 37.)

Ad perpetuam rei memoriam. Olim ex justis —.

Memorat processus contra Columpnenses et eorum complices et prosequitur :

Cum igitur Herricus olim prior ac Oddo et Corradus, filii quondam Raynaldi de Arrono militis, et Berardus

1. *Ms* : infirmate.

Actaviani ejusdem loci de Arrono, nepos eorum, laïci Spoletane diocesis, prefatis scismaticis et rebellibus — adheserint — presertim morando cum eis vel eorum aliquibus in civitate Penestrina vel aliis terris que pro predictis scismaticis in nostra et ejusdem Ecclesie rebellione persisterunt sive persisterint, in qua vel in quibus adhuc etiam, ut dicitur, immorantur. Nos eosdem Henricum, Oddonem, Corradum ac Berardum — omnibus bonis suis — que tempore depositionis dictorum Jacobi et Petri in civitate vel diocesi seu districtu Spoletanis et alibi ubicumque locorum ipsi et eorum quilibet obtinebant — auctoritate apostolica ex officio et de apostolice plenitudine potestatis — in perpetuum privamus, illaque omnia et singula prefate Romane Ecclesie publicamus ac etiam confiscamus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. aprilis, anno quarto.

2562 (CLXX) Vatican, 13 avril 1298.

« Dispensatio super pluralitate beneficiornm. » (fol. 37 v°.)

Dilecto filio Reginaldo, nato nobilis viri Johannis de Grey, rectori ecclesie de Astebiri, Conventrensis diocesis. Gratum gerimus —.

Ut suprascriptus, in liberalibus artibus cathedram occupans magistralem, patiens in etate et ordinibus defectum, licet jam vicesimum sue etatis annum attigerit, ecclesiam de Astebiri, curam animarum habentem, licite retinere possit, et ut unum vel plura alia beneficia, quorum annui fructus usque ad valorem centum librarum sterlingorum secundum communem et antiquam taxationem regni Anglie ascendunt, si sibi canonice offeruntur, recipere ac una cum predicta ecclesia retinere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. aprilis, anno quarto.

2563 (CLXXI) Vatican, 1er avril 1298.

« Dispensatur cum Conrado de Rechperch, canonico Spirensi. » (fol. 37 v°.)

Dilecto filio Conrado de Rechperch, subdiacono, canonico Spirensi. In nostra proposuisti presentia constitutus quod, cum olim tu et plures alii una tecum ob vestrarum obstentationem [virium] vicissim quemdam lapidem jactaretis, premisso a te clamore tribus vicibus ut sibi caveret quilibet ne per jactum dicti lapidis lederetur, contigit, quanquam in hoc omnem diligentiam quam debuisti studueris adhibere, quod quidam puer decem annorum vel circiter per locum discurrens aliquantulum in capite, non tamen letaliter judicio medicorum, causa illius lapidis a te tunc projecti extitit vulneratus ; qui, licet jam quasi convaluisset ex hujusmodi vulnere, propter negligentiam tamen aut imperitiam medicorum vel infirmitatem quam ex alia superveniente causa que non scitur incurrit, postmodum expiravit. Quare, nobis humiliter supplicasti ut, ne quis occasione premissorum, ex eo presertim quod, ut premittitur, operam rei que clericis congruere minime videbatur dedisse videris, notam in te valeat irregularitatis seu detractionis impingere, cum etiam a parentibus dicti pueri culpabilis super hoc minime reputeris nec habeas de obitu ipsius pueri lesam conscientiam sed sinceram, providere super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur, tecum agere misericorditer intendentes, permittimus ut, premissis nequaquam obstantibus, libere valeas in subdiaconatus ordine ministrare, ac retinere canonicatum et prebendam quos in ecclesia Spirensi te proponis adeptum, et alia beneficia ecclesiastica, si alias tibi canonice conferantur, licite recipere ac libere retinere. Volumus autem quod beneficium cum cura nequaquam recipias nec ad superiores ascendas ordines donec super hiis uberiorem ab Apostolica Sede gratiam merueris obtinere. Nulli ergo — nostre permissionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. aprilis, anno quarto.

2564 (CLXXII) Vatican, 21 avril 1298.

Preficitur in abbatem. (fol. 38.)

Dilecto filio Bertrando, abbati monasterii Montismajoris, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis. Sedula nos cura.

Monasterio Montismajoris per obitum quondam Stephani abbatis regimine destituto pastoris, conventus, per viam compromissi procedere deliberans, Bertrando, Cariloci, Pensio, de Montiliis, et Chaberto, Sancti Johannis in Rojans prioratuum prioribus, prelibati monasterii monachis, eligendi seu postulandi ea vice aliquem dumtaxat de jamdicti monasterii gremio in ipsius abbatem potestatem concesserunt. Memorati vero compromissarii in suprascriptum Bertrandum, tunc priorem de Corredis, prefati monasterii monachum, vota sua unanimiter direxerunt et prefatus prior Cariloci illum in abbatem duxit eligendum canonice seu etiam postulandum. Dictam electionem a conventu approbatam et diligenter examinatam per Johannem, episcopum Tusculanum, et Nicolaum, Sancti Laurentii in Damaso presbyterum, et Petrum, Sancte Marie Nove diaconum cardinales, dominus papa, facta relatione summarie ab eisdem, quia quodammodo referebatur in dubium

an de jure teneret electio et canonice celebrata esset, eamdem confirmat, faciens eidem abbati subsequenter per G., Sabinensem episcopum, munus benedictionis impendi.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xi kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori claustrali et conventui monasterii Montismajoris, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis.* — Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xi kal. maii, anno quarto.

2565 (CLXXIII) Vatican, 20 avril 1298.

Preficitur in episcopum. (fol. 38 v°.)

Venerabili fratri Alexandro, Feltrensi et Bellunensi episcopo. Commissa nobis —.

Feltrensis et Bellunensis ecclesie, que sunt unite et Aquilegensi ecclesie metropolitano jure subjecte, per obitum bone memorie Jacobi episcopi vacantes, ea vice dispositioni Apostolice Sedis reservate fuerant. Sed capitula dictarum ecclesiarum, antequam ad ea eadem reservatio pervenisset, suprascriptum, tunc Fratrum Minorum ordinis professorem, in episcopum elegerunt. Quam vero electionem suprascriptus de superioris sui licentia acceptavit sed postea resignavit. Hac renunciatione recepta, preficitur idem prefatis ecclesiis in episcopum, consecrationis munere ei per G., episcopum Sabinensem, impenso.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xii kal. maii, anno quarto.

In e. m. *clero civitatum et diocesium Feltrensis et Bellunensis.*

In e. m. *populo civitatum et diocesium Feltrensis et Bellunensis.*

In e. m. *universis vasallis Feltrensis et Bellunensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2566 (CLXXIIII) Vatican, 20 avril 1298.

Preficitur in episcopum. (fol. 38 v°.)

Venerabili fratri Henrico, episcopo Revaliensi. In superne dignitatis—. Olim siquidem Revaliensi ecclesia per obitum bone memorie Johannis, Revaliensis episcopi, pastoris solatio destituta, dilecti filii capitulum ejusdem ecclesie quondam Johannem dictum Tristivere, ipsius ecclesie canonicum, in Revaliensem episcopum elegerunt. Cum autem dictus Johannes, attendens quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Lundensis, loci metropolitanus, per carissimum in Christo filium nostrum E., regem Datie illustrem, detinebatur captivus, sicque prefatus G. ad eundem archiepiscopum recursum comode habere non poterat pro confirmatione electionis hujusmodi ab archiepiscopo predicto petenda, propter hoc ad Sedem Apostolicam personaliter accessisset, demum, dum prosecutioni negotii electionis ejusdem insisteret, apud eandem Sedem diem clausit extremum. Nos igitur, quod circa provisionem ipsius ecclesie per eundem regem de Kanuto, ordinis Fratrum Predicatorum, factum fuerat, cassato — in te, ordinis Fratrum Minorum professorem, tunc penitentiarium nostrum, — direximus oculos, teque de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis preficimus ipsi ecclesie in episcopum et pastorem, et subsequenter tibi fecimus per venerabilem fratrem nostrum G., episcopum Sabinensem, munus consecrationis impendi. Firma spe — tabernacula intraturus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xii kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Revaliensis.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Revaliensis.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Revaliensis.*

In e. m. *regi Datie illustri.* — Dat. ut supra.

2567 (CLXXV) Vatican, 23 mars 1297.

« Indulgentia pro ecclesia Sancti Vincentii Valentina. » (fol. 39).

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Sanctorum meritis —.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum conceditur omnibus vere penitentibus et confessis qui ecclesiam Sancti Vincentii Valentinam, « que in honorem ipsius gloriosi martiris dicitur esse constructa et in qua sui martirii consummavit agonem et plures ipsius reliquie requiescunt », in festo ipsius martiris devote visitaverunt.

Dat Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. aprilis, anno tertio [1].

2568 (CLXXVI) Vatican, 23 avril 1298.

« Confertur Alexandro Brettecommunis prebenda ecclesie Senensis. » (fol. 39.)

Dilecto filio Alexandro Brettecomunis, canonico Senensi. Generis et morum nobilitas —.

1. In margine iterum legitur: *anno tertio.*

Consideratione R., episcopi Senensis, cujus nepos existit, confertur et reservatur suprascripto canonicatus in ecclesia Senensi, nonobstante quod plebanatum plebis de Licignano, Senensis diocesis, curam animarum habentem, et in Sancti Petri ac Sancti Donati ecclesiis, ejusdem diocesis, canonicatus et prebendas noscitur obstinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIIII kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis.. Sancti Martini Senensis, et.. de Quinzano, Senensis diocesis, prioribus ac Bertuldo de Labro, canonico Vulterano, capellano nostro.* — Dat. ut supra.

2569 (CLXXVI) Vatican, 17 avril 1298.

« Dispensatur cum Petro nato nobilis viri Landonis de Colemedio, scolastico ecclesie Cameracensis. » (fol. 39 v°.)

Dilectis filiis magistro Guidoni Spade, archidiacono Anverpiensi, et Bonohomini de Sublaco, canonico Cameracensi. Exhibita nobis dilecti filii Petri nati nobilis viri Landonis de Collemedio militis Anagnini, scolastici ecclesie Cameracensis, petitio continebat quod ipse, obtinens scolastriam ipsius ecclesie, que dignitas seu personatus existit, et inibui desiderans scientia litterarum, audivit jura civilia licentia super hoc a Sede Apostolica non obtenta; propter quod excommunicationis sententiam noscitur incurrisse. Quare nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc et nichilominus quod adhuc jura ipsa possit audire licentiam sibi concedere dignaremur.

Mandatur ut eundem Petrum ab hac excommunicationis sententia juxta formam Ecclesie relaxent, dispensent cum eo super irregularitate, si quam contraxerit, imposita ei propter hoc penitentia salutari, ac demum ei licentiam concedant ut adhuc per quinquennium possit audire jura predicta.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XV kal. maii, anno quarto.

2570 (CLXXVIII) Vatican, 15 mai 1298.

« Quod reducant bona communia ejusdem ecclesie ad statum pristinum. » (fol. 39 v°.)

Dilectis filiis capitulo Ferentinati. Ferentinatem ecclesiam —. Sane mirantes audivimus quod vos, motibus adherentes illicitis et comodis propriis inhiantes, nec attendentes quam sit bonum et quam jocundum, quamque laudabile Deoque acceptum habitare fratres in unum, quot etiam exinde spiritualiter et temporaliter utilia provenire noscantur, pridem dum adhuc bone memorie Jacobus, ecclesie ipsius episcopus, viveret, bona capituli ipsius ecclesie que vobis communia existebant inter vos singulariter dividere presumpsistis.

Ut, bona eadem ad statum communitatis pristinum reducentes, communiter prout consueverunt hactenus vivere studeant nonobstantibus quibuscumque constitutionibus super hoc ab ipsis editis aut excommunicationis sententia per episcopum in presumentes contrarium promulgata.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id maii, anno quarto.

2571 (CLXXVIIII) Vatican, 13 mai 1298.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 40.)

Dilecto filio magistro Guillelmo Agarni, canonico Aquensi. Eximie devotionis sinceritas —.

Consideratione Caroli regis Sicilie, cujus in Romana curia procurator existit, et obtentu M., Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, oretenus, et etiam R., archiepiscopi, per suas litteras supplicantium pro eodem, suprascripto confertur seu reservatur dignitas in ecclesia Aquensi non obstante quod in Aptensi preposituram et in Forojuliensi sacristiam, quibus cura non imminet animarum, ac in eisdem et in Cavallicensi ecclesiis canonicatus et prebendas, et Sancte Marie de Valleaurea sine cura et de Roccabruna curam animarum habentem, Forojuliensis diocesis, ecclesias noscitur obtinere, ac in eadem Aquensi ecclesia sub exspectatione vacature prebende auctoritate apostolica in canonicum receptus est.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III id. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis.. abbati monasterii Montismajoris, Arelatensis, et.. sacriste ecclesie de Insula, Cavalicensis diocesium, ac Bertrando Rogerii, canonico Carpertoratensi.* — Dat. ut supra.

2572 (CLXXX) Vatican, 1er avril 1298.

« Dispensatur cum eo super etate. » (fol. 40 v°.)

Dilecto filio Guillelmo de Oratorio, rectori ecclesie de Esquiquevilla, Rothomagensis [*diocesis*]. In nostra presentia —.

Patiens in ordinibus et etate defectum, utpote in minoribus ordinibus constitutus nec attingens vicesimum tertium annum, suprascriptus ecclesiam de Esquiquevilla sine dispensatione recepit et postmodum per octo annos et amplius retinuit. Dispensatur cum eo.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. aprilis, anno quarto.

2573 (CLXXXI) Vatican, 20 avril 1298.

« Preficitur in episcopum Burglanensem. » (fol. 40 v°.)

Venerabili fratri Joseph, episcopo Burglanensi. In supreme dignitatis —.

Burglanensi ecclesia per obitum bone memorie Nicolai episcopi vacante et capitulo ejusdem ecclesie supra legitimum tempus ei per electionem de pastore providere negligente, suprascriptus, tunc Lundensis ecclesie canonicus, in episcopum eidem preficitur, consecrationis munere ei per G., episcopum Sabinensem, impenso.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. maii, anno quarto.

In e. m. *capitulo ecclesie Burglanensis.*

In e. m. *regi Datie.* — Dat. ut supra.

2574 (CLXXXII) Vatican, 20 avril 1298.

Dispensatur super diversis. (fol. 40 v°.)

Dilecto filio Sancio Martini, cantori ecclesie Pampilonensis. Exhibita nuper nobis tua petitio continebat quod tu olim, post generale concilium Lugdunense novissime celebratum, vallium de Ayvar et de Eguiart successive archidiaconus in ecclesia Pampilonensi existens, procurationes in pecunia numerata contra constitutionem super hoc in eodem concilio promulgatam a subditis tuis eorumdem archidiaconatuum recepisti; propter quod, quia duplum ejus quod dicto modo receperas juxta prefate constitutionis tenorem infra mensem restituere neglexisti, suspensionis incurristi sententiam in tales auctoritate constitutionis hujusmodi promulgatam, sicque suspensus non tamen in contemptum clavium divinis te officiis ingessisti. Postmodum vero, nulla obtentata dispensatione a Sede Apostolica super hiis, cantoriam ejusdem ecclesie Pampilonensis, alias tibi canonice collatam, quam obtines, minus licite recepisti et fructus percepisti et percipis ex eadem. Cum autem, ut asseris, per venerabilem fratrem nostrum Matheum, Portuensem ac Sancte Ruffine episcopum, penitentiarium nostrum, auctoritate nostra super hujusmodi suspensionis sententia tibi de absolutionis beneficio sit provisum, et tecum super irregularitate quam pro eo quod taliter suspensus divinis te ingessisti officiis incurrisse dinoscitur dispensatum, nobis humiliter supplicasti ut super receptione ac retentione tam dicte cantorie quam pecunie ac fructuum predictorum providere tibi per dispensationis beneficium misericorditer dignaremur.

Dispensatur super premissis.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. maii, anno quarto.

2575 (CLXXXIII) Vatican, 11 mai 1298.

« Confirmatur provisio facta de eo. » (fol. 41.)

Dilecto filio fratri Jacobo de Morolis, priori ecclesie Sancti Benedicti Sutrine. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod dilectus filius G., abbas monasterii Sancti Laurentii extra muros Urbis, ordinis sancti Benedicti, dudum de prioratu secularis ecclesie Sancti Benedicti Sutrine curam animarum habentis, consueto per monachos ipsius monasterii gubernari et ad dispositionem suam libere pertinente, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, tibi, monacho predicti monasterii, qui sacerdos esse diceris, duxit canonice providendum, prout in patentibus litteris inde confectis et ejusdem abbatis sigillo munitis plenius continetur. Nos itaque, ex certis et rationabilibus causis que juste ad hec animum nostrum movent, tuis supplicationibus inclinati, provisionem hujusmodi de prioratu predicto per eundem abbatem tibi factam ratam et gratam habentes, eam auctoritate apostolica ex certa scientia et de speciali gratia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, non obstante si dictus abbas provisionem eandem duxerit postmodum revocandam, quam revocationem de apostolice plenitudine potestatis irritum decernimus et inane (*sic*) ac nullius existere firmitatis; tibi auctoritate apostolica concedentes ut prioratum predictum cum omnibus juribus et pertinentiis suis libere quoad vixeris retinere, nec a predicto abbate vel quovis alio absque manifesta et rationabili causa valeas amoveri nisi de nostro et Apostolice Sedis speciali mandato, faciendo per litteras apostolicas que fecerint plenam

et expressam, et cetera usque: mentionem. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, constitutionis et concessionis, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. maii, anno quarto.

In e.m. *venerabilibus fratribus.. Theanensi et.. Sutrino episcopis ac dilecto filio Richardo de Ferentino, capellano nostro, canonico ecclesie de Sancto Audomaro, Morinensis diocesis.* — Dat. ut supra.

2576 (CLXXXIIII) Vatican, 10 mai 1298.

« Super injuria illata .. abbati et conventui monasterii Sancte Justine Paduani per commune Paduanum. » (fol. 40.)

Venerabili fratri .. episcopo Paduano. Ad removenda gravamina et dapnosas injurias reprimendas, que personis ecclesiasticis, presertim observantie nexibus regularis astrictis, inferri perpendimus, tanto promptioribus votis nos exurgere convenit ac provisionis oportune remedium adhibere, quanto id in majorem Divine Majestatis offensam et gravius redundare dinoscitur libertatis ecclesiastice detrimentum. Sane querela gravis et onusta dispendiis dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancte Justine Paduani, ordinis sancti Benedicti, nostro nuper apostolatui patefecit quod .. potestas, antiani, consiliarii, rectores et commune civitatis Paduane, suis finibus non contenti et ad ipsorum abbatis et conventus ac monasterii gravamina et injurias indebite aspirantes, portam cujusdam aqueductus per quem ad quatuor ipsius monasterii molendina jam a longis retro temporibus aqua defluere consuevit, ut eisdem abbati et conventui nullus ex molendinis ipsis fructus accederet nullaque utilitas proveniret, claudi propria temeritate fecerunt, nichilominus statuentes quod porta ipsa non aperiatur ulterius sed sic clausa debeat perpetuo remanere. Insulam insuper que Calcinaria vulgariter nuncupatur ac etiam tertiam partem castri Caucadalboli ad monasterium sepedictum spectantes cum omnibus juribus et pertinentiis suis per violentiam occupantes, ligna nemorum in eadem consistentium insula incidi et comburi fecerunt pro sue libito voluntatis, nec hiis contenti sed excessus excessibus inculcantes statuisse noscuntur ut omnia bona immobilia, que a triginta annis citra sunt a monasterio acquisita predicto, ad commune perveniant memoratum, quodque, si aliqua persona civitatis vel diocesis Paduane castrum aliquod sive villam aut alia bona sua occupata fore ab aliquo qui de male ablatorum existeret numero (*sic*), in quo idem abbas per jamdictum commune describitur, conqueratur, juramento credatur seu stetur querimoniam deponentis, omni sollemnitate juris postposita vel omissa, nullaque probatione in contrarium admittatur; potestas quoque civitatis ejusdem per sacramentum ab ipso prestandum et etiam ad mille librarum monete usualis penam teneatur infra quindecim dies in corporalem rei petite possessionem inducere ac inductum defendere querelantem; sicque prefatum monasterium occasione hujusmodi statutorum enorme dinoscitur substinere detrimentum, ut alia quamplura gravamina, injurie et jacture, que ab eisdem potestate, antianis, consiliariis, rectoribus et communi dictis abbati et conventui temere inferuntur, ad presens silentio relinquantur. Quare pro parte dictorum abbatis et conventus suppliciter petebatur a nobis ut providere super hoc eis paterne sollicitudinis studio dignaremur. Cum itaque dampna tam gravia et injurias tam enormes abbatis et conventus ac monasterii predictorum nolumus sicuti nec debemus equanimiter substinere, ne cedant aliis in exemplum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus per te vel per alium seu alios, sublato more dispendio, potestatem, antianos, consiliarios, rectores et commune prefatos, ex parte nostra efficaciter moneas et inducas ut ipsi, ob divinam et Apostolice Sedis ac nostram reverentiam circa prefatos abbatem et conventum ac monasterium benignius se gerentes, ab ipsorum gravaminibus, injuriis et molestiis penitus abstinere procurent, eisque prefatas insulam et tertiam partem castri predicti, aliaque ipsius monasterii bona, per potestatem, antianos, consiliarios, rectores et commune prefatos sicut premittitur occupata, summota qualibet difficultate restituant et de dampnis illatis eisdem plenariam satisfactionem impendant, nec differant statuta predicta et alia quelibet per eos in prejudicium sive dampnum prelibati monasterii edita revocare, dictisque potestati, antianis, consiliariis, rectoribus et communi aperte predicere vel intimare procures quod, si hujusmodi monitionibus et inductionibus tuis, immo potius dicte Sedis et nostris, humiliter et efficaciter parere neglexerint, nequaquam dissimulare poterimus, pastoralis officii debito exigente, quin eisdem abbati et conventui ac monasterio super hiis de celeri et salubri remedio favente Domino consulamus. Sic ergo hujusmodi mandatum nostrum diligenter exequi studeas ut exinde a Domino premium et a nobis condigne possis commendationis titulum promereri, nichilominus nobis significaturus plenarie per tuas litteras harum seriem continentes quantam et qualem prelibati potestas, antiani, consiliarii, rectores et commune in hac parte satisfactionem impenderint abbati et conventui memoratis. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. maii, anno quarto.

2577 (CLXXXV) Vatican, 15 décembre 1298.

« Dispensatur cum quibusdam civibus Ameliensibus super crimine hereseos. » (fol. 41 v°.)

Dilectis filiis Gerardo, Hugolino, Carolo, Eduardo et Matheo fratribus, filiis quondam Nicolai olim Terribilis, ac Urso et Johanni, filiis quodam (sic) Vati filii ejusdem Nicolai, eorumdem fratrum nepotibus, civibus Ameliensibus. Significatum est nobis quod, mortua olim Claragemma de castro Elee, Ortane diocesis, uxore quondam Terribilis civis Ameliensis, matre quondam Nicolai patris vestri Gerardi, Hugolini, Caroli, Eduardi et Mathei (*sic*), et avia vestra Ursi et Johannis (*sic*), compertum fuit ipsam fuisse dum vixerat hereseos crimine irretitam, quodque dictus Nicolaus, tempore quo prefata Claragemma mater sua infirmabatur, duos vel tres hereticos ad ipsam scienter vel ignoranter quandam domum suam in civitate Ameliensi sitam intrare permisit vel procuravit intrare, qui heretici in ipsa domo secundum hereticorum abusum consolasse dicuntur eandem, quinpotius desolasse ; ac quod idem Nicolaus, cum novem vel decem annorum existeret et pueriliter dictam matrem per plateas ignominiose patarenam frequenter publice nominaret, a quibusdam patarenis unam bursam recepit in castro Elee ne matrem suam prefatam patarenam sic publice nominaret: propter que dicta domus adhuc ipso Nicolao vivente dirita (*sic*) extitit de mandato quondam fratris Angelerii, inquisitoris pravitatis heretice tunc in illis partibus auctoritate Sedis Apostolice deputati. Quare nobis est humiliter supplicatum ut super hiis vobis providere misericorditer dignaremur. Nos igitur, volentes vobis facere gratiam specialem, qui, sicut accepimus, nostri estis et Ecclesie Romane devoti et ad obsequia nostra et Ecclesie predicte parati, remittimus vobis et vestrum cuilibet, ac natis vestris et posteris qui per masculinam vel femmininam lineam descenderunt seu descendent a vobis, dummodo vos nati et posteri predicti in fide catholica sitis et fueritis persistentes, omnes penas et mulctas que vobis et vestrum aliquibus seu alicui ex quibuscunque papalibus vel imperialibus constitutionibus, vel ex quocunque jure canonico vel civili, imposite sunt vel imponi possent quomodolibet vel infligi, ex eo et pro eo quod prefata Claragemma fuerit quomodolibet labe heretice pravitatis infecta et etiam consolata, vel qualitercunque excesserit contra catholicam fidem secundum hereticorum abusum, et ex eo etiam quod prefatus Nicolaus ad eandem Claragemmam ut premittitur duos vel tres hereticos in ipsa domo intrare permisit vel procuravit intrare etiam si consolassent eandem, et ex eo quod ipse Nicolaus, cum novem vel decem annorum existeret et pueriliter dictam matrem per plateas ignominiose frequenter ut premittitur publice nominaret, a quibusdam patarenis unam bursam et unam infulam recepit in castro Elee ne matrem suam prefatam patarenam sic publice nominaret, vosque a penis et mulctis ipsis absolvimus et liberos reddimus et immunes, et quoslibet vestros et vestrum cujuslibet natos et posteros qui per masculinum vel femmininum sexum descendent et eos qui jam forsitan descenderunt, ita quod ad vos et eos vestrum vel eorum aliquos seu aliquem nullatenus extendantur. Restituimus quoque vos et eos, vestrum quemlibet [et] eorum, ad quoslibet legitimos actus atque famam, et habiles reddimus ad quevis officia, beneficia, preeminentias, prelaturas, dignitates et honores, ecclesiastica et secularia, imposterum obtinenda, et quod obtenta etiam hactenus, alias tamen canonice, beneficia ecclesiastica possitis licite retinere, vobiscum de ampliori gratia dispensamus, damusque licentiam ut domum predictam dirutam vos et quilibet vestrum rehedificare possitis, et quod inhabitari valeat sicut prius, donantes vobis fundamentum, solum et casalinum domus ejusdem, non obstantibus juribus canonicis vel civilibus aut constitutionibus quibuscunque, salvis confiscationibus aliorum bonorum stabilium et immobilium contra predictam Claragemmam generaliter vel specialiter occasione dicti criminis factis ab homine vel a jure, seu contra dictum Nicolaum ab homine factis, circa quas constitutiones, quoad hujusmodi bona stabilia et immobilia alia a domo predicta, nichil per hoc immutandum duximus vel quomodolibet remittendum. Nulli ergo — nostre remissionis, abolitionis, redditionis, restitutionis, dispensationis, et donationis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVIII kal. januarii, anno quarto.

2578 (CLXXXVI) Vatican, 28 mars 1298.

« Conservatoria pro Pandulpho de Sabello, preposito de Chableys, Lingonensis diocesis. » (fol. 42.)

Dilectis filiis .. Sancti Germani Autisiodorensis et .. Sancte Columbe Senonensis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Trecensis. Ad compescendos conatus —.

Cum Pandulphus de Sabello, capellanus et subdiaconus domini pape, prepositus de Chableys, Lingonensis diocesis, in ecclesia Sancti Martini Turonensi super hujusmodi prepositura sua de Chableys et prebendis quas in Senonensi et Cathalaunensi ecclesiis obtinet ac eorum redditibus et proventibus, obventionibus, jurisdictione et juribus suis a nonnullis multipliciter molestetur, eidem suprascripti dantur conservatores.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. aprilis, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori Sagiensis, ordinis sancti Augustini, et .. Aurelianensis et .. Cenomanensis ecclesiarum decanis.* — Dantur eidem conservatores super prebendis quas in Bajocensi et Sancti Martini Turonensi ecclesiis obtinet. — Dat. ut supra.

In. e. m. *dilectis filiis .. Sancti Johannis in Valle Carnotensis et .. Sancte Genovefe Parisiensis monasteriorum abbatibus ac .. decano ecclesie Laudunensis.* — Dantur eidem conservatores super prebendis quas in Parisiensi, Cameracensi et Carnotensi ecclesiis obtinet. — Dat. ut supra.

2579 (CLXXXVII) Vatican, 17 avril 1298.

« Conceditur eis quod possint revocare decimas. » (fol. 42 v°.)

Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii Romaricensis, ordinis sancti Benedicti, Tullensis diocesis. Cum monasterium vestrum, quod ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere dicitur, bonorum spiritualium et temporalium florere consueverit ubertate, nobis humiliter supplicastis ut, cum nunc propter vicinorum oppressionem nobilium et alia manifesta gravamina quibus jugiter deprimi consuevit adeo tenuitatem patiatur reddituum quod ex eis vix potestis comode substentari, revocandi ad jus et proprietatem monasterii vestri pro substentatione vestra decimas ipsas que sub annuo censu a vobis clericis sunt concesse, decedentibus possessoribus earumdem, et si qua in vestri monasterii prejudicium alienata sive concessa sunt illicite vel distracta, vobis licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, vestris postulationibus annuentes et ecclesie vestre volentes utilitatibus providere, ad istar felicis recordationis Honorii pape Tertii predecessoris nostri vobis predicta duximus concedenda. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XV kal. maii, anno quarto.

2580 (CLXXXVIII) Vatican, 24 avril 1298.

Collatio preposіture Senensis. (fol. 42 v°.)

Dilecto filio Alexandro Brettecomunis, preposito Senensis ecclesie. Generis et morum nobilitas — . Pridem siquidem ecclesia Senensi vacante, canonici ipsius ecclesie, ad quos electio prepositi ejusdem ecclesie cum preposituram ipsam vacare contingit pertinet, asserentes preposituram eandem per mortem quondam Christofori, quem dicebant ipsius ecclesie prepositum fuisse, vacavisse, ad ipsam preposituram plures in discordia elegerunt de facto potius quam de jure. Nos autem diligentius attendentes quod, si prepositura predicta per mortem Christofori predicti vacavit, hujusmodi electiones ex eo nulle fuerunt quia nos prius omnia beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura, etiam si dignitates vel personatus existerent, que per ipsius Christofori mortem vacaverant duxeramus ea vice donationi apostolice reservanda —.

Suprascripto, consideratione R., Senensis episcopi, cujus nepos existit, dictam preposituram confert non obstante quod plebanatum plebis de Licignano, Senensis diocesis, et in Sancti Petri ac Sancti Donati ecclesiis Senensibus canonicatus et prebendas noscitur obtinere, et quod in ecclesia Senensi predicta, cujus canonicus existit, prebendam auctoritate litterarum apostolicarum exspectat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. maii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. Sancti Martini Senensis et .. de Quinzano, Senensis diocesis, prioribus ac Bertuldo de Labro, canonico Vulterano, capellano nostro.* — Dat. ut supra.

2581 (CLXXXVIIII)

« Forma juramenti pro Petro, archiepiscopo Spalatensi. » (fol. 43).

Forma juramenti. Ego frater Petrus, archiepiscopus Spalatensis —.

2582 (CLXXXX)

« Forma dandi palleum pro eodem. » (fol. 43.)

Forma dandi palleum. Ad honorem Dei —.

2583 (CLXXXXI) Vatican, 23 mars 1298.

« Quod revocet gravamina illata per eum subjectis suis, et cetera. » (fol. 43.)

Venerabili fratri Gerardo, archiepiscopo Maguntino. Si ad paterna monita velis aures erigere considerando prudenter quod, quanto in ecclesia Dei locum ex gratia Sedis Apostolice obtines altiorem, tanto magis teneris motus in te illicitos freno modestie cohibere, profecto tuos actus reformabis in melius, et cavebis attentius ea committere per que contra te Deus ipse vel Sedes eadem merito

provocetur. Dudum siquidem dilecti filii abbates, priores, prepositi et conventus, monasteria, rectores et capitula ecclesiarum per Sancte Marie Erfordensis, Jecheburgensis, Dorlonensis ac Northunensis archidiaconatuum terminos constitutarum et adherentes eisdem, tue diocesis, quorum innumerosa quasi fore pretenditur multitudo, gravi nobis querela monstrarunt quod tu, ad eorum et monasteriorum ac ecclesiarum et aliorum etiam gravamina nimis immoderate manus tuas extendens, proprie voluntatis libito statuisti quod quelibet ecclesia collegiata, regularis sive secularis, tue diocesis, unam prebendam seu precariam integram, per te alicui persone vendendam ad vitam, et nichilominus tam ipse collegiate ecclesie quam alie tantum subsidium, quantum primo anno tue promotionis dederant, dare tibi iterum et exhibere deberent, certis a te qui hujusmodi prebendas seu precarias exigerent et subsidia imponerent et contradictores compellerent executoribus deputatis. Cumque predicti executores ad eorum executionem, in predictorum abbatum, priorum, prepositorum, conventuum, capitulorum et rectorum ac monasteriorum, ecclesiarum et capellarum prejudicium et gravamen prout eis commiseras processissent, iidem abbates, priores, prepositi, conventus, capitula et rectores, a te pressi continui mole gravaminis et jam quodammodo impotentes effecti ad ulteriora ferenda gravamina, cum alias in eisdem collegiatis ecclesiis prebendas seu precarias extorsisses ac tam ab eis quam ab aliis ecclesiis subsidia et exactiones tot et tanta, non solum primo tui regiminis anno, sed etiam sepius exegisses quod monasteria, ecclesie, et capelle predicta, tum propter exactiones hujusmodi, tum propter continua guerrarum discrimina que partes illas concusserant, exhausta ac oppressa nimium noscerentur et jam debito ministrorum officio defraudata, presertim cum persone quibus hujusmodi vendideras precarias in nullo penitus ipsis ecclesiis deservirent, quod tu ad iteratam exactionem hujusmodi, non caritative sed per indebite compulsionis instantiam, ab ipso principio processisses, nullamque quasi prorsus moderationem seu mitigationem, apud te requisitam humiliter, in talibus invenissent, ad Sedem Apostolicam pro se suisque adherentibus appellarunt, sed tu appellationi hujusmodi minime deferens, non absque contemptu Apostolice Sedis, in personas et loca ipsorum de facto, cum de jure non posses, suspensionum, excommunicationum et interdictorum sententias promulgasti, alias eis diversa gravamina et molestias irrogando ac graves inferendo minas et incutiendo timores, et, quod gravius ferimus, duos sacerdotes ad te super hujusmodi negotio destinatos propterea capi fecisti et carceri mancipari, super quibus omnibus pro parte predictorum abbatum, priorum, prepositorum et conventuum monasteriorum, capitulorum et rectorum ecclesiarum ac adherentium ad nostram providentiam humiliter habitus est recursus. Nos autem, volentes erga te uti libentius mansuetudine quam rigore, per nostras tibi certi tenoris litteras, quas per dilectos filios .. de Porta ac .. de Valle Sancti Georgii monasteriorum abbates, Cisterciensis ordinis, Maguntine et Nuremburgensis diocesium, tibi mandavimus presentari, monita direximus et mandata quod sic provide, sic efficaciter, sic celeriter captivos liberare predictos, et super hujusmodi precariis et subsidiis, et alia, si qua eis vel alicui eorum aut ipsorum subditis vel quibusvis aliis occasione predicta indebite intulisses, gravamina revocare, ac suspensionum, excommunicationum et interdictorum sententias, quatenus de facto processerant, relaxare curares et de cetero a talibus et similibus abstinere, quod hujusmodi querelantes non cogerentur ad nos super hiis habere recursum, neque oporteret de alio in talibus per Sedem Apostolicam remedio provideri; quod si infra mensem, a receptione dictarum litterarum hujusmodi computandum, captivos non liberasses predictos ac supradicta non revocasses gravamina, et non relaxavisses juxta hujusmodi nostrum mandatum predictum sententias memoratas, infra mensem alium, dictum mensem immediate sequentem, per te vel procuratorem ydoneum compareres coram nobis, super premissis eisdem querelantibus de justitia responsurus, ac facturus et recepturus quod ordo exigeret rationis, nostrisque mandatis et beneplacitis pariturus. Tu vero, etiam post appellationem eandem, vel ex ea gravius provocatus, gravamina gravaminibus cumulans et addere sattagens afflictionem afflictis, teque aliqua ex monasteriis, ecclesiis et capellis predictis velle asserens visitare, mandavisti te in illis admitti ad hujusmodi visitationis officium exercendum, quamvis pluribus esses tunc excommunicationum sententiis involutus, que tam apud Sedem predictam in audientia publica quam in pluribus aliis sollepnibus locis fuerant publicate, et, quia persone dictorum monasteriorum, ecclesiarum et capellarum, in quibus hujusmodi visitationis officium te velle impendere pretendebas, diligentius attendentes tuamque metuentes tyrannidem, te ad visitationem hujusmodi nullatenus admiserunt, prout nec etiam tenebantur, tu in eos et predicta eorum monasteria, ecclesias et capellas iterum alias diversas excommunicationum, suspensionum et interdictorum, necnon in eorum aliquos, privationum etiam de facto protulisti sententias, inhibendo ne aliqui ab eis reciperent ecclesiastica sacramenta vel conferrent elemosinas ipsis aut dictis eorum monasteriis vel capellis, neve apud eadem eorum monasteria, ecclesias vel capellas eligerent se-

pulturam, quosdam insuper ex eisdem eorum beneficiis spoliasti, alios vero carceri mancipasti, a quibus, si quos forsitan liberasti, non modicam pecunie quantitatem pro liberatione ipsorum diceris extorsisse, prout hec omnia predicti abbates, priores, prepositi, conventus, rectores et capitula eorumque subditi et adherentes eisdem, querelosa nobis insinuatione monstrarunt. Porro predicti de Porta et de Valle Sancti Georgii abbates volentes mandatum nostrum, prout ex eorum relatione didicimus, adimplere ad caustrum (*sic*) tuum de Amelemburg, ubi tunc eras, ut predictas tibi presentarent litteras accesserunt, sed tu, illorum adventum presentiens, ipsos tuam adire presentiam nullatenus permisisti [1], immo, cum ipsi jam illic propter hoc per triduum expectassent, te demum exinde clandestine recedente, duo clerici tui remanentes [2] ibidem predictis abbatibus de Porta et de Valle Sancti Georgii pro tua parte dixerunt quod ipsis exponerent et presentarent quecunque tibi presentare vel exponere debuissent, quibus ipsi predictas litteras presentantes, responsum acceperunt ab eis quod predicti duo presbyteri captivati jam dudum libertati fuerant restituti, quodque super aliis que predicte littere continebant tu apud Sedem Apostolicam predictam volebas in nostra presentia respondere. Et, licet verisimiliter connici (*sic*) valeat ex premissis quod eedem ad te littere pervenerunt, tu tamen exortationes, monita et mandata litteris contenta predictis obaudiens, nec eisdem litteris inserta revocare gravamina, nec prefixo tibi termino nostro te curasti conspectui presentare, quin potius, ad ulteriora procedens, quosdam ut dicitur de hujusmodi appellantibus per vim et metum qui cadere poterat in constantes renuntiare hujusmodi appellationibus coegisti, alios vero, nolentes appellationibus renuntiare predictis, bonis suis temere spoliasti; tuis preterea officialibus non sine dicte Sedis contemptu et magna temeritatis audatia diceris injunxisse ut hujusmodi appellantes, ubicunque eos repererint, spolient et captivent. Talem in te sunt effectum exortationes paterne, quas cum moderamine multo direximus, consecute, illas postergum abitiens quas grata debuisti devotione suscipere, tanquam ex paterne caritatis affectibus prodeuntes. Ut autem experiamur adhuc an in te possint quoquomodo proficere nostre mansuetudinis lenimenta, priusquam ad rigorem justitie, quem tandem nequibimus omittere, recurramus, fraternitatem tuam monemus attentius et ortamur per iterata tibi scripta mandantes quatinus, hiis omnibus ante te positis, te ipsum in illis inspicias, et attendas an talia congruant presuli et pastori, ut more lupi rapacis suos querat devorare subditos, quos tanquam filios paterna tenetur benivolentia confovere, ac, premissis omnibus in examen debite correctionis adductis [1], predicta et quecunque alia per te hujusmodi appellantibus eorum subditis ac adherentibus illata gravamina revoces, predictos, si forte liberati nondum fuerint, et alios, si quos ex predictis appellantibus captivos detines, liberando, necnon revocando sententias de quibus superius est expressum, sicque provide sicque prudenter per te ipsum corrigas et emendes que in hac parte improvide attemptasti, ac a similibus cautius abstineas in futurum quod ad nos de te clamor ulterius non ascendat. Quod si forsan infra unius mensis spatium post receptionem presentium predicta non revocaveris gravamina, nec etiam predictos si quos tenes liberaveris captivos, et easdem sententias relaxaris (*sic*), extunc infra mensem immediate sequentem, quem tibi pro perentorio termino assignamus, per te vel procuratorem ydoneum compareas coram nobis, mandatis nostris plenarie pariturus, ac facturus et recepturus super premissis quod ordo exegerit rationis : sciturus pro certo quod, si predicta non curaveris adimplere, jam tot et tanta hec et alia de tuis sinistris actibus ad nos insinuatio clamosa perduxit quod ommittere, conscientia urgente, nequibimus quin ad exercendum in te rigorem justitie procedamus. Ceterum, ne sub spe affuture tue in premissis correctionis et revocationis predictis appellantibus et eis adherentibus prejudicium generetur, volumus quod interim per hoc tempora eis non currant in prosequendis appellationibus memoratis, quominus causas appellationum hujusmodi et negotiorum principalium ac omnium ipsas quomodolibet contingentium possint apud Sedem prosequi memoratam ac si pretextu tam presentium quam priorum litterarum supradictarum dilationem aliquam cause et negotia hujusmodi non sumpsissent. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. aprilis, anno quarto.

1. *Ms* : permisti.
2. *Ms* : remantes.

1. *Ms* : aductus.

2584 (CLXXXXII) Vatican, 18 mai 1298.

« Conceditur sibi palleum. » (fol. 44.)

Venerabili fratri Petro, electo Spalatensi. Cum palleum insigne —.

Ei, per Gregorium canonicum Spalatensem pallium transmittit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. junii, anno quarto.

(POTTHAST, 24677.)

2585 (CLXXXXIII) Vatican, 18 mai 1298.

« Quod assignent palleum eidem archiepiscopo. » (fol. 44.)

Venerabilibus fratribus .. Traguriensi et .. Pharensi episcopis. Cum palleum —.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv junii, anno quarto.

(POTTHAST, 24678.)

2586 (CLXXXXIIII) Vatican, 27 mai 1298.

« Conceditur sibi officium tabellionatus. » (fol. 44.)

Dilecto filio Hugoni de Fonte, civi Massiliensi. Ne contractuum —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. junii, anno quarto.

2587 (CLXXXXV) Vatican, 17 avril 1298.

« Conceditur Brixiensibus quod possint demoliri quasdam ecclesias. » (fol. 44.)

Venerabili fratri .. episcopo et dilectis filiis nobilibus viris .. potestati .. capitaneo, consilio et comuni Brixiensibus. Exhibita nobis devotionis vestre petitio continebat quod nuper nonnulli ad subversionem vestram, quos ipsa fidei puritas Romane Ecclesie filios statuit generosos, promptis desideriis aspirantes per machinationes et hostiles incursus moliti sunt civitatem vestram deducere irreparabiliter in ruinam, sed potens dextera Regis Regum, ipsorum iniquis processibus obvians, ipsam ab ipsorum subdolis fraudibus preservavit illesam. Casum vero hujusmodi, ut dicitur, ex eo perpenditis manifestius accidisse quod accessus ad palatium civitatis ejusdem adeo ab aliquibus imminentibus edificiis cohartatur quod milites et alii populares pro defensione civitatis ipsius, cum talia accidunt, ad palatium ipsum libere nequeunt habere recursum. Quare fuit ex parte vestra nobis humiliter supplicatum ut, ad hoc ne similibus possitis imposterum periculis subjacere, demoliendi ecclesiam et monasterium Sanctorum Cosme et Damiani, ordinis sancti Benedicti, capellam Sancte Marie in Solario et ecclesiam Sancti Augustini Brixienses, que [1] nondum sunt, ut asseritur, consecrate, cum officinis [2] et domibus earumdem, pro eo quod in premissis vobis magis obesse videntur, cum parati sitis in expensis vestris monasterium, capellam et ecclesias supradicta in locis convenientibus loco predictorum edificare de novo, licentiam vobis de speciali gratia concedere dignaremur. Nos itaque, qui devotis Ecclesie gratie nostre gremium libentius aperimus, vestris supplicationibus inclinati, faciendi premissa, constructis tamen primo per vos in locis congruis sufficientibus et honestis in expensis vestris monasterio cum ecclesia sua ac capella et ecclesia supradictis cum officinis et domibus oportunis eisdem, plenam vobis et liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. maii, anno quarto.

1. *Ms:* quem.
2. *Ms:* offinis.

2588 (CLXXXXVI) Vatican, 11 mai 1298.

Pro Isarno ad partes Dacie destinato. (fol. 44 v°.)

Littera que dirigitur universis prelatis pro Isarno, archipresbitero Carcasonensi, ut eum recipiant benigne. Venerabilibus fratribus —.

Ut Isarnum, archipresbyterum Carcassonensem, capellanum domini pape, latorem presentium, pro quibusdam Ecclesie Romane negotiis ad partes Dacie destinatum, cum per partes eorumdem transitum fecerit, necessariis in una marcha puri argenti singulis diebus et de securo conductu nec non in evectionibus opportunis, si sue in via decesserint vel defecerint aut alias fuerint impedite, providere curent.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. maii, anno quarto.

2589 (CLXXXXVII) Vatican, 22 avril 1298.

« Dispensatur cum eo. » (fol. 44 v°.)

Dilecto filio Raymundo Berengarii presbitero, rectori ecclesie Sancti Eugenii de Beny, Albiensis diocesis. Petitio tua nobis —.

Dispensatur cum eo quod, collata sibi ab episcopo Albiensi supradicta ecclesia curam animarum habente, se infra annum propter juris ignorantiam non fecerit in presbyterum promoveri, quanquam diaconus esset, et nichilominus fructus ejusdem ecclesie perceperit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

2590 (CLXXXXVIII) Vatican, 5 avril 1298.

« Quod observetur ordo sancte Clare in monasterio Sancti Silvestri de Capite de Urbe. » (fol. 45.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ad apicem apostolice —.

Statuit ut ordo et regula sancte Clare edita ab Urbano quarto de cetero in monasterio monialium Sancti Silvestri de Capite dudum ordinis seu regule Pauperum Sororum ordinis Fratrum Minorum observetur. Abbatissa et sorores, conversi et servitiales, quos et quas de cetero in ipso monasterio profiteri contigerit, profiteantur hanc regulam sancte Clare, « si que vero vel si quis ex sororibus, conversis et servitialibus dudum in monasterio ipso professis, que et qui in presentiarum in dicto monasterio, quod nunc noscitur abbatissa carere, moram trahunt, profiteri noluerint prefatam regulam sancte Clare, illas et illos in aliis monasteriis sui ordinis quem professi fuerint precipimus collocari. » Decernit etiam dominus papa seu potius declarat ut Mattheus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, qui nunc est protector monasteriorum ordinis sancte Clare et ordinis Fratrum Minorum secundum statutum Urbani quarti, sit protector ejusdem monasterii Sancti Silvestris de Capite sicut et sui successores.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. aprilis, anno quarto.

(POTTHAST, 24631.)

2591 (CLXXXXVIIII) Vatican, 19 avril 1298.

« Confirmatur certus canonicorum numerus in ecclesia Sancti Georgii de Ilasio, Veronensis diocesis. » (fol. 45.)

Dilectis filiis .. archipresbitero et capitulo ecclesie Sancti Georgii de Ilasio, Veronensis diocesis. Ut determinatus sit in ecclesiis numerus ministrorum, non modicum noscitur expedire, ne provisione careat superflua multitudo et ex paucitate dignum Deo servitium subtrahatur. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulationibus grato concurrentes assensu, duodenarium canonicorum numerum, te, fili archipresbiter, computato, quem, facultatibus ecclesie vestre pensatis in ipsa ecclesia diligenti deliberatione prehabita, motu proprio statuistis observandum, venerabilis fratris nostri Veronensis episcopi loci diocesani ad id accedente consensu prout in instrumentis inde confectis dicitur contineri, sicut est provide institutus, auctoritate apostolica confirmanus et presentis scripti patrocinio communimus: statuentes ut eadem ecclesia de cetero predicto numero sit contenta nisi adeo ipsius ecclesie excreverint facultates quod ipsum merito exigant augmentari: mandato Apostolice Sedis semper salvo. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis et statuti, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. maii, anno quarto.

2592 (CC) Vatican, 7 mai 1298.

« Confirmatur sibi quedam pensio in Anglia. » (fol. 45.)

Dilecto filio Landulfo, electo Ferentinati. Eximie devotionis affectum quem erga nos abolim, dum minori fungeremur officio, gessisse te novimus et gerere comprobaris pensantes, personam tuam gratiis honoramus. Cum itaque, sicut nobis exponere curavisti, dilecti filii.. abbas et conventus monasterii de Langleia, Premonstratensis ordinis, Norwicensis diocesis, pensionem annuam decem et octo marcharum sterlingorum argenti tibi ab olim duxerint concedendam, prout in patentibus litteris eorum sigillo munitis noscitur plenius contineri —.

Cum ecclesia Ferentinas redditibus non abundet, confirmat suprascripto predictam pensionem tenorem litterarum conventus inserendo qui talis est :

« Noverit universitas vestra nos divine caritatis intuitu concessisse et dedisse dilecto clerico nostro, domino Landulpho, canonico Ferentinati, domini Alexandri pape quarti consanguineo, decem et octo marchas bonorum, novorum et legalium sterlingorum, tresdecim solidis et quatuor denariis pro marcha qualibet computandis, de camera nostra in festo nativitatis sancti Johannis Baptiste, sibi vel certo nuntio suo seu procuratori absque ulteriori termino, annuatim apud Lantingele plenarie exolvendas, sub pena quadraginta solidorum officiali domini Cantuariensis qui pro tempore fuerit solvendorum quotiescumque in solutione dicte pecunie termino memorato facienda nos cessare contigerit. Ita videlicet quod liceat dicto officiali per interdicti, suspensionis et excommunicationis sententias absque judicii strepitu ad plenam solutionem tam principalis pecunie memorate quam pene, si commissa fuerit, nos compellere. Renunciantes in hac parte omni defensioni tam reali quam personali et omni juris remedio, tam canonico quam civili, nobis ex quacumque causa competenti vel competituro et maxime constitutioni de duabus dietis in concilio generali edite ac prohibitioni regie et litteris omnibus contra nostram concessionem memoratam impetratis seu quacumque modo imposterum impetrandis. Dat. apud Laungele, die sabati proximo post festum sancti Jacobi apostoli, anno Domini millesimo CCLVII. In cujus rei testimonium sigillum capituli nostri unanimi assensu huic scripto duximus apponendum. » Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. maii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Atrebatensi et dilectis filiis Richardo de Ferentino, capellano nostro, de Sancto Audomaro, Morinensis diocesis, ac Bartholomeo Mathei, Sancti Pancratii Ferentinatis ecclesiarum canonicis.* — Dat. ut supra.

2593 (CCI) Vatican, 10 mai 1298.

« Confirmatur quoddam privilegium ecclesie Aversane. » (fol. 45 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Tenorem cujusdam privilegii felicis recordationis Calixti pape secundi predecessoris nostri Aversane ecclesie ab ipso concessi quod attente inspeximus et legimus diligenter de verbo ad verbum presentibus fecimus annotari, qui talis est : « Calixtus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Roberto, Aversano episcopo, ejusque successoribus canonice substituendis imperpetuum. Sicut ex fratrum relatione comperimus qui causam plenius congnoverunt ab ipso fere sui principio Aversana ecclesia Romane familiariter adhesit Ecclesie unde Romana sibi Ecclesia eam tanquam specialem filiam specialiter vendicavit et in ea episcopos tanquam et in aliis suis specialibus ecclesiis ordinavit. Siquidem dominus predecessor noster sancte memorie Leo papa nonus primum ibi episcopum Azolinum videlicet consecravit, porro Urbanus Guimundum, Gelasius Robertum episcopos consecrarunt, quorum nos auctoritatem et vestigia subsecuti predictam Aversanam ecclesiam in solius Romane Ecclesie subjectione decrevimus conservandam. Apostolica igitur auctoritate statuimus et perpetua stabilitate sancimus ut eadem Aversana ecclesia in Romane deinceps Ecclesie unitate atque obedientia perseveret eique soli tanquam suffraganea metropolitane sue subjecta sit, ita quod in ea per Romani semper pontificis manum episcopus consecretur. Nulli ergo omnino hominum facultas sit predictam Aversanam ecclesiam a Romane Ecclesie unitate ac speciali subjectione subtrahere aut quod a nobis statutum est occasione qualibet immutare sed firmum et inviolabile futuris temporibus conservetur. Nemini etiam liceat eandem ecclesiam temere perturbare aut ejus possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere vel temerariis vexationibus fatigare sed omnia integra conserventur tam tuis quam clericorum et pauperum usibus profutura. Si quis igitur in crastinum archiepiscopus aut episcopus, imperator aut rex, princeps aut dux, comes, vicecomes, judex, castaldo aut cujuscumque dignitatis ecclesiastice secularisve persona hujus [1] decreti paginam sciens contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove commonita si non satisfatione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat reaque se divino existere judicio de perpetrata iniquitate congnoscat atque a sacratissimo corpore et sanguine Dei ac Domini nostri Jhesu Christi aliena fiat et in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem hanc nostram constitutionem servantibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi quatenus et hic fructum bone actionis percipiant et apud districtum Judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Dat. Beneventi per manum Grisogoni Sancte Romane Ecclesie diaconus (*sic*) cardinalis ac bibliotecarii, VIII kal. octobris, Indictione XIIII, Incarnationis Dominice Anno M° CXXI. Pontificatus autem domini Calixti secundi pape anno secundo. » Decernimus itaque ut dictus tenor illud idem robur ac eandem vim eundemque vigorem per omnia habeat sic insertus quem prefatum privilegium predecessoris noscitur per omnia obtinere, etiam si privilegium ipsum nullatenus appareret. Nulli ergo, et cetera, nostre annotationis et constitutionis, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. maii, anno quarto.

1. *Ms* : hius.

2594 (CCII) Vatican, 21 mai 1298.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 46.)

Dilecto filio Raymundo Fredoli, precentori ecclesie Biterrensis. Tue merita devotionis —.

Ut suprascriptus abbatie secularis ecclesie Sancti Afrodisii, Biterrensis diocesis, per promotionem Johannis in episcopum Claromontensem vacantis, per capitulum electus in abbatem, eandem abbatiam retinere possit una cum precentoria ecclesie Biterrensis, que dignitas est, nec non canonicatibus et prebendis Narbonensis, Agathensis, et ejusdem Biterrensis ecclesiarum ac Sancti Martini de Columbis et Sancti Andree de Cucullo, Magalonensis, ac Sancti Vincentii de Palatio, Narbonensis diocesium ecclesiis.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. junii, anno quarto.

2595 (CCIII) Vatican, 7 mai 1298.

Confirmatur electio abbatis monasterii Sancti Bartholomei de Petrorio. (fol. 46).

Dilecto filio Hugolino, abbati monasterii Sancti Bartholomei de Petrorio sive Sancti Donati de Pulpiano, ad Ro-

manam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis. Vacante dudum monasterio Sancti Bartholomei per mortem quondam Aldebrandi abbatis ejusdem monasterii qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, dilecti filii nostri Johannes, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbiter, et Mattheus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinales, auctoritate nostra eis in hac parte commissa, te, tunc monachum monasterii de Monte Pellio, ejusdem ordinis, dicte diocesis, eidem monasterio Sancti Bartholomei sive Sancti Donati prefecerunt canonice in abbatem.

Dictam electionem confirmat et quum electus, in diaconatus ordine constitutus, nondum sit in presbyterum ordinatus et propter hoc benedictionis munus recipere nequeat, concedit eidem facultatem statutis temporibus presbyteralem ordinem et benedictionem recipiendi.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. maii, anno quarto.

2596 (CCIIII) Vatican, 22 avril 1298.

Conceditur dignitas in ecclesia Leodiensi. (fol. 46.)

Dilecto filio Hugoni de Lugduno, canonico Leodiensi. Volentes personam tuam —.

Suprascripto, ob gratam memoriam Hugonis, tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, cujus fuit consanguineus, dignitatem in majori, cujus canonicus existit, vel alia ecclesia civitatis aut diocesis Leodiensis confert vel reservat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Cathalaunensi et dilectis filiis .. decano Sancti Pauli Leodiensis ac .. scolastico Insulensis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

2597 (CCV) Vatican, 21 mars 1298.

« Scribitur judicibus super ordinatione monasterii monialium Sancte Crucis Pictavensis. » (fol. 46 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Xanctonensi et dilectis filiis magistris Petro, cantori, et Thome, scolastico ecclesie Pictavensis. Ad regimen universalis —.

Vacante monasterio monialium Sancte Crucis Pictavensis ordinis sancti Benedicti, per resignationem Johanne in manibus G., episcopi Pictavensis, due fuerunt in eo, una videlicet de Isabelli de Mermandia ipsius monasterii et altera de Ysabelli de Podia monasterii Fontisembraudi monialibus, electiones seu postulationes in discordia celebrate. Quum episcopus Pictavensis presentatam sibi electionem de Ysabelli de Podia per .. abbatem secularis Sancte Marie Majoris et .. priorem Sancte Radegundis ac.. succentorem majoris ecclesiarum Pictavensium, ad hoc deputatos, admisisset; Ysabellis de Mermendia, nec non Margarita de Rivallo, Alicia de Chardochamp et alie moniales eidem adherentes, opponentes contra eandem confirmationem quod predicta Ysabellis de Podia natalium defectum patiretur; a regimine abbatie monasterii de Compiegne propter vite dissolutionem et dilapidationem bonorum a loci diocesano scilicet Noviomensi episcopo privata sententialiter fuisset; in monasterio Fontisembraudi mores ingessisset inhonestos; in prioratu de Podia monialium sibi commissarum dissolutioni favisset; denique quod se fecisset in abbatissam monasterii Sancte Crucis intrudi per potentiam secularem et electa fuisset a monialibus excommunicatis, ad Sedem Apostolicam appellarunt. Negotio igitur harum electionum ad Sedem eandem legitime deputato, Neapoleo, Sancti Adriani diaconus cardinalis, in causa hujus appellationis fuit principalis a dicta Sede auditor deputatus et fecit domino pape relationem super processu coram ipso habito. Volens autem dominus papa, etiam ubi pars dicte Ysabellis de Mermandia cause persecutionem omitteret, non tam per viam justitie quam per viam compendiose ac salubris provisionis procedere, mandat suprascriptis ut, in monasterio predicto personaliter accedentes, electionem de Ysabelli de Mermandia factam cassent et extunc de ejusdem contra Ysabellim de Podia oppositis criminibus in appellatione contentis inquirant. Si ea que ad cassationem electionis Ysabellis de Podia pertinentp robata fuerunt, dictam electionem cassent, novam electionem promoveant et, si fuerit quoque in discordia celebrata, ipsi de ydonea persona monasterium provideant in abbatissam. Si vero contra Ysabellim de Podia nihil inveniri contigerit vel probari, ipsam a suis subditis obediri faciant. Si vero post discussionem criminum probabiliter dubitaverunt an probata dictam Ysabellim a regimine abbatie repellerent, inquisitionem suam ad Sedem Apostolicam remittant, assignato partibus peremptorio termino.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. aprilis, anno quarto.

2598 (CCVI) Vatican, 25 mai 1298.

Conceditur quod non teneatur usque ad triennium ad solutionem debitorum. (fol. 47 v°.)

Dilecto filio Bertrando, abbati monasterii Montismajoris, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis. Cum nuper apud Sedem Apostolicam constitutus gravia subieris onera

debitorum, ad quorum satisfationem te ac monasterium tuum spiritualiter et temporaliter creditoribus obligasti, nos quieti tue benigne consulere ac creditorum ipsorum indempnitati ne satisfactionem debitam eis impediri contingat precavere salubriter intendentes, auctoritate tibi presentium indulgemus ut usque ad triennium a data presentium computandum non tenearis ad solutionem debitorum per predecessores tuos abbates seu conventum dicti monasterii hactenus contractorum neque ad id a quoquam interim compelli possis invitus. Nos enim tibi omnes terminos quibus infra dictum triennium ad satisfaciendum de hujusmodi debitis per eosdem abbates seu conventum contractis [tenebaris] usque ad dictum terminum prorogamus, suspendentes interim contractus, cautiones, obligationes, penas et juramenta omnia super hiis habita necnon excommunicationis et interdicti sententias, si quas tu vel dicti conventus seu persone ipsius monasterii vel dictum monasterium propterea incurristis aut incurrere valeretis. Volumus autem quod immediate post dictum triennium illis diebus anni sequentis proxime secundum priorem ordinem ac sub eisdem penis et sententiis satisfacere de ipsis debitis tenearis quibus infra idem triennium primitus tenebaris. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. junii, anno quarto.

2599 (CCVII) Vatican, 9 juin 1298.

Quod possit contrahere mutuum usque ad summam sex millium florenorum auri. (fol. 47 v°.)

Eidem. Cum sicut in nostra —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. junii, anno quarto.

2600 (CCVIII) Vatican, 9 juin 1298.

« Mandatur fieri visitatio et correctio in monasterio Galliacensi, Albiensis diocesis. » (fol. 47 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Biterrensi et .. Carcasonensi episcopis. Manet nostri pectoris —. Dudum siquidem ad audientiam apostolatus nostri pervenit quod Aymerico de Sal, monacho monasterii Galliacensis, ordinis sancti Benedicti, Albiensis diocesis, dilectum filium Petrum, ipsius monasterii abbatem, felicis recordationis N[icolao] pape IIII predecessori nostro super dilapidatione bonorum ejusdem monasterii ac aliis diversis criminibus et excessibus deferente, dictus predecessor super quibusdam articulis, super quibus prefatus Aymericus abbatem ipsum diffamatum esse dicebat, venerabili fratri nostro Matheo, Portuensi episcopo, contra eundem abbatem vive vocis commisit oraculo indaginem faciendam et tandem dilecto filio .. abbati secularis ecclesie Sancti Pauli Narbonensis et B. de Fisco, precemptori Biterrensis ecclesiarum, per suas sub certa forma dedit litteras in mandatis ut supra jam dictis articulis inquisitionem contra memoratum abbatem in monasterio facerent supradicto ; sed, cum abbas et precentor predicti formam mandati apostolici non servantes extra monasterium ipsum in hujusmodi inquisitionis negotio processissent, pro parte prefati Petri abbatis tam propter hoc quam ex aliis etiam rationabilibus causis pluries extitit ab hujusmodi inquisitoribus ad Sedem Apostolicam appellatum ; at iidem inquisitores, appellationibus hujusmodi vilipensis, in predictum abbatem et adherentes eidem excommunicationis sententiam promulgarunt et fecerunt per alios promulgari et nichilominus a personis quampluribus quod prenominato abbati non participarent in aliquo nullamque sibi pecuniam mutuarent extorserunt per se aut alios juramenta. Cumque post ipsius predecessoris obitum inquisitores predicti ejusdem inquisitionis processum per ipsos habitum ad Sedem Apostolicam remisissent, quondam frater Petrus de Murrone, tunc Celestinus papa V, predecessor noster, tam predictarum appellationum causas quam ejusdem inquisitionis negotium prelibato commisit episcopo audienda. Nosque postmodum ad apicem summi apostolatus assumpti eidem episcopo viva voce mandare curavimus ut hujusmodi causas negotiumque resumeret et procederet in eisdem ; coram quo a prefatis partibus super appellationibus supradictis fuit diutius litigatum. Et tandem sepefatus episcopus in causis predictis procedens pronunciare curavit pro parte abbatis ejusdem male appellatum et per inquisitores predictos bene fuisse processum. Sed eodem abbate ab hujusmodi pronunciatione ad nostram audientiam appellante dictus episcopus ejus appellationi detulit reverenter. Nos autem, diligenter auditis et plenius intellectis ea que a partibus ipsis tam super eisdem appellationibus quam toto inquisitionis predicte processu per inquisitores prefatos habito coram nobis et fratribus nostris proposita extiterunt, de ipsorum fratrum consilio, hujusmodi processibus et sententiis factis et latis quibuslibet per inquisitores predictos vel alterum eorumdem sive auctoritate vel mandato ipsorum pro nullis habitis et juramentis predictis etiam relaxatis, voluimus quod pretextu processuum usque tunc contra eundem abbatem sicut predicitur habitorum procedi ulterius non deberet ac idem abbas rediret ad monasterium supradictum, quodque ipsius monasterii monachi qui occasione inquisitionis predicte per secu-

lum evagari dicuntur in opprobrium ordinis monachalis ad possessionem claustri monasterii supradicti restituerentur ad plenum, dictusque abbas eos caritative tanquam suos monachos pertractaret ipsique illi veluti eorum abbati humiliter intenderent et parerent ita quod favente Pacis Auctore vigere valeret pacis et concordie unio inter eos, non obstantibus juramento seu promissione vel obligatione loci diocesano aut alii seu aliis quibuscumque a monachis ipsis vel eorum aliquibus contra sepedictum abbatem prestitis sive factis ad quorum observationem illos decrevimus non teneri.

Suprascriptis committens visitationem, correctionem et reformationem monasterii predicti tam in capite quam in membris, mandat eis ut sublato dilationis obstaculo ad idem personaliter accedentes procedant in eisdem.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. junii, anno quarto.

2601 (CCVIII) Vatican, 1er juin 1298.

« Preficitur in episcopum Nepesinum. » (fol. 48.)

Venerabili fratri Angelo, episcopo Nepesino. Universalis ecclesie regimini —.

Suprascriptus, frater ordinis Minorum, Nepesine ecclesie, per translationem Lituardi episcopi ad ecclesiam Callensem vacanti, preficitur in episcopum, consecrationis munere ei per Portuensem episcopum impenso.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. junii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Nepesine.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Nepesine.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Nepesine* —. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24687.)

2602 (CCX) Vatican, 17 juin 1298.

« Super assignatione quorumdam bonorum bone memorie .. Sydoniensis episcopi. » (fol. 48 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Massiliensi. Sicut nuper ad nostrum pervenit auditum, bone memorie .. Sydoniensis episcopus, tunc vivens et ad civitatem Massiliensem declinans et depositis penes dilectos filios .. abbatem et conventum monasterii Sancti Victoris Massiliensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, nonnullis bonis que secum habebat conditoque testamento, cujus te executorem reliquit, viam est inibi universe carnis ingressus.

Suprascriptus eosdem abbatem et conventum compellat bona prefata exhibere sibi infra octo dies post receptionem harum litterarum, significaturus deinde quicdquid super his duxerit faciendum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. junii, anno quarto.

2603 (CCXI) Vatican, 1er juin 1298.

« Confirmatur electio facta de eo. » (fol. 48 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Brechinensi. In supreme dignitatis —.

Johannis electi Brechinensis, antea archidiaconi Brechinensis ecclesie, electionem canonice celebratam confirmat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. junii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Brechinensis.*

In e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Brechinensis.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Brechinensis.*

In e. m. *dilectis filiis universis ecclesie Brechinensis vassallis.*

In e. m. *carissimo in Christo filio .. regi Scotie illustri.* — Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24686.)

2604 (CCXII) Vatican, 18 mars 1298.

Dilectis filiis .. archidiacono de Occha in ecclesia Ebroicensi ac magistris Stephano de Gybervilla, Parisiensis, et Richardo de Fiscano, Constanciensis ecclesiarum canonicis. Apostolice Sedis circumspecta — patiuntur. Petitio quidem dilecti filii magistri Symonis de Balliaco, rectoris parochialis ecclesie de Grocheto, Rothomagensis diocesis, nobis exhibita continebat quod, vacante dudum decanatu ecclesie Perronensis, Noviomensis diocesis, per mortem quondam magistri Guillelmi Ilarii, ipsius ecclesie decani, qui in partibus illis diem clausit extremum, capitulum ejusdem ecclesie infra tempus a jure statutum ipsum Symonem ad decanatum predictum in decanum

ipsius ecclesie unanimiter et concorditer elegerunt. Qui electionem hujusmodi per venerabilem fratrem nostrum.. Noviomensem episcopum, loci ordinarium, sibi presentatam obtinuit confirmari et carissimo in Christo filio nostro Phylippo, regi Francorum illustri, ratione ipsius decanatus, ut moris est, homagio prestito, eundem decanatum cum juribus et pertinentiis suis possedit fere per annum pacifice et quiete ; sicque per receptionem dicti decanatus predictam ecclesiam de Grocheto, Rothomagensis diocesis, quam canonice fuerat assecutus et pacifice possidebat, credens de jure vacare, illam propterea dimisit.

Comperto vero quod ante ejus electionem dominus papa predictum decanatum apostolice donationi duxisset reservandum et magistro Guidoni de Sarcellis, ecclesie predicte canonico, contulisset, ipse eundem dimisit et supplicavit ut super predicta ecclesia de Grocheto, quam ratione predicti decanatus desiit retinere, provideretur sibi de oportuno remedio. Annuit supplicationi dominus papa, decernit ipsum ad ecclesiam de Grocheto libere reducendum esse, non obstante si ecclesia ipsa pretextu predictorum ex presentatione patroni laïci per loci ordinarium vel quemvis alium Rogero de Grocheto seu alii sit collata, et mandat ut ipse in possessionem dicte ecclesie reinducatur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. aprilis, anno quarto.

2605 (CCXIII) Vatican, 20 juin 1298.

Executoria de mutuo contrahendo pro abbate monasterii Montismajoris, Arelatensis diocesis. (fol. 49 v°).

Dilectis filiis magistro Petro de Eug(ubio), cantori Morinensi, et.. officiali Nemausensi ac magistro Leonardo de Anticulo, canonico Anagnino. Exponente nobis pridem —.

Executoria super mutuo contracto per Beltrandum, abbatem Montismajoris, a Symone Gerardi de societate Spinorum de Florentia, mutuante pro se et pro Rogerio, Lapo, Philippo et Spina de Spinis, Nero Cambii, Ductio Junte, Benzio Davanzati, Guidone Bardi, Gerardo Hughi, Guidone Bertaldi, Guarente Jacobi et ceteris.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xii kal. julii, anno quarto.

2606 (CCXIIII) Vatican, 1er juin 1298.

Preficitur in abbatem monasterii Sancte Crucis de Saxovivo. (fol. 49 v°.)

Dilecto filio Angelo, abbati monasterii Sancte Crucis de Saxovivo, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Fulginatis diocesis. Inter sollicitudines alias —.

Suprascripto monasterio, per mortem quondam Angeli abbatis regimine destituto et ea vice provisioni Sedis Apostolice reservato, ipse, tunc prior prioratus de Griptis, Tudertine diocesis, ad monasterium ipsum pleno jure spectantis, preficitur in abbatem.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. junii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis monasterii Sancte Crucis de Saxovivo conventui.*

In e. m. *dilectis filiis universis vassallis monasterii Sancte Crucis de Saxovivo* —. Dat. ut supra.

2607 (CCXV) Vatican, 17 juin 1298.

« Confirmatur electio facta de eo. » (fol. 50.)

Venerabili fratri Willelmo de Lambertono, episcopo Sancti Andree in Scotia. Licet cunctarum ecclesiarum —.

Suprascriptus, cancellarius ecclesie Glasguensis, ecclesie Sancti Andree in Scotia, per obitum Willelmi Trases pastoris solatio destitute, preficitur in episcopum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. julii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Sancti Andree.*

In e. m. *dilectis filiis clero diocesis Sancti Andree.*

In e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Sancti Andree.*

In e. m. *dilectis filiis universis vassallis ecclesie Sancte Andree.*

(POTTHAST, 24695.)

2608 (CCXVI) Vatican, 29 mai 1298.

Confertur prebenda in ecclesia Ferrariensi. (fol. 50 v°.)

Dilecto filio Colutio, nato dilecti filii nobilis viri Gukini Merle militis Lucani, canonico ecclesie Ferrariensis. Sicut ex testimonio —.

Suprascripto, obtentu Gukini Merle patris ejus, canonicatus

et prebenda sacerdotalis in ecclesia Ferrariensi conferuntur vel reservantur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. junii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Michaelis de Guamo, Lucane diocesis, et .. Sancti Fridiani Lucani ac .. secularis ecclesie Sancte Marie foris Portam Lucane prioribus.* — Dat. ut supra.

2609 CCXVII Vatican, 13 juin 1298.

« Conceditur sibi quedam tallia in regno suo que testagium dicitur. » (fol. 50 v°.)

Carissimo in Christo filio H., regi Cypri illustri. Ad tue celsitudinis statum felicem et prosperum et incliti regni tui ac personarum in eo degentium tanto propensius aspiramus et desiderii cordis nostri plenitudo dirigitur quanto personam tuam pleniores mereri gratias et potioribus regnum illud agnoscimus propter sui dispositionem favoribus indigere. Oblata siquidem nobis tua petitio continebat quod tu dudum, sex annis elapsis, propter metum hostium fidei, ad manutenandum armatos equites et pedites necnon vasa marina ad tutamen et presidium regni tui, quandam generaliter de assensu omnium ipsius regni collectam seu talliam annuam, que testagium dicitur, ordinasti, videlicet duorum bisanziorum pro capite cujuslibet incole dicti regni, prelatis et clericis latinis, Hospitalariis, Templariis et Alamannis exceptis, a quibus prelatis et clericis nichil pro se ipsis vel pro redditibus ecclesiarum ipsarum set tantum de bonis que ad ecclesias non spectabant, utpote de bonis patrimonialibus, et pro familiaribus, servis et sclavis eorum, ab Hospitalariis vero, Templariis et Alamannis eisdem, pro familiaribus liberis tantum, predictum testagium recepisti, ea intentione quod ipsi domini ab eisdem familiaribus, servis et sclavis de hiis que ex corporibus seu laboribus suis adquirunt exigerent illas quantitates quas tibi solverent pro eisdem, quodque tam tu ipse pro persona tua quam omnes alii regni predicti pro personis suis indistinte in collecta contribuerent eadem. Verum medio tempore, dum sic juxta ordinationem tuam hujusmodi prefatum testagium solveretur, ad aures tuas pervenit de constitutione nostra super hoc edita tam contra laicos tallias hujusmodi a clericis exigentes quam contra clericos exolventes. Set tu, non advertens nec pro certo credens quod ipsa constitutio te vel illos de regno tuo, propter tam evidentis necessitatis articulum, tangeret, testagium ipsum a predictis dicto modo nichilominus exigi permisisti quousque nonnulli de prelatis ipsius tallie collectoribus responderunt quod non audebant nec poterant, constitutione obsistente predicta, hujusmodi testagium solvere, tenore constitutionis hujusmodi sibi clarius demonstrato. Ex tunc autem, jurisperitorum et religiosorum super hoc requisito consilio, testagium ipsum a predictis prelatis et clericis latinis, Hospitalariis, Templariis et Alamannis exigere et exigi facere destitisti, nobis postmodum per tuos nuntios et litteras humiliter supplicando ut tibi et aliis regni tui qui super hoc exigendo vel solvendo contra constitutionem hujusmodi deliquissent ac necessitati prefati regni providere salubriter et misericorditer dignaremur. Nos itaque, necessitatem predictam et comunem utilitatem ac etiam voluntatem omnium tam laicorum quam clericorum et ecclesiasticarum personarum ipsius regni statum suum cernentium attendentes ac in tali articulo, in quo proprium interesse cujuslibet dicti regni dinoscitur, tibi, super hoc errorem et delictum tuum humiliter confitenti, et aliis ipsius regni personis qua convenit diligentia providere volentes, tuis precibus inclinati, ut archiepiscopi, episcopi, abbates, prelati et rectores ecclesiarum, clerici, Hospitalarii, Templarii, Alamanni ceterque persone ecclesiastice sepedicti regni absque transgressione constitutionis nostre prefate hujusmodi testagium tam preteritum quam futurum juxta predictam ordinationem tuam solvere possint ac etiam teneantur, presentium tenore de gratia speciali concedimus atque mandamus, concessa venerabilibus fratribus nostris .. Nimociensi ac .. Famagustano episcopis et dilecto filio .. abbati monasterii de Belloloco, ordinis Cisterciensis, Nicosiensis diocesis, et eorum cuilibet per alias nostras sub certa forma litteras, per se vel alium seu alios, omnes et singulas personas predictas auctoritate nostra ad solutionem dicti testagii, prout singulariter contingat easdem, per censuram ecclesiasticam compellendi teque ac eas ab excommunicationis, quam transgrediendo constitutionem predictam exigendo vel solvendo hactenus incidistis, necnon suspensionis et interdicti sententia vel sententiis, solutione hujusmodi prestita, juxta formam Ecclesie absolvendi plena et libera tenore presentium facultate : non obstantibus si aliquibus comuniter vel divisim a Sede Apostolica sit, et cetera usque : mentionem, necnon dispensandi super irregularitatibus, si quas hujusmodi ligati sententiis forte contraxerunt vel contraxerint. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. junii, anno quarto.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. Nimociensi et .. Famagustano episcopis ac dilecto filio .. abbati monasterii de Belloloco, Cisterciensis ordinis, Nicosiensis diocesis.* — Dat. ut supra.

2610 (CCXVIII) Vatican, 17 juin 1298.

« Preficitur Guillelmus, prior provincialis ordinis Predicatorum in regno Anglie, in archiepiscopum Dublinensem. » (fol. 51.)

Dilectis filiis.. priori et conventui Sancte Trinitatis, ordinis Sancti Augustini, et.. decano et capitulo Sancti Patritii, ecclesiarum Dublinensium. Romane matris Ecclesie —.

Vacante ecclesia Dublinensi per obitum J. archiepiscopi, suprascripti, ad quos communiter electio archiepiscopi Dublinensis pertinet, quasi per inspirationem divinam magistrum Thomam de Caddeworte, decanum ecclesie Sancti Patritii, unanimiter elegerunt. Verum, etsi ipsi decretum super hujusmodi electione confectum per procuratores domino pape duxerint presentandum, predictus magister Thomas nec infra tempus legitimum nec post illud comparere curavit. Excusationes vero quibus magister Richardus de Conventre, clericus et procurator ejusdem Thome, longe post ipsius lapsum temporis in presentia domini pape constitutus, ejus absentiam nisus fuerit excusare, indignas et frivolas decernens, electionem de dicto Thoma celebratam, non persone vitio sed propter hanc ejus absentiam et alias rationabiles causas multiplices, de cardinalium consilio cassat et, provisione Dublinensis ecclesie ea vice Apostolice Sedi reservata, preficit in archiepiscopum Dublinensem G[uillelmum], tunc priorem provincialem ordinis Predicatorum in regno Anglie.

Dat Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. julii, anno quarto.

2611 (CCXVIIII) Vatican, 17 juin 1298.

« Preficitur in episcopum Vicentinum. » (fol. 51 v°).

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Vicentino. Sponso celesti —.

Dudum, Andrea Vicentino episcopo adhuc vivente, provisio ejusdem ecclesie fuerat reservata Apostolice dispositioni et post obitum dicti episcopi, suprascriptus, capellanus domini pape, in episcopum Vicentinum prefectus fuit. Verum, post ejus provisionem, ad Apostolicum pervenit auditum quod capitulum, forsan Apostolice reservationis ignarum, quondam fratrem Jacobum, suppriorem Fratrum Predicatorum de Vicentia, in episcopum postulaverat. Qui, a .. vicario prioris provincialis Lombardie consentiendi petita licentia et obtenta, postulationi consensit, eam per .. patriarcham Aquilegensem loci metropolitanum de facto similiter confirmari obtinuit seque in Vicentinum episcopum consecrari. Quibus auditis dominus papa patriarcham, per procuratorem, subpriorem, personaliter peremptorie citare curavit, et deinde dictus subprior personaliter comparens cessit. Dominus papa decrevit provisionem de suprascripto factam plenum firmitatis robur obtinere et ei consecrationis munus duxit impendendum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. julii, anno quarto.

2612 (CCXX) Vatican, 23 mars 1298.

Confertur ecclesia Sancti Salvatoris de Aquapagana, Spoletane diocesis. (fol. 52).

Dilecto filio fratri Gualthero de Camerino, priori secularis ecclesie Sancti Salvatoris de Aquapaga (sic), Spoletane diocesis, helemosinario nostro. Considerantes attentius grata —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum dudum parochialis ecclesia Sancti Salvatoris de Aquapagana, Spoletane diocesis, per quosdam occupatores et invasores illius detineretur et aliquamdiu detenta fuisset illicite occupata, dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Valliscastri, ordinis sancti Benedicti, Camerinensis diocesis, ad quos eadem ecclesia tunc pleno jure spectabat, cupientes eam de occupatorum et invasorum manibus eruere predictorum ac confidentes quod eadem ecclesia et ejus jura per te recuperari possent utiliter et defendi, tibi omnes fructus redditus et proventus tam ipsius ecclesie quam capellarum ab ea dependentium [1] percipiendos a te quoad viveres concesserunt, tuque concessionem hujusmodi de dilecti filii .. abbatis monasterii Saxivivi, predicti ordinis, Fulginatis diocesis, supprioris tui, speciali licentia acceptasti. Sicque inter te, ex parte una, et quondam Johannem Berardini, qui dum viveret se priorem, et Jacobum Petroni, Vegnatum Benveni et Johannem Albriconi, clericos dicte Spoletane diocesis, qui se canonicos ipsius ecclesie asserebant, ex altera, orta super fructibus, proventibus et redditibus ecclesie et capellarum predictarum materia questionis, nos in hujusmodi causa dilectum filium magistrum Bartholomeum, decanum Pictavensem, capellanum nostrum, deputavimus auditorem ; coram quo super libello pro parte tua oblato, in quo petebas prefatos clericos et eorum quemlibet ab ecclesia et capellis eisdem seu detentione ipsarum sententialiter amoveri et eis ne te in perceptione fructuum vel proventuum aut reddituum predictorum aliquatenus impedirent sententialiter inhiberi, lite legitime contestata, et de calumpnia et veritate dicenda hinc inde prestito juramento aliisque nonnullis in eadem causa processibus habitis, nos auditori memorato com-

1. *Ms* : depentium.

misimus et injunximus oraculo vive vocis ut, si per acta jam habita vel habenda in predicta causa liqueret vel liquere posset prefatos clericos jus in eadem ecclesia non habere, non obstante quod opponeretur te non esse capacem concessionis hujusmodi tibi facte cum existeres laicus, licet conversus, tempore concessionis ipsius, que, prout eorum habebat assertio, de jure alias etiam non valebat, teque non esse personam habilem ad agendum, prelibatos clericos ab ecclesia et capellis predictis tamquam detentores illicitos sententialiter amoveret, eis super illis perpetuum silentium imponendo; quodque super aliis in tuo predicto libello contentis, quatenus te vel jus quod te habere dicebas contingere noscebantur, quousque super hoc duceremus aliud ordinandum supersederet sententie proferende. Porro, memorato Johanne Bernardini, qui se sicut premittitur priorem ecclesie supradicte dicebat, viam universe carnis ingresso, prefatus auditor, auditis que tu et predicti superstites clerici, qui se dicebant canonicos ejusdem ecclesie, coram eo proponere voluerant, visis etiam ac diligentius inspectis confessionibus, juribus et munimentis coram ipso hinc inde factis, productis et habitis et omnibus actis ipsius cause diligenter examinatis atque discussis, quia per ea que vidit et cognovit sibi liquido constitit clericos predictos, qui se dicebant canonicos ipsius ecclesie, jus in eadem ecclesia non habere, memoratos clericos, qui se ut premittitur illius asserebant canonicos, sententialiter ab eisdem ecclesia et capellis et earum possessione seu detentione penitus privavit, imponendo eis et ipsorum cuilibet perpetuum silentium super [eis,] prout in instrumento publico inde confecto ipsius auditoris sigillo munito plenius dicitur contineri. Postmodum vero iidem abbas et conventus monasterii Valliscastri tibi, per venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Theanensem de nostro speciali mandato clericali caractere insignito, prefatam ecclesiam cum capellis eisdem ac omnibus juribus et pertinentiis suis, retinendam a te quoad viveres, contulerunt et providerunt de illis, et dilectum filium Jacobum Venture de Eugubio clericum investire curarunt tuo nomine presentialiter de eisdem, prout in alio instrumento publico inde confecto ejusdem abbatis monasterii Valliscastri sigillo munito plenius dicitur contineri, tuque collationem et provisionem hujusmodi tibi factas de speciali predicti abbatis monasterii Saxivivi tui superioris licentia recepisti.

Quod factum fuit confirmat, omnem defectum supplens.

Non obstante quod tu quoddam hospitale in civitate Camerinensi consistens hactenus tibi collatum per dilectum filium nostrum P., Sancte Marie Nove diaconum cardinalem, tunc in illis partibus Apostolice Sedis legatum, nosceris obtinere. Ceterum quia pro parte dictorum clericorum, qui se canonicos ejusdem ecclesie fore proponunt, fuisse dicitur a predicta sententia appellatum nolumus quod per hoc appellationi eorum hujusmodi et ipsius prosecutioni et omni juri eorumdem etiam circa possessionem, si quod habent, in dictis ecclesia et capellis quomodolibet derogetur vel prejudicetur; sed illud eis sit integraliter salvum et libere valeant prosequi sicut prius. Nulli ergo — nostre confirmationis et supplettionis—. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. martii, anno quarto.

2613 (CCXXI) Vatican, 27 février 1298.

Littera pro mutuo contrahendo usque ad summam sex millium florenorum auri. (fol. 52 v°.)

Dilecto filio Anselmo, priori heremi et totius ordinis Camaldunensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Aretine diocesis. Cum te apud Sedem — .Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. julii, anno quarto.

2614 (CCXXII) Vatican, 5 juillet 1298.

« Eximitur Johannes, episcopus Wintoniensis, ab omni jurisdictione .. archiepiscopi et ecclesie Cantuariensis. » (fol. 52 v°.)

Venerabili fratri.. episcopo Londoniensi et dilectis filiis .. de Hyda et .. de Scerteseya, Wintoniensis diocesis, monasteriorum abbatibus. Exhibita nobis venerabilis fratris nostri Johannis, episcopi Wintoniensis, petitio continebat quod nos, pridem volentes sibi gratiam facere specialem, ipsum et ecclesiam ac civitatem et diocesim Wintonienses nec non et homines, bona et loca, ubilibet in Cantuariensi provincia, ab omni jurisdictione, potestate et dominio.. archiepiscopi et ecclesie Cantuariensis et suffraganeorum ipsius, in quorum diocesibus homines, bona et loca predicta consistunt, et aliorum omnium quamcumque jurisdictionem exercentium de consuetudine vel de jure in dicta provincia, quoad vixerit prorsus exhimimus (*sic*), liberavimus et eripuimus de Apostolice plenitudine potestatis ipsumque episcopum et ecclesiam, capitulum seu collegium Wintonienses, ac omnia bona et loca predicta infra tempus hujusmodi omnimodo, precise et absolute soli duntaxat Romano Pontifici et Sedi Apostolice decrevimus subjacere, prout

in apostolicis litteris super hoc confectis plenius continetur. Cum autem, sicut prefatus episcopus asserit, in nonnullis ecclesiis extra suam diocesim constitutis, jus patronatus obtinere noscatur et dubitet ne, quando ad ipsas ecclesias locorum ordinariis rectores per eum presentari contigerit, cum in hujusmodi presentationibus faciendis de jure patronatus inquirendum existat, iidem ordinarii in eundem episcopum jurisdictionem aliquam valeant vendicare, ex qua privilegium exemptionis hujusmodi quomodolibet ledi posset ac inter predictum episcopum et ordinarios ipsos preterea dissenssionis materia exoriri, presertim quia, si prefati ordinarii per ipsum presentatos ad prefatas ecclesias recusent admittere in odium privilegii memorati, non poterit in hac parte super hiis nisi per nos remedium adhiberi, cum idem episcopus ab omni, sicut premittitur, aliorum jurisdictione penitus sit exemptus, ex quo multotiens eum contingeret per lapsum temporis jure presentandi privari, nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc de oportune provisionis remedio curaremus.

Mandat ut suprascripti, vel duo aut unus eorum, rectores presentatos ab episcopo Wintoniensi, si prefati ordinarii eos supra mensem instituere non curarint, dummodo sint idonei, auctoritate apostolica instituant, et vult insuper ut prefatus episcopus Wintoniensis omnem jurisdictionem ordinariorum tam in ecclesiis et capellis quorum jus habet patronatus quam in rectoribus, vicariis et presbiteris earumdem exercere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III non. julii, anno quarto.

2615 (CCXXIII) Vatican, 28 juin 1298.

« Preces ad.. regem Francie pro Johanne, episcopo Wintoniensi. » (fol. 33.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francie illustri. Pridem ad instantiam venerabilis fratris J., Wintoniensis episcopi, magnitudinem regiam per nostras geminatas litteras rogandam attente duximus et hortandam ut casalia seu maneria, terras, vineas et possessiones alias, ad eum ratione persone sue pertinentia, in regno Francie constituta, necnon vasa aurea, argentea, libros, indumenta et pannos sericos aliaque ornamenta divino cultui deputata et nonnulla alia jocalia et bona et etiam non modicam summam pecunie, apud Sancte Genovefe et Sancti Victoris, Parisiensia, et Sancti Dionisi, Parisiensis diocesis, monasteria necnon domum Militie Templi Parisiensem per dictum episcopum et procuratores suos fiducia secura deposita, et que per te seu officiales tuos, pretextu discordie que inter te et carissimum in Christo filium nostrum E., Anglie regem illustrem, exorta extitit, arestata seu saisita indebite extiterunt, pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia episcopo restitui faceres supradicto : sic te in hoc liberaliter habiturus ut idem episcopus ex nostris precibus fructum consequeretur optatum, quodque occasione predicte discordie idem episcopus ulterius super predictis minime gravaretur. Tu vero nobis per nuncios regios, ad nos pro nonnullis tuis negotiis destinatos, super predictis liberaliter respondisti quod paratus eras, cum ab episcopo seu procuratoribus suis requisitus existeres, ob nostram et Apostolice Sedis reverentiam omnia predicta, quo inveniri possent ad presens, episcopo restituere memorato, sed, quia prefata pecunia, prout iidem nuncii retulerunt, jam consumpta extiterat, eam non poteras sic celeriter restituere episcopo supradicto. Cum igitur ad ipsius episcopi quietum statum et prosperum suis exigentibus meritis intendamus et de te, utpote carissimo et devotissimo filio, fiduciam geramus in Domino specialem, regalem manificentiam rogamus adhuc et hortamur attente quatinus, ob divinam et Apostolice Sedis ac nostram reverentiam tuique salutis augmentum super hoc Apostolice Sedis beneplacitis te conformans, casalia seu maneria, terras, possessiones cum fructibus omnibus nunc inventis ac etiam animalia, vasa, libros, indumenta, jocalia et alia bona omnia supradicta summoto dilationis diffugio eidem episcopo vel procuratoribus suis pro ipso de munificentia regia restitui facias sive reddi, aliquem competentem terminum eidem episcopo vel ejus procuratoribus assignando infra quem ipsi episcopo vel procuratoribus ipsis pro eo per te restituatur pecunia supradicta, teque procuratoribus ipsis in episcopi prelibati negociis, cum super illis ad te recursum habuerint, favorabilem et propitium prebeas ac benignum, ut ab Eo qui est bonorum omnium retributor condigna premia consequaris, nosque proinde regie devotionis promptitudinem uberibus in Domino laudibus attollamus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. julii, anno quarto.

2616 (CCXXIIII) Vatican, 28 juillet 1298.

« Executoria de mutuo pro Anselmo, priore heremi et totius ordinis Camaldunensis. » (fol. 43).

Dilectis filiis magistris Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis, et Leonardo de Anticulo, Ana

gnine, ac Raynerio Ghiberti, Florentine canonicis ecclesiarum. Cum dilectus filius —.

Dantur executores super mutuo contracto per Anselmum, priorem heremi et totius ordinis Camaldunensis, a Symone Gerardi de societate Rogerii et Lapi Spine de Spinis de Florentia, mutuante pro se ac pro eisdem Rogerio et Lapo ac Phylippo et Spina, filiis dicti Lapi, Nero Cambii, Duccio Juncte, Ventio Davanzati, Bericevuto Cambii, Bartholo Abbadinchi et Albizo Martini et aliis.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II non. julii, anno quarto.

2617 (CCXXV) Vatican, 10 juillet 1298.

« Executoria de mutuo contrahendo pro quibusdam abbatibus ordinis Cisterciensis et totius ordinis. » (fol. 43 v°).

Dilectis filiis magistris Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis, et Leonardo de Anticulo, canonico Anagnine ecclesiarum, et officiali Trecensi. Nuper ditecti filii Petrus, de Firmitate, et Gerardus, de Morimundo monasteriorum abbates, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis et Lingonensis diocesium, more devotorum filiorum qui patris libenter supportant onera que, occasione scismaticorum Columpnensium nostrorum et Ecclesie Romane rebellium ad quorum plectendam superbiam et nequitiam conterendam per hostiles processus et exercitus continue laboramus, nos et Ecclesiam ipsam oportuerat antea et oportebat tunc sicut et adhuc etiam oportet ex necessitate subire, grata meditatione pensantes, sex milia florenorum auri nomine ipsorum et dilectorum filiorum Ruffini, Cisterciensis, Symonis, de Pontiniaco, et Johannis, de Claravalle monasteriorum abbatum, Cisterciensis ordinis, Cabilonensis, Autisiodorensis et Lingonensis diocesium, et totius ordinis supradicti nobis in subsidium expensarum hujusmodi liberaliter obtulerant. Verum, cum ad id et contrahendum mutuum super dicta quantitate dicti Petrus et Gerardus procuratorium non haberent sufficiens, nobis humiliter supplicarunt ut usque ad hujusmodi summam sex milium florenorum auri nomine ipsorum et aliorum predictorum abbatum et ordinis mutuum contrahendi sub modis et formis infrascriptis, sine quibus creditores se putabant invenire non posse, largiri eis licentiam dignaremur.

Conceditur eis dicta licentia pro mutuo recepto a « Symone Gerardi et Berricevuto Cambii sociis, civibus et mercatoribus Florentie, de societate Rogerii et Lapi Spine de Spinis de Florentia, mutuantibus pro se ipsis et eisdem Rogerio et Lapo, Phylippo et Spina fratribus dicti Lapi, Nero Cambii, Duccio Juncte, Bencio Davanzati, Guidone Bardi, Raynerio et Gerardo Hughi, Guidone Berthaldi, Masseo Carissimi, Bonifatio Rogerini, Advocato Gerardi et Bartholomeo Marchi sociis et concivibus suis et pro ceteris sociis dicte societatis. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. julii, anno quarto.

2618 (CCXXVII) Vatican, 15 janvier 1298.

» Alia executoria super eodem et pro eisdem. » (fol. 43 v°).

Eisdem. Exponentibus pridem nobis —.

Ut prelibati abbates in forma CCXXV capituli pro negotiis ipsis Sedem Apostolicam expediendis mutuum mille florenorum auri ab eisdem mercatoribus contrahere possint.

Dat ut supra.

2619 (CCXXVI) Vatican, 10 juillet 1297.

« Quod possit conferre beneficia que tanto tempore vacaverunt in sua civitate et diocesi quod eorum collatio, etc. » (fol. 54.)

Venerabili fratri Antonio, episcopo Civitatensi. Tuam volentes honorare personam et per honorem tibi exhibitum aliis providere, conferendi hac vice personis ydoneis de quibus videris expedire, per te vel per alium seu alios, canonicatus, prebendas et alia beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, etiam si personatus vel dignitates existant, que in ecclesia, civitate et diocesi tuis tanto tempore vacaverunt quod eorum collatio est per lapsum temporis secundum Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, eorum videlicet singulis de singulis canonicatibus, prebendis et beneficiis dumtaxat, et amovendi quosque detentores illicitos a canonicatibus, prebendis et beneficiis supradictis, eis prout justum fuerit evocatis, et inducendi personas ipsas in corporalem possessionem illarum et defendendi[1] inductas, necnon et contradictores et cetera usque : compescendi plenam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem : non obstantibus si pro aliis in partibus illis direximus scripta nostra, quibus nolumus auctoritate presentium prejudicium generari, vel si aliquibus a Sede Apos-

1. *Mss :* defendi.

tolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneatur, quodque ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras et cetera usque : mentionem, et qualibet alia et cetera usque : mentio specialis. Proviso quod persone, quibus de hujusmodi beneficiis et prebendis duxeris providendum, in ipsis debitam residentiam et ad omnes ordines quos eorumdem prebendarum et beneficiorum cura requiret se faciant statutis temporibus promoveri. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVIII kal. februarii, anno tertio [1].

2620 (CCXXVIII) Vatican, 8 juillet 1298.

« Confertur prepositura ecclesie Tholosane. » (fol. 54.)

Dilecto filio magistro Yspano de Seysis, preposito ecclesie Tholosane, ordinis sancti Augustini. Laudabile testimonium —.

Preposituram ecclesie Tholosane, ordinis sancti Augustini, per consecrationem apud Sedem Apostolicam Arnaldi, episcopi Tholosani, qui eam obtinebat, vacantem et Apostolice Sedis donationi reservatam, suprascripto, tunc canonico ejusdem ecclesie, confert, ea conditione tamen ut prioratum de Morello ejusdem diocesis et quasdam decimas in ipso que noscitur obtinere dimittat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id julii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. sancti Papuli et .. Sancti Policarpi, Appamiarum et Narbonensis diocesium, monasteriorum abbatibus, ac .. archidiacono Gamagensi in ecclesia Vasatensi* —. Dat ut supra.

2621 (CCXXVIIII) Vatican, 10 juillet 1298.

« Quod requirat commune castri Saxoferrati, Nucerine diocesis, quod assignent sibi castrum Dolii, ejusdem diocesis. » (fol. 54 v°.)

Dilecto filio .. rectori Spoletano vel ejus vicario. Cum nos dilectis —.

Cum per alias litteras sub certis penis et forma datum fuerit .. potestati, consilio et comuni Saxoferrati, Nucerine diocesis, in mandatis « ut castrum Dolii, ejusdem diocesis, cujus occasione magna inter civitatis Eugubii et dicti castri Saxoferrati communia contentione suborta, gravia hinc inde dampna et injurie sunt illata, ac ejus jurisdictionem et curiam et possessionem eorum » libere in manibus suprascripti assignent, quam primo ab eo fuerint requisiti, tenenda et custodienda Ecclesie Romane nomine quousque aliud de ipsis ordinatum fuerit, mandat ei ut infra quindecim dies a receptione presentium, prefatum comune super dicta assignatione requirens, castrum ipsum recipiat custodiendum et quicquid super hoc factum fuerit domino pape intimare procuret.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. julii [1], anno quarto.

(POTTHAST, 24689.)

2622 (CCXXX) Vatican, 18 juillet 1298.

« Super eodem. » (fol. 54 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Perusino. Cum nos civitatis Perusii et castri Saxoferrati, Nucerine diocesis, potestatibus, consiliis et comunibus quasdam, occasione quorumdam condempnationis, pronuntiationis aliorumque processuum per eosdem Perusinos contra Eugubinos in favorem ipsius comunis Saxoferrati factorum, tibi per .. latorem presentium presentandas, apostolicas litteras dirigamus, precepta, inhibitiones, penas et alia continentes, nec velimus circa presentationem ipsarum debitam diligentiam pretermitti, fraternitati tue districte in virtute obedientie ac sub excommunicationis pena per apostolica scripta mandamus quatinus prefatas litteras comuni Perusino directas, per te infra duos, et Saxoferasensi, per te vel alium seu alios infra sex dies ab ipsarum receptione, presentare procures, nobis per tuas litteras harum seriem continentes quod super hiis factum fuerit fideliter rescripturus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XV kal. augusti, anno quarto.

2623 (CCXXXI) Vatican, 15 juillet 1298.

« Executoria de mutuo pro .. abbate et conventu Cluniacensibus. » (fol. 54 v°.)

Dilectis filiis magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori ecclesie Morinensis, et magistro Leonardo de Anticulo, canonico Anagnino, ac .. officiali Trecensi. Nuper dilectus filius —.

Ut Hugolinus de Vallegravosa, monachus Cluniacensis, decanus domus Sancti Saturnini de Portu, Cluniacensis ordinis,

1. In margine legitur iterum : *anno tertio.*

1. Errant Theiner et Potthast (24689) notando : VI *id. junii.*

Uticensis diocesis, pro expensis subsidii decem millium florenorum auri liberaliter oblati occasione rebellionis Columpnensium, nomine fratris Bertrandi, abbatis Cluniacensis, et ejusdem loci conventus et ordinis Cluniacensium, mutuum ejusdem summe contrahere possit a « Landone Sigoli et Calojanne Cipriani de societate Mozorum de Florentia mutuantibus pro se ipis ac Ricardo Vanne et Andrea de Mozis, Jano Bentevegne, Borghino Lotherii, Nicolao ejus filio, Bartholo Usimbaldi, Bartholomeo Gerardi, Cambino Falconerii, Philippo Borghi et ceteris sociis. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. julii, anno quarto.

2624 (CCXXXII) Vatican, 10 juillet 1298.

« Pro facto castri Dolii. » (fol. 55.)

Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, consulibus et communi Perusinis. Olim, prout plurium expositione didicimus, inter civitatis Eugubii et castri Dolii, diocesis Nucerine, communia occasione castri Dolii, ejusdem diocesis, vel ejus ac aliorum quorumdam confinium contentione suborta, et gravibus hinc inde propterea dampnis et injuriis ac offensis hostilibus subsecutis, tandem universitas dicti castri Saxoferrati, se debiliorem in ipsa contentione respiciens, pretextu nove vel antique submissionis vobis per eos facte vel colligationis aut confederationis vobiscum inite, prepotentis brachii vestri favorem et subsidium implorarunt ac etiam habuerunt, neutris vestrum advertentibus, prout subsequentium actuum demonstravit effectus, quod ipsa universitas Romane matris Ecclesie dominio subjaceret, vel quod ex hujusmodi submissionibus seu colligationibus sepe solent inter communes et unitos fideles divisionis scandala et guerrarum dispendia generari. Demum Eugubinis, metu comminationis seu edictionis exercitus et diffidationis quas contra eos pretextu eorum Saxoferratensium fecistis, qui metus merito cadere potuit in constantem, de contemptione (*sic*), dampnis et injuriis memoratis se libere vestri communis manibus supponentibus, vos inter plura alia, que contra ipsos pronuntiasse dicimini, prefatum castrum Dolii cum ejus curia et jurisdictione communi Saxoferrati adjudicantes, prefatos Eugubinos eidem communi pro voluntatis libito in quatuordecim millibus Ravennatium certis solvendorum terminis condempnastis. Quare nos nolentes ut predictorum occasione simultates et scandala inter tam caros Ecclesie fideles et filios oriantur vel forsitan jam exorta subcrescant, aut propterea jurisdictioni et honori ejusdem Ecclesie derogetur et nostro, submissionem seu colligationem sive noviter sive antiquitus per prefatos Saxoferratenses ac suppositionem per prefatos Eugubinos vobis factas, quocumque nomine censeantur, ac adjudicationem dicti castri Dolii ejusque jurisdictionis et curie, condempnationem, sententiam, laudum, preceptum et quamlibet pronuntiationem et processum, per vos contra prefatos Eugubinos quocumque modo facta, habita vel prolata, promissiones quoque, obligationes, federa sive pacta inter vos et predicta communia vel alterum eorumdem, predictorum occasione facta vel inita, juramento vel alterius pene adjectione vallata, presentium tenore dissolvimus, cassamus, irritamus et cassa et irrita nuntiamus ac nullius esse volumus firmitatis, vos et utrumque predictorum communium ab observatione predictorum et cujuslibet eorum, et cujusvis pene que propterea potuisset committi vel exigi, totaliter absolventes; ac nichilominus vobis .. potestati, .. capitaneo, consulibus et ceteris officialibus, sub excommunicationis, vobisque communi, sub interdicti pena, quam vos incurrere volumus ipso facto si mandati nostri hujusmodi fueritis contemptores, per apostolica scripta mandamus quatinus ad executionem predictorum vel alicujus ipsorum contra sepedictos Eugubinos non procedatis, nec eos ad observationem predictorum per viam aliquam compellatis. Nos enim intendimus super hiis contentionibus, controversiis, impetitionibus et querelis finem debitum imponere et justitie facere complementum. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. julii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. potestati, consilio et communi Saxoferratensibus, Nucerine diocesis.* Olim prout —.

Mandat eis « quatinus nichil a prefatis Eugubinis pretextu condempnationis, sententie, laudi, precepti seu impositionis pene vel alicujus pronuntiationis aut processus per commune Perusii contra eosdem Eugubinos factorum » exigere presumentes, prefatum castrum Dolii in manibus rectoris ducatus Spoletani assignent. « Alioquin contra vos temporaliter et spiritualiter, prout nobis videbitur procedèmus. »

Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24719-24720.)

2625 (CCXXXIII) Vatican, 12 juillet 1298.

« Super testamento bone memorie J., tituli Sancte Cecilie presbyteri cardinalis. » (fol. 45 v°).

Dilectis filiis.. archidiacono Narbonensi et magistro Grimerio de Placentia, canonico Parisiensi. Olim bone memorie J., tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis, credens de bonis suis in sua voluntate ultima testamen-

tum, prout id sibi ex facultate super hoc ab Apostolica Sede ei concessa licebat, aliqua de bonis predictis certis personis et locis, quosdam ad hoc executores, alios videlicet in regno Francie super bonis que obtinebat ibidem, et alios in partibus citramontanis super bonis suis ibi existentibus, ejusdem constituens testamenti, dictisque executoribus in prefato regno constitutis injungens ut totum residuum, si quod esset, de bonis suis predictis in dicto regno existentibus ultra legata in eodem testamento contenta, distribueretur per memoratos executores in prefato regno ut premittitur constitutos pro salute anime testatoris ipsius prout illis expediens videretur. Eodem vero testatore viam universe carnis ingresso, prelibati executores in regno constituti predicto, ad horum executionem juxta formam sibi traditam procedentes, post solutionem legatorum distincte relictorum quamdam de bonis residuis domum construi fecerunt Parisius, certis eidem domui proventibus deputatis pro substentatione pauperum magistrorum qui inibi studerent in theologica facultate, et plura alia de predictis bonis et residuis erogaverunt in alios pios usus. Cumque postmodum carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, partem dimidiam de hiis que in regno predicto forent indistincte legata pro subsidio expensarum quas occasione guerre regni predicti oportebat eum subire per nostras certi tenoris litteras duxerimus concedendam, vobis ad id eidem regi per alias nostras sub certa forma litteras executoribus deputatis, vos plura, sicut accepimus, ex bonis predictis ad opus regis ipsius, talium litterarum pretextu super hoc vobis directarum, arestari fecistis et etiam detineri, et, licet aliqui ex prefatis executoribus dicti testamenti constitutis in eodem regno superstites reliquis decededentibus etiam post cessionem hujusmodi de quibusdam aliis ex predictis bonis residuis disposuerunt prout visum fuit eisem, illis tamen postmodum sublatis de medio, nondum executio hujusmodi est impleta ; sed ex bonis predictis per vos taliter arestatis alia dicuntur fore distracta, alia per vos vel de vestro mandato adhuc etiam detineri. Nos autem, qui cardinalem eumdem inter ceteros fratres nostros ob suorum manitudinem (*sic*) meritorum multa fuimus benivolentia prosecuti, debita meditatione pensantes sinceritatis affectum quem ipse dum vixit ad regem habuit prelibatum, ac propterea non indigne putantes quod etiam ipsi regi placere debeat ut supprema dicti cardinalis dispositio submotis impedimentis quibuslibet impleatur, dilecto filio nostro J., tituli Sanctorum Marcellini et Patri presbytero cardinali, quem plenos ad eundem regem habere cognoscimus dilectionis affectus, mandavimus atque conmisimus oraculo vive vocis ut, tam de domo predicta et bonis ei deputatis, quam de aliis ad hujusmodi executionem spectantibus, per se vel alium seu alios auctoritate nostra disponeret, prout juxta sue discretionis arbitrium et ipsius continentiam testamenti ad salutem anime testatoris cognosceret pertinere, hiis que per predictos alios executores dicti testamenti fuerant disposita, prout provide secundum formam testamenti predicti acta fuerant, in suo robore nichilominus duraturis, ac deinde, nuntiis regis ejusdem apud Sedem Apostolicam constitutis ad nostram presentiam evocatis, de ipsorum assensu et voluntate decrevimus bona hujusmodi, per vos vel de vestro ut predicitur mandato arestata taliter seu detenta, restituenda fore et eidem cardinali Sanctorum Marcellini et Petri, vel ejus nuncio seu nuntiis, quem vel quos ipse ad hec in illis partibus deputarit, integraliter assignanda. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus hujusmodi bona taliter arestata et detenta prefato Johanni cardinali et nuncio seu nunciis ejus predictis plene et integre faciatis omni difficultate cessante restitui et etiam assignari, ut impleri valeat prout in votis gerimus pia ipsius dispositio testatoris : nobis quamtotius rescripturi plenarie quicquid per vos fieri contigerit in premissis. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII id. julii, anno quarto.

2626 (CCXXXIIII) Vatican, 1er juillet 1298.

« Dispensatio super matrimonio cum filio et filia.. Anglie et.. Francie regum. » (fol 55 v°).

Dilecto filio nobili viro Eduardo, Eduardi Anglie, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelli, Phylippi Francie regum, carissimorum in Christo filiorum nostrorum natis. Regis eterni mira benignitas honore multiplici sponsam suam Romanam Ecclesiam insignivit ; sed in hoc potissime fecit ipsam honorabilem et felici statu fulgentem quod eidem, in clavium collatione celestium, illam tribuit plenitudinem potestatis ut non solum in hiis, in quibus jura difficultatis obstaculum non inducunt, possit tam personis sublimibus quam humilibus adesse munifica, sed in hiis etiam que jura prohibent nonnunquam supra jus de jure valeat dispensare. Quapropter Romani Pontificis precellens auctoritas, qualitates negotiorum et merita personarum diligenti circumspectione prospiciens, nonnulla interdum certis personis que alias forent illicita concedit de sue plenitudine potestatis, tunc in illis rigorem justitie mansuetudine temperans et [1] quod negant jura de gratia benignitatis indulgens, presertim

1. *Ms :* ei

cum necessitas exigit et causa rationabilis id exposcit. Sane guerrarum turbines, scandalorum procellas, turbationum impetus et fremitus tempestatum, que inter carissimos in Christo filios nostros Eduardum Anglie, ex parte una, et Phylippum Francorum, ex parte altera, reges illustres, patres vestros, et utriusque regna et terras jam per non modici temporis spatium pacis emulus Satane spiritus suscitavit, ex quibus animarum discrimina, personarum pericula et damna rerum innumera proh dolor! contigerunt, foret superfluum enarrare, cum hec per universa terrarum spatia pateant et per singulos orbis angulos innotescant. Cumque pacis Actor et salutis Amator per inspirationem sui spiritus et exhortationes ac sollicitudines nostras, continue in hac parte non sine immensitate laborum adhibitas, nuper corda partium emolisset ad pacem ac fuisset in nos hinc et inde super hiis et aliis partium discordiis et super reformatione pacis et concordie compromissum, nos, desiderantes ut hujusmodi negotium finem prosperum sortiretur, inter cetera perpetuam fieri pacem per nostrum arbitrium pronuntiavimus inter eas, et ad hujusmodi pacem confirmandam, roborandam atque servandam voluimus, laudavimus et mandavimus ut inter vos invicem firmaretur et fieret copula conjugalis. Verum, quia obsistente vobis impedimento quarti gradus consanguinitatis, quo vobis ad invicem attinetis, videlicet te, fili Eduarde, tertio, te, filia Isabelli, quarto gradu a stipite differentibus, id non potest absque dispensatione Sedis Apostolice legitime provenire. Nos, ex predictis rationabilibus causis moti et factis nobis in hac parte supplicationibus inclinati, et ad preterita mala sedanda et obliviscendam memoriam eorumdem, ac ad obviendum periculis que possint contingere in futurum et ad procuranda et nutrienda vere pacis et dilectionis commoda hinc et inde, vobiscum, ut, impedimento consanguinitatis hujusmodi non obstante, matrimonialiter invicem legitime copulari et licite remanere possitis auctoritate apostolica de speciali gratia dispensamus : prolem suscipiendam ex vobis ex hujusmodi matrimonio ex nunc legitimam de apostolice potestatis plenitudine nunciantes. Nulli ergo etc. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2627 (CCXXXV) Vatican, 29 juin 1298.

« Super assignatione terrarum quas tenuerat rex Anglie in regno Francie ante guerram. » (fol. 56).

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri. Nuper inter te, ex parte una, et carissimum in Christo filium nostrum Eduardum, regem Anglie illustrem, ex altera, ex virtute compromissorum factorum in nos per tuos et ipsius procuratores et nuntios, inter cetera duximus arbitrandum quod omnes terre, vasalli et bona, tam que tu tenes de hiis que tenuerat dictus rex Anglie ante guerrem presentem, quam que ipse rex Anglie tenet in regno Francie, bona fide ac sine omni fraude absolute et libere ponantur et assignentur in manibus et posse nostris, a nobis tenenda, tuo nomine, que ex parte tua, et nomine regis Anglie, que ex parte ipsius nobis fuerunt assignata. Ad felicem igitur executionem hujusmodi negotii procedere de bono in melius efficacibus studiis intendentes, serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quod, ad ea que sunt salutis, quietis et pacis inter te ac eundem regem Anglie mentem et actus tuos more prudentis principis provide dirigens et conformans, omnes terras, vasallos et bona que per te vel de tuo mandato tenentur, de hiis que ut predicitur idem rex Anglie ante presentem guerram in tuo regno tenuerat, venerabili fratri nostro Arnaldo, episcopo Tholosano, de cujus industria et circumspectione ac fidelitate confidimus et cui super hoc per alias nostras litteras specialem commissionem duximus faciendam, juxta predicti modum arbitrii liberaliter assignes et facias assignari, tenenda, custodienda et conservanda per eum donec super hoc aliud duxerimus disponendum. Sic te in hac parte prompte, benigne ac liberaliter habiturus quod magnificentia regia exinde apud Deum et homines dignis laudibus extolli valeat, nosque personam tuam, quam affectione plena prosequimur, amplioribus efferre honoribus debeamus. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kal. julii, anno quarto.

2628 (CCXXXVI) Vatican, 29 juin 1298.

« Super eodem. » (fol. 56 v°).

Carissimo in Christo filio Eduardo, Regi Anglie illustri. Nuper inter carissimum in Christo filium nostrum Phylippum, regem Francorum illustrem, ex parte una, et te, ex altera, ex virtute compromissorum factorum in nos per ipsius et tuos procuratores et nuntios, inter cetera duximus arbitrandum quod omnes terre, vasalli et bona, tam que tenet ipse rex Frantie de hiis que tenueras ante guerram presentem, quam que tu ipse tenes in regno Francie, bona fide et sine omni fraude, absolute ac libere ponantur et assignentur in manibus et posse nostris, a nobis tenenda, nomine predicti regis Francie, que ex parte ipsius, et nomine tuo, que ex parte tua nobis fuerint assignata. Quare ad felicem executionem et cetera ut in precedenti usque : salutis, quietis et pacis

inter eundem regem Francie ac te mentem et actus tuos et cetera usque : vassallos et bona que per te vel nomine tuo per alios in eodem Francie regno tenentur venerabili fratri nostro Arnaldo, episcopo Tholosano, de cujus et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

2629 (CCXXXVII) Vatican, 30 juin 1298.

« Super eodem. » (fol. 56 v°.)

Venerabili fratri Arnaldo, episcopo Tholosano. Nuper inter carissimos —.

Commemorat eisdem verbis quam in capitulis precedentibus arbitrium quod ex virtute compromissorum utriusque partis protulit inter reges Francie et Anglie et prosequitur :

Scribimus quoque per alias litteras nostras regibus antedictis ut terras, vassallos et bona predicta tibi, de cujus industria et circumspectione confidimus, nomine nostro juxta predicti modum arbitrii, assignent seu faciant liberaliter assignari, tenenda, custodienda et conservanda per te donec super hoc aliud duxerimus disponendum. Tibi insuper per alias litteras nostras injungimus ut, illuc te personaliter conferens, terras, vasallos bonaque omnia supradicta petas et recipias per te ac alium seu alios nomine nostro a regibus prefatis vel ab illis per quos ea tibi mandabunt et facient assignare, eaque fideliter teneas, custodias et conserves donec tibi super hoc per nos aliud injungatur.

Verum quia tibi nimis laboriosum existeret super hoc diutius laborare, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus terras, vasallos et bona predicta, postquam et prout tibi fuerint assignata tuque illa receperis, ut est dictum, dilectis filiis nobilibus viris R[oberto], duci Burgundie, J[ohanni], duci Britannie ac G[uidoni], comiti Sancti Pauli, vel duobus aut uni eorum nomine omnium, vel alii seu aliis ad hoc legitime ordinatis ab ipsis, ad requisitionem eorum, liberaliter nomine nostro assignare procures per te, vel alium aut alios, sub modis et conditionibus infrascriptis, videlicet quod ipsi ad beneplacitum nostrum illa que pro parte regis Francie, ea ejus nomine, illa vero que pro parte regis Anglie assignata fuerint, ea pro eodem rege Anglie ac suo nomine tenebunt, custodient et conservabunt fideliter donec per nos super hoc aliud extiterit ordinatum, et quod interim de fructibus, reditibus et proventibus eorumdem terrarum, vasallorum atque bonorum, deductis tantum pro ipsorum custodia et regimine moderatis expensis, respondebunt dictis regibus pro rata bonorum prout hinc inde fuerint, ut predicitur, assignata.

Quod si nos mori contigerit antequam de terris, vasallis et bonis hujusmodi per nos fuerit plenarie arbitratum, ipsi hujusmodi terras, vasallos et bona restituent dictis regibus, prout ab eisdem regibus assignata fuerint et recepta ; ita quod unicuique reddatur quod receptum fuerit ab eodem. Ad hec autem per eos cum effectu facienda et exequenda fideliter, ipsi et eorum quilibet, vel duo aut unus ex eis vice ac nomine omnium, per se aut etiam per alium vel alios ad hoc legitime ordinatos ab ipsis, tibi prestabunt, vel alii ad hoc a te deputato, nomine nostro recipienti firmiter juramentum. Si vero hujusmodi eorum officio perdurante, unum vel duos ex eis mori contigerit vel ex alia legitima causa impediri, ea omnia reliqui vel reliquus, ut premittitur, fideliter exsequentur. Super autem hujusmodi assignatione per te facienda et juramentorum prestatione ac omnibus supradictis confici facias unum vel plura publicum vel publica instrumenta, illud vel illa nobis fideliter transmissurus et retenturus penes te simile vel similia instrumentum vel instrumenta nichilominus ad cautelam, rescripturus quoque nobis per tuas litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeris faciendum ; sic in premissis te diligenter ac provide ac fideliter habere procurans quod diligentiam tuam exinde commendare merito valeamus. Per hec autem dictis regibus nullum prejudicium generetur nichilque novi juris accrescat vel decrescat. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24709).

2630 (CCXXXVIII) Vatican, 7 juillet 1298.

Quod possit contrahere mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri. (fol. 56 v°.)

Venerabili fratri Ferdinando, episcopo Mindoniensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. julii, anno quarto.

2631 (CCXXXVIIII) Vatican, 7 juillet 1298.

Idem usque ad summam quingentarum marcharum argenti. (fol. 56 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Tholetano. Cum sicut in nostra —. Dat. ut supra.

2632 (CCXL) Vatican, 7 juillet 1298.

Idem usque ad summam mille ducentorum florenorum auri. (fol. 56 vº.)

Venerabili fratri Guidoni, episcopo Famagustano et Anteradensi. Cum sicut —. Dat. ut supra.

2633 (CCXII) Vatican, 22 juin 1298.

Preficitur in episcopum Famagustanum et Anteradensem. (fol. 56 vº.)

Venerabili fratri Guidoni, Famagustano et Anteradensi episcopo. Summo pastoris — incrementa. Sane Famagustana et Anteradensi ecclesiis, que auctoritate apostolica sunt unite, per obitum bone memorie Mancelli, Famagustani et Anteradensis episcopi, pastoris solatio destitutis, dilecti filii capitulum Famagustane et canonici ipsius Anteradensis ecclesiarum in regno Cipri commorantes, qui pro electione facienda de ipsarum ecclesiarum pastore, cum eas vacare contingit, ex ordinatione Sedis Apostolice debent in dicta Famagustana ecclesia cum ipso capitulo convenire, convenientes in unum et, vocatis omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, die ad eligendum prefixa, deliberantes super hoc per viam procedere compromissi, dilectis filiis Jacobo More, Famagustane, Baldoyno de Cypro et Guarnerio de Sydone, Anteradensis predictarum ecclesiarum canonicis providendi ea vice dictis ecclesiis de pastore potestatem, per unum diem et usque ad horam tertiam alterius diei proximi duraturam, plenam et liberam unanimiter concesserunt. Iidem vero compromissarii, in se hujusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post diligentem quem super hoc habuere tractatum, in te, tunc archidiaconum ejusdem ecclesie Famagustane, direxerunt unanimiter et concorditer vota sua, ac idem Jacobus, auctoritate concessionis hujusmodi, vice sua et eorumdem collegarum suorum ac de ipsorum consensu et voluntate, potestate adhuc durante predicta, in Famagustanum et Anteradensem episcopum canonice te elegit, et electionem hujusmodi publicavit illico in communi. Quam dicti canonici et capitulum unanimiter approbarunt, tuque postmodum electioni hujusmodi de te facte infra tempus legitimum consensisti. Verum Stephanus de Antiochia, canonicus ejusdem Anteradensis ecclesie, postmodum electioni hujusmodi se opponens, ad Sedem Apostolicam appellavit, tuque juxta tenorem constitutionis felicis recordationis Nicolai pape tertii, predecessoris nostri, propter hoc ad Sedem eandem personaliter accessisti, et, presentato nobis per te hujusmodi electionis decreto, a nobis ut electionem confirmaremus eandem suppliciter postulasti. Sed, eodem Stephano in nostra presentia constituto et electionem hujusmodi impugnante, nos venerabilem fratrem nostrum J., episcopum Tusculanum, dedimus in hujusmodi negotio auditorem. Demum vero, postquam coram dicto episcopo aliquandiu in ipso negotio processum exstitit, memorato Stephano sponte ab oppositione hujusmodi desistente, nos postmodum prefatam electionem per eundem episcopum Tusculanum et dilectos filios nostros Johannem, tituli Sanctorum Marcelli et Petri presbyterum, et Neapoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter et, quia electionem ipsam invenimus de persona ydonea canonice celebratam, eam de ipsorum et aliorum fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica duximus confirmandam ; preficientes te ipsis Famagustane et Anteradensi ecclesiis in episcopum et pastorem, curam et administrationem earumdem ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, tibique postmodum per venerabilem fratrem nostrum G., episcopum Sabinensem, munus fecimus consecrationis impendi —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. julii, anno quarto.

In e. m. *capitulo Famagustane et canonicis Anteradensis ecclesiarum.*

In e. m. *clero civitatum et diocesium Famagustane et Anderadensis.*

In e. m. *populo civitatum et diocesium Famagustane et Anteradensis.*

In e. m. .. *regi Cypri.*

2634 (CCXLII) Vatican, 30 juillet 1298.

« Executoria de mutuo pro Gundisalvo, archiepiscopo Toletano. » (fol. 57 vº.)

Dilectis filiis.. preposito et.. archidiacono Parmensis ac.. thesaurario Cathalaunensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Executoria super mutuo contracto per Gundisalvum, archiepiscopum Toletanum, a Lanfranco Anselmi et Baldo Raynerii de societate Clarentum de Pistorio, mutuantibus pro se et pro Donato Bartholomei et Francisco Vulterani et ceteris eorum sociis.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kal. augusti, anno quarto.

2635 (CCXLIII) Vatican, 31 juillet 1298.

« Executoria de mutuo pro Guidone, Famagustano et Anteradensi episcopo. » (fol. 57 v°.)

Dilectis filiis magistris Nicolao de Neapoli, archidiacono Messanensis, et Raynerio de Vichio, Lichefeldensis, capellano nostro, ac Bandino de Cipro, Nicosiensis canonicis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Executoria super mutuo contracto per Guidonem, episcopum Famagustanum et Anteradensem, a Bartholo Jacobi Buere mutuante pro se ac Cino Jacobi de Bardis, Bochino Clari, Berardo Ranutii, Lippo Ildebrandini, Tingo Uberti et ceteris sociis de societate Cini de Bardis.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. augusti, anno quarto.

2636 (CCXLIIII) Vatican, 25 juillet 1298.

« Dispensatio super pluralitate. » (fol. 57 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Molendino, capellano nostro, archidiacono Vesalmensi in ecclesia Sancti Vincentii de Manso, Agennensis diocesis. Honestas morum —.

Consideratione bone memorie B., episcopi Albanensis, cujus camerarius fuit, suprascripto archidiaconatum Cantorie in ecclesia Wellensi per mortem Iterii Bochardi de Engolisma, Eduardi regis Anglie clerici, qui nuper de Romana curia recedendo apud Sanctum Quiricum, Aretine diocesis, diem clausit extremum, confert, nonobstante quod archidiaconatum Vezalmensem in ecclesia Sancti Vincentii, in ea et Vasatensi ecclesiis beneficia, ac parrochialem ecclesiam de Monte Astruco, predicte diocesis, et quasdam decimas noscitur obtinere, et de dignitate in Vasatensi, de canonicatu in Agennensi ecclesiis per litteras apostolicas provisus est.

Data[1] Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. augusti, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri.. archiepiscopo Eboracensis et dilectis filiis .. decano Herfordensis ac .. preposito Massiliensis ecclesiarum.* Data ut supra.

2637 (CCXLX) Rieti, 26 septembre 1298.

« Executoria super mutuo pro Roderico, episcopo Mindoniensi. » (fol. 58 v°.)

Dilectis filiis .. preposito et .. archipresbitero Pistoriensis et .. thesaurario Cathalaunensis ecclesiarum. Exponente nobis pridem —.

Executoria super mutuo contracto per Rodericum, episcopum Mindoniensem, a Lanfranco Anselmi, Symone Bonacursi, Francischo Vullerani, Bracio Gerardini de societate Clarentum de Pistorio mutuantibus pro se et pro Claretino Anselmi, Merguliosio et Johanne Bracchini, Putio et Baldo Raineri et ceteris.

Data Reate, VI kal. octubris, anno quarto.

2638 (CCXLVI) Rieti, 27 septembre 1298.

« Dispensatio super pluralitate. » (fol. 59.)

Dilecto filio magistro Johanni de Diakenefford diacono, canonico Eboracensi, capellano nostro, clerico et familiari carissimi in Christo filii Eduardi, regis Anglie illustris. Apostolice Sedis gratiosa —.

Obtentu regis Anglie, dispensatur cum suprascripto ut ecclesias de Hemingburgh, de Hyngesclere, de Balescham et de Dalestone, Wintoniensis, Elyensis, Conventrensis, Carleolensis diocesium, una cum canonicatibus in Eboracensi, Saresbirensi, Wellensi, Dublinensi et Kildarensi ac in Sancti Martini Magni, Londoniensis, et de Aklande ac de Derlingtone, Dunelmensis diocesium, ecclesiis retinere possit: proviso quod de predictarum ecclesiarum fructibus portionem congruam in utilitatem earum convertere non postponat et ecclesias de Childeville et de Barentone, Eboracensis et Lichefeldensis diocesium, omnino dimittat.

Data Reate, V kal. octubris, anno quarto.

2639 (CCXLVII) Rieti, 22 septembre 1298.

« Agregatur numero capellanorum. » (fol. 59 °.)

Dilecto filio magistro Johanni de Diakenefford[1], *canonico Eboracensi, capellano nostro.* Quia laudabilibus meritis adjuvaris, sicut carissimi in Christo filii nostri Eduardi, regis Anglie illustris, cujus clericus et familiaris existis, et alias fame laudabilis tibi testimonium suffragatur, gratum sensimus de forma tue probitatis odorem. Per que et consideratione dicti regis ad tui honoris augmentum eo plenius et efficacius invitamur, quo circa

1. Sic legitur in codice.

1. In codice legitur; *Drokeveford* sed erravit rubricator sicut conjici potest ex indice ubi legitur: *Eidem* et ex titulo in nigro scripto in capite folii.

nos et Ecclesiam Romanam devotionem gerens, premissorum intuitu promereris attolli nominis titulo dignioris. Tuam itaque personam paterno prosequentes affectu eamque intendentes favoris apostolici gratia prevenire te capellanorum nostrorum consortio duximus aggregandum, ut tanto libentius de cetero cultui bonitatis intendas quanto exibitus tibi honor potioris onus maturitatis importat, quantoque facilius per hoc ad majora poteris, dante Domino, promoveri. Data Reate, x kal. octobris, anno quarto.

2640 (CCXLVIII) Rieti, 23 septembre 1298.

« Absolvitur a quodam mandato. » (fol. 59 v°.)

Venerabili fratri Alvaro, episcopo Palentino. Dudum ad nostram —.

Quum Gundisalvo Petri canonicatum in ecclesia Palentina dominus papa contulisset et reservavisset, nihilominus suprascriptus tres prebendas vacantes quibus voluerit contulit et contra provisionem de Gundisalvo factam ad Sedem Apostolicam appellavit. Suspensus vero ab omnium beneficiorum ecclesiasticorum collatione et citatus personaliter, per citationem archidiacono de Camorie ejusdem diocesis directam, ab appellatione destitit, correcto quod contra provisionem prefatam attedmtaverat, et usque ad civitatem Perusinam citationi pariturus se duxit conferendum. A predicta personali comparitione absolvitur et ad omnium beneficiorum ecclesiasticorum collationem restituitur.

Data Reate, VIIII kal. octubris, anno quarto.

2641 (CCXLVIIII) Rieti, 24 septembre 1298.

Quod possit contrahere mutuum usque ad summam tredecim millium et ducentorum et quinquaginta florenorum auri. (fol. 59 v°.)

Venerabili fratri G., episcopo Laudunensi. Cum sicut in nostra —. Data Reate, VIII kal. octubris, anno quarto.

2642 (CCL) Rieti, 1er octobre 1298.

« Executoria pro eodem et super eodem. » (fol. 60.)

Dilectis filiis .. preposito et .. archipresbytero Pistoriensis ac .. thesaurario Cathalaunensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Executoria super mutuo tredecim milium ducentorum et quinquaginta florenorum auri contracto per Gazonem, episcopum Laudunensem, a Symone Bonacursi, Brachio Gerardini de societate Clarentum de Pistorio, mutuantibus pro se et Clarentino Lanfranco Anselmi, Mergullesio Jovanne Brachii, Pulio Baldo Raynerii, Marsupino Anselmo Meliorati, Paulo Johannis, Bonvillano Lucceti, Lotto Anselmi et ceteris.

Data Reate, kal. octubris, anno quarto

2643 (CCLI) Rieti, 20 août 1298.

« Littera quitantie pro sociis de societate Pulicum de Florentia. » (fol. 60.)

Dilectis filiis Scolari de Pulicibus, Amanato et Adimari Bote, Mainetto Renaldi, Raynerio Jacobi, Uberto Dogi, Dutatio Uberti, Gaitano Odorighi et ceteris eorum sociis de societate Pulicum et Bibtinorum, civibus et mercatoribus Florentinis. Cum de pecunia decimarum in Terre Sancte subsidium concessarum, in diversis provinciis et terris per nonnullos collectores ad hoc per Sedem Apostolicem deputatos collecta et apud vos socios et societatem vestros nomine Romane Ecclesie et ipsius Terre Sancte deposita seu quovis alio nomine commendata, de speciali mandato nostro, per dilectum filium nostrum M., Sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem, facto vobis oraculo vive vocis, pro stipendariis tam militibus quam peditibus ad obsidionem et destructionem Castri Zagaroli, ac confusionem et depressionem Collumpnensium perfidorum, scismaticorum, nostrorum et Ecclesie Romane rebellium, conductis, nec non pro quibusdam aliis ipsius Ecclesie urgentibus et necessariis negotiis, duo milia florenorum auri duxeritis persolvenda, nobis humiliter supplicastis ut super hoc vestre, sociorum et societatis predictorum indemnitati precavere paterna diligentia dignaremur. Nos igitur, in hac parte vestris justis precibus favorabiliter annuentes, solutionem predictorum duorum milium florenorum pro stipendariis et negotiis predictis de mandato nostro factam, ratam et gratam habemus, ac vos, socios et societatem vestros, quoad hujusmodi duorum milium florenorum quantitatem, presentium auctoritate absolvimus et quitamus, ita quod ad solutionem seu rationem aliam faciendam de ipsis in perpetuum compelli, impeti seu quomodolibet molestari a quoquam, quavis auctoritate, vos, societas vestra seu aliquis ex sociis vestris nullatenus valeatis. Nos enim ex nunc

. *Ms* : hac.

instrumenta quecumque, litteras vel obligationes sub quacumque forma verborum confecta super depositis seu commendationibus hujusmodi, quoad prelaxatam duorum milium florenorum auri quantitatem, cassamus, irritamus et nullius prorsus esse decernimus firmitatis: presentes litteras bulla nostra munitas pro vestra, sociorum et societatis vestrorum cautela in hujus rei testimonium concedentes. Data Reate, XIII kal. septembris, anno quarto.

2644 (CCLII) Rieti, 20 août 1298.

« Littera quitantie pro sociis de societate Circulorum de Florentia. » (fol. 60.)

Dilectis filiis Bindo, Torrisiano, Johanni, natis quondam Circuli, Nicolao et Carboni de Circulis, Nicolao Bongii et ceteris eorum sociis de societate Circulorum, civibus et mercatoribus Florentinis. Cum de pecunia vestra —.

Quum pro bello contra Columpnenses suprascripti quatuor milia et centum florenos auri mutuaverint Mattheo, Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, nomine Apostolice Sedis, predictum mutuum ratum habet dominus papa et pro recompensatione ejusdem concedit ut « debita seu comunia servitia mille florenorum auri, in quibus dilecti filii .. Vallis Umbrose, Fesulane diocesis, et duorum milium sexcentorum florenorum auri, in quibus .. Sancti Remigii Remensis monasteriorum abbates, ac quingentorum florenorum auri, in quibus .. prior Camaldulensis, Aretine diocesis, » apostolice camere obligati existunt, ut apparet publicis instrumentis, nomine Romane Ecclesie exigere possint, nec non et predictos debitores licite per patentes litteras quitare.

Si vero prefati abbates et prior in terminis et locis, in instrumentis obligationum predictarum quantitatum pecunie contemptis, in solvendo quantitates hujusmodi, ut premittitur, negligentes existerent vel remissi, volumus et presentium tenore dilecto filio R., tituli Sancte Potentiane presbytero cardinali et camerario nostro, committimus et mandamus quatinus ipsi vel eorum alter ex parte nostra, cum a vobis — fuerint requisiti, ad aggravationem sententie jam late contra ipsos abbates, priores et eorum quemlibet — juxta prefatorum instrumentorum tenores nec non ad denumptiandum et denumptiari faciendum eosdem abbates et priorem publice excommunicatos — procedant — non obstante obligatione aliqua facta de predictis servitiis per dictos abbates et priorem seu per alios ipsorum nomine quibusve personis, quam quoad quantitatem hujusmodi mutui decernimus non valere —. Dat ut supra.

2645 (CCLIII) Rieti, 19 août, 1298.

« Littera quitantie pro sociis de societate Amannatorum de Pistorio. » (fol. 60 v°.)

Dilectis filiis Martino, Marco et Meo Jacobi, Nese et Totto Bartholomei et Johanni Bandini Amanati, Dino Johannis Gerardini, Jacobo et Lante Agolantis, Lapo Bonisi, Johanni Jacobi, Paulo Spine, Meliori Pistoresii, Lante Lotti, Johanni Franchi, civibus et mercatoribus Pistoriensibus de societate Amannatorum de Pistorio ac ceteris eorum sociis de societate predicta. Cum de pecunia vestra —.

Mutuum trium milium florenorum auri ab illis Mattheo, Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, pro bello adversus Columpnenses factum ratum habet, et pro ejusdem recompensatione concedit illis debitum mille marcharum argenti quibus archiepiscopus Eboracensis apostolice camere obligatur.

Data Reate, XIIII kal. septembris, anno quarto.

2646 (CCLIIII) Rieti, 19 août 1298.

« Littera quitantie pro societate Canigianorum de Florentia. » (fol. 61.)

Dilectis filiis Dato Canigiani, Baldo Rodulphi, Bardutio Bindi Josephi, Boccacino Paganelli, Catello Raynerii, Mainetto Bicchi et ceteris eorum sociis de societate Canigianorum, civibus et mercatoribus Florentinis. Cum de pecunia vestra —.

Mutuum duo millium florenorum auri ab illis Mattheo, Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, pro bello contra Columpnenses factum ratum habet, et pro ejusdem recompensatione concedit illis debitum seu commune servitium duorum millium florenorum quibus episcopus Virdunensis camere apostolice obligatur.

Dat. Reate, XIIII kal. septembris, anno quarto.

2647 (CCLV) Rieti, 12 septembre 1298.

Ut possit usque ad summam sex millium florenorum auri contrahere mutuum. (fol. 61 v°.)

Venerabili fratri Andree, episcopo Avignionensi. Ex parte tua —. Dat. Reate, II id. septembris, anno quarto.

2648 (CCLVI) Rieti, 14 septembre 1298.

« Executoria pro eodem. » (fol. 61 v°.)

Dilectis filiis magistro Nicolao de Benefacta, archidiacono de Gazeio in ecclesia Lexoviensi, et Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis, ac .. officiali Nemausensi. Ex parte venerabilis —.

Executoria pro precedenti mutuo contrahendo a Symone Gerardi, mutuante pro se et pro Rogerio Lapo, Philippo et Spina, Nero Cambii, Raynutio et Gerardo Hughi, Masseo Clarissimi, Mainetto Jacobi, Cinto Cambii et Guarente Jacobi et ceteris de societate Spinorum.

Dat. Reate, XVIII kal. octubris, anno quarto.

2649 (CCLVII) Rieti, 9 octobre 1298.

« Littera de mutuo contrahendo pro B., episcopo Albiensi. » (fol. 61, v°.)

Dilecto filio magistro Pontio de Sancto Justo, subcentori ecclesie Albiensis, procuratori venerabilis fratris nostri B., episcopi Albiensis, ad Romanam curiam destinato. Exposuisti nobis —.

Suprascripto qui ab episcopo Albiensi habuit licentiam contrahendi mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri datur licentia contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium et quingentorum florenorum auri.

Dat. Reate, VII id. octubris, anno quarto.

2650 (CCLVIII) Rieti, 14 octobre 1298.

« Executoria super eodem. » (fol. 61 v°.)

Dilectis filiis .. officiali Nemausensi et magistro Raynerio de Vichio, Lichefeldensis, et Lante Guidonis, Pistoriensis ecclesiarum canonicis. Exponente pridem nobis —.

Eis notificatur mutuum quod procurator episcopi Albiensis recepit a Paulo Spine et Johanne Franchi civibus et mercatoribus Pistoriensibus de societate Amannatorum de Pistorio, mutuantibus pro se et Martino et Meo Jacobi Amannati, Nese et Totto Bartholomei Amannati, Jacobo et Lante Agolantis, Dino Johannis Gerardini, Johanne dicto Cappone Bandini Amannati, Lapo Bonichi, Johanne Jacobi, Johanne Aragonis, Phylippo Franchi, Aczone Bonacursii et Johanne Nicholai eorum sociis.

Dat. Reate, II id. octubris, anno quarto.

2651 (CCLVIIII) Rieti, 12 octobre 1298.

« Super regalibus in ecclesia Laudunensi. » (fol. 61 v°.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri. Cum nuper ex quibusdam causis venerabilem fratrem nostrum Gazonem, Laudunensem episcopum, fecissemus citari, ut infra certum terminum coram nobis personaliter compareret, sibique mandari quod in spiritualibus vel temporalibus Laudunensis ecclesie nullatenus ministraret sine nostra licentia speciali, tu, intellecto de interdictione administrationis hujusmodi, pretestu cujusdam consuetudinis, quam appellas regalia, administrationem eandem temporalium, ac si vacaret ecclesia, per officiales et ministros tuos, sicut accepimus, cepisti eamque exercere asseris et tenere. Nos autem attendentes, fili, quod in hoc tu malo inductus consilio ista agis, non solum in anime tue periculum et grave damnum memorate ecclesie, sed etiam exempli pernitionem (*sic*), silere non possumus nec debemus obmittere quin tibi veritatis tramitem et rectitudinis semitam obstendamus. Cognosce igitur et firmissime tene quod per interdictum administrationis vel suspensionem seu etiam excommunicationem prelati non vacat ecclesia et ideo, cum de jure aperto et ratione probata administratio non vacantis ecclesie ad te nullatenus pertinere noscatur, consuetudo predicta, quam habere diceris in aliquibus, dum vacant, ecclesiis, ad casus hujusmodi et similes, per quos non vacant ecclesie indubitanter, sicut etiam cum tuis nuntiis ista nuperrime in Urbe tractavimus, trahi non poterit nec debebit extendi. Sic ergo hec in futurum evita et in presentiarum ab eis cessa ac emenda preterita quod apud Deum laudem acquiras ut sicut carissimus filius devotione apud Ecclesiam matrem tuam, more patrum tuorum, merito commenderis. Dat. Reate, III id. octubris, anno quarto.

(POTTHAST, 24739.)

2652 (CCLX) Rieti, 12 octobre 1298.

« Absolvitur a citatione de ipso facta. » (fol. 62.)

Venerabili fratri Gazoni, episcopo Laudunensi. Vacante dudum ecclesia Laudunensi per obitum bone memorie R., episcopi Laudunensis, dilecti filii capitulum ecclesie, ad tractandum de futura substitutione pastoris convenientes in unum, in quosdam ex eis et te, tunc ipsius ecclesie Laudunensis canonicum, compromittere

curaverunt. Qui te unum de se ipsis, sicut ex forma compromissi poterant, in ejusdem ecclesie Laudunensis elegerunt episcopum et pastorem; ac venerabilis frater noster Petrus, archiepiscopus Remensis, loci metropolitanus, presentatam sibi electionem hujusmodo confirmavit, tibique munus consecrationis impendit. Verum, quia nobis suggestum extitit quod dictus archiepiscopus certis ex causis confirmare presentatam sibi electionem hujusmodi denegarat seu distulerat et tandem confirmavit eandem, nos, ex hiis et aliis que similiter nobis nuntiata fuerunt, hujusmodi negotium suspectum habentes et propterea volentes super hiis scire plenius veritatem, predictum archiepiscopum et te ac dictum capitulum et alios qui sua crederent interesse ex parte nostra perhentorie citari mandavimus, ut, infra certum terminum post citationem hujusmodi, tu, personaliter, et predicti archiepiscopus et capitulum ac alii, per se vel per procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et instrumentis suis hujusmodi negotium contingentibus, nostro vos curetis conspectui presentare, facturi et recepturi super hiis quod justitia suaderet nostrisque beneplacitis parituri. Mandare quoque jussimus dicto archiepiscopo ejusque vicario ne de dicto negotio se de cetero ullatenus intromitterent, tibique, si jam confirmatus aut consecratus existeres, quod in spiritualibus vel temporalibus ipsius Laudunensis nullatenus ministrares sine nostra licentia speciali. Sed, licet, sicut debuisti, personaliter comparueris coram nobis diuque in curia propterea moram traxeris, nullus tamen eorum qui predicta nobis suggesserunt seu nuntiarunt vel etiam alius apparuit qui hujusmodi prosequeretur negotium vel contra te proponeret aliquid aut etiam allegaret. Nos autem, presumentes ex hoc veritate carere premissa que nobis suggesta et nuntiata fuerunt, attendentes etiam quod nemo te accusat nec super premissis apud nos aliqua laboras infamia et ideo juxta veritatem evangelicam a nobis non debeas condempnari, considerantes insuper quod longis mora et itinere propterea fatigatus existas, tibi et ecclesie tue paterno compatientes affectu, te a citatione de te, sicut premittitur, facta et ab observantia personalis comparitionis absolvimus, tibique damus licentiam ad Laudunensem ecclesiam redeundi, ac, mandatum tibi, ut predicitur, auctoritate nostra factum de non administrando in spiritualibus et temporalibus ecclesie Laudunensis penitus revocantes, administrationem hujusmodi, quamvis eam tibi olim restituerimus (*sic*), restituimus plenam et liberam sicut prius. Dat. Reate, IIII id. octubris, anno quarto.

2653 (CCLXI) Rieti, 5 octobre 1298.

« Quod sit firmus contra hostes fidei. » (fol. 62.)

Carissimo in Christo filio Sembat, regi Armenie. Regie serenitatis nuntiis —.

Ei intimat se, acceptis ejus nuntiis et litteris « ex quibus comperimus quod tu, tanquam devotionis filius, matrem tuam Romanam Ecclesiam revereris et, ad Christiani populi dilectionem et honorem aspirans, ad Deum et ipsam Ecclesiam fideliter te dirigis et conformas, » sua studia preparare ut vexato ejus regno et desolate Terre Sancte adjutorium impendere valeat. Hortatur eum ut fortiter patiatur adversa saltem donec ei tempus subventionis adveniat. « Et ecce pro majori et prestantiori commodo tuo charissimos in Christo filios nostros Phylippum, Francie, et Eduardum, Anglie reges illustres, quos invicem inimico homine dissidentes pacificasse Domino faciente confidimus, ad tuum subsidium efficaciter per nostras litteras excitamus. »

Dat. Reate, III non. octobris, anno quarto.

(POTTHAST, 24736.)

2654 (CCLXII) Rieti, 5 octobre 1298.

« Quod benigne recipiat nuntios regis Armenie. » (fol. 62.)

Carissimo in Christi filio Phylippo, regi Francorum illustri. Carissimi in Christo —.

Eum rogat et hortatur ut nuntios Sembat, regis Armenie, pro subsidio habendo ad defensionem ejus regni missos, benigne recipiat et, prospiciens « quod regnum Armenie est, sicut fertur, ipsi Terre Sancte propinquum et per illud, ex diversis causis, de prefate Terre Sancte, si fidelium Christianorum crucesignatorum et crucesignandorum ordinatus progressus affuerit, potest faciliori recuperatione sperari aut grande ex eo subsidium provenire, » se ipsi regi Armenie « secundum quod tibi qualitas temporis se commodam offerret ac Dominus inspirabit, » liberalem exibeat et propitium.

Dat. Reate, III non. octobris, anno quarto ».

In e. m. *carissimo in Christo filio E., regi Anglie illustri.*

(POTTHAST, 24737.)

2655 (CCLXIII) Rieti, 19 octobre 1298.

« Littera de mutuo contrahendo pro.. abbate et conventu et ordine Cluniacensibus. » (fol. 62 v°.)

Dilecto filio fratri Hugolino de Vallegrenosa, monacho Cluniacensi, decano domus Sancti Saturnini de Portu, Cluniacensis ordinis, Uticensis diocesis, procuratori in Romana curia dilectorum filiorum fratris Bertrandi, abbatis Cluniacensis, et ejusdem loci conventus et ordinis Cluniacensis. More devoti filii —.

Dat ei licentiam contrahendi mutuum usque ad summam tredecim millium florenorum auri quos in subsidium necessitatum et expensarum ordo Cluniacensis Romane Ecclesie liberaliter obtulit.

Dat. Reate, xv kal. novembris, anno quarto.

2656 (CCLXIIII) Rieti, 23 octobre 1298.

« Executoria super eodem. » (fol. 62 v°.)

Dilectis filiis magistris Nicolao de Benefacta, archidiacono de Gazeio, Lexoviensis [diocesis], et Petro de Eugubio, cantori Morinensi, ac .. officiali Trecensi. Exponente pridem nobis —.

Executoria pro mutuo precedente, recepto a Cinto Cambii et Guarente Jacobi, civibus et mercatoribus Florentinis de societate Rogerii Lapi Spine de Spinis de Florentia, mutuantibus pro se et eisdem Rogerio et Lapo Ughi, Philippo et Spina fratribus dicti Lapi, Nero Cambii, Symone Gerardi et Gerardo Ughi et Massco Clarissimi.

Dat. Reate, x kal. novembris, anno quarto.

2657 (CCLXV) Rieti, 21 octobre 1298.

Attributio collationis quorumdam beneficiorum. (fol. 63.)

Venerabili fratri G., episcopo Laudunensi. Volentes tibi tue —.

Ut hac vice in singulis patronatibus personarum ecclesiasticarum sue civitatis et diocesis habentibus ultra quatuor beneficia ecclesiastica singula beneficia singulis personis idoneis conferre possit.

Dat. Reate, XII kal. novembris, anno quarto.

2658 (CCLXVI) Riti, 21 octobre 1298.

« Quod possit in singulis ecclesiis collegiatis sue civitatis et diocesis singulos clericos facere recipi. » (fol. 63.)

Eidem. Tue merita fraternitatis —. Dat. ut supra.

2659 (CCLXVII) Rieti, 29 septembre 1298.

« Super dispensatione matrimonii cum quibusdam de regno Cypri. » (fol. 63 v°.)

Dilecto filio nobili viro Jacobo, nato nobilis viri Symonis de Monte Olivo, regni Cypri marescalci, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Margarite dicte Cappe de Cipro, Nicosiensis diocesis. Romani pontificis precellens —.

Ad conservandum inter consanguineos affectum, maxime quum in illis partibus rare sint mulieres conjugio supradicti convenientes, que non sint eidem vinculo consanguinitatis conjuncte, suprascriptis obtentu Sembat regis Armenie, cui pater suprascripti fuit multum devotus, licentiam matrimonii contrahendi concedit nonobstantibus tertio et quarto consanguinitatis gradibus.

Dat. Reate, III kal. octobris, anno quarto.

2660 (CCLXVIII) Rieti, 11 octobre 1298.

Dispensatur super matrimonio. (fol. 63 v°.)

Dilecto filio nobili viro Sembat de Botha et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelle, nate quondam nobilis viri G. comitis Joppensis, uxori ejus, Mamistrane diocesis. Sancta Romana Ecclesia non solum venerandorum conciliorum diffinitionibus et beati Petri eterne vite clavigeri meritis ecclesiis ceteris est prelata, sed evangelica voce Domini et Salvatoris nostri eidem Petro dicentis : Tu es Petrus et super hanc petram hedificabo Ecclesiam meam, in orbe terrarum obtinuit principatum. Qui siquidem Petrus, quamvis cum ei dixit Dominus : Pasce oves meas, cura et pontificium Christianorum omnium ipsi generaliter collata fuissent, propter quod est Cephas etiam appellatus, tamen huic Ecclesie peculiariter profuit, dum postremo Romanis per Spiritum Sanctum specialiter datus apostolus, eis evangelium predicavit, ipseque ac sibi associatus beatissimus Paulus, vas electionis, uno die sub Nerone Cesare in Urbe Romana martyrio coronati, eandem Ecclesiam suo pretioso sanguine Christo Domino consecravit : qui igitur Romane, cui ex dispositione divina licet immeriti presidemus, Ecclesie preest, successor est Petri, et ipsius propterea fungitur potestate : alias Deus et homo Christus Jhesus, ad dexteram Patris sedens, suam universalem, unam et militantem Ecclesiam acephalam, id est, sine aliquo qui super omnes vices ejus in terris gereret, vel habentem quasi monstrum plura capita reliquisset ; quod non tam rationi contrarium etiam in natura, quam hereticum censeretur. Et hoc Romana Sedes mater est fidei, sola aucto-

ritatem ab ipsis exceptam prestat conciliis, jura statuit et omnibus legem ponit. Hinc sive patriarchatus cujuslibet apicem sive metropoleon primatus aut episcopatuum cathedras vel ecclesiarum cujuscumque ordinis dignitatem instituit; inde dispensationum supra jus absolutam obtinuit potestatem, ac verbo, quo celum et terra constructa sunt, terreni et celestis imperii jura quesivit. Quo fit ut qui Romane Ecclesie privilegium hujusmodi ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum auferre conatur procul dubio labitur (*sic*) in heresim, et illi contumax reputetur. Hoc novissime diebus istis Gregorius in Armenia, que olim est dicta Cilicia, unde originem ducitis, catholicon gerens officium, est professus : hoc etiam sanctorum patrum et orthodoxorum doctorum habet incommutabilis et vera sententia.

Sane pro parte vestra nobis oblata petitio continebat quod vos, tertio ad invicem consanguinitatis gradu conjuncti, matrimonium contraxistis, vobiscum in hujusmodi copula quondam Stephano, dictum in eadem Armenia gerente officium, dispensante; quodque, credentes hujusmodi dipensationem legitimam, diu insimul in tali permansistis matrimonio, filiosque procreastis ex ipso, quorum aliquos jam dicitis militare. Verum quia veridica assertione memorati Gregorii, in hujusmodi gestione officii successoris dispensantis predicti, ad vestram pervenit notitiam quod dicta dispensatio nulla fuit, utpote facta ab eo qui potestatem hanc non habuit dispensandi, nobis humiliter supplicastis ut, quod in dicto matrimonio valeatis licite remanere, prolem susceptam et suscipiendam ex eo legitimam nuntiando, dispensare vobiscum misericorditer dignaremur.

Nos igitur, attendentes quod solus papa Romanus, qui vocatus est in plenitudinem potestatis, ceteris prelatis in sollicitudinis partes assumptis, secundum sacros canones in hiis et similibus casibus obtinet potestatem; nec immerito, nam cum matrimonium ad ipsius efficacius vinculum, ampliorem ejus dignitatem et in privilegium speciale instituerit ipse Deus, indignum fuisset ut alii quam Romano presuli Dei vicario prerogativa dispensationis hujusmodi deberetur; intuentes etiam quod magnum existat matrimonii sacramentum, et idcirco ejus in dispensando causa, tanquam annumerata majoribus, sit ad Petri Sedem solummodo referenda; ac considerantes quod per instituta canonica in matrimoniis contrahendis est memoratus gradus prohibitus et ideo, cum canones ad sui observantiam omnes astringant, ille solus, Summus videlicet Pontifex, qui eos condere potest, quive legibus est solutus, cujusque auctoritas in ipsis semper intelligitur exceptata vel etiam alius, cui per eosdem canones nominatim concessa sit dispensandi facultas super illos, ut per dispensationis lenitatem rigorem eorum ex causa temperet, potestatem habebit, irrefragabili veritate suffulti dicimus quod dictus quondam Stephanus in hoc dispensare non potuit : propter quod non dispensator extitit sed deceptor et, quantum in ipso fuit, vis et potestatis canonum in hac parte dissipator.

Consideratione Sembat, regis Armenie, petitam dispensationem concedit.

Dat. Reate, v id. octobris, anno quarto.
(Potthast, 24738.)

In eundem modum *dilecto filio nobili viro Gregorio Ladif militi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Galamâri uxori ejus, Tarsensis diocesis.*

Sancta Romana Ecclesia etc... ut in precedenti usque: permanxistis matrimonio ex eo filios dicitis vos habere. Verum quia etc... ut supra per totum usque in finem. Dat. ut supra.

2661 (CCLXVIIII) Rieti, 28 octobre 1298.

Dilecto filio nobili viro Davino de Ferentino militi, in Anconitana Marchia vicario generali. Habet Sedis Apostolice —.

Nuper, postquam suprascripto de procedendo contra Auximanos super excessibus et maleficiis qui dicebantur commissi per eosdem in nonnullos homines de castro Ficcardi, Humanatis diocesis, ac eorum bona et dictum castrum apostolice littere directe fuerint, potestatem et ambassiatores Auximane civitatis et syndicos tam civitatis quam et communis dicti castri dominus papa recepit cum pleno et sufficienti mandato Ecclesie Romane precepta jurandi et faciendi et observandi super premissis ; et eisdem, ad mandata hujusmodi taliter admissis, duxit injungendum ut suprascripto dictum castrum Humanatis nomine Ecclesie Romane assignent tenendum, regendum et custodiendum usque ad Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis. Mandat ei ut dictum castrum sibi faciat assignari et ei de rectore et officialibus providere procuret, reservato prefatis communi et hominibus dicti castri in posterum eorum jure, si quod habebunt, in electione predictorum. Que quidem si fecerint, iterato eidem vicario precipit ut occasione premissorum nullatenus ad exercitum vel hostilitatem contra commune vel speciales personas civitatis Auximane vel etiam contra commune vel homines intrinsecos dicti castri Ficcardi, qui dicerentur fuisse culpabiles in predictis, procedat.

Dat. Reate, v kal. novembris, anno quarto.

(Potthast, 24746.)

2662 (CCLXX) Rieti, 23 octobre 1298.

« Super concessione facta eis de bonis quorumdam de Arrono. » (fol. 64 v°.)

Dilectis filiis communi civitatis Spoletane. Intendentes dudum vobis, quos pro vestre devotionis meritis sincere diligebamus et diligimus, specialem gratiam impertiri ac extimantes, sicut et nobis suggestum extitit, quod infrascriptorum bonorum concessio, que in Spoletana dicebantur fore sita diocesi, vobis esset utilis et accepta, ex proprio motu nostro qui libenter devotos in exhibitione gratie prevenimus omnia bona, res et jura que fuerunt Herrici olim prioris ac Oddonis et Conradi filiorum quondam Ranaldi de Arrono militis et Berardi Actavini ejusdem loci de Arrono, nepotis eorum, laycorum Spoletane diocesis, sita in civitate vel diocesi seu districtu Spoletanis, Romane Ecclesie ex certis rationabilibus causis sententialiter confiscata, exceptis quibuslibet dominio et jurisdictione ac jure dominii et jurisdictionis dudum ad predictos Henricum, Oddonem, Corradum et Berardum et eorum quemlibet in castro Arronis predicte diocesis pertinentibus, que nobis et ipsi Ecclesie Romane ac Sedi Apostolice absolute et libere reservavimus, vobis et successoribus vestris sub annuo censu per nostras sub certa forma litteras, quarum tenor de verbo ad verbum inferius annotatur, concessimus de gratia speciali. Verum quia concessionem hujusmodi, prout credimus, non habuistis acceptabilem votis vestris, quamvis bonam intentionem nostram in hac parte devota vestra gratitudinis proptitudo (*sic*) cognosceret, nobis humiliter supplicastis ut revocare concessionem dignaremus eandem. Nos igitur, nolemptes inacceptabilibus honerare concessionibus quos acceptis intendabamus et intendimus gratiis honorare, prefatam concessionem sive gratiam quoad omnem effectum vestris precibus inclinati tenore presentium revocamus, cassamus, irritamus et omnibus suis juribus vacuamus et de registro nostre curie cancellari mandamus ac cassam, irritam, vacuam et cancellatam etiam nuntiamus decernentes nulli ex hujusmodi concessione vel revocatione gratie novum acquiri jus vel prejuditium generari.

Inseritur tenor dicte concessionis incipientis « Dilectis filiis communi civitatis Spoletane. Sincere devotionis —. » finientis : « Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. aprilis, pontificatus nostri anno quarto. »

Dat. Reate, x kal. novembris, pontificatus nostri anno quarto.

2663 (ICLXXI) Rieti, 26 octobre 1298.

Respondet litteris patriarche Armenorum. (fol. 65.)

Dilecto filio Gregorio, patriarche Armenorum. Ex litterarum tuarum tenore et relatu tui nuntii, qui nobis presentavit easdem, apostolatui nostro innotuit reverentia et devotio quam geris ad nos et ad Sanctam Romanam Ecclesiam, matrem ecclesiarum omnium et magistram. Innotuit etiam vera et pura professio qua nos, caput universalis Ecclesie ortodoxe, successorem Petri, vicarium Jhesu Cristi et universalis dominici gregis pastorem humiliter recognoscis. Percipimus etiam de vexatione quasi continua qua manus hostium crucis Christi Armenie regnum impugnat et solito plus affligit. Circa quod tu, ad nostra et Latinorum subsidia merito gerens fidutiam, pacificationem Latinorum ipsorum nobis provide suasisti. Super quibus presentibus respondemus quod nos de tua devotione gaudentes predicti regni vexationes, angustias et erumpnas paterne compassionis caritate partimur et revelationem ipsarum eo amplius cupimus quo eam magis necessariam et promotioni negotii Terre Sancte plus utilem existimamus.

Nos enim ab ipsis nostre promotionis ad apicem apostolice dignitatis auspiciis inter alias sollicitudines que ex cura nobis imminent pastorali vigilias nostras et studia, Deo teste, convertimus ad pacificandos occidentales reges et principes, illos presertim qui consueverunt in ipsius Terre presidia promptius et utilius militare. Et jam per Dei gratiam inter charissimos in Christo filios nostros Philippum, Francie, et Eduardum, Anglie reges illustres, qui aspere invicem dissidebant, pacem et treguas indiximus et Deo perficiemus auctore. Et alia cismarina regna studuimus concordare. Et charissimus in Christo filius noster Jacobus, Aragonie rex illustris, qui longo tempore in rebellione per devium oberravit, ad nostra et Apostolice Sedis mandata et devotionem in tanto fervoris spiritu est, Domino inspirante, reductus ut qui contra Romanam Ecclesiam insule Sicilie fuerat occupator pro viribus sub vexillo ipsius Ecclesie sit contra fratem proprium recuperator ejusdem. Pro cujus insule recuperatione non solum cogitatus immensos et noctes insomnes expendimus sed et eo largius innumeros sumptus effudimus quo sine ipsa ad negotium generalis passagii minus proficere credebamus. Ad quod passagium dirigendum pre cunctis nostre mentis affectibus aspirantes, vias ad id, ut possumus, preparamus.

Rogamus itaque tue devotionis constantiam et hortamur attente quatinus inter tribulationum augustias viriliter agas et cor tuum in Domino confortetur. Exspecta

eum et custodias vias ejus saltem donec tibi, ecclesiis et regno Armenie tempus subventionis adveniat, quod, dante Domino, erit promptius quam credatur. Ipse namque Dominus prope est iis qui tribulato sunt corde, et oculi ejus super timentes eum et in eis qui in misericordia ejus sperant. Nos quidem in favorem negotii et succursum pridem prefatis Francorum et Angtorum regibus apostolica scripta direximus, et illud quod, Domino prestante, poterimus consilium et auxilium intendimus exhibere. Hortamur insuper et rogamus attente ut studeas Armenorum clerum et populum in fide, quam predicta Sancta Romana predicat, docet et tenet Ecclesia, per te et alios informare, ut, purgato omni vetustatis errore, in fide ipsa sint stabiles et in opere efficaces ad animarum suarum salutem, gloriam et honorem domini nostri Jhesu Christi qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum. Dat. Reate, VII kal. novembris, anno quarto.

(POTTHAST, 24736.)

2664 (CCLXXII) Rieti, 15 octobre 1298.

« Mandatur conferri prima dignitas in civitate vel diocesi Lucana Johanni dicto Nuctoro. » (fol. 65 v°.)

Dilectis filiis .. plebano plebis de Massa Marchionis, Lunensis diocesis, et.. primicerio Lucane ac Luce de Flisco, capellano nostro, canonico Parisiensis ecclesiarum. Sincere devotionis —.

Ut Johanni dicto Nuctoro quondam Nuccii de Podio, nepoti Guillelmi de Podio civis Lucani, Ecclesie Romane devotione insignis, canonico ecclesie Sancti Donati Lucane, primam dignitatem in civitate vel diocesi Lucana conferant et dispensent cum eodem, quum jam sit canonicus sancti Donati et tantum circa decimum octavum etatis sue annum sit constitutus.

Dat. Reate, id octobris, anno quarto.

2665 (CCLXXIII) Rieti, 3 octobre 1298.

« Preficitur in archiepiscopum Turritanum. » (fol. 66.)

Dilecto filio Theditio de Pisis, electo Turritano. Ad universalis Ecclesie —.

Ecclesie Turritane, per obitum Johannis vacanti et ea vice dispositioni Sedis Apostolice reservate, suprascriptus, tunc prior ecclesie secularis Sancti Sixti de Pisis, preficitur in archiepiscopum.

Dat. Reate, V non. octobris, anno quarto.

In. e. m. *capitulo ecclesie Turritane — clero — populo — vasallis universis — suffraganeis universis.*

2666 (CCLXXIIII) Rieti, 25 octobre 1298.

« Super procurationibus recipiendis in pecunia. » (fol. 66 v°.)

Venerabili fratri Martino, archiepiscopo Bracharensi. Meritis tue devotionis —.

Ei indulget ut, quamdiu apud Sedem Apostolicam moram traxerit, ecclesias suarum civitatis, diocesis et provincie per ydoneas personas visitare valeat et procurationes in pecunia recipere.

Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

2667 (CCLXXV) Rieti, 25 octobre 1298.

« Executoria super eodem. » (fol. 66 v°.)

Dilectis filiis .. priori monasterii Sancte Crucis Colimbriensis per priorem soliti gubernari ac.. decano et.. thesaurario ecclesie Elborensis. Meritis et cetera. — Dat. ut supra.

2668 (CCLXXVI) Vatican, 18 juillet 1298.

« Confertur sibi archidiaconatus cum prebenda. » (fol. 66 v°.)

Dilecto filio magistro Petro de Vallibus, archidiacono de Sabolio in ecclesia Cenomanensi. Petitio tua nobis exhibita continebat quod, vacantibus olim archidiaconatu de Sabolio in ecclesia Cenomanensi et canonicatu et prebenda dicto archidiaconatui non annexa per mortem quondam Guillelmi de Polleyo, dudum archidiaconi et canonici in ecclesia supradicta, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, asserentes quod bone memorie Johannes, olim Cenomanensis episcopus, tunc majori excommunicatione ligatus, ad quem hujusmodi beneficiorum collatio alias pertinebat, adeo fuerat in mora beneficium absolutionis petendi quod per lapsum temporis erat ad eos dictorum beneficiorum collatio devoluta, predictos archidiaconatum, canonicatum et prebendam tibi canonico contulerunt, quos pretextu collationis hujusmodi possedisti diu-

tius sine lite, fructus percipiens ex eisdem; et quod postmodum citatus auctoritate litterarum nostrarum, venerabili fratri nostro Dyonisio Cenomanensi episcopo directarum, per quas mandabatur eidem quod canonicos in ecclesia Cenomanensi receptos tam proprio motu capituli ante obitum dicti Johannis episcopi quam auctoritate ipsius episcopi ad concordiam revocaret, alioquin perhentorie citaret eosdem ut nostro se conspectui presentarent, ad nostram presentiam infra prefixum tibi terminum accessisti devotus, nostrum super hujusmodi provisione dicti capituli tibi facta beneplacitum auditurus; quodque, licet nullum contradictorem invenires in illa, omne jus, si quod in archidiaconatu, canonicatu et prebenda predictis tibi quomodolibet competebat, in manibus venerabilis fratris nostri G., episcopi Sabinensis, de mandato nostro recipientis ultroneus resignasti, nec jus in eis vel ad illos erat alicui acquisitum sed vacare, nulli de jure debiti, noscebantur.

Ei, consideratione nobilis viri A., comitis Sabaudie, pro eo implorantis, archidiaconatum, canonicatum et prebendam predictos sic vacantes, dummodo de jure nulli alii debeantur, auctoritate apostolica confert, non obstante quod in ecclesia Redonensi canonicatum et prebendam et in provincia Turonensi quatuor beneficia sine cura, quorum redditus valorem annuum quinquaginta librarum parvorum turonensium non excedunt, noscitur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. augusti, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Sergii et .. archidiacono Transligerensi ac Fulconi de Boeneio, canonico ecclesie Andegavensis.*

2669 (CCLXXVII) Vatican, 23 juillet 1298.

« Dispensatur cum Annibaldo de Ceccano super beneficio. » (fol. 67.)

Dilecto filio Annibaldo, nato dilecti filii nobilis viri Johannis de Ceccano senioris, canonico Belvacensi. Apostolice Sedis —.

Indulget ei ut abbatiam secularis ecclesie Sancti Angeli de Cacumine, curam animarum habentem, Ferentinatis diocesis, ad quam nuper canonice electus est, recipere et una cum prioratu Sancte Marie de Anolio, ad majus monasterium Turonense pertinente, et canonicatu eclesie Belvacensis ac aliis beneficiis que obtinet sine cura retinere valeat, nec teneatur ratione dicte abbatie in presbyterum se facere promoveri.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. augusti, anno quarto.

2670 (CCLXXVIII) Vatican, 11 juillet 1298.

« Dispensatio super matrimonio cum quibusdam de diocesi Parisiensi. » (fol. 67.)

Dilecto filio nobili viro Roberto de Malliaco et dilecte in Christo filie nobili mulieri Phylippe de Fraxinis ejus uxori, Parisiensis diocesis. Sedis Apostolice —.

Indulget ut licite possint in matrimonio remanere quod contraxerunt ignorantes se invicem quarto consanguinitatis gradu attingere et in quo per biennium remanserunt.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

2671 (CCLXXVIIII) Vatican, 23 mai 1298.

Dispensatur super matrimonio nonobstante quarto consanguinitatis gradu. (fol. 67.)

Dilecto filio nobili viro Brancatio de Neapoli et dilecte in Christo filie Marie, nate quondam Johannis dicti Satii militis de Surrento. Etsi conjunctio copule —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. junii, anno quarto.

2672 (CCLXXX) Rieti, 23 octobre 1298.

« Committitur sibi usque ad Sedis Apostolice beneplacitum monasterium Sancti Michaelis de Pasignano. » (fol. 67 v°).

Dilecto filio Rogerio, abbati monasterii Vallisumbrose, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Fesulane diocesis. Monasterium Sancti Michaelis —.

Suprascripto committitur tam in spiritualibus quam in temporalibus usque ad Apostolice Sedis beneplacitum monasterium Sancti Michaelis de Pasignano, cujus erat abbas ante suam translationem ad abbatiam monasterii Vallisumbrose.

Dat. Reate, x kal. novembris, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Michaelis de Pasignano, ordinis Vallisumbrose, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Fesulane diocesis.*

2673 (CCLXXXI) Vatican, 1er juillet 1298.

« Conceditur sibi, si qua administratio vacat in regno Francie. » (f. 67 v°.)

Dilecto filio fratri Artaudo Flote, monacho monasterii Cluniacensis. Sincera devotio quam —.

Ob ejus merita necnon et nobilis viri Petri Flote, familiaris Phylippi regis Francorum, patris ejus, confertur suprascripto prioratus conventualis seu non conventualis aut decanatus vel administratio, quocumque nomine nuncupetur, ad collationem ordinis Cluniacensis spectans, si qua in regno Francie vacat ad presens vel proximo vacaverit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Claromontensi ac dilecto filio magistro Petro de Montechiello, canonico Andegavensi.*

2674 (CCLXXXII) Vatican, 25 juin 1298.

Confertur prebenda in ecclesia Claromontensi. (fol. 68.)

Dilecto filio magistro Andree de Sancto Floro, canonico ecclesie de Camalaria, Claromontensis diocesis. Dum conditiones —.

Suprascripto, consideratione Egidii, archiepiscopi Narbonensis, cujus camerarius existit, canonicatus et prebenda integra non sacerdotalis conferuntur, si qua in ipsa ecclesia de Camalaria vacant aut proximo vacaverint, non obstante quod in Claromontensi et Beate Marie de Portu ac Sancti Genesii Claromontensibus ecclesiis canonicatus et ecclesiam de Bisano, curam animarum habentem, Narbonensis diocesis, et quedam modica beneficia et pensiones annuas in quibusdam ecclesiis, quorum valor summam quadraginta librarum turonensium non excedit, noscitur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII julii, anno quarto.

In. e. m. *venerabili fratri .. episcopo Claromontensi et dilectis filiis .. priori de Baissa, Claromontensis diocesis, ac magistro Petro de Montechiello, canonico Andegavensi.*

2675 (CCLXXXIII) Vatican, 7 juin 1298.

« Confertur sibi plebanatus cum dispensatione. » (fol. 69.)

Dilecto filio Berto, nato nobilis viri Cursii Symonis de Donatis, Florentino, plebano plebis de Sancto Laxaro, Florentine diocesis. Licet ea que —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum magister Cambius de Sexto, procurator dilecti filii Stephani Jordani de Insula de Urbe, olim plebani plebis de Sancto Lazaro, Florentine diocesis — plebanatum ejusdem plebis in manibus — Mathei, Portuensis et Sancte Rufine episcopi, ac — Neapoleonis, Sancti Adriani diaconi cardinalium, — resignasset —, episcopus et cardinales predicti auctoritate nostra et de speciali mandato nostro facto eis oraculo vive vocis — plebanatum predictum — tibi canonice contulerunt.

Confirmatur hec collatio, licet dictus Bertus quatuordecimum etatis sue annum nondum compleverit, instrumenti tenore inserto incipientis : « In nomine Domini Amen. Anno ejusdem nativitatis millesimo cc° nonagesimo octavo. Indict. XI — Die veneris sexto mensis junii. » finientis : « Hec acta sunt Rome in domibus Ursinorum, in quibus predictus dominus Portuensis episcopus moratur, coram his testibus videlicet : domino Ponzardo et Mainetto Ranaldi de Pulcis de Florentia, domino Luca Torelli de Tuderto milite, fratre Francisco Paraventi de Tuderto de ordine Fratrum Minorum et Petro Angeli de Collazone, canonico Faventino.— Et ego Angelus Benedicti —. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. junii, anno quarto.

2676 (CCLXXXIIII) Vatican, 7 juin 1298.

« Executoria super eodem. » (fol. 69 v°.)

Dilectis filiis .. abbati monasterii Vallisumbrose et .. priori de Vignano ac .. plebano plebis de Cersino, Fesulane et Florentine diocesium. Petitio dilecti filii —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. junii, anno quarto.

2677 (CCLXXXV) Vatican, 25 juin 1298.

« Quod possit civitatem, diocesim ac provinciam suam Narbonensem per personas ydoneas visitare et recipere procurationes in pecunia. » (fol. 70.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Narbonensi. Meritis tue devotionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. julii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. abbati secularis Sancti Petri et Sancti Pauli et .. archidiacono Finolheti, Narbonensis, ac magistro Guilielmo de Polhac, canonico Vivariensis ecclesiarum.*

2678 (CCLXXXVI) Vatican, 12 juillet 1298.

« Confertur sibi cancellaria cum prebenda. » (fol. 70.)

Dilecto filio Willelmo Cumyn, canonico et cancellario ec-

clesie Glasguensis, capellano nostro. Sedis Apostolice —.

Canonicatum et prebendam ac cancellariam que Willelmus, in episcopum Sancti Andree electus, tempore promotionis sue obtinebat in ecclesia Glasguensi et que, apud Sedem Apostolicam vacantia, ejusdem Sedis dispositioni reservata fuerunt, suprascripto confert et de illis providet non obstante quod preposituram ecclesie Sancte Marie, civitatis Sancti Andree, cui ecclesia Desyres curam animarum habens est annexa, et ecclesiam de Oventam, Dunelmensis diocesis, similem curam habentem ac in ecclesia Aberdonensi canonicatum ex dispensatione apostolica noscitur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII id. julii, anno quarto.

In. e. m. *venerabili fratri .. episcopo Aberdonensi et dilectis filiis .. Pictavensis ac .. Dunkeldensis ecclesiarum decanis.*

2679 (CCLXXXVII) Vatican, 8 juillet 1298.

« Quod possit conferre duabus personis tabellionatus officium quas sibi Petrus Flote duxerit nominandas. » (fol. 70 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Narbonensi. Volentes personam dilecti filii nobilis viri Petri Flote, familiaris carissimi in Christo filii nostri Philippi regis Francorum illustris, ob suorum exigentiam meritorum speciali gratia honorare, fraternitati tue concedendi tabellionatus officium duabus personis ydoneis, quas tibi dictus nobilis duxerit nominandas, prius ab eis juxta formam presentibus annotatam recepto juramento, plenam tribuimus auctoritate presentium facultatem. Forma autem juramenti quod ipsarum personarum quelibet prestabit talis est : « Ego ab hac hora in antea fidelis ero beato Petro et Sancte Romane Ecclesie ac domino pape Bonifatio et successoribus ejus canonice intrantibus, non ero in consilio aut auxilio, consensu vel facto, ut vitam perdant aut membrum vel capiantur mala captione, consilium quod mihi per se vel per litteras aut nuntium manifestabunt ad eorum dampna scienter nemini pandam, si vero ad meam notitiam aliquid devenire contingat quod in periculum Romani Pontificis aut Ecclesie Romane vergeret seu grave dampnum, illud pro posse impediam et, si hoc impedire non possem, procurabo bona fide id ad notitiam domini pape perferri, papatum Romane Ecclesie ac regalia beati Petri et jura ipsius Ecclesie, specialiter si qua eadem Ecclesia in civitate vel terra de qua sum oriundus habebat, adjutor ero ad defendendum et retinendum seu recuperandum contra omnes homines. Tabellionatus officium fideliter exercebo, contractus in quibus exigitur consensus partium fideliter faciam nil addendo vel mutando sine volumptate partium quod substantiam contractus immutet. Si vero in conficiendo aliquid instrumentum unius solius partis sit requirenda volumptas hoc ipsum faciam scilicet ut nil addam vel minuam quod immutet facti substantiam contra voluntatem ipsius, instrumentum non conficiam de aliquo contractu in quo sciam intervenire vim vel fraudem, contractus in protocollum redigam et postquam in protocollum redegero malitiose non deseram contra volumptatem illorum vel illius quorum est contractus super eo conficere publicum instrumentum salvo meo justo et consueto salario. Sic me Deus adjuvet et hec sancta Dei evangelia. » Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. julii, anno quarto.

2680 (CCLXXXVIII) Vatican, 1er juillet 1298.

« Confertur sibi prebenda Carnotensis. » (fol. 70 v°.)

Dilecto filio magistro Guidoni de Sarcellis, canonico Carnotensi. Olim felicis recordationis —.

Constitutionem suam memorat qua suspendit omnes gratias a papa Celestino predecessore suo concessas que non fuerant revocate et penitus annullate, et inhibuit personis illas obtinentibus ut infra certi temporis peremptorium terminum litteras dictis predecessoris Sedis Apostolice conspectui presentarent et ejusdem Sedis examini deducerent sub pena privationis et revocationis earumdem.

Verum Petrus de Breya qui quasdam certi tenoris litteras ipsius predecessoris obtinuit super collatione sibi facta per eum vel ejus auctoritate facienda de canonicatu et prebenda ecclesie Carnotensis, quarum auctoritate canonicatum et prebendam, in ipsa ecclesia tunc vacantes, fuit canonice assecutus, prout ex fidedignorum relatione plene didicimus, infra tempus in litteris suspensionis hujusmodi comprehensum, predictas litteras nostro conspectui presentare contempsit, sicque canonicatu et prebenda predictis justa tenorem constitutionis ejusdem extitit ipso jure privatus. Nos igitur, volentes personam tuam obtemptu meritorum tuorum, super quibus tibi laudabile testimonium perhibetur, nec non et consideratione carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Francorum illustris, pro te nobis in hac parte per suas litteras humiliter supplicantis, speciali prosequi gratia et favore, canonicatum et prebendam predictos, veris existentibus supradictis, cum plenitudine juris canonici et omnibus juribus et pertinentiis suis apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus de illis — non obstantibus quod — et cetera — seu quod in ecclesia Peronensi, Noviomensis diocesis, de-

canatum et canonicatum ac prebendam nosceris obtinere, et in ecclesia Meldensi sub exspectatione vacature prebende anctoritate apostolica in canonicum es receptus, aut si presens non fueris ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsius Carnotensis ecclesie solitum juramentum dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum et cum ad eandem ecclesiam accesseris illud prestes. Nulli ergo et cetera. Nostre collationis, provisionis, constitutionis et cetera. Si quis autem et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano Pictavensi et magistris Maurico, Sancti Mauritii Turonensis, et Ricardo Travado, Corisopitensis canonicis ecclesiarum.*

2681 (CCLXXXVIIII) Vatican, 23 mars 1298.

« Confertur sibi prebenda Remensis cum dignitate. » (fol. 71.)

Dilecto filio Guidoni, nato quondam Roberti comitis Bolonie et Arvernie, canonico Remensi. Nobilitatem generis, honestatem morum et vite, aliaque virtutum merita, super quibus fide dignorum testimonio commendaris, sollicite attendentes et volentes personam tuam, tum ob hoc tum etiam obtentu venerabilis fratris nostri E., archiepiscopi Narbonensis, et dilectorum filiorum nostrorum nobilium Guidonis, comitis de Sancto Paulo, consanguinei tui, et Petri Flote, familiaris carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris, pro te nobis in hac parte cum instantia supplicantium, prerogativa prosequi favoris et gratie specialis, canonicatum Remensis ecclesie — et prebendam integram, liberam, non sacerdotalem, nulli alii de jure debitam, si qua in ecclesia ipsa vacat ad presens, apostolica tibi auctoritate conferimus, si vero nulla talis prebenda nunc vacat in ecclesia supradicta — proximo vacaturam conferendam tibi cum vacaverit — reservamus, — nichilominus personatum seu dignitatem vel officium cum cura vel sine cura, si quis vel qua seu si quid — vacat ad presens — conferimus — alioquin primo vacaturum vel vacaturam reservamus — non obstantibus — seu quod abbatiam secularem in ecclesia Claromontensi, in eadem ac Brivatensi, Claromontensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. julii, anno quarto.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Claromontensi ac dilecto filio magistro Petro de Montechiello, canonico Andegavensi.*

2682 (CCLXXXX) Vatican, 14 juillet 1298.

« Confertur abbatia secularis ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis. » (fol. 72.)

Dilecto filio Phylippo, nato quondam Cocis de Gerardinis, abbati secularis ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis. Clara virtutum et scientie —.

Abbatiam hujus ecclesie, per mortem quondam Raymundi Fredoli, canonici et abbatis ejusdem ecclesie, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantem et Apostolice Sedis dispositioni reservatam, suprascripto confert, ac Neapoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinalem, investit ejus nomine per annulum de illis, non obstante quod dictus Philippus in plebe de Podio Bonizi, Florentine diocesis, canonicatum et prebendam noscitur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II id. julii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Magalonensi et dilectis filiis magistris Raymundo, sacriste Narbonensis, et Raynerio de Vichio, canonico Lichefeldensis ecclesiarum.*

2683 (CCLXXXXI) Vatican, 25 juin 1298.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 72 v°.)

Dilecto filio Rolando Grossi, preposito ecclesie Claromontensis. Apostolice Sedis benignitas —.

Indulget suprascripto ut una cum prepositura quam in Claromontensi, cui major archidiaconatus ipsius ecclesie est annexus, et sacristia quam in Agathensi, curam animarum habentibus, et quibuscumque aliis simplicibus beneficiis sine cura que in quibusvis ecclesiis ex dispensatione Apostolice Sedis obtinere se asserit, deductis eorum oneribus triginta librarum parvorum turonensium summam annuam non excedunt, unicum aliud beneficium ecclesiasticum, etiamsi dignitas vel personatus existat, licite recipere et cum predictis retinere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. julii, anno quarto.

2684 (CCLXXXXII) Vatican, 25 juin 1298.

« Quod non teneatur se facere promoveri ad diaconatus et presbyteratus ordines usque ad biennium. » (fol. 72 v°.)

Dilecto filio Fulcando de Rupe Canardi subdiacono, decano ecclesie Bituricensis. Meritis tue probitatis—.

Consideratione Egidii, archiepiscopi Narbonensis, pro illo

supplicantis, indulget suprascrip'o ut pretextu decanatus sui, usque ad biennium theologice facultatis studio insistendo ubi studium vigeat generale, ad diaconatus et presbyteratus ordines se facere promoveri ac ad faciendam in predicta ecclesia personalem residentiam minime teneatur.

Dat. ut supra.

2685 (CCLXXXXIII) Vatican, 29 juin 1298.

« Indulgentia pro sex clericis suis usque ad quinquennium. » (fol. 72 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Claromontensi. Digne agere credimus —.

Indulget ut sex clerici continui ejus commensales possint in absentia, ejus obsequiis insistendo, proventus beneficiorum suorum usque ad quinquennium percipere.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, III kal. julii, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Nivernensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Illidii Claromontensis ac magistro Petro de Montechiello, canonico Andegavensi.*

2686 (CCLXXXXIIII) Vatican, 29 juin 1298.

Quod possit facere visitari archidiaconatum suum et recipere procurationes in pecunia usque ad triennium. (fol. 73.)

Dilecto filio Alberto Aycelini, archidiacono Tornodorensi in ecclesia Lingonensi. Habet in nobis —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Nivernensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Pulcheriarum ac magistro Hugoni de Lacmol, canonico ecclesie Tornodorensis, Lingonensis diocesis.*

2687 (CCXXXXV) Vatican, 1er juillet 1298.

« Quod possit sibi eligere confessorem. » (fol. 73.)

Dilecto filio nobili viro Guidoni, comiti de Sancto Paulo, regni Francie buticulario. Ut per concessis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. julii, anno quarto.

In e. m. conceditur *dilecte in Christo filie mulieri Marie, comitisse de Sancto Paulo.* — Dat. ut supra.

In e. m. conceditur *dilecto filio nobili viro Radulfo de Claromonte, constabulario Francie, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isabelle, uxori ejus.* — Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

2688 (CCLXXXXVI) Vatican, 1er juillet 1298.

« Ut cum venerit ad loca interdicta possit facere celebrari submissa voce. » (fol. 73.)

Eidem. Pium arbitramur —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

In e. m. conceditur *dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, comitisse de Sancto Paulo.* — Dat. ut supra.

2689 (CCLXXXXVII) Vatican, 1er juillet 1298.

« Super mutatione voti. » (fol. 73.)

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, comitisse de Sancto Paulo. Desideriis tuis in hiis affectu benivolo libenter annuimus in quibus anime tue salutem contineri sentimus. Sane plerumque contingit quod humane fragilitati est nimis difficile reddere vota Domino que emisit, sicque interdum vota hujusmodi non redduntur ex quo magnum periculum imminet animarum. Quare tibi super hoc benigne providere volentes, ut capellanus tuus dummodo in sacerdotio constitutus existat vota que fecisti hactenus, Ierosolimitano, religionis et castitatis votis duntaxat exceptis, possit discretione previa tibi in alia pietatis opera commutare, devotioni tue auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo et cetera. Nostre concessionis et cetera. Si quis autem et cetera. Dat. ut supra.

2690 (CCLXXXXVIII) Vatican, 11 juillet 1298.

« Super indulgentia XL dierum. » (fol. 73.)

Dilecto filio nobili viro Guidoni, comiti de Sancto Paulo, regni Francie buticulario, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, uxori ejus. Devotionis vestre precibus —.

Indulget suprascriptis ut, quotiens aliquem ipsis presentibus verbum Dei populo proponere contigerit, idem predicator quadraginta dierum indulgentiam valeat elargiri.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

2691 (CCLXXXXVIIII) Vatican, 11 juillet 1298.

Indultum pro clericis comitis et comitisse de Sancto Paulo. (fol. 73 v°.)

Eisdem. Ut ex speciali devotione quam ad nos et Ro-

manam Ecclesiam habere noscimini favorem sentiatis vobis apostolicum accrevisse, devotioni vestre auctoritate presentium indulgemus ut capellani et clerici capelle castri vestri de Lucheto, Atrebatensis diocesis, et alii clerici, qui coram vobis in domibus vestris aut alibi ubicumque vestris obsequiis insistunt, celebrando divinum officium juxta morem Parisiensis ecclesie, ad celebrandum aliud officium quod forsitan celebrare tenerentur juxta constitutiones seu consuetudines ecclesiarum suarum minime teneantur nisi ad id ex voto specialiter sint astricti. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. ut supra.

2692 (CCC) Vatican, 1er juillet 1298.

« Quod possit sibi eligere confessorem. » (fol. 73 v°.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Ambianensi. Desideriis tuis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2693 (CCCI) Vatican, 1er juillet 1298.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 73 v°.)

Dilecto filio Almarico de Nigella, preposito ecclesie Insule, Tornacensis diocesis. Tui nobilitatis generis —.

Dispensat cum eo ut, preter prepositurам quam in Insulensi, cui cura imminet animarum, et canonicatus et prebendas que in Ambianensi, Noviomensi, Trecensi et Sancte Marie de Nigella, Noviomensis diocesis, ecclesiis obtinet et non obstante quod in Cathalaunensi ecclesia sub exspectatione vacature prebende in canonicum sit receptus, possit unum alium personatum, si ipsi canonice offeratur, licite recipere ac retinere.

Dat. ut supra.

2694 (CCCII) Vatican, 11 juillet 1298.

« Indulgentia concessa capelle castri de Lucheto, Atrebatensis diocesis. » (fol. 73 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vite perhennis gloria —.

Omnibus vere penitentibus et confessis qui ad capellam castri de Lucheto, Atrebatensis diocesis, in Inventionis et Exaltationis Crucis festivitatibus causa devotionis accesserunt annuatim centum dies de injunctis illis penitentiis relaxat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

2695 (CCCIII) Vatican, 10 juillet 1298.

« Indulgentia concessa ecclesie monasterii Sororum Minorum Claromontensis, ordinis sancte Clare. » (fol. 73 v°.)

Eisdem. Gloriosus Deus in sanctis —.

Omnibus vere penitentibus et confessis qui ecclesiam monasterii Sororum Minorum Claromontensis, ordinis sancte Clare, que in honorem beate Marie et sancte Clare virginum dicitur esse constructa, in singulis festivitatibus ipsarum virginum et usque ad octo dies sequentes, annuatim venerabiliter visitarunt unum annum et quadraginta dies de injunctis ipsis penitentiis relaxat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vi id. julii, anno quarto.

2696 (CCCIIII) Vatican, 1er juillet 1298.

« Conceditur ut possit prioratum de Varennis retinere ad exonerationem debitorum. » (fol. 73 v°.)

Dilecto filio Stephano, abbati monasterii Molismensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis. Laudabilis religiosis —. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat quod prefatum monasterium magnis debitorum oneribus, videlicet in undecim milibus libris turonensium parvorum, quorum magna pars sub gravibus usuris existit, noscitur pregravatum, quodque ipsius monasterii fructus, redditus et proventus summam trium milium librarum ejusdem monete annis singulis non excedunt. Super quo per Apostolice Sedis provideri clementiam suppliciter implorasti. Nos igitur, more pii patris volentes tibi et eidem monasterio ac etiam personis degentibus in eodem in tante necessitatis articulo provisionis oportune remedio subvenire, tuis supplicationibus inclinati, ut prioratum de Varennis, Lingonensis diocesis, vacantem ad presens et ad tuam collationem spectantem, qui conventualis, ut asseris, non existit, possis ad manus tuas, quamdiu hujusmodi abbatiam tenueris, ad exonerationem debitorum ipsorum licite retinere, quibuslibet privilegiis, statutis et consuetudinibus nec non et constitutionibus quibuscumque contrariis nequaquam obstantibus, tibi auctoritate presentium indulgemus. Proviso quod interim dictus prioratus debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura, si qua illi iminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2697 (CCCV) Vatican, 1er juillet 1298.

Facultas concedendi unam prebendam. (fol. 74.)

Venerabili fratri Theobaldo, episcopo Dolensi. Tuam volentes honorare —.

Concedit facultatem recipiendi et faciendi recipere unam personam ydoneam in ecclesia sua Dolensi in canonicum ac illi providendi de prebenda, si qua vacat ad presens vel proxime vacaverit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2698 (CCCVI) Vatican, 1er juillet 1298.

« Super ordinatione ecclesie Duodecim Apostolorum et Sanctorum Exuperii et Lupi de Corbolio, Parisiensis diocesis. » (fol. 74.)

Dilecto filio .. decano ecclesie Sancti Martini Turonensis. Ad ea libenter intendimus et studium efficax impertimur ac Sedis Apostolice partes addicimus ad que carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, desideria diriguntur. Exposita siquidem nobis regis prelibati petitio continebat quod ecclesia Duodecim Apostolorum et Sanctorum Exuperii et Lupi de Corbolio, Parisiensis diocesis, in qua dignitatum, officiorum et prebendarum collatio ad eundem regem, ut asserit, noscitur pertinere, propter amissionem litterarum fundationis ejusdem ecclesie ac privilegiorum suorum que dudum casu fuerunt amissa fortuito, jura ecclesie ac dignitatum, officiorum et prebendarum predictorum incerta sunt penitus et confusa, ex quo prefata ecclesia grave in suis juribus passa est hactenus et assidue pati conspicitur detrimentum. Quare prefatus rex nobis humiliter supplicavit ut providere super hoc ejusdem ecclesie precavendo dispendiis de benignitate solita dignaremur. Nos igitur, ejusdem regis supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, ad prefatam ecclesiam te personaliter conferens et habens Deum pre oculis, ordinationes et statuta in eadem ecclesia nec non et annexiones de dignitatibus, officiis, prebendis et capellis ipsius ecclesie, auctoritate nostra, de prefati regis et dilectorum filiorum abbatis seu rectoris et capituli ecclesie supradicte consensu, que pro utilitate et bono statu ecclesie memorate facienda videris facere non postponas. Ita tamen quod in eisdem ecclesia et capellis divinus cultus non diminuatur in aliquo vel ledatur : non obstante si forsitan aliqua ex capellis hujusmodi tanto tempore jam vacavit quod ejus collatio per lapsum temporis secundum Lateranensis statuta concilii esset ad Sedem Apostolicam legitime devoluta. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2699 (CCCVII) Vatican, 10 juillet 1298.

Indultum pro capellanis et clericis regine Navarre. (fol. 74.)

Carissime in Christo filie Blanche, regine Navarre illustri. Volentes tuam honorare —.

Indulget ut capellani et clerici ejus, quum ipsos super altari portatili coram ea missarum solemnia celebrare contigerit, medietatem oblationum licite retinere valeant dummodo medietas reliqua parochiali ecclesie in qua celebrarunt integre assignetur

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI id. julii, anno quarto.

2700 (CCCVIII) Vatican, 1er juillet 1298.

« Super nominatione capellanorum capellarum quas rex Francie seu progenitores sui in nonnullis castris et domibus fundaverunt. » (fol. 74 v°).

Venerabili fratri .. episcopo Silvanectensi. Meruit sincera devotio, qua erga Romanam Ecclesiam carissimus in Christo filius noster Phylippus, rex Francorum illustris, pollere dinoscitur, ut, petitionibus suis propitium accomodantes auditum, eas ad exauditionis benigne gratiam admittamus. Lecta siquidem coram nobis regis memorati petitio continebat quod capellani capellarum quas ipse suique progenitores reges Francie in nonnullis eorum castris et domibus hactenus fundaverunt et clerici beneficiati in diversis ecclesiis in prefatis castris et domibus constitutis, in quarum personas locorum ordinarii nullam unquam jurisdictionem retroactis temporibus habuerint, dantes in commotiones [1] pedes suos, multos et vanos ac enormes excessus plerumque committere non verentur in offensam Dei, animarum suarum periculum et scandalum plurimorum. Super quo supplex ejusdem regis instantia per Apostolice Sedis providentiam petiit provideri. Nos igitur, benigne volentes in hac parte votis annuere dicti regis, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus ad correctionem et punitionem debitam excessuum predictorum contra capellanos et clericos supradictos, per te vel alium seu alios, privando etiam ipsos beneficiis ecclesiasticis que obtinent, si adenormitas (*sic*) vel immanitas excessuum exegerit eorumdem, cum super hoc ex parte prefati regis requisitus fueris, procedere non omittas,

1. *Ms.* : conmonitionibus.

contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo : non obstante si aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2701 (CCCVIIII) Rieti, 1er novembre 1298.

« Collectoribus super decima concessa Jacobo, regi Aragonie. » (fol. 74 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Valentino et dilectis filiis Pontio, preposito Celsonensi, decime eclesiasticorum reddituum et proventuum concesse carissimo in Christo filio nostro Jacobo, Aragonie, Sardinie et Corsice regi illustri, in terris sue ditioni subjectis per nos collectoribus deputatis. Significavit nobis carissimus in Christo filius noster Jacobus, rex Aragonie illustris, quod, cum ipse dudum esset in progressu faciendo contra Fredericum et Siculos, Ecclesie Romane rebelles, cum armata tunc per eum de beneplacito nostro facienda nec facta, quia sine certo pecuniario subsidio sibi pro armata ipsa necessario fieri conmode non valebat suus et ipsius armate progressus, certam a vobis propter hoc de decima in terris sue ditioni subjectis pro ipsius armate subsidio deputata, cujus decime collectores vos duximus deputandos, recepit pecunie quantitatem, obligando se vobis et data nichilominus fidejussoria cautione quod, si factam sibi per vos hujusmodi assignationem dicte pecunie per nos non contingeret acceptari, rex ipse infra certum terminum ad hoc prefixum pecuniam restitueret antedictam. Quare idem rex nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, attendentes quod prefatus rex fideliter et laudabiliter negotium predictum, quod plurimum insidet cordi nostro, prosequitur, ejus precibus inclinati, predictam assignationem dicte pecunie, per vos ut premittitur sibi factam, ratam et gratam habemus, per apostolica scripta vobis mandantes quatinus, tam ipsum quam fidejussores super hoc per eum vobis prestitos ab obligatione et fidejussione hujusmodi absolventes, omnem pecuniam de decima ipsa, ultra predictam assignationem eidem factam, jam collectam per vos vel subcollectores vestros et in posterum colligendam ipsi regi, dictum negotium prosequenti, vel ejus procuratori vel nuncio ad hoc ab eo specialiter constituto, pro armate predicte negotio ad requisitionem regis ejusdem liberaliter assignare curetis : recepturi ab eo recongnisitionem receptionis dicte pecunie ac facturi de assignatione et receptione hujusmodi confici publica instrumenta, illa nobis fideliter transmissuri et similia retenturi penes vos nichilominus ad cautelam, rescripturi quoque nobis per vestras litteras, harum seriem continentes, quicdquid super hoc duxeritis faciendum. Dat. Reate, kal. novembris, anno quarto.

2702 (CCCX) Vatican, 23 mai 1298.

« Confertur sibi prebenda et archidiaconatus Sancti Antonini in diocesi Ruthenensi. » (fol. 74 v°.)

Dilecto filio Guillelmo Rochafolio, rectori ecclesie Sancte Marie de Labella, Magalonensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Consideratione Jacobi, tituli Sancti Clementis presbyteri cardinalis, nepotis domini pape, cujus capellanus existit, canonicatum, prebendam et archidiaconatum de Sancto Antonino in ecclesia Ruthenensi, per mortem quondam magistri Guillelmi Rolandi archidiaconi vacantes, et ad collationem Sedis Apostolice pertinentes, cum ipsa ecclesia sit ad presens solatio destituta pastoris ad quem eorum collatio dicitur spectare, confert, dummodo nulli alii debeantur de jure, et de illis providet, non obstante quod ecclesiam Sancte Marie de Labella sine cura Magalonensis diocesis noscatur obtinere sive quod nondum vicesimum quintum etatis sue annum noscatur attigisse.

Dat Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. junii, anno quarto.

In. e. m. .. *priori de Chyriaco, Mimatensis diocesis, et .. decano Pictavensi ac .. archidiacono Caprariensi.*

2703 (CCCXI) Vatican, 7 juillet 1298.

« Confertur sibi prebenda cum dignitate. » (fol. 75.)

Dilecto filio Aymoni nato dilecti filii nobilis viri Amedei comitis Sabaudie, canonico ecclesie Eboracensis. Quamvis ex injuncti —.

Suprascripto, obtentu patris ejus, canonicatum nec non et dignitatem que duxerit acceptanda, si vacant ad presens vel proxime vacaverint in predicta ecclesia Eboracensi, confert et reservat non obstante quod pati dicatur in ordinibus et etate defectum seu quod canonicatum Lugdunensis ecclesie, in qua certus canonicorum numerus et prebendarum distinctio ut dicitur non habentur, noscatur obtinere, sive quod nuper cum illo ut unum vel plura ecclesiastica beneficia, etiam personatus vel cum cura existentia, cujus vel quorum redditus annui etiam mille marcharum sterlingorum summam ascende-

rent, licite retinere posset, fuerit dispensatum. « Volumus tamen quod si hujusmodi prebenda et dignitas vel personatus, quas vel quos auctoritate presentium assequi te continget, ascendent vel transcendent eandem, predicta dispensationis gratia nullius penitus sit momenti. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. julii, anno quarto.

In. e. m. .. *episcopo Dulmensi (sic) et .. decano Herfordensis et .. preposito Burgensis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum.*

2704 (CCCXII) Vatican, 19 juillet 1298.

« Inhibetur abbati monasterii Sancti Antonii Viennensis ne vendat alicui castrum quod Bellumforte seu Fayolons nominatur. » (fol. 75 v°.)

Dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Antonii Viennensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis. Cum dilectus filius nobilis vir Amedeus, comes Sabaudie, ad nos et Romanam Ecclesiam prompte gerat devotionis affectum, digne nos ipsum bracchiis paterne dilectionis amplectimur [1] et benivolentia prosequimur speciali. Eo siquidem nobis insinuante didicimus quod tu quoddam castrum, quod Bellumforte seu Fayolons nominatur, situm prope Marasium, Viennensis diocesis, obtines, ex quo, si ad manus nobilis viri Umberti, dalphini Viennensis, emptionis, permutationis vel alio quocumque titulo deveniret, magnum prefato comiti certis ex causis posset prejudicium generari ac inter comitem et dalphynum predictos occasione hujusmodi gravia possent scandala provenire. Nos autem, qui pacem et quietem singulorum fidelium affectamus, eidem comiti super hoc precavere ac [2] hujusmodi scandalis obviare volentes, discretioni [3] tue sub excommunicationis pena, quam, si forsitan, quod tamen non credimus, secus ageres, eo ipso incurras, auctoritate presentium districtius inhibemus ne castrum ipsum prefato dalphyno vel alii vendere vel cum ipso aut alio permutare aut eidem seu alii tradere vel aliis concedere quocumque modo presumas absque speciali licentia dicte Sedis faciente plenam et expressam de inhibitione hujusmodi mentionem. Nos enim nichilominus ex nunc irritum decernimus et inane quicquid contra inhibitionem eandem fuerit attemptatum. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIIII kal. augusti, anno quarto.

1. *Ms.*: apletimur.
2. *Ms.*: ad.
3. *Ms.*: discreptioni.

2705 (CCCXIII) Vatican, 15 juillet 1298.

« Quod possit habere altare portatile. » (fol. 75 v°.)

Dilecto filio nobili viro Amedeo, comiti Sabaudie. Tue devotionis exigentibus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. julii, anno quarto.

2706 (CCCXIIII) Vatican, 26 juin 1298.

Confertur prebenda in ecclesia Cathalaunensi. (fol. 75 v°.)

Dilecto filio magistro Johanni de Finemuro, canonico Cathalaunensi. Dum conditiones et merita —.

Suprascripto, consideratione Roberti ducis Burgundie, canonicatum et prebendam non sacerdotalem confert et de illis providet in ecclesia Cathalaunensi, si que vacant ad presens vel proxime vacaverint, non obstante quod archidiaconatum de Flamgneyo (*sic*) in Eduensi ac in ea et Laudunensi, Ambianensi, Cabilonensi, Belnensi et Majoris Regalis, Eduensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

In. e. m. .. *episcopo Matisconensi et .. abbati monasterii Sancti Benigni de Divione, Lingonensis diocesis, et Guillelmo de Monasteriis, canonico Remensi.*

2707 (CCCXV) Vatican, 22 juin 1298.

« Dispensatur cum eo super defectu natalium. » (fol. 76 v°.)

Dilecto filio magistro Humberto de Marcilleyo, clerico Eduensis diocesis. Inlegitime genitos quos —.

Dispensatur cum suprascripto, obtentu Roberti ducis Burgundie, cujus clericus et physicus fuit, pro illo supplicantis, super defectu natalium quem patitur de monacho subdiacono et soluta genitus, ut possit ad omnes ordines promoveri et beneficia ecclesiastica recipere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, X kal. julii, anno quarto.

2708 (CCCXVI) Vatican, 25 juin 1298.

Facultas absolvendi super procurationibus in pecunia perceptis. (fol. 76 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Claromontensi. Devotionis tue promeretur —.

Absolvendi hac vice archidiaconos et archipresbyteros sue diocesis qui procurationes in pecunia numerata hactenus rece-

perunt a suspensionis sententia et dispensandi cum eisdem super irregularitate, moderata seu mitigata pena concilii Lugdunensis, prout videbitur faciendum, conceditur facultas.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. julii, anno quarto.

2709 (CCCXVII) Vatican, 25 juin 1298.

Facultas absolvendi super injectione manuum in clericos. (fol. 76 v°.)

Eidem. Ut subditis tuis —.

Absolvendi hac vice clericos, tam religiosos quam seculares, et laicos sue diocesis qui pro violenta injectione manuum in personas ecclesiasticas in canonem late sententie inciderint et dispensandi cum clericis eisdem super irregularitate concedit ei facultatem.

Dat. ut supra.

2710 (CCCXVIII) Vatican, 25 juin 1298.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 76 v°.)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

2711 (CCCXVIIII) Vatican, 14 juillet 1298.

« Confertur abbatia secularis ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis cum prebenda. » (fol. 76 v°.)

Dilecto filio Phylippo, nato quondam Crocis de Gerardinis, abbati secularis ecclesie Sancti Affrodisii Biterrensis. Clara virtutum et scientie —.

Suprascripto abbatiam dicte ecclesie per mortem quondam Raymundi Fredoli, abbatis, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantem confert ac Neapoleonem, Sancti Adriani diaconum cardinalem, nomine ejus per annulum investit, non obstante quod dictus Phylippus in plebe de Podiobonizi, Florentine diocesis, canonicatum et prebendam noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II id. julii, anno quarto.

2712 (CCCXX) Vatican, 9 juillet 1298.

« Super pluralitate. » (fol. 77).

Dilecto filio Willelmo Arnaldi de Mota, archidiacono Gamagensi in ecclesia Vasatensi. Dudum volentes tibi —.

Indulget ei, ex uberiori gratia, ut, postquam fuerit assecutus canonicatum et personatum in ecclesia Agennensi, quos virtute apostolicarum litterarum prius obtentarum exspectat, preter ecclesiam de Montogio, Tholosane diocesis, curatam et in Vasatensi et Sancti Severini Burdegalensi ecclesiis canonicatus et prebendas, archidiaconatum quoque Gamagensem, quem tenore supradicte reservationis dimittere tenebatur, licite retinere possit, non obstante etiam quod in Ambianensi ecclesia in canonicum sit receptus et de prebenda ibi litiget.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. julii, anno quarto.

2713 (CCCXXI) Vatican, 8 juillet 1298.

« Confertur Raymundo de Rama in ecclesia Vasatensi primus prioratus. » (fol. 77.)

Dilecto filio Raymundo de Rama, canonico Vasatensi. Litterarum scientia, morum —.

Ei, consideratione Eduardi, regis Anglie, cujus existit clericus, dominum papam « per suos nuntios supplicantis », dignitatem in ecclesia Vasatensi, cujus canonicus jam existit, spectantem ad collationem episcopi Vasatensis confert et de illa providet, si qua vacat ad presens vel proxime vacaverit, non obstante quod dictus Raymundus in eadem ecclesia canonicatum ac ecclesiam Beate Marie de Rupecissa, Vasatensis diocesis, curatam noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. julii, anno quarto.

In e. m. .. *abbati monasterii de Condomio et .. priori de Lairiaco, Agennensis diocesis, ac .. archidiacono Coseranensi.*

2714 (CCCXXII) Vatican, 5 juillet 1298.

« Confertur Theobaldo de Gonencuria primus prioratus in ecclesia Virdunensi. » (fol. 77 v°.)

Dilecto filio Theobaldo de Gonencuria, canonico Virdunensi. Quia venustate morum —.

Ei, consideratione Henrici comitis Barensis, cujus clericus existit, pro eo supplicantis, dignitatem in Virdunensi ecclesia, cujus est jam canonicus, confert et reservat, non obstante quod in Sancti Maximi de Barro decanatum et in eadem Virdunensi et in Motacastro, Tulensis diocesis, canonicatus et prebendas noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III non. julii, anno quarto.

In e. m... *abbati Sancti Michaelis, Virdunensis diocesis, et .. archidiacono et .. cancellario ecclesie Virdunensis.*

2715 (CCCXXIII) Vatican, 19 juillet 1298.

« Confertur prebenda cum prioratu in ecclesia Bisuntina. » (fol. 78.)

Dilecto filio Reginaldo de Barro Ducis, canonico Bisuntino. Viros litterarum scientia —.

Suprascripto, consideratione Henrici comitis Barensis, pro eo, germano ejus, supplicantis, canonicatum et prebendam ecclesie Bisuntine confert et reservat, non obstante quod archidiaconatum de Bursella, in Cameracensi, ac in eadem Cameracensi, Remensi, Belvacensi, Laudunensi ac in majori et Beate Marie Magdalene Virdunensibus ecclesiis canonicatus et prebendas noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIII kal. augusti, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. de Sancto Paulo, Virdunensis diocesis, monasteriorum abbatibus* (*sic*) *ac .. decano ecclesie Sancti Maximi de Barro Tullensis.*

2716 (CCCXXIIII) Rieti, 1er octobre 1298.

« Super quodam casalino in civitate Spoletana. » (fol. 77 v°.)

Dilecto filio .. inquisitori heretice pravitatis in provincia beati Francisci. Exhibita nobis dilectorum filiorum Anastasii et Jacobi quondam Philippi et Ranaldi quondam Oddonis de civitate Spoletana laycorum petitio continebat quod olim dicti Philippus et Oddo ac Maranzonus et Jacobonus fratres eorum per quondam fratrem Andream, inquisitorem in provincia beati Francisci a Sede Apostolica deputatum, predecessorem tuum, condemnati fuerunt de crimine heretice pravitatis sed tandem injunctam eis penitentiam peragentes vixerunt et decesserunt uti catholici Christiani. Cum autem quoddam casalinum predictorum fratrum positum in civitate prefata, cui a duobus lateribus est via publica, a tertio Palmerettus Johannis et a quarto Vitalionus Pauli dicti loci de Spoleto, per dictum inquisitorem Romane Ecclesie fuerit confiscatum, nobis pro parte predictorum Anastasii, Jacobi et Ranaldi et aliorum qui ex dictis fratribus descendunt fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi sint et semper fuerint orthodoxe fidei zelatores, eis de dicto casalino gratiam faceremus.

Ut eis casalinum ipsum concedat ad opus eorum reficiendum et perpetuo possidendum nonobstante predicta confiscatione.

Dat. Reate, kal. octobris, anno quarto.

(POTTHAST, 24 730.)

2717 (CCCXXV) Vatican, 8 juillet 1298.

« Super discordia que vertitur inter regem Francorum et cives Lugdunenses, ex parte una, et archiepiscopum et capitulum Lugdunenses ex altera. » (fol. 79.)

Venerabili fratri .. episcopo Autisiodorensi et dilecto filio nobili viro .. duci Burgundie. Pridem considerantes attentius gravem dissensionis materiam ab olim exortam inter carissimum in Christo filium nostrum Phylippum, regem Francorum illustrem, et dilectos filios cives Lugdonenses, ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum .. archiepiscopum et dilectos filios capitulum Lugdonenses, ex altera, occasione potissime appellationum seu resorti, ut patrie verbis utamur, propter quod Lugdonensis civitas ecclesiastico supposita interdicto et quamplures etiam dictorum civium erant excommunicationis vinculo innodati, et cupientes ut, ad laudem Dei et prosperum ipsorum archiepiscopi et capituli ac Lugdonensis ecclesie dictorumque regis et civitatis statum, hujusmodi negotium felicem sortiretur effectum, voluimus et venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Eduensi ac dilecto filio Johanni de Capriaco, archidiacono Rothomagensi, per nostras litteras duximus injungendum ut ipsi, vel duo aut unus ipsorum, in hujusmodi negotio procedentes, predictis archiepiscopo et capitulo ac etiam personis Lugdonensis ecclesie ad spiritualia [1] et temporalia [2], que tunc [3] noscebantur extare, per eos plenarie restitutis et amota etiam manu regis, prefatum interdictum auctoritate nostra suspendere procurarent, ita quod hujusmodi suspensio usque ad annum a festo Natalis Domini tunc venturo proxime inchoandum robur firmitatis stabile obtineret ac illos ex civibus supradictis, qui premissorum occasione erant excommunicationis vinculo innodati, juxta Ecclesie formam absolverent, injuncto quod de jure injungendum esset eisdem : et nichilominus archiepiscopum, capitulum et cives predictos ex parte nostra perhentorie citare curarent ut idem archiepiscopus, personaliter, prefati vero capitulum, per duos ex ipso capitulo, dictique cives, per procuratores ydoneos ad hoc specialiter constitutos et habentes plenum et sufficiens mandatum ac etiam ad tractandum, paciscendum et compromittendum et alia omnia et singula faciendum que veri et legittimi procuratores facere possent et deberent, infra Quadragesimam tunc primo venturam comparerent coram nobis ut hujusmodi negotio, auctore Domino, finis imponi valeret prout nobis videretur rationabiliter

1. *Ms :* spirituali.
2. *Ms :* temporali.
3. *Ms :* nunc.

faciendum. Unde nos, sperantes firmiter quod ea super quibus studia vestra requireremus prudenter et solerter exequi studeretis, voluimus et discreptionem vestram per nostras litteras rogandam attempte duximus et hortandam, vobis fideliter committentes ut vos, per vos vel per alium ydoneum et fidedignum ac per vos concorditer eligendum, appellationes seu resortum nec non et custodiam civitatis ejusdem ad manus vestras sublato difficultatis obstaculo assumentes, per totum predictum diligenter exequi studeretis, et omnes redditus et proventus, quos ad manus vestras pervenire contingeret, eisdem archiepiscopo et capitulo vel eorum procuratoribus ipsorum nomine curaretis integre assignare : nostre tamen volumptatis extitit ut appellationes seu resortum et custodia supradicta ad illos redirent, ad quos finis ejusdem pertinere negotii demonstraret, quodque, si per tractatum hujusmodi vel alias prefatum negotium nec (*sic*) contingeret terminari, ad statum pristinum negotium reverteretur predictum, nec erat intentionis nostre nec extiterat ut per tractatum ipsum alterutri partium quoad possessionem vel proprietatem prejudicium aliquod contingeret generari. Iidem vero archiepiscopus Narbonensis et archidiaconus, absente episcopo supradicto, hujusmodi mandato nostro recepto in negotio procedentes, inter alia que in predictis continebantur litteris directis eisdem, prefatum interdictum juxta formam in eisdem litteris comprehensam usque ad festum Natalis Domini proximo venturum auctoritate nostra dispendere curaverunt. Nos igitur, habentes cordi negotium supradictum et archiepiscopi et capituli et civium predictorum tribulationibus et angustiis plurimis, quibus hactenus propter premissa eorum status periculosius fluctuavit, paterno compatientes affectu, et propterea volentes eorum providere quieti et saluti etiam animarum, archiepiscopo Narbonensi, episcopo et archidiacono memoratis per alias litteras nostras injungimus ut prefatum interdictum a predicto festo Natalis Domini usque ad aliud festum Natalis ejusdem ex tunc proximo secuturum ipsi vel duo aut unus ipsorum eadem auctoritate suspendant, protestationibus et appellationibus a partibus interjectis eisdem ac restitutionibus et aliis omnibus in prima suspensione contemptis in suo robore duraturis. Quocirca discretionem vestram sicut iterum sic et attentius rogamus et hortamur attente vobisque committimus confidenter quatinus, appellationes seu resortum necnon et custodiam civitatis ejusdem per totum tempus predictum ad manus vestras, ut est superius expressum, assumentes, ea per omnia diligenter et solerter exequi studeatis prout in prioribus litteris vobis directis seriosius continetur. Sic ergo in hiis vos nostris beneplacitis conformetis et geratis sollicite in eisdem ut provide vobis a Domino premium et a nobis commendationis titulus preter laudis humane preconium perducantur. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. julii, anno quarto.

2718 (CCCXXVI) Vatican, 8 juillet 1298.

« Super eadem. » (fol. 79 v°.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Eduensi ac dilecto filio Johanni de Capriaco, archidiacono Rothomagensi. Pridem considerantes, et cetera ut in precedenti usque : effectus, voluimus et per apostolica scripta vobis mandavimus ut vos, vel duo aut unus vestrum, in hujusmodi negotio procedentes, prefatis archiepiscopo et capitulo ac etiam personis Lugdonensis ecclesie supradicte ad spiritualia et temporalia, que tunc noscebantur extare, per vos plenarie restitutis et amota etiam manu regis, prefatum interdictum auctoritate nostra suspendere studeretis ita quod hujusmodi suspensio usque ad annum a festo Nativitatis Domini tunc venturi proxime inchoandum robur firmitatis stabilis optineret, ac illos ex civibus supradictis, qui premissorum occasione erant excommunicationis vinculo innodati, juxta formam Ecclesie absolvere curaretis, injuncto quod esset de jure injungendum eisdem et nichilominus archiepiscopum, capitulum et cives predictos ex parte nostra citare perhentorie curaretis ut idem archiepiscopus, personaliter, prefati vero capitulum, per duos ex ipso capitulo, dictique cives, per procuratores ydoneos ad hoc specialiter constitutos et habentes plenum et sufficiens mandatum ac etiam ad tractandum, paciscendum, et compromittendum ac alia omnia et singula faciendum que veri et legittimi procuratores facere possent et deberent, infra Quadragesimam tunc primo venturam comparerent coram nobis ut hujusmodi negotio, actore Domino, finis imponi valeret prout nobis videretur rationabiliter faciendum. Vos autem, frater archiepiscope et fili archidiacone, hujusmodi mandato nostro recepto in negotio procedentes, inter alia que in predictis litteris continebantur, prefatum interdictum juxta formam in eisdem litteris comprehensam usque ad festum Natalis Domini primo venturum suspendere curavistis. Nos igitur, habentes cordi negotium supradictum et archiepiscopi ac capituli et civium Lugdunensium predictorum tribulationibus et angustiis plurimis, quibus hactenus propter premissa eorum status periculosius fluctuavit, paterno compatientes affectu, et propterea volentes eorum provideri quieti et saluti etiam

animarum, discreptioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus prefatum interdictum a predicto festo Natalis Domini usque ad aliud festum Natalis ejusdem ex tunc proximo secuturum vos vel duo aut (unus) vestrum eadem auctoritate suspendere studeatis : protestationibus et appellationibus a partibus interjectis eisdem ac restitutionibus et aliis omnibus in prima suspensione contemptis in suo robore duraturis. Dat. ut supra.

2719 (CCCXXVII) Vatican, 7 juillet 1298.

« Dispensatio super pluralitate. » (fol. 79 v°).

Dilecto filio Thome de Sabaudia, thesaurario ecclesie Sancti Illarii Pictavensis. Licet statuta sacrorum —.

Dispensat cum eo ut unum vel plura ecclesiastica beneficia, etiam si dignitates extiterint et curam habuerint animarum, quorum redditus quinquaginta marcharum sterlingorum annuum valorem attingant, si ei canonice offerantur, una cum thesauraria suprascripte ecclesie recipere ac retinere libere possit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. julii, anno quarto.

2720 (CCCXXVIII) Vatican, 13 juillet 1298.

« Dispensatio super matrimonio non obstante quarto consanguinitatis gradu. » (fol. 79 v°.)

Dilecto filio nobili viro Robertho de Granceyo, Lingonensis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Jaquete de Armigneyo, Eduensis[1] *diocesium.* Cum summus Pontifex—. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III id. julii, anno quarto.

2721 (CCCXXVIIII) Vatican, 29 mai 1298.

« Absolvitur a juramento de visitando limina Apostolorum. » (fol. 80.)

Venerabili fratri Petro, Wibergensi episcopo. Ex parte tua —.

Suprascripto, qui tempore quo dominus Papa eum prefecit in episcopum Wibergensem juramentum prestiterat quod Apostolorum limina singulis trienniis visitaret, quanquam ecclesia ipsa privilegium exemptionis non habeat sed jurisdictioni Lundensis archiepiscopi sit subjecta, absolutionem concedit a dicto juramento, quoad visitationem dumtaxat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. junii, anno quarto.

(POTTHAST, 24682).

2722 (CCCXXX) Vatican, 26 juin 1298.

« Quod terra sua non possit supponi ecclesiastico interdicto. » (fol. 80.)

Dilecto filio nobili viro Roberto, duci Burgundie. Habet in nobis —.

Indulget ei ut terra ejus vel pars ipsius propter officialium seu ministrorum ejus excessus ecclesiastico interdicto supponi non valeat nisi eo aut vicario ejus super illis primitus monito vel etiam requisito et nolente super eisdem exhibere justitie complementum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, anno quarto, VI kal. julii [1].

2723 (CCCXXXI) Vatican, 26 juin 1298.

Quod possit facere celebrari missarum solemnia ante lucem. (fol. 80.)

Eisdem. Ex affectu benevolentie —. Dat. ut supra.

2724 (CCCXXXII) Vaticna, 11 juillet 1298.

« Super construendo quodam hospitali in terra sua. » (fol. 80)

Eidem. Ad ea que animarum —.

Suprascripto qui hospitale cum oratorio seu capella in honorem beati Johannis Baptiste et Nicholai confessoris ac Sancte Catherine virginis in fundo proprio in ducatu suo, ubi videbitur expedire, pro suorum et parentum suorum remedio peccatorum sumptibus propriis constituere seu edificare desiderat et de bonis suis dotare ad opus infirmorum et pauperum recipiendorum ibidem, jus patronatus in eodem reservat in perpetuum nec non et heredibus ejus, et concedit ut rectores et cetere persone in illo degentes in cimiterio annexo sepeliri possint.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

1. *Ms* : Eduenensis.

1. Sic legitur in manuscripto.

2725 (CCCXXXIII) Vatican, 26 juin 1298.

Quod nullus auctoritate apostolica in personas eorum interdicti et excommunicationis sententias promulgare possit absque Sedis Apostolice speciali licentia.

Eidem et dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti, ducisse Burgundie, uxori ejus. Eximie devotionis affectus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

2726 (CCCXXXIIII) Vatican, 26 juin 1298.

Indultum pro capellanis. (fol. 80.)

Eisdem [1]. Volentes vestras honorare —.

Indulget eis ut capellani et clerici eorum, quum ipsos super altari portatili coram eis missarum solemnia celebrare contigerit, medietatem oblationum licite retinere valeant, dummodo medietas reliqua parochiali ecclesie integre assignetur.

Dat. ut supra.

2727 (CCCXXXV) Vatican, 25 juin 1298.

« Quod possit duabus personis ydoneis officium tabellionatus concedere. » (fol. 80.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Claromontensi. Ex parte tua —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. julii, anno quarto.

2728 (CCCXXXVI) Vatican, 25 juin 1298.

« Quod possit providere in singulis ecclesiis de sua civitate et diocesi de singulis personis in canonicos. » (fol. 80 v°.)

Eidem. Agere credimus non indigne —. Dat. ut supra.

2729 (CCCXXXVII) Vatican, 25 juin 1298.

Facultas conferendi sex prebendas. (fol. 80 v°.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Narbonensi. Personam tuam —.

Concedit ei facultatem recipiendi singulos clericos ydoneos in Biterrensi, Agathensi, Lodovensi et Elnensi cathedralibus et in Sancti Pauli Narbonensi ac Sancti Affrodisii Biterrensi collegiatis ecclesiis sue provincie in canonicos ac providendi cuilibet ipsorum de singulis prebendis integris non sacerdotalibus.

Dat. ut supra.

1. Rubrica deest in registro sed legitur in indice.

2730 (CCCXXXVIII) Vatican, 8 juillet 1298.

« Quod possit sibi eligere confessorem. (fol. 80 v°.) »

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, comitisse Sabaudie. Vota tua favore —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. julii, anno quarto.

2731 (CCCXXXVIIII) Vatican, 8 juillet 1298.

« Super pluralitate. » (fol. 80 v°.)

Dilecto filio magistro Bonnetto de Pignibus, canonico Vasatensi. Apostolice Sedis benignitas —.

Ei, consideratione E[duardi] regis Anglie cujus clericus existit, indulget ut unicam dignitatem aut parochialem ecclesiam, si ei canonice offeratur, libere recipere ac una cum canonicatu et prebenda, que in ecclesia Vasatensi obtinet, et ecclesia de Sancta Radegunda, Vasatensis diocesis, cui cura imminet animarum, cujus rector existit, licite retinere valeat.

Dat. Rome, VIII id. julii, apud Sanctum Petrum, [1]. anno quarto

2732 (CCCXL) Vatican, 8 juillet 1298.

« Super conferendis prioratibus et administrationibus quos tenebat Artaudus Flote monachus Cluniacensis. » (fol. 81.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Claromontensi. Gerentes de vestre —.

Mandat eis quatinus omnes prioratus, decanatus et administrationes que, tempore publicationis constitutionis nuper edite qua cavetur ut nullus monachus, cujuscumque ordinis existat, nisi unicam administrationem valeat obtinere, frater Artaudus Flote monachus Cluniacensis monasterii obtinebat, personis ydoneis ipsius ordinis auctoritate apostolica conferre et assignare curent.

Dat. ut supra.

1. Sic legitur in registro.

2733 (CCCXLI) Vatican, 8 juillet 1298.

« Super resignatione beneficiorum que tenebat magister Guillelmus Flote, archidiaconus in ecclesia Cameracensi. » (fol. 81.)

Eisdem. Cum, sicut accepimus —.

Mandat eis, « cum magister Guillelmus Flote, archidiaconus de Brabantia in ecclesia Cameracensi, beneficia quedam que obtinet intendat libere resignare, » ut libera resignatione predictorum beneficiorum a dicto magistro, cum fuerint super hoc requisiti, recepta, beneficia ipsa auctoritate apostolica conferre et assignare curent.

Dat. ut supra.

2734 (CCCXLII) Vatican, 16 avril 1298.

« Quod non teneatur ad observationem cujusdam sententie. » (fol. 81.)

Dilecto filio magistro Johanni dicto Hardi, cantori ecclesie Furnensis, Morinensis diocesis. Nuper ad audientiam nostram fide digna relatione perlato quod dilecti filii Johannes, quondam decanus, et quidam canonici Furnensis ecclesie, Morinensis diocesis, se capitulum ipsius asserentes, ex eo presertim contra personam tuam rancore concepto quod tu Ytalicis et quibusdam aliis de Ultramontanis partibus oriundis ecclesie predicte canonicis in manutenendis eorum juribus assistebas, ut te possent ab eadem ecclesia relegare et affligere laboribus et expensis, falso imponere curaverunt quod contra juramentum a te prestitum secreta capituli revelaras et aliis eras criminibus inretitus : propter quod adeo te minis ac temporibus (*sic*) induxerunt ut necessitate compulsus, quanquam predicta tibi per eos imposita veritatem minime continerent, ipsorum volumptati te omnino submitteres et de non veniendo contra sententiam proferendam per eos prestares etiam corporaliter juramentum ; et hujusmodi a te cautione recepta sequentes proprie volumptatis impulsum contra te iniquam sententiam protulerunt per quam te a predicta ecclesia, in animarum suarum periculum et tuum non modicum detrimentum, per quinquennium relegantes per idem tempus te fructibus cantorie tue ipsius ecclesie ac capituli voce privarunt et nichilominus, ne citra montes venires et tibi super predictis remedia procurares [1], per eandem sententiam statuerunt quodque [2] ad studium Andegavense vel aliud de provincia Provincie te transferres, inibi per idem quinquennium continuum moraturus, augmentandi tibi penam hujusmodi et mandandi semel et pluries quotiens et quando eis videretur, expedire, sibi potestate plenaria reservata. Post hec vero, ad quorumdam ipsius ecclesie canonicorum instantiam litterarum nostrarum auctoritate citatus ut coram nobis personaliter compareres, ad Sedem Apostolicam accessisti et licet sit tue citationis causa finita, ob paupertatem tamen quam pretestu dicte sententie nec non occasione destructionis predicte Furnensis ecclesie nosceris pregravatus, ad predictum studium comode remeare non potes. Quare pro te nobis fuit humiliter supplicatum ut paupertati tue paterno compatientes affectu providere tibi tuoque statui super predictis de apostolice benignitatis munificientia dignaremur.

Nos itaque, attendentes laudabilia merita de quibus nobis fidedignorum testimonio commendaris et propterea volentes tibi gratiam facere specialem, te ab observatione juramenti submissionis et promissionis predictorum nec non omnium et singulorum in processu et sententia dictorum decani et capituli contemptorum apostolica [auctoritate] et de plenitudine potestatis absolvimus et ad ea quomodolibet observanda decernimus non teneri, teque in eum statum in quo eras tempore submissionis hujusmodi a te facte reducimus et restituimus ac omnem infamie notam seu maculam, quam propter hoc forsitan incurristi vel ob eandem sententiam a te non servandam incurrere posses inposterum, penitus abolemus. Nulli ergo, et cetera. Nostre absolutionis, constitutionis, reductionis et abolitionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVI kal. maii, anno quarto.

1. *Ms* : procuratores.
2. Sic legitur in *Ms.* ubi videntur aliqua verba deesse.

2735 (CCCXLIII) Vatican, 22 juin 1298.

« Super dispensatione. » (fol. 81 v°.)

Dilecto filio Petro Bloyn de Primero, canonico Lingonensi. Habet exposite nobis tue petitionis assertio quod olim dilecti filii decanus et capitulum Burdegalensis ecclesie ad preces dilectorum filiorum virorum nobilium Radulfi de Claromonte, constabularii Francie, ac Petri Flote, familiaris carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustris, te in eorum canonicum unaniter et concorditer receperunt et prebendam tunc in ecclesia ipsa vacantem tibi, prout spectabat ad eos, cum suis juribus et pertinentiis contulerunt prout in ipsorum litteris super hoc confectis plenius dicitur contineri, tuque dictam prebendam, tanquam secularibus assignari cle-

ricis consuetam, acceptans, eam jam per triennium tenuisti et percepisti fructus, proventus et redditus ex eadem, ignorans tue receptionis tempore quod predicta ecclesia existeret regularis. Sed, cum id nuper ad tuam notitiam pervenisset, statim [1] prebendam ipsam in nostris manibus resignasti, nobis humiliter supplicando ut providere tibi super retentione ipsius prebende ac perceptis fructibus ex eadem, ut tibi, qui clericus secularis existit, aliquid propter hoc inposterum quoad alia ecclesiastica beneficia que obtines et que te obtinere contigerit infuturum possit quoquo modo impingi, de oportune dispensationis remedio dignaremur.

Annuens petitioni, fructus perceptos donat et abolet omnem notam, si quam ex receptione dicte prebende et perceptione ejusdem fructuum contraxerit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. julii, anno quarto.

1. *Ms.* : statum.

2736 (CCCXLIIII) Vatican, 2 juillet 1298.

« Super provisione facta de eo de prebenda Senonensi. » (fol. 81 v°.)

Dilecto filio Johanni de Capriaco, archidiacono Rothomagensi. Pridem, volentes personam carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, specialiter honorare et per honorem sibi exhibitum aliis providere, venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Narbonensi et .. Dolensi ac .. Autisiodorensi episcopis per nostras dedimus litteras in mandatis ut ipsi, vel duo aut unus ipsorum, in singulis cathedralibus et collegiatis ecclesiis regni Francie, Lungdonensi et Vivariensi que se de regno ipso esse contendunt duntaxat exceptis, singulis personis ydoneis quas rex eis duceret nominandas de singulis canonicatibus ecclesiarum ipsarum et prebendis nulli alii de jure debitis, si tunc vacabant in eisdem ecclesiis vel quam cito vacarent, auctoritate nostra providere curarent : non obstante si persone ipse alias beneficiate existerent, prout in nostris litteris super hoc confectis plenius continetur. Cum autem idem archiepiscopus Narbonensis, prout ex forma litterarum ipsarum poterat, ad nominationem dicti regis te in Senonensi ecclesia recepi fecerit sub expectatione vacature prebende in canonicum et fratrem, et postmodum subsequenter quedam constitutio a nobis edita fuerit ut is [1], cui conceditur ut auctoritate apostolica valeat uni persone ydonee in sua vel alia ecclesia providere, alicui aliud beneficium sufficiens obtinenti [2] providere non possit nisi primo ille beneficium quod obtinet omnino dimittat vel nisi in concessione hujusmodi sit expressum quod alias beneficiate valeat providere persone, quo [3] quidem casu providere poterit unicum duntaxat beneficium obtinenti dum tamen illi cura non immineat animarum ; tu vero qui, tempore provisionis et receptionis tue facte de dicto canonicatu et prebenda in Senonensi ecclesia supradicta, obtinebas et nunc etiam in Rothomagensi et Drocensem in Carnotensi archidiaconatus (*sic*) et in eis et Parisiensi, Tornacensi et Meldensi ecclesiis canonicatus et prebendas ex dispensatione apostolica obtines, dubitas ne propter hoc in petenda prebenda tibi in posterum debita cum vacaverit in Senonensi ecclesia memorata posset tibi aliquid generari prejudicium seu impedimentum prestari, humiliter supplicasti ut providere tibi super hoc de benignitate apostolica dignaremur.

Nos itaque, volentes ut hujusmodi gratia seu provisio tibi facta plenum ac debitum sortiatur effectum, tibi, ut predicta constitutione nostra nequaquam obstante iidem executores libere in hujus provisionis negotio tibi facte in Senonensi ecclesia supradicta procedere valeant juxta predictarum continentiam litterarum, quodque in assecutione prefate prebende tibi debite cum vacaverit nullum tibi possit ex ea generari prejudicium vel impedimentum quoquo modo prestari, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. julii, anno quarto.

2737 (CCCXLV) Vatican, 1er juillet 1298.

« Super recipiendis personis ydoneis quas regina Francie duxerit nominandas in Senonensi, Meldensi et Trecensi ecclesiis. » (fol. 82.)

Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi. Libenter carissime in Christo filie nostre Johanne, regine Francorum illustris, eam concedimus gratiam per quam gratificari valeat clericis in suis obsequiis constitutis. Ipsius igitur regine supplicationibus inclinati fraternitati tue faciendi ex nunc recipi auctoritate nostra ea vice, per te vel alium seu alios, singulas personas ydoneas quas dicta regina

1. *Ms.* : his.
2. *Ms.* : obtineri.
3. *Ms.* : quod.

tibi duxerit nominandas in Senonensi, Meldensi et Trecensi ecclesiis in canonicos et fratres ac providendi cuilibet ipsorum de singulis prebendis nulli alii de jure debitis, si que in ecclesiis ipsis vacant ad presens vel quam cito ad id obtulerit se facultas, nec non et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi : non obstantibus de certo canonicorum numero seu quibuslibet aliis statutis et consuetudinibus contrariis ecclesiarum ipsarum, juramento, confirmatione Sedis Apostolice seu quacumque firmitate alia roboratis; aut si pro aliis apostolica scripta in dictis ecclesiis sint directa quibus nullum volumus per hoc prejudicium generari; sive venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Senonensi et .. Meldensi ac .. Trecensi episcopis et dilectis filiis decanis et capitulis predictarum ecclesiarum comuniter vel divisim a prefata Sede indultum existat quod ad receptionem vel provisionem aliquorum minime teneantur, quodque ad id compelli non possint, seu quod de prebendis ipsarum ecclesiarum vel beneficiis ad eorum collationem vel provisionem comuniter vel divisim spectantibus nequeat alicui provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem; sive qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali, cujuscumque tenoris vel expressionis existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus hujusmodi gratie impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris specialis mentio sit habenda, tenore presentium concedimus facultatem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2738 (CCCXLVI) Vatican, 11 juillet 1298.

« Quod religiosi suis obsequiis insistentes possint vesci carnibus. » (fol. 82.)

Dilecto filio nobili viro Guidoni, comiti de Sancto Paulo, regni Francie buticulario. Exigit magne devotionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

2739 (CCCXLVII)

Forma juramenti. (fol. 82.)

Forma juramenti. Ego Johannes episcopus Carcassonensis ab hac hora in antea, et cetera.

In eundem modum Johanni episcopo Meldensi.

2740 (CCCXLVIII) Vatican, 3 mai 1298.

« Pro Johanne Feraloca, cive Urbevetano. » (fol. 82 v°.)

Dilecto filio Ade de Cumis, ordinis Fratrum Minorum, inquisitori heretice pravitatis in Romana provincia. Exposuit nuper nobis dilectus filius Johannes Feraloca civis Urbevetanus quod dudum, cum ipse fratri Angelo de Reate, ordinis Fratrum Minorum, inquisitori heretice pravitatis primo, ac etiam postmodum fratri Leonardo de Tibure, ipsius ordinis, qui eidem fratri Angelo in hujusmodi inquisitionis successit officio, per Sedem Apostolicam in Romana provincia deputatis humiliter et sponte, non citatus nec coactus, confessus fuerit quod in crimine hereseos in adulta etate deliquerat, iidem inquisitores dictum Johannem absolutionis beneficium humiliter postulantem, prius ab eo de parendo precise mandatis Ecclesie juramento recepto, ab omni excommunicationis sententia quam incurrerat occasione predicti criminis et pro omni eo quod in dicto crimine vel circa ipsum crimen quocumque modo commiserat juxta formam Ecclesie absolverint, restituentes ipsum ecclesiasticis sacramentis ac imposita eidem penitentia salutari per dictum Johannem fideliter ac plena peracta, tu, predictorum inquisitorum in officio memorato successor, cui de hiis plene ac legitime constitit, memoratum Johannem reddidisti a penitentia hujusmodi absolutum, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius asserit contineri. Demum vero frater Angelus de Colleveteri, ordinis prelibati, successor predictorum et tuus in officio memorato, eo tempore quo inter Romanam Ecclesiam et comune Urbevetanum occasione terre Vallislacus vigebat discordia, eundem civem citari fecit ut coram eo personaliter compareret super dicto crimine, tanquam si non fuisset plene confessus, dicturus plenius veritatem; ac idem Johannes coram ipso inquisitore ad mandatum hujusmodi comparere curavit, nosque inquisitori predicto fecimus inhiberi ne contra prefatum Johannem ulterius supra predictis procederet sine nostra conscientia et mandato. Quare dictus Johannes nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super premissis de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Nos itaque, de predicta inhibitione nostra plenarie recolentes, ipsius Johannis supplicationibus inclinati, discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatinus, si de hujusmodi humili et spontanea confessione dicti Johannis facta per eum, ut asserit, fratribus Angelo et Leonardo inquisitoribus supradictis, et quod idem inquisitores eum a sententia excommunicationis absolverint et restituerint ad ecclesiastica sacramenta et imposuerint eidem penitentiam salutarem, et ipse peniten-

tiam hujusmodi fideliter et plene peregerit, tuque ipsum absolutum reddideris a supradicta penitentia, ut proponit, plene tibi constiterit ac prefatum Johannem in plena noveris orthodoxe fidei puritate manere, memorato Johanni ad omne super premissis dubium excludendum auctoritate nostra ab omni sententia et pena quam occasione predicti criminis incurisset beneficium absolutionis impendas, restitues eum nichilominus ad omnes actus legitimos et honores ac famam integram, si qua forsan ob predicta esset in aliquo dinigrata, ita quod propter premissa nullum possit ei generari prejudicium vel obstaculum interponi. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. maii, anno quarto.

(Potthast, 246. 74.)

2741 (CCCXLVIIII) Vatican, 24 juin 1298.

« Quod possit retinere prioratum de Corredis, Aquensis diocesis, usque ad triennium. » (fol. 82 v°.)

Dilecto filio Beltrando, abbati monasterii Montis Majoris, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Arelatensis diocesis. Personam tuam speciali —.

Suprascripto, cum monasterium ejus adeo gravibus oneribus debitorum gravatum esse noscatur ut, propter satisfactionem quam oportet impendere creditoribus, non possit de ipsius fructibus commode sustentari, concedit ut prioratum de Corredis, ordinis sancti Benedicti, Aquensis diocesis, cujus fuit prior et quem tempore sue promotionis habebat, possit cum abbatia predicta usque ad triennium licite retinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. julii, anno quarto.

2742 (CCCL) Vatican, 1er août 1298.

« Quod familiares sui monachi et conversi possint vesci carnibus. » (fol. 83.)

Venerabili fratri Leonardo, episcopo Alatrino [1] Personam tuam —.

Ut monachi et conversi et alie persone ordinis Cisterciensis, cujus fuit professor, familiares sui possint vesci carnibus, quoties expedire viderit.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. augusti, anno quarto.

2743 (CCCLI) Vatican, 1er juillet 1298.

« Indulgentia pro capella de Wuburne, Lincolniensis diocesis. » (fol. 83.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vite perhennis gloria —.

Indulgentia centum dierum conceditur omnibus vere penitentibus et confessis qui ad capellam de Wouburne, Lincolniensis diocesis, que in honorem Sancte Crucis fundata est, in anniversario die dedicationis ejusdem ac in singulis beate Virginis et ejusdem Sancte Crucis festivitatibus et per octavas causa devotionis accesserit annuatim.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2744 (CCCLII) Rieti, 25 octobre 1298.

« Transfertur de Carcassonensi ad Tholosanam ecclesiam. » (fol. 83.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Tholosano. Angit nos cura —.

Transfertur de Carcassonnensi ad Tholosanam ecclesiam per obitum bone memoriem Arnaldi episcopi, qui nuper apud Urbemveterem debitum nature persolvit, vacantem et hac vice Apostolice Sedis dispositioni reservatam.

Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. *capitulo ecclesie Tholosane — clero — populo — universis vasallis — archiepiscopo Narbonensi — Phylippo, regi Francie illustri.*

2745 (CCCLIII) Vatican, 7 juin 1298.

« Confertur Stephano Jordani de Insula de Urbe prepositura ecclesie Sancte Marie de Podiobonizi, Florentine diocesis. » (fol. 83 v°.)

Dilecto filio Stephano Jordani de Insula de Urbe, preposito ecclesie Sancte Marie de Podiobonizi, Florentine diocesis. Nuper venerabili fratri —.

1. *Ms.* : Allatriensi.

Confirmat dominus papa collationem preposilure suprascripte a Matheo, Portuensi, et Napoleone, Sancti Adriani cardinalibus ex mandato ejus factam, inserto eorum instrumento nfrascripti tenoris:

« Miseratione divina frater Matheus, Portuensis et Sancte Rufine episcopus, et Neapoleones (*sic*), Sancti Adriani diaconus cardinales, discreto viro domino Stefano Jordani de Insula de Urbe, domini pape capellano, preposito ecclesie Sancte Marie de Podiobonizi, Florentine diocesis, salutem in Domino. Nuper sanctissimus pater dominus noster dominus Bonifatius divina providentia papa octavus mandavit et comisit nobis oraculo vive vocis ut, cum nobilis vir Cursus Symonis de Donatis, civis Florentinus, nomine Beni clerici filii sui qui prepositaram ecclesie Sancte Marie de Podiobonizi, Florentine diocesis, ad se spectare dicebat, jus, si quod eidem Beno quocumque modo competeret in eadem, in manibus ejusdem domini nostri pure et libere intenderet resignare, resignationem eandem auctoritate sua recipere et admittere ac tibi preposituram predictam per resignationem hujusmodi vel alio quocumque alio modo vacantem conferre et providere de ea etiam deberemus, et alia faceremus que oportuna ad robur collationis hujusmodi videremus. Nos igitur, ab eodem Curso, nomine ejusdem Beni, cujuslibet juris quod sibi competeret in eadem pura et libera resignatione recepta, tibi, in Paduanensi, Wratislavensi, Estensi, Paduane diocesis, et Sancti Bartholomei de Insula de Urbe canonicatus et prebendas et canonicatum, nondum tamen (cum) prebenda, in Sancti Bartholomei de Tribano, ejusdem diocesis, ecclesiis obtinenti [1], eandem preposituram, super qua venerabilis vir magister Guidottus de Mediolano, archidiaconus Pergamensis, ejusdem domini pape capellanus ac causarum Sacri Palatii et cause, que vertebatur [2] inter Phylippum de Gerardis, ex una parte, et eundem Benum, ex altera, super prepositura predicta, auditor a dicta Sede specialiter deputatus, eidem Phylippo perpetuum duxit silentium imponendum, sive per mortem quondam Bernardi, prepositi ejusdem ecclesie Sancte Marie, sive per resignationem hujusmodi vacet ad presens, cum omnibus juribus et pertinentiis suis auctoritate predicta tibi conferimus —. Dat. Rome, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione XI. Die Veneris sexta mensis junii, pontificatus sanctissimi patris domini Bonifatii pape VIII anno quarto. » Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII id. junii, anno quarto.

1. *Ms* : obtineri.
2. *Ms* : vertebantur.

In. e. m. *venerabilibus fratribus .. Florentino et .. Senensi episcopis ac dilecto filio magistro Bertuldo de Labro, capellano nostro, canonico Carnotensi.* — Dat. ut supra.

2746 (CCCLIIII) Vatican, 15 juillet 1298.

« Confertur Guillelmo de Fonte, rectori ecclesie Sancti Mauci de Moen, Baiocensis diocesis. » (fol. 84).

Dilecto filio Guillelmo de Fonte, rectori ecclesie Sancti Mauci de Moen, Baiocensis diocesis. Cum a nobis petitur—. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod nos, intellecto quod magister Michael dictus Belethrem, rector ecclesie Sancti Mauci de Moen, Baiocensis diocesis, eandem ecclesiam intendebat libere resignare, dilecto filio nostro Nicholao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero cardinali, comisimus oraculo vive vocis ut, liberam resignationem recipiens, eam persone ydonee, prout sibi videretur, conferre curaret.

Confirmat collationem quam dictus cardinalis, recepta ejusdem resignatione a « magistro Guillelmo de Cerneyo, scolastico Dolensi, procuratore ad hoc a dicto Michaele specialiter constituto » de ea suprascripto fecit, inserto instrumenti tenore incipientis : « Nicholaus miseratione divina —. » finientis : « Datum et actum Rome, anno, indictione, pontificatu, mense et die predictis. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id julii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. priori Sancti Stephani de Cadomo et .. Sancti Sepulcri ejusdem loci, Baiocensis diocesis, ac .. Sancte Crucis Aurelianensis ecclesiarum decanis.* — Dat. ut supra.

2747 (CCCLV) Vatican, 15 juillet 1298.

« Confertur prebenda ecclesie Sancte Gudule Bruxellensis, Cameracensis diocesis. » (fol. 84 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Runelghem, canonico ecclesie Sancte Gudule Bruxellensis, Cameracensis diocesis. Cum a nobis petitur —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod nos, intellecto quod magister Arnoldus de Runelghem dictus de Bruxella, decanus ecclesie Sancti Dyonisii Leodiensis, tunc canonicus ecclesie Sancte Gudule Bruxellensis, Cameracensis diocesis, canonicatum et prebendam, quos in dicta Bruxellensi ecclesia obtinebat, intendebat libere resignare, dilecto filio

nostro Nicholao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero cardinali, commisimus oraculo vive vocis ut, liberam eorundem canonicatus et prebende resignationem recipiens, eos persone ydonee prout sibi videret conferre curaret et alia faceret que circa hec expedire videret.

Confirmat collationem quam dictus cardinales auctoritate hujus commissionis, recepta resignatione eorumdem a « fratre Johanne de Abbatisvilla, canonico ecclesie Sancti Victoris Parisiensis, ordinis sancti Augustini, procuratore ad hoc a dicto Arnaldo specialiter constituto », de eis fecit, inserto instrumenti tenore incipientis : « Nicholaus miseratione divina —. » finientis : « Dat. Rome, VIII id. julii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, indictione undecima, pontificatus supradicti domini Bonifatii pape VIII anno quarto. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. julii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Petri, Gumbergensis diocesis .. scolastico Dolensi ac .. cantori Sancti Dyonisii Leodiensis.* — Dat. ut supra

2748 (CCCLVI) Rieti, 3 octobre 1298.

« Preficitur in episcopum Meldensem. » (fol. 84 v°.)

Dilecto filio Johanni dicto Minterole, electo Meldensi. Superni dispositione consilii —.

Dudum vacante ecclesia Meldensi per obitum bone memorie Ade episcopi et capitulo per viam scrutinii procedente, per publicationem votorum compertum extitit quod quamplures ex ipso capitulo in magistrum Egidium, ecclesie predicte decanum, quamplures vero in magistrum Johannem de Capriaco, archidiaconum Rothomagensem et ipsius Meldensis ecclesie canonicum, consenserint, reliquis canonicis in singulas ipsius capituli personas aut alias dirigentibus vota sua. Cumque negotium per appellationem fuisset ad Sedem Apostolicam devolutum dictique magistri ad Sedem ipsam propterea personaliter accessissent, prefatum negotium in domini pape et cardinalium presentia extitit diligenter examinatum. Tandem prelibati magister Egidius et Johannes juri, si quod eis ex predictis electionibus forsitan competebat, sponte ac libere in manibus domini pape resignarunt et idem dominus de fratrum suorum consilio quondam magistrum Gaufridum dictum Butticularium, tunc prepositum Normannie in ecclesia Carnotensi, preficit in episcopum Meldensem. Sed, eodem Gaufrido post provisionem hanc de se factam morte prevento, littere super hoc confecte non fuerunt. A die quo decessit dictus Gaufridus reservata fuit eadem ecclesia dispositioni Sedis Apostolice et suprascriptus Johannes dictus Minterole, tunc cantor ecclesie Baiocensis, eidem preficitur in episcopum.

Dat. Reate, V non. octubris, anno quarto.

In. e. m. *decano et capitulo ecclesie Meldensis — clero — populo — universis vasallis — episcopo Senonensi.*

2749 (CCCLVII) Rieti, 26 octobre 1298.

« Mandatur eidem electo sibi impendi munus consecrationis. » (fol. 86.)

Venerabilibus fratribus .. Senonensi et .. Turonensi archiepiscopis. Pridem Meldensi ecclesia —.

Mandat eis ut primus vel, si legitimo impedimento detentus est, secundus illorum eidem electo Meldensi, postquam ad presbyteratus ordinem promotus fuerit, consecrationis munus impendat. « Per hoc autem Senonensi ecclesie, cui prefata Meldensis ecclesia metropolitico jure subjecta dinoscitur, si id per te, archiepiscope Turonensis, constiterit exequi, nolumus aliquid prejudicium generari. »

Dat. Reate, VII kal. novembris, anno quarto.

2750 (CCCLVIII) Rieti, 26 octobre 1298.

« Preficitur in episcopum Carcassonensem. » (fol. 86.)

Dilecto filio Johanni de Capriaco, electo Carcasonensi. Onerosa pastoralis officii —.

Carcassonensi ecclesie per translationem Petri episcopi ad Tholosanam vacanti et dispositioni apostolice reservate suprascriptus, archidiaconus Rothomagensis, preficitur in episcopum.

Dat. Reate, VII kal. novembris, anno quarto.

In e. m. *capitulo ecclesie Carcassonensis — clero — populo — universis vasallis — archiepiscopo Narbonensi.*

2751 (CCCLVIIII) Rieti, 28 octobre 1298.

Mandatur impendi electo Carcassonensi munus consecrationis. (fol. 87.)

Venerabilibus fratribus .. Narbonensi et .. Senonensi archiepiscopis. Pridem Carcassonensi ecclesia —.

Mandat eis ut unus vel alter illorum predicto electo Carcassonensi, postquam ad presbyteratus ordinem promotus fuerit, consecrationis munus impendat.

Dat. Reate, V kal. novembris, anno quarto.

2752 (CCCLX) Vatican, 22 mai 1298.

« Super citatione quorumdam qui detinent prebendam Eboracensem collatam Johanni nato Landulphi de Columpna. » (fol. 87.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Cantuarensi. Adtendentes sincere devotionis affectum quem dilectus filius Johannes natus dilecti filii nobilis viri Landulphi de Columpna, canonicus Eboracensis, capellanus noster, et idem nobilis ad Apostolicam Sedem gerunt, nec non et probitatis merita que dicto Johanni suffragari dicuntur, ac volentes ipsi Johanni gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam, quos quondam Bovo de Clara, canonicus [1] Eboracensis, in ecclesia Eboracensi dum vivebat obtinuit, cum plenitudine juris canonici ac omnibus (juribus) et pertinentiis suis prefato Johanni apostolica auctoritate contulimus et de ipsis providemus, ac dilectum filium nostrum Petrum, Sancte Marie Nove diaconum cardinalem, investimus ejusdem Johannis nomine per nostrum anulum personaliter de eisdem : quaslibet alias collationes et provisiones a predecessoribus nostris Romanis pontificibus [2] vel eorum auctoritate de dictis canonicatu et prebenda quibuscumque factas et quicquid aliud de illis attemptatum seu actum esset vel attemptari contingeret irrita et inania decernentes, prout in nostris litteris inde confectis plenius continetur. Cum autem dicta prebenda detineri dicatur a cancellario regio contra justitiam occupata, nos, volentes ut hujusmodi nostra collatio et provisio memorato Johanni per nos, ut premittitur, facta plenum sortiatur effectum, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus memoratum cancellarium et quemcumque seu quoscumque alios ejusdem prebende detentorem seu detentores ex parte nostra per te, vel per alium seu alios, moneas diligenter ut infra quindecim dies post monitionem hujusmodi eandem prebendam cum omnibus juribus et pertinentiis suis ac fructibus inde perceptis eidem Johanni vel procuratori suo ejus nomine in pace dimittant, nullam sibi super eis deinceps molestiam inferendo ; alioquin ipsos peremptorie citare procures ut infra duorum mensium spatium dictos quindecim dies immediate sequentium personaliter apostolico se conspectui representent, facturi et recepturi super hiis quod ordo dictaverit rationis nostrisque mandatis et beneplacitis parituri ; diem vero citationis et formam et quicquid inde duxeris faciendum nobis per tuas litteras harum seriem continentes fideliter significare procures. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. junii, anno quarto.

1. *Ms. :* canonicatus.
2. *Ms. :* pontificalibus.

2753 (CCCLXI) Vatican, 18 mai 1298.

« Declaratio super quadam indulgentia residentie in prepositura. » (fol. 87.)

Dilecto filio Johanni de Valliaco, preposito ecclesie Remensis. Ex parte tua fuit expositum coram nobis quod nos olim tibi, obtinenti archidiaconatum ecclesie Cathalaunensis, de prepositura ecclesie Remensis duximus providendum, auctoritate tecum apostolica dispensantes ut archidiaconatum et preposituram predictos insimul retinere valeres generalis concilii et alia quavis auctoritate constitutione contraria non obstante. Voluimus etiam quod in prepositura predicta residentiam faceres personalem, duobus mensibus anni cujuslibet dumtaxat exceptis in quibus archidiaconum visitare posses eundem, tibi nichilominus concedendo ut in prepositura residendo predicta fructus redditus et proventus archidiaconatus ipsius et aliorum beneficiorum tuorum cum ea posses integritate percipere cum qua illos perciperes si in eis personaliter resideres. Demum quoque tibi per nostras certi tenoris litteras duximus indulgendum ut residendo in prepositura predicta, seu eam vel archidiaconatum predictum etiam visitando, sive pro suis vel eorumdem archidiaconatus et prepositure negotiis stando in Romana Curia, apud quam eras sicut adhuc fore dinosceris, et recedendo ea vice ab illa, seu pro predictis negotiis eundo, morando et redeundo per regnum Francie, fructus, redditus et proventus archidiaconatus et prepositure predictorum ac prebende, quam in dicta Cathalaunensi ecclesia obtines, nec non prebende ecclesie Remensis per nos tibi collate, postquam eam fores adeptus, cum ea posses integritate percipere cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis cum qua illos perciperes si personaliter in ipsis ecclesiis resideres nec interim reputareris foraneus in eisdem. Verum, quia nos postmodum per constitutionem nostram super hoc editam omnes indulgentias perpetuas quibuscumque concessas super percipiendis fructibus beneficiorum suorum personis non ecclesiis vel dignitatibus datas duximus revocandas, tu, dubitans an per constitutionem predictam esset hujusmodi facta tibi indulgentia revocata, ad nostram propter hoc recurrens providentiam nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc de oportuno providere remedio dignaremur. Nos igitur, attendentes quod in collatione quam tibi fecimus de prepositura predicta nostre fuit in-

tentionis [tam] eidem providere preposilure quam persone, ut prepositura eadem, in qua prepositus non fuerat a multis retro temporibus qui fecisset in ea residentiam personalem, propter quod valde collapsa erat, posset per tue sollicitudinis studium restaurari, ac propterea te ad residendum adstrincximus in eadem, tibi predictam indulgentiam concedendo ut onus hujusmodi residentie tibi incumbens posses commodius supportare, tuis supplicationibus inclinati, presentium auctoritate volumus quod, dumtaxat donec preposituram retinueris supradictam, tamen residente in illa vel te ab ea pro ipsius negotiis existente absente seu etiam te per dictorum duorum mensium spatium archidiaconatum visitante, predicta [1] hujusmodi per nos concessa tibi indulgentia, prefata constitutione nostra nequaquam obstante, in sua persistat roboris firmitate. Nulli ergo, et cetera. Nostre volumptatis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. junii, anno quarto.

2755 (CCCLXII) Vatican, 7 mai 1298.

Decernitur quod renuntiatio quam fecit ea vice Willelmus Cumyn, prepositus ecclesie Sancte Marie in civitate Sancti Andree, de electione episcopi ejusdem civitatis non prejudicet ei et successoribus suis.

Dilecto filio Wuillelmo Comyn, capellano suo, preposito ecclesie Sancte Marie in civitate Sancti Andree. Petitio tua nobis —.

Ei qui, nuper ecclesia Sancti Andreae per obitum Willelmi episcopi pastore vacante, petierat ut ad electionis celebrationem admitteretur, sed, cum capitulum eo contempto magistrum Willelmum de Lambertone cancellarium ecclesie Glasguensis sibi in episcopum elegissent, libere renuntiaverat, ne dicta ecclesia Sancti Andree tali pretextu diu viduitatis incommodo subjaceret, scribit se decrevisse ut per hanc renuntiationem juri, si quid ei ac successoribus ac ecclesie Sancte Marie in electione hac celebranda pro tempore competat, prejudicium nullum fiat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. maii, anno quarto.
(POTTHAST, 24676.)

2756 (CCCLXIII) Vatican, 29 mai 1298.

Confertur ecclesia Sancti Johannis de Redorta cum dispensatione. (fol. 87 v°.)

Dilecto filio Bernardo Berbelli, Biterrensis diocesis, rectori ecclesie Sancti Johannis de Rodorta, Narbonensis diocesis. Probitatis tue meritis —.

Confertur suprascripto rectoria dicte parochialis ecclesie, per mortem quondam magistri Stephani Boverii qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum vacans et apostolice dispositioni reservata, non obstante quod patiatur in ordinibus et etate defectum, cum sit in vicesimo primo sue etatis anno constitutus. « Nos enim tecum super eodem defectu — dispensamus proviso quod, postquam ad legitimam etatem perveneris, ad ordines te facias prout ipsius ecclesie cura requirit statutis temporibus promoveri et personaliter resideas in eadem, quodque interim dicta ecclesia debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura in illa nullatenus negligatur. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII kal. junii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis Fulchoni Cavallerii, decano Legionensis, et Petro Aybrandi, archidiacono, ac Deodato de Bosciatis, canonico Bitterensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2757 (CCCLXIIII) Vatican, 12 juillet 1298.

« Quod possit habere altare portatile. » (fol. 88.)

Dilecto filio nobili viro comiti Barensi. Devotionis tue precibus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, IIII id. julii, anno quarto.

2758 (CCCLXV) Vatican, 25 juin 1298.

« Quod possit conferre beneficia ecclesiastica que tanto tempore in sua civitate et diocesi vacaverunt quod ejus collatio, et cetera. » (fol. 88.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Claromontensi. Ut benivolentiam specialem —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. julii, anno quarto.

2759 (CCCLXVI) Vatican, 25 juin 1298.

« Super fundandis et dotandis duabus prebendis sacerdotalibus in ecclesia Narbonensi. » (fol. 88 v°.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Narbonensi. Nuper nobis exponere curavisti quod in tua Narbonensi ecclesia, in qua vicenarius vel circiter canonicorum numerus fore dinoscitur, prebende sacerdotales alique non existunt, licet in ea quattuor ebdomadarii non tamen ipsius canonici habeantur, propter quod divina officia decenter in ipsa celebrari nequeunt ut deberent. Super

1. *Ms.* : predictam.

quo per Apostolice Sedis providentiam oportunum adhiberi remedium implorasti. Nos itaque, pio desiderio cupientes ut in ecclesia ipsa sollempnius et decentius predicta celebrentur officia quo illa pollere dinoscitur potioris titulo dignitatis, gerentes quoque de tue probate circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, fraternitati tue fundandi seu ordinandi et dotandi quoad grossos fructus in eadem ecclesia duas sacerdotales prebendas de redditibus et proventibus beneficiorum quorumlibet ad tuam collationem spectantium, ita tamen quod in beneficiis ipsis illam de predictis redditibus et proventibus quantitatem remanere contingat de qua persone in eisdem beneficiis serviture honorifice substentari valeant et alia onera eis incumbentia supportare, ac instituendi in prebendis eisdem totidem personas ydoneas, que stallum in choro et vocem in capitulo habeant et, si non essent in sacerdotio constitute, illud infra annum recipere ac in prefata ecclesia continue ac personaliter residere et servire in ea, juramento super hoc ab eis prestito, teneantur, nec non et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita compescendi, non obstante statuto ipsius ecclesie de certo canonicorum numero, juramento, confirmatione apostolica vel alia quavis firmitate vallato, quod, post institutionem personarum ipsarum cum adjectione personarum ipsarum, cum adjectione hujusmodi robur perpetuum volumus obtinere; seu si dilectis filiis capitulo ejusdem ecclesie a Sede Apostolica sit indultum quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneatur et ad id compelli seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel speciali cujuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus eorum impediri valeat vel differri et de qua in nostris litteris plenam et expressam et de verbo ad verbum oporteat fieri mentionem, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus insuper et auctoritate apostolica ordinamus atque decernimus [quod] supradictum capitulum prefatis personis hujusmodi residentiam facientibus et servitium impendentibus in ecclesia memorata cotidianas distributiones et alia que ipsius ecclesie canonicis exhibentur tanquam duobus ecclesie predicte canonicis teneantur integre ministrare; quodque predicte persone una cum ebdomadariis prelibatis tam circa cotidianum quam beate Marie Virginis gloriose ac et defunctorum officia se gerere teneantur, ad quod personas easdem similiter volumus juramento astringi, prout tu de capituli predicti consilio duxeris ordinandum; et quod etiam hac vice personarum institutio predictarum ad te dumtaxat et deinceps ad te dictumque capitulum spectet communiter prout prebendarum collatio in ecclesia prelibata dinoscitur pertinere. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vii kal. julii, anno quarto.

2760 (CCCLXVII) Vatican, 9 juillet 1298.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 88 v°.)

Dilecto filio magistro Johanni de Leofardo, precemptori ecclesie Ciscertiensis. Apostolice Sedis benignitas —.

Dispensatur cum suprascripto, ob ejus litterarum scientiam et alia merita et ob « memoriam quondam magistri Giliberti de Sancto Leofardo » cujus consanguineus fuit, ut una cum precentoria ecclesie Cicestrensis ecclesias Decurreford, Cicestrensis, et Hegremond, Eboracensis diocesium, curam animarum habentes, quarum reditus et proventus quadraginta marcharum argenti valorem annuum non excedunt, licite retinere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vii id. julii, anno quarto.

2761 (CCCLXVIII) Vatican, 30 mai 1298.

Super reformatione monasterii Sancti Januarii, ordinis sancti Benedicti, Vercellensis diocesis. (fol. 88 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Novariensi et dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Andree Vercellensis. Grave gerimus et molestum —. Dudum siquidem in monasterio de Sancto Januario, ordinis sancti Benedicti, Vercellensis diocesis, inter Rufinum de Advocatis monachum dicti monasterii, ex parte una, et Jacobum de Advocatis monachum monasterii Sancti Stephani Vercellensis ejusdem ordinis, quorum uterque pro abbate ipsius monasterii se gerebat, ex altera, gravi dissentione suborta, in hujusmodi causa per appellationem seu appellationes ad Sedem Apostolicam devoluta dilectum filium nostrum Guillelmum, Sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, sub ea forma deputavimus auditorem ut ipse, causam eandem sine strepitu et figura judicii [1] summatim examinans, illam fine debito terminaret. Idem vero cardinalis, partibus ipsis ad suam presentiam evocatis, auditis omnibus que coram eo dare et proponere voluerint et nobis relatione super hoc facta plenaria et fideli, de mandato nostro facto sibi per nos oraculo vive vocis utrumque ipsorum ex certis rationabilibus causis amovit sententialiter a regimine monasterii supradicti.

1. *Ms.* : Judicium.

Et, licet ex parte dicti Jacobi ad Sedem fuisset appellatum predictam, nos tamen, audientes quod ipse administrationi monasterii predicti se ingerens illius bona temere distrahebat, sibi sub excommunicationis pena appellatione hujusmodi non obstante fecimus inhiberi ne de regimine dicti monasterii vel ipsius administratione bonorum se intromittere quomodolibet aptemptaret. Cum igitur dictum monasterium, sicut plurium fidedignorum relatione didicimus, occasione talis dissensionis et ob culpam etiam aliarum personarum degentium in eodem graviter sit collapsum et ad tantam inopiam devenisse noscatur quod divinus cultus ibi jam periit et ab incollis earum partium est quasi totaliter derelictum, cujus etiam bona a pluribus occupari, invadi et detineri dicuntur, nos, ipsius miserabili statui paternis compatientes affectibus et ad reformationem illius diligentius intendentes, curam et administrationem dicti monasterii in spiritualibus et temporalibus vobis, de quorum circumspectione fiduciam gerimus in Domino specialem, presentium auctoritate duximus committendas usque ad Apostolice Sedis beneplacitum volumptatis. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos, ipsius monasterii regimen fideliter exercentes, bona dicti monasterii ad manus vestras reducere, illaque de quorumcumque occupatorum et dereptorum manibus eruere procuretis, occupatores, detentores et invasores dicti monasterii et bonorum nec non contradictores quoslibet et rebelles, quicumque fuerunt, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, invocato etiam ad hoc, si necesse fuerit, auxilio bracchii secularis, fructus vero redditus et proventus dictorum monasterii et bonorum cum diligentia colligentes ut, eis personis dicti monasterii necessaria congrue ministrantes, quod residuum fuerit fideliter conservetis donec a nobis aliud receperitis in mandatis. Cum autem circa statum ipsius monasterii reformandum nostra vacet intentio volumus quod condittionem ipsius ad informationem nostram vestris nobis litteris declaretis. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III kal. junii, anno quarto.

2762 (CCCLXVIIII) Kal. julii, anno quarto.

« Super ordinatione monasterii Menatensis, ordinis sancti Benedicti. » (fol. 89.)

Venerabili fratri J., episcopo Claromontensi. Ad audientiam nostram noveris pervenisse quod, Durando abbate monasterii Menatensis, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, penes bone memorie. A., Claromontensem episcopum, predecessorem tuum, delato quod de morte quondam fratris Petri de Ulmo, prioris prioratus Beate Marie de Monte Lucio, monasterio predicto subjecti, Brivatensis [1] diocesis, monachi prefati monasterii, qui a quibusdam perditionis filiis miserabiliter interfectus (fuit), suspectus non immerito habebatur, idem episcopus ad inquirendum super hoc contra eundem abbatem ordinaria auctoritate processit. Et tandem, cum hujusmodi crimen contra nominatum abbatem ad plenum minime probaretur dictusque abbas super infamia contra eum super hoc suborta, prout asseritur, postmodum canonice se purgarit, prefatus episcopus eundem abbatem ab eodem sibi imposito et objecto crimine dicitur absolvisse. Sed, memorato abbate se deinde ad Romanam curiam transferente, prefatum monasterium tam propter ipsius abbatis quam predecessorum ejus ac monachorum dicti monasterii etiam multam incuriam, negligentiam et malitiam nec prosequentium etiam ea que competant observantie regulari ad extremam desolationem fere penitus jam devenit. In illo namque non servatur ordo nec regula; monachi ad volumptates laxatis habenis non absque animarum periculo et scandalo plurimorum per campum licentie abjecta religione vagantur; ecclesie quoque ac domus prefati monasterii, propter paupertatem nimiam ad quam dictum monasterium prelatorum et personarum ejus malitia jam deduxit, ruine subjacent nec poterunt de facili absque sumptibus maximis reparari. In eodem insuper monasterio jam non legitur nec cantatur et ejus bona sunt adeo diversis et importabilibus debitis obligata quod verendum est ne quod remansit locustis brucus commedat et vorago totum absorbeat usurarum.

Nos itaque, quibus ex compromisso nobis apostolatus officio ecclesiarum ac monasteriorum omnium cura imminet generalis, volentes indempnitati predicti monasterii quantum possimus cum Deo providere, tibique, qui loci diocesanus existis quique de facto et facti circumstantiis habere poteris notitiam pleniorem, in hac parte deferre, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus, predicto abbate ad dictum monasterium revocato, qui in eodem monasterio non creditur probabiliter posse proficere tum propter premissa tum etiam quia multi ex monachis dicti monasterii esse dicuntur de genere prefati monachi interfecti, inquisita super premissis [2], preterquam de ipsius interfectione prioris cum de hujusmodi crimine dictus abbas fuerit sicut premittitur absolutus, de plano et absque strepitu et figura judicii diligentius veritate, si per premissum modum aut

1. *Ms.* : Birratensis.
2. *Ms.* : primis.

alias tibi constiterit ita esse et secundum Deum tibi demum videbitur expedire, ad renuntiandum regimini abbatie prefati monasterii abbatem ipsum inducas. Si vero predictus abbas id efficere forte renueret, tu eum a predicto regimine auctoritate nostra studeas amovere ac postmodum nominato monasterio hac [1] vice aliquam personam ydoneam eadem auctoritate preficias in abbatem, faciens ei a suis subditis obedientiam et reverentiam sibi debitam exhiberi, ac nichilominus ad ipsius monasterii, prout secundum Deum expedire congnoveris, reformationem ac revelationem intendas. Et, attendens quod dignum est et consortium (*sic*) rationi ut membra capiti subveniant patienti, priores prioratuum dicto monasterio subjectorum nec non et obedientiarios dicti monasterii quarumcumque diocesium ad contribuendum dicto monasterio pro ejus debitis exolvendis et ecclesia et domibus dicti monasterii reparandis juxta tue discreptionis arbitrium et personarum hujusmodi potentiam seu etiam facultates tam tua quam apostolica auctoritate compellas : vendendi et obligandi etiam usque ad certum tempus si necesse fuerit fructus, redditus et proventus alicujus seu aliquorum ex membris ipsius monasterii, de quibus tibi videbitur, pro certis pecuniarum summis convertendis in solutionem debitorum hujusmodi ad dictam reparationem ecclesie et domorum; amovendi quoque ab eodem monasterio monachos scandalum inibi gerentes de quibus tibi visum fuerit eosque locandi et faciendi recipi in aliquibus monasteriis ejusdem ordinis predicte diocesis illosque a personis monasteriorum ipsorum paterna in Domino caritate tractari, non obstante certo monasteriorum monachorum numero vel Apostolice Sedis confirmatione vallato, sive si persone predictorum monasteriorum a receptione monachorum aliorum monasteriorum per speciale dicte Sedis privilegium sint immunes, sive si eisdem personis a Sede sit indultum eadem quod ad receptionem vel provisionem alicujus minime teneantur et ad id compelli, quodque interdici aut excommunicari nequeant vel suspendi ; instituendi quoque ac ponendi loco talium in eodem monasterio Menatensi personas ydoneas volentes et cupientes inibi sub regulari habitu Domino famulari in monachos et in fratres ; assignandi preterea eidem Durando cedenti vel amoto pro substentatione sua et sue familie competentis de bonis predicti monasterii Menatensis, prout secundum facultates ipsius expedire videris, provisionem congruam, ab eo quoad vixerit retinendam vel de aliquo membrorum ipsius monasterii eidem pro substentatione hujusmodi providendi concessa tibi plena et libera tenore presentium facultate, constitutione quacumque contraria non obstante. Contradictores, et cetera usque : compescendo. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

1. *Ms.* : ac.

2763 (CCCLXX) Vatican, 8 juillet 1298.

« Conceditur sibi dimidia pars pecunie que debebatur bone memorie Bertrando et Hugoni episcopis Tholosanis dum viverent. » (fol. 89 v°.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri. Dudum ex parte regia fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum occasione guerre que contra te et regnum tuum morari noscebatur te subire oportebat onera maxima expensarum, tibi dimidiam partem pecunie, que bone memorie Bertrando et Hugoni, episcopis Tholosanis, dum viverent a nonnullis personis ecclesiasticis et secularibus illarum partium integraliter debebatur, ac etiam residui cujuscumque pecunie ipsis in veteribus debite in subventionem expensarum ipsarum concedere dignaremur. Unde nos, in tante necessitatis articulo votis regis liberaliter annuentes, tibi predictam partem dimidiam ejusdem pecunie, que dictis episcopis dum viverent, sicut premittitur, debebatur, ac etiam residui supradicti, in expensarum ipsarum subsidium per nostras litteras de speciali gratia duximus concedendam. Quia vero de depositis per eosdem episcopos factis et nonnullis aliis bonis eisdem episcopis debitis in predictis litteris super hoc concessis nulla mentio facta fuit, suppliciter postulasti ut nostre super hoc beneplacitum volumptatis per nostras exprimere litteras dignaremur. Nos igitur, omnem ambiguitatem que in hac parte posset quomodolibet exoriri submovere intendentes omnino, et volentes etiam tibi super hujusmodi tam gravibus sumptibus plenius subvenire, auctoritate presentium declaramus quod nostre intentionis extitit et existit ut etiam ad hujusmodi deposita et alia bona eisdem episcopis sicut premittitur debita dum vivebant que illis non fuerint persoluta predicte nostre tibi concesse littere extendantur. Nulli ergo, et cetera. Nostre declarationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. julii, anno quarto.

2764 (CCCLXXI) Vatican, 11 juillet 1298.

« Quod possit bis in anno intrare sex monasteria monialium Cisterciensis ordinis. » (fol. 88 v°.)

Dilecte in Christo filie nobili mulieri Marie, comitisse de

Sancto Paulo. Ex tue devotionis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v id. julii, anno quarto.

2765 (CCCLXXII) Vatican, 10 juillet 1298.

«Confertur plebanatus de Sancta Paula, Ariminensis diocesis, Guidoni Maleteste de Veruculo.» (fol. 89 v°.)

Dilecto filio Guidoni, nato Johannis nati dilecti filii nobilis viri Malateste de Veruculo, plebano plebis de Sancta Paula, Ariminensis diocesis. Nobilitas generis —.

Ei hanc plebem, que per mortem Ramberti, nati ejusdem Malateste, olim plebani ipsius plebis, vacat, cum omnibus juribus et pertinentiis confert.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vi id. julii, anno quarto.

(Potthast, 24,718.)

2766 (CCCLXXIII) Vatican, 5 août 1298.

Confertur dignitas seu prioratus in civitate et diocesi Pisana.

Dilecto filio Guidoni nato dilecti filii Lamberti Gaitani de Pisis judicis, clerico Pisano. Devotionis tue meritis —.

Suprascripto, cousideratione patris ejus pro illo supplicantis, dignitatem seu personatum aut aliud beneficium ecclesiasticum, si quod vacat ad presens vel proximo vacaverit in quavis ecclesiarum civitatis et diocesis Pisane, cathedrali dumtaxat excepta, confert vel reservat, non obstante defectu quem patitur in etate et ordinibus.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. augusti, anno quarto.

In. e. m. .. *priori Sancti Sixti et Benedicto Gaitano, preposito ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane, ac Jacobo, plebano plebis de Subiliano, Lucane diocesium.* — Dat. ut supra.

2767 (CCCLXXIIII) Vatican, 26 juillet 1298.

« Dispensatio matrimonii cum quibusdam de Cypro. » (fol. 90 v°.)

Dilecto filio nobili viro Nicolao dicto Cappa armigero, nato quondam nobilis viri Petri dicti Cappa de Cipro, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Paule domicelle, nate quondam nobilis viri Laurentii de Marfo, Nicosiensis et Paphensis diocesium. Romani pontificis precellens —.

Indulget, ad conservandum dilectionis affectum quem consanguinei illorum inter se hactenus servaverunt et propter difficultatem convenientium matrimoniorum in dictis partibus, ut invicem matrimonium contrahere possint non obstante tertio et quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vii kal. augusti, anno quarto.

2768 (CCCLXXV) Vatican, 30 mai 1298.

« Confirmatur denarius canonicorum numerus in ecclesia Sancte Marie Ysenacensis. » (fol. 90 v°.)

Dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Sancte Marie Ysenacensis, Maguntine diocesis. Hiis que pro augmentatione —. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod venerabilis frater noster .. archiepiscopus Maguntinus, volens in ecclesia vestra, que tunc parochialis erat et esse consueverat ab antiquo, cultum Divini Nominis adaugeri, nobilis viri Alberti, Thuringarum lantgravii, ejusdem ecclesie patroni ad id accedente consensu et nonnullis propter hoc possessionibus per patronum predictum eidem ecclesie assignatis, cum ad hoc predicte et alie ipsius ecclesie possessiones [1] [non] suppeterent, ecclesiam ipsam auctoritate ordinaria collegiatam extunc fore decernens, dignitatem decanatus et decem prebendas instituit in eadem, statuendo ibidem denarium canonicorum numerum, decano ejusdem ecclesie, qui unam de dictis prebendis una cum decanatu predicto obtineret et etiam canonicus [2] ibi existeret, computato.

Confirmatur predicta constitutio.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, iii kal. junii, anno quarto.

2769 (CCCLXXXVI) Vatican, 23 juillet 1298.

Confirmatur collatio prebende in ecclesia Assisinati. (fol. 90 v°.)

Dilecto filio Petro Blasioli dicto Zelcto de Ponte, canonico Assisinati. Cum a nobis petitur —.

1. *Ms* : possessionis.
2. *Ms* : canonicatus.

Cum Bene, canonicus ecclesie Assisinatis, procuratoris nomine, canonicatum et prebendam que Johannes de Clarignano in dicta ecclesia possidebat in manibus Mathei, episcopi Portuensis, resignaverit, et idem episcopus ea, apostolice dispositioni reservata, auctoritate mandati papalis eadem conferendi persone ydonee, suprascripto Petro Blasioli contulerit, confirmatur hec collatio, non obstante quod idem Petrus in Sancti Salvatoris de Collemancie et Sancti Massei de Canaria, Assisinatis diocesis, et in Sancti Constantii prope Assisium ecclesiis canonicatus et prebendas noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. augusti, anno quarto.

2770 (CCCLXXVII) Vatican, 23 juillet 1298.

« Confertur rectoria ecclesie de Sancto Apolinari, Spoletane diocesis. » (fol. 91.)

Dilecto filio Egidio, nato nobilis viri Johannis Maynardi de Ponte, rectori ecclesie de Sancto Apolenare, Spoletane diocesis. Cum a nobis petitur —.

Rectoriam hujus ecclesie, per Bene, procuratorem Johannis de Clarignano, in manibus Matthei, Portuensis episcopi, resignatam et a predicto cardinali collatam secundum concessionem domini pape, suprascripto confirmat, non obstante quod dictus Egidius in Sancti Angeli in Scorcola canonicatum et prebendam et in Sancte Marie de Vepri ecclesiis, Tudertine diocesis, quoddam perpetuum beneficium noscatur obtinere.

Dat. ut supra.

2771 (CCCLXXVIII) Rieti, 7 novembre 1298.

« Confirmatur electio abbatis Sancte Genovefe Parisiensis. » (fol. 91.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancte Genovefe Parisiensis in Monte, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini. Dum attente considerationis —.

Predicto monasterio per obitum quondam Johannis abbatis vacante, Johannes prior et conventus ejusdem monasterii convenerunt et in suprascriptum, tunc ejusdem monasterii canonicum, vota sua quasi per inspirationem divinam concorditer direxerunt. Hanc electionem, tam per se ipsum personaliter, pro electo, quam per procuratores, pro priore et conventu, presentatam Apostolice Sedi et diligenter examinatam per Johannem, episcopum Tusculanum, et Nicholaum, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyterum, ac Petrum, Sancte Marie Nove diaconum cardinales, dominus papa, facta a predictis examinatoribus relatione, confirmat.

Dat. Reate, v id. novembris, anno quarto.

In. e. m. .. *priori et conventui monasterii Sancte Genovefe — universis (vasallis).* — Dat. ut supra.

2772 (CCCLXXVIIII) Vatican, 31 mai 1298.

« Quod possit condere testamentum. » (fol. 91 v°.)

Venerabili fratri J., archiepiscopo Lundensi, Suetie primati. Querentium tendunt invisibiliter —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. junii, anno quarto.

2773 (CCCLXXX) Vatican, 31 mai 1298.

« Quod possit concedere tribus personis tabellionatus officium. » (fol. 91 v°.)

Eidem[1]. Ex parte tua —. Dat. ut supra.

2774 (CCCLXXXI) Vatican, 31 mai 1298.

Super mutuo contrahendo usque ad summam duorum millium florenorum auri. (fol. 91 v°.)

Venerabili fratri J., episcopo Burgalensi. Cum sicut in nostra —. Dat. ut supra.

2775 (CCCLXXXII) Vatican, 18 juillet 1298.

« Dispensatur super pluralitate » (fol. 91 v°.)

Dilecto filio Francisco, nato dilecti filii nobilis viri Davizi Cathalani de *Ubaldinis de Gagliano, canonico Bononiensi.* Grata devotio et —.

Suprascripto dignitatem vel personatum seu quodcumque beneficium ecclesiasticum, si vacat ad presens vel proximo vacaverit in majori seu quavis ecclesiarum civitatis vel diocesis Florentine, confert vel reservat, non obstante quod in ecclesia Bononiensi sub exspectatione vacature prebende auctoritate apostolicarum litterarum canonicus sit receptus.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. augusti, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. de Burgo Sancti Laurentii de*

1. Deest rubrica in registro sed legitur in indice.

Musello et .. Sancti Stephani in Pane, Florentine diocesis, plebanatuum [1] *plebanis ac magistro Bertholdo de Labro, canonico Carnotensi, capellano nostro.* — Dat. ut supra.

2776 (CCCLXXXIII) Vatican, 18 juillet 1298.

Dispensatur super ordinibus et etate. (fol. 92.)

Dilecto filio Chanti clerico, nato dilecti filii nobilis viri Davizi Cathalani de Ubaldinis de Gagliano. Grata devotio —.

Suprascripto nullum beneficium ecclesiasticum possidenti dignitatem vel personatnm seu quodcumque beneficium ecclesiasticum, si vacat ad presens vel proximo vacaverit in majori vel quavis ecclesiarum civitatis vel diocesis Bononiensis, confert vel reservat non obstante quod patiatur in ordinibus et etate defectum, cum sit infra vicesimum quintum etatis sue constitutus.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xv kal. augusti, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. plebano plebis de Logri, Florentine diocesis, et magistro Bertholdo de Labro, capellano nostro, Carnotensis, ac Jacobo de Panico, Bononiensis ecclesiarum canonicis.* — Dat. ut supra.

2777 (CCCLXXXIIII) Vatican, 25 juillet 1298.

« Dispensatio super pluralitate » (fol. 92 v°.)

Dilecto filio Matheo dicto Bostolo, nato nobilis viri Alberti de Bostolis, militis Aretini, canonico Remensi. Grata devotio —.

Suprascripto dignitatem vel quodcumque beneficium ecclesiasticum in majori vel quavis ecclesiarum civitatis et diocesis Aretine reservat vel confert nonobstante quod in plebe de Liciguano Vallisarbie, Senensis diocesis, canonicatum et prebendam noscatur obtinere, et quod nuper de canonicatu et prebenda Remensis ecclesie,per mortem quondam magistri Gualteri de Trecis canonici Remensis apud Apostolicam Sedem vacantibus, vel, si canonicatum et prebendam predictos alii forte dominus papa contulisset, de canonicatu ejusdem ecclesie, prebenda ei, si qua nulli alii debita tunc ibi vacabat, collata vel, cum proxime vacaverit, reservata, provisus fuerit, et quod sit infra vicesimum quintum etatis sue annum constitutus.

1. *Ms* : plebanum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. augusti, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. priori de Petrorio et .. plebano plebis Sancti Pauli, Clusine et Fesulane diocesium, ac Johanni de Tuderto, canonico Basilice Principis Apostolorum de Urbe.* — Dat. ut supra.

2778 (CCCLXXXV) Rieti, 25 novembre 1298.

« Preficitur in episcopum Grassensem. » (fol. 93.)

Dilecto filio Guillelmo Agarni, electo Grassensi. Inter cetera que —.

Ille, tunc prepositus ecclesie Aptensis, Grassensis diocesis, ecclesie Grassensi, per liberam resignationem Lantelmi olim episcopi per procuratorem sponte factam vacanti et ea vice apostolice dispositioni reservate, preficitur in episcopum.

Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. *capitulo ecclesie Grassensis — clero — populo — universis vasallis.* — Dat. ut supra.

2779 (CCCLXXXVI) Rieti, 3 octobre 1298.

« Preficitur in archiepiscopum Cusentinum. » (fol. 83 v°.)

Dilecto filio fratri Petro, dicto Buccaplanula, ordinis Minorum, electo Cusentino. Celestis dispositione consilii —.

Suprascriptus ecclesie Cusentine, per obitum Rogerii archiepiscopi vacanti et a die vacationis apostolice provisioni ea vice reservate, preficitur in archiepiscopum.

Dat. Reate, v non. octobris, anno quarto.

In. e. m. *capitulo ecclesie Cusentine — clero — populo — universis vasallis — suffraganeis — C., regi Sicilie illustri.* — Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24,733.)

2780 (CCCLXXXVII) Vatican, 20 juillet 1298.

« Committitur administratio monasterii Sancti Johannis Eduensis. » (fol. 94.)

Dilecte in Christo filie Blanche de Marignano, administratici in spiritualibus et temporalibus monasterii Sancti Johannis Eduensis, ordinis sancti Benedicti. Dudum monasterio —.

Suprascriptam preficit in administraticem supradicti monasterii juxta constitutionem a se nuper editam,« qua ex posse precipitur ut monialis a majori parte in abbatissam monasterii alicujus electa, donec hujusmodi terminaretur negotium in ipso monasterio administret. » Vacante enim monasterio per mortem Bone quondam abbatisse, prefatam Blancham decem et septem ex monialibus, cum essent triginta vocem electionis habentes computatis duabus infirmis que infra ejusdem monasterii septa in lecto decumbebant, elegerant, duodecim vero in Alisiam de Monte Ruel, prefati monasterii monialem, vota direxerant. Cumque bone memorie archiepiscopus Lugdunensis, qui tunc administrationem Eduensis diocesis exercebat, ad confirmationem electionis procederet, fuit pro parte ipsius Alisie et aliarum duarum monialum ad Apostolicam Sedem appellatum ubi negotium, regnante adhuc Honorio papa quarto inchoatum, a Nicholao papa quarto bone memorie L., Ostiensi et Velletrensi episcopo, commissum, adhuc pendet.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XIII kal. augusti, anno quarto.

In. e. m. .. *priorisse et conventui monasterii Sancti Johannis.* — .. *episcopo Eduensi.* — Dat. ut supra.

2781 (CCCLXXXVIII) Vatican, 1er juin 1298.

« Dispensatur super pluralitate » (fol. 94 vo.)

Dilecto filio Leonardo de Fabris, plebano ecclesie Sancti Thome de Venetiis, Castellane diocesis. Apostolice Sedis —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod pridem, vacante archipresbyteratu ecclesie Castellane per obitum quondam Nicholai dicti Theopulo ipsius ecclesie archipresbyteri, dilecti filii capitulum ejusdem ecclesie, ad quos in ea electio archiepresbyteri pertinet, venerabili fratri nostro .. episcopo Castellano eligendi ea vice personam ydoneam in archipresbyterum ipsius ecclesie contulerunt unanimiter potestatem.

Cum prefatus episcopus suprascriptum Leonardum de Fabris, plebanum ecclesie Sancti Thome de Venetiis curam animarum habentis, in archipresbyterum ecclesie Castellane duxerit canonice eligendum, cum illo, consideratione P., ducis Venetiarum, dispensatur ut, preter plebanatum ipsius ecclesie Sancti Thome nec non canonicatus et prebendas, que in Trevisina, Sancti Marci de Venetiis et Sancti Laurentii de Mestre, Castellane et Tervisine diocesium, et Curfurensi ecclesiis obtinet, predictum archipresbyteratum licite recipere et retinere valeat, ita tamen quod, postquam archipresbyteratum predictum fuerit assecutus, canonicatum et prebendam Curfurensis ecclesie, que ex tunc vacare decernit, omnino dimittere teneatur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. junii, anno quarto.

2782 (CCCLXXXVIIII) Vatican, 1er juin 1298.

« Quod possit exercere censuram ecclesiasticam in occupatores et molestatores bonorum ecclesie Dolensis. » (fol. 94 vo.)

Venerabili fratri Theobaldo, episcopo Dolensi. Desideriis tuis —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod tu in pluribus diocesibus ducatus Britannie et Normanie quamplura monasteria, prioratus, ecclesias et alia loca ecclesiastica constituta obtines, que obedientie ac juridictioni tue totaliter sunt subjecta, quodque in illis nonnulli iniquitatis filii illarum partium, qui cum male fecerint gloriantur et exultant in rebus pessimis, non nulla bona monasteriorum, prioratuum, ecclesiarum et locorum predictorum occupare, invadere ac etiam detinere aliaque nichilominus tibi et eidem ecclesie dampna gravia irrogare presumunt ac graves et enormes excessus inibi committere notorie non formidant, qui statim, perpetrato delicto, tue jurisdictionis terminos exeuntes se ad dioceses transferunt alienas ut sic debitam delictorum effugiant ultionem.

Eidem indulget ut in istos occupatores et turbatores bonorum suorum et ecclesie Dolensis infra regnum Francie consistentium ac etiam in suos et ejusdem ecclesie molestatores in regno consistentes eodem, nisi canonice moniti ab injuriis cessaverint, possit ratione previa censuram ecclesiasticam libere exercere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. junii, anno quarto.

2783 (CCCLXXXX) Vatican, 1er juillet 1298.

« Dispensatur super pluralitate. » (fol. 95.)

Dilecto filio magistro Thome de Suwerchia, diacono, rectori ecclesie de Steingreve, Thoracensis diocesis. Benigne illa tibi —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, licet tu olim de Steyngreve, Thoracensis diocesis, et postmodum Sancte Milcrede Londoniensem ecclesias, curam animarum habentes, absque dispensatione Sedis Apostolice, alias tamen canonice fuisses adeptus ac insimul retineres easdem, tu tamen, tacito quod ecclesiam Sancte Milcrede predictam haberes, tecum obtinuisti auctoritate Sedis Apostolice dispensari, ut, preter dictam ecclesiam de Steyngreve quam te canonice obtinere dicebas, unicum aliud beneficium similem curam habens, si tibi alias canonice offerretur, libere recipere posses et una cum dicta ecclesia de Steyngreve licite retinere, generalis concilii et alia quavis constitu-

tione contraria non obstante. Postmodum vero ecclesiam de Westinderle, diocesis [1], cui cura similis iminet tibi collatam etiam recepisti, quam licet una cum predictis de Steyngreve et Sancte Milcrede ecclesiis, per biennium, et, postmodum dimissa dicta ecclesia Sancte Milcrede, una cum eadem ecclesia de Stingreve, sicut et adhuc, retines, fructus percipiens, te tamen non fecisti ad sacerdotium infra annum, prout earumdem ecclesiarum cura requirit secundum constitutionem concilii Lugdunensis, cum ipsas post idem concilium assecutus fueris, promoveri.

Cum eodem, « licet in premissis graviter deliquisse » comprobetur, dispensat ut ecclesias de Steyngreve et de Westynderle pacifice retinere valeat et fructus minus juste perceptos restituere non teneatur, « proviso quod de dictis fructibus aliquam congruam portionem in evidentem et perpetuam utilitatem ecclesiarum ex quibus illos » percepit convertere non omittat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. julii, anno quarto.

2784 (CCCLXXXXI) Rieti, 16 octobre 1298.

« Confertur prebenda Massiliensis. » (fol. 95.)

Dilecto filio Petro de Alammanono, canonico Massiliensi. Petitio tua nobis —.

Suprascripto canonicatum et prebendam vacantem in ecclesia Massiliensi, consideratione nobilis viri Riccavide de Alammonono patris ejus, qui pro eo « cum instantia supplicavit », confert. Olim eumdem provideratde prebenda cum canonicatu in eadem ecclesia, si qua tunc vacabat ibidem nulli alii de jure debita, vel proximo vacatura. Vacante demum quadam prebenda per liberam resignationem magistri Stephani de Sancta Maria, executores dictarum litterarum eidem de illa providerant. Verum, quia quondam Robertus de Turre fecit sibi auctoritate apostolica de eadem prebenda provideri, pro parte ejus fuit appellatum ad Sedem Apostolicam et coram magistro Bartholomeo, decano Pictavensi, capellano domini pape, in hac causa auditore diu fuit litigatum. Dicto vero Roberto de Turre diem claudente extremum apud Sedem Apostolicam dicta prebenda fuit dispositioni apostolice reservata. Dispensat insuper cum suprascripto Petro super defectu etatis cum nondum duodecimum etatis sue annum excegerit.

Dat. Reate, XVII kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis Raymundo Lamura et Raymundo Fabri, Sistariensis, et Armanno Mantello, Reginensis ecclesiarum canonicis.* — Dat. ut supra.

1. Deest nomen.

2785 (CCCLXXXXII) Rieti, 17 octobre 1298.

« Confertur prebenda Aquensis. » (fol. 95 v°.)

Dilecto filio Petro de Alamannono, canonico Aquensi. Merita probitatis —.

Suprascripto canonicatum et prebendam in ecclesia Aquensi per mortem quondam Bernardi de Auguycello tunc ejusdem ecclesie canonici, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantia et apostolice dispositioni reservata confert et de illis providet, non obstante quod de canonicatu et prebenda in ecclesia Massiliensi nuper per apostolicas litteras fuerit provisus.

Dat. Reate, XVI kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis Raymundo Lamura et Raymundo Fabri, Sistariensis, et Armanno Mantello, Reginensis ecclesiarum canonicis.* — Dat. ut supra.

2786 (CCCLXXXXIII) Rieti, 3 octobre 1298.

« Preficitur in episcopum Ortanum. » (fol. 96.)

Dilecto filio fratri Laurentio de Velletro, ordinis Minorum, electo Ortano. Etsi de cunctis —.

Suprascriptus ecclesie Ortane, per obitum Bartholi episcopi vacanti et ea vice a die vacationis apostolice dispositioni reservate, preficitur in archiepiscopum.

Dat. Reate, V non. octobris, anno quarto.

(POTTHAST, 24732.)

In. e. m. *capitulo — clero — populo.* — Dat. ut supra.

2787 (CCCLXXXXIIII) Vatican, 22 juillet 1298.

« Conceditur ecclesia Sancte Eulalie de Valetta, Carcassonensis diocesis. » (fol. 96 v°.)

Dilecto filio Vincentio de Serignano, rectori ecclesie Sancte Eulalie de Valetta, Carcasonensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Dictam ecclesiam, per mortem quondam Guillelmi Vitalis, olim ecclesie prefate rectoris, nuper apud Sedem Apostolicam defuncti, vacantem et dispositioni apostolice reservatam confert suprascripto, non obstante quod ecclesiam de Congheriis Veteribus, Carnotensis diocesis, curam animarum habentem,

quam vacare decernit dominus papa cum possessionem pacificam predicte ecclesie de Valetta adeptus fuerit et percipere fructus ex eadem inceperit, noscatur obtinere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xi kal. augusti, anno quarto.

In. e. m. *venerabili fratri .. episcopo Biterrensi et dilectis filiis .. archidiacono Narbonensi et Leonardo de Anticulo, canonico Baiocensi.* — Dat. ut supra.

2788 (CCCLXXXXV) Rieti, 27 octobre 1298.

« Quod possit providere alicui persone de prepositura ecclesie Albiensis. » (fol. 96 v°.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Albiensi. Habet in nobis —.

Suprascripto, ad quem et ad cujus successores, ex ordinatione a domino papa pridem edita de statu ecclesie Albiensis de regulari in secularem erecte, collatio omnium canonicatuum et dignitatum pertinet, providendi auctoritate apostolica de persona ydonea prepositure dicte ecclesie que, vacans per mortem quondam Guillelmi de Monte Jovis nuper apud Sedem Apostolicam in civitate Reatina defuncti, apostolice dispositioni ea vice reservata dignoscitur, concedit facultatem.

Dat. Reate, vi kal. novembris, anno quarto.

2789 (CCCLXXXXVI) Rieti, 3 octobre 1298.

« Preficitur in archiepiscopum Salernitanum » (fol. 97.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Goderio, cancellario dilecti filii nobilis viri Roberti ducis Calabrie, electo Salernitano. Summi providentia Principis —.

Preficit eum ecclesie Salernitane, per obitum bone memorie Philippi archiepiscopi vacanti et ea vice dispositioni apostolice reservate, in archiepiscopum. Prefecerat eidem ecclesie magistrum Petrum, cancellarium Caroli regis Sicilie; sed idem magister Petrus provisionem de se factam recipere recusavit.

Dat. Reate, v non. octubris, anno quarto.

In. e. m. *capitulo ecclesie Salernitane — clero — populo — universis vasallis. — suffraganeis.* — Dat. ut supra.

2790 (CCCLXXXXVII) Rieti, 31 octobre 1298.

« Prorogatur consecratio usque ad beneplacitum domini pape. » (fol. 97 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Goderio, electo Salernitano. Promerente tam tue devotionis —. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum tu pro negotiis dilecti filii nobilis viri Roberti, ducis Calabrie, personaliter occupatus existis, ita quod tue consecrationis munus commode recipere non potes ad presens, nos tempus consecrationis hujusmodi auctoritate apostolica prorogare de speciali gratia dignaremur. Nos itaque, tuorum meritorum nec non dictorum negotiorum intuitu, in quibus non solum pro ejusdsm ducis sed etiam pro Romane Ecclesie utilitate ac beneplacito utiliter occupari dinosceris, volentes tibi gratiam facere specialem, tuis supplicationibus inclinati, predictum tempus consecrationis tue usque ad beneplacitum nostrum tenore presentium prorogamus aliqua constitutione contraria super hoc edita non obstante. Volumus tamen ut taliter de administratione ecclesie Salernitane provideas quod ipsa interim in spiritualibus non fraudetur nec in temporalibus detrimentum propterea patiatur. Nulli ergo, et cetera. Nostre prorogationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Reate, ii kal. novembris, anno quarto.

2791 (CCCLXXXXVIII) Vatican, 23 mai 1298.

« Quod possit dispensare hac vice cum quibusdam de regno Datie. » (fol. 97 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Wibergensi. Ex parte tua —.

Ei concedit facultatem absolvendi nonnullos clericos sue diocesis excommunicatos pro eo quod interdictum, quod Lundensis provincia tempore quo Johannes archiepiscopus Lundensis per regem Datie captus post provinciale Lundense concilium extitit juxta statutum in illo concilio ordinatum incurrerat, non servaverant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. junii, anno quarto.

(Potthast, 24.680)

2792 (CCCLXXXXVIIII) Rieti, 20 novembre 1298.

« Preficitur in episcopum Curiensem. » (fol. 97 v°.)

Dilecto filio Siffrido, electo Curiensi. Inter cetera sollicitudinis —.

Eum, tunc canonicum Aschaffenburgensem, Maguntine diocesis, ecclesie Curiensi preficit in episcopum. Vacante predicta ecclesia per obitum quondam Bertoldi, Curiensis electi, cujus electio canonica per G., Maguntinum archiepiscopum, loci metropolitanum, extitit confirmata, capitulum duas electiones, unam videlicet de Wolfardo de Verigen, reliquam vero de quondam Hugone de Monfort ejusdem ecclesie canonicis, in discordia celebraverat. Cumque iidem Wolfardus et Hugo pro negotio harum electionum prosequendo ad Sedem Apostolicam accessissent, jus, si quid ex illis electionibus ipsis competebat, in manibus domini pape sponte resignaverunt.

Dat. Reate, XII kal. decembris, anno quarto.

In. e. m. *capitulo ecclesie Curiensis — clero — populo — universis vasallis.* — Dat. ut supra.

2793 (CCCC) Rieti, 24 novembre 1298.

« Reservantur quedam beneficia que ante consecrationem suam obtinebat. » (fol. 98.)

Eidem. Personam tuam —. Cum itaque, sicut in nostra exposuisti presentia constitutus, ecclesia Curiensis multum quassata fuerit retroactis temporibus et oppressa multisque gravata sit oneribus debitorum, dignum duximus ut circa statum tuum favoris nostri gratiam extendamus. Volentes igitur ut hujusmodi favorem cum effectu percipias, tuis supplicationibus inclinati, canonicatum et prebendam Aschaffemburgensis ecclesie et capellam castri in Gnshuseno, Maguntine diocesis, quos canonice, ut asseris, obtines, tibi, postquam fueris consecratus, usque ad triennium de speciali gratia reservamus —. Dat. Reate, VIII kal. decembris, anno quarto.

2794 (CCCCI) Rieti, 24 novembre 1298.

Quod possit recipere munus consecrationis diaconatus ac presbyteratus ordines a quoquam voluerit antistite. (fol. 98.)

Eidem. Circa statum ecclesie —. Dat. Reate, VIII kal. decembris, anno quarto.

In. e. m. *venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis gratiam et communionem Sedis Apostolice habentibus presentes litteras inspecturis.* — Dat. ut supra.

2795 (CCCCII) Vatican, 6 juin 1298.

Collatio beneficii. (fol. 98 v°.)

Dilecto filio ..preposito ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis, et Mangarello Manni ac Cursio Capitonis, canonicis Massanis. Grata devotionis obsequia —.

Ob devotionis obsequia que Pillius, natus quondam Biserni comitis de Biserno, Romane Ecclesie exhibuit, mandatur provideri Thedisio, germano ejusdem Pillii de quocumque beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, etiamsi dignitas vel personatus et in ecclesia cathedrali existat, si vacat ad presens vel quam cito vacaverit in Massana vel Grossetana civitatibus et diocesibus, non obstante quod sit tantum in decimo octavo sue etatis anno et in minoribus ordinibus constitutus. « Ita tamen quod cum dictus Thedisius ad legitimam etatem pervenerit, prout ejusdem beneficii onus requirit, ad ordines se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem ac interim beneficium ipsum debitis obsequiis non fraudetur et animarum cura, si illa sibi imminet, nullatenus negligatur. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. junii, anno quarto.

In e. m. scribitur eisdem judicibus pro Marco, nato nobilis viri Ingerami comitis de Biserno in duodecimo anno constituto in civitate vel diocesi Vulterana.— Dat. ut supra.

2796 (CCCCIII) Vatican, 26 juin 1298.

« Committitur sibi et successoribus suis guardia monasterii Sancti Benigni Divionensis, Lingonensis diocesis. » (fol. 98 v°.)

Dilecto filio nobili viro Roberto, duci Burgundie. Exigente tuorum grandium cumulo meritorum ad ea solerter intendimus operamque sollicitam impertimur per que tui tueque domus honoris et commodi proveniat incrementum. Cum itaque monasterium Sancti Benigni Divionensis, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, infra tui ducatus limites constitutum, sub tua guardia seu custodia speciali, ut asseris, maneat ac dignum sit et rationi conveniens ut monasterium ipsum de domo predicta, que Sedi Apostolice se fidelem semper exhibuit et devotam, hujusmodi guardiam seu custodiam sibi gaudeat provenire, tibi tuisque successoribus, Burgundie ducibus, auctoritate presentium indulgemus ut abbas, qui nunc est et qui pro tempore fuerit in futurum, nec non et conventus monasterii supradicti non nisi de predicta domo guardianum seu custodem ipsorum quomodolibet invocare valeant vel etiam advocare, quamdiu tu aut iidem successores culpabiles seu negligentes

in guardia seu custodia non fueritis memorata. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis.. Eduensi et .. capelle ducis Burgundie de Divione ac.. de Vergeio, Lingonensis et Eduensis diocesium, ecclesiarum decanis.* — Dat. ut supra.

2797 (CCCCIII) Vatican, 26 juin 1298.

« Indulgentia super beneficiis. » (fol. 99.)

Dilecto filio magistro Johanni de Sinemuro, archidiacono de Flavigneyo in ecclesia Eduensi. Cum sicut nobis —.

Indulget ei ut, quamdiu servitiis Roberti ducis Burgundie, cujus clericus et familiaris existit, institerit, fructus beneficiorum suorum in absentia percipere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

In. e. m. *venerabili fratri .. episcopo Matisconensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Benigni de Divione, Lingonensis diocesis, et Guillelmo de Monasteriis, canonico Remensi.* — Dat. ut supra.

2798 (CCCCV) Vatican, 26 juin 1298.

« Super confirmatione decanatus capelle Divionensis, Lingonensis diocesis. » (fol. 99.)

Dilecto filio .. decano capelle Divionensis dilecti filii nobilis viri .. ducis Burgundie, Lingonensis diocesis. Ingens et sincera —.

Ei scribit se precipere ut ex nunc capelle memorate decanus, cum ipsum contigerit concorditer et unanimiter eligi, sue confirmationis munus per abbatem monasterii Cisterciensis absque ulla contradictione recipiat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

(POTTHAST, 24705.)

2799 (CCCCVI) A St-Pierre 26 juin 1298.

« Quod possit facere recipi aliquam personam ydoneam in ecclesia de Sedeloci, Eduensis diocesis, quam dux Burgundie duxerit nominandam. » (fol. 99 v°.)

Dilecto filio .. archidiacono de Flavigneyo in ecclesia Eduensi. Consuevit Apostolice Sedis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

2800 (CCCCVII) Rieti, 25 octobre 1298.

« Confirmatur electio celebrata de ipso. » (fol. 99 v°.)

Dilecto filio Bartholomeo Dominici, priori monasterii Sancte Crucis Colimbriensis per priorem soliti gubernari, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini. Ex suscepti cura —.

Suprascripto monasterio per mortem quondam Petri prioris vacante, conventus, per viam compromissi procedens, Aprili Martini, priori claustrali, Johanni Menendi et Dominico Petri, canonicis ejusdem monasterii, providendi ea vice dicto monasterio de persona ydonea concessit unanimiter facultatem. Qui quidem compromissarii suprascriptum Bartholomeum elegerunt. Ille vero personaliter accessit ad Sedem Apostolicam pro confirmatione electionis et examinatio ejusdem commissa fuit Gerardo, episcopo Sabinensi, et Nicholao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero, et Guillelmo, Sancti Nicholai in carcere Tulliano diacono cardinalibus. Relatione facta confirmatur electio.

Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. .. *priori claustrali et conventui monasterii Sante Crucis Colimbriensis — universis vasallis — .. regi Portugallie.* — Dat. ut supra.

2801 (CCCCVIII) Vatican, 7 juillet 1298.

« Confertur cantoria cum canonicatu ecclesie Cremonensis. » (fol. 100.)

Dilecto filio Bartholomeo de Rivaltella, canonico et cantori ecclesie Cremonensis. Licet ea que —.

Cum Benvenutus de Calzaveliis de Brixia, per magistrum Guillelmum de Brixia, medicum et familiarem domini pape, procuratorem suum, canonicatum et cantoriam ecclesie Cremonensis libere resignavisset et eadem Guillelmus, Sancti Nicholai in Carcere Tulliano diaconus cardinalis, suprascripto, ex concessione apostolica contulisset, non obstante quod in de Lonado et de Pozalego plebibus nec non et in Sancti Zenonis de Rivaltella, Veronensis diocesis, ac in de Solferino, Brixiensis diocesis, ecclesiis beneficia noscatur obtinere, quorum redditus annui triginta florenos auri non excedunt, confirmat dictam collationem, litteras dicti cardinalis datas : « Rome apud basilicam XII Apostolorum, VIII kal. julii, pontificatus Bonifatii pape octavi anno quarto. » inserendo.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. julii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Maguzano, Veronensis diocesis, et .. preposito Brixiensis ac Gerardo de Pecoraria, canonico Turonensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2802 (CCCCVIII) Rieti, 25 octobre 1298.

« Preficitur in priorem heremi Camaldulensis. » (fol. 101.)

Dilecto filio David, priori generali heremi Camaldulensis, Aretine diocesis. Inter sollicitudines varias —.

Eum, tunc monachum monasterii Caroliloci, Cisterciensis ordinis, Silvanectensis diocesis, heremo et ordini Camaldulensibus, per obitum quondam Anselmi, prioris generalis, vacantibus et ea vice apostolice dispositioni reservatis, preficit in priorem generalem.

Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. *conventui heremi Camaldulensis — universis vasallis — abbatibus, prioribus et conventibus totius ordinis Camaldulensis.* — Dat. ut supra.

2803 (CCCCX) Vatican, 17 juillet 1298.

« Quod possit dividere quoddam debitum per universos abbates, priores seu alios prelatos ordinis Cluniacensis. » (fol. 101.)

Dilecto filio .. abbati Cluniacensi. Cum nuper dilectus filius Hugolinus de Valle Gravosa, monachus Cluniacensis, decanus domus Sancti Saturnini de Portu, Cluniacensis ordinis, Uticensis diocesis, more devoti filii qui libenter patris supportat onera et ulciscitur injurias, grata meditatione considerans expensarum onera que occasione scismaticorum Columpnensium nostrorum et Ecclesie Romane rebellium, ad quorum plectendam superbiam et nequitiam conterendam per hostiles processus et exercitus continue laboramus, oportuit et oportebat nos et Ecclesiam ipsam ex necessitate subire, decem milia florenorum auri nomine tuo et conventus tui Cluniacensis et totius Cluniacensis ordinis nobis in subsidium expensarum hujusmodi liberaliter obtulerit et persolverit per manus dilectorum filiorum Curti Cambii et Guarenti Jacobi sociorum, civium et mercatorum Florentinorum, de societate Spinorum de Florentia, eaque decem milia florenorum dictus Hugolinus nomine quo supra de nostra speciali licentia mutuo receperit a Curtio et Guarento predictis mutuantibus pro se ipsis et pro Rogerio et Lapo Spine, Ranutio et Gerardo Hugonis ac Maseo Clarissimi eorum sociis de societate predicta, prout in instrumento publico super hujusmodi mutuo confecto plenius dicitur contineri, nos, attendentes quod onus divisum in partes facilius supportatur, discretioni tue dividendi et imponendi particulariter predictam pecunie summam per universos abbates, priores seu alios prelatos, quocumque nomine censeantur, et eorum monasteria, prioratus et loca ordinis memorati ipsorumque conventus atque personas prout videris expedire, ac eos et eorum quemlibet compellendi ad contribuendum tibi et dicto conventui Cluniacensi in dicta pecunie quantitate, nec non contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi non obstantibus si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XVI kal. augusti, anno quarto.

2804 (CCCCXI) Vatican, 5 juillet 1298

« Conceditur Elizabeth de Bieura mulieri Cameracensis diocesis quod possit se transferre ad hospitale Sancte Marie de Insulis. »

Dilecte in Christo filie Elisabeth de Bieura mulieri Cameracensis diocesis. Petitio tua nobis exhibita continebat quod, cum tu olim ad ordinem Sororum Inclusarum secundum instituta et sub cura Fratrum Predicatorum viventium, prout antea constituta in mortis articulo voveras te transferres, in ipso religionis ingressu petiisti et, vovens seu firmiter gerens in mente quod toto tempore vite tue remaneres in illo, recepisti velum dari profitentibus consuetum, licet frater Johannes de Bieura, de ipsorum Fratrum Predicatorum ordine, frater tuus, de cujus manibus dictum suscepisti velum, animi tui mobilitatem timens et corporis debilitatem attendens, coram pluribus fuerit protestatus quod per talem veli traditionem non intendebat infra probationis annum dictum earumdem Sororum ordinem obligare, tuque postmodum, ipsius ordinis Inclusarum asperitatem tolerare non valens, hujusmodi votis mentalis immemor, infra annum eundem Inclusarum ordinem exivisti et ad seculum es reversa. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum tu predicti ordinis Inclusarum asperitates non valeas sustinere cupiasque in hospitali Sancte Marie de Insulis, ordinis sancti Johannis Jerosolimitani, Tornacensis diocesis, una cum priorissa et sororibus ipsius hospitalis Sancte Marie que ipsius sancti Johannis Jerosolimitani ordinem profitentur et ejusdem ordinis sancti Johannis

habitum deferunt et velum recipiunt, virtutum Domino perpetuo famulari, providere super hoc tibi de benignitate apostolica dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III non. julii, anno quarto.

In e. m. *dilectis in Christo filiabus .. priorisse et sororibus hospitalis Beate Marie in Insulis, ordinis sancti Johannis Jerosolimitani, Tornacensis diocesis — dilectis filiis .. abbati monasterii de Affligenio, Cameracensis, et .. priori de Valle Sancti Petri, Laudunensis diocesium.* — Dat. ut supra.

2805 (CCCCXII) Rieti, 27 novembre 1298.

« Quod possit contribuere quoddam debitum, et cetera. » (fol. 102.)

Dilecto filio David, priori heremi Camaldulensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Aretine diocesis. Cum nuper apud —.

Concedit facultatem dividendi inter monasteria ejus ordinis debitum trium millium florenorum auri quod de mandato domini pape apud Sedem Apostolicam contraxit.

Dat. Reate, v kal. decembris, anno quarto.

2806 (CCCCXIII) Sans date.

Quod possit contrahere mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri. (fol. 102.)

Eidem. Cum te apud [1] —.

2807 (CCCCXIIII) Vatican, 23 mai 1298.

Confertur prebenda ecclesie Aberdonensis. (fol. 102.)

Dilecto filio magistro Gaimarino de Prandonibus de Brisia, doctori legum, canonico ecclesie Aberdonensis. Apostolice Sedis circumspecta —.

Obtentu Benedicti Gaytani de Pisis, thesaurarii Noviomensis, cujus magister existit, confert ei canonicatum ecclesie Aberdonensis quem quondam Conradus de Brunforte, capellanus domini pape, in Marchie Anconitane partibus nuper defunctus, obtinebat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. junii, anno quarto.

1. Deest data in registro.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. Teanensi et .. Rosmachiriensi episcopis ac .. decano ecclesie Moraviensis.* — Dat. ut supra.

2808 (CCCCXIIII *bis*) Latran, 16 décembre 1298.

Quod possit contrahere mutuum usque ad summam mille et quingentorum florenorum auri. (fol. 102 v°).

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancte Genovefe Parisiensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, XVII kal. januarii, anno quarto.

2809 (CCCCXV) Vatican, 30 juin 1298.

« Decernitur conventiones inter regem Anglie et comitem Flandrie nullas esse, et cetera. » (fol. 102 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Guerrarum turbines, scandalorum procellas, turbationum impetus et fremitus tempestatum, que inter carissimos in Christo filios nostros, Philippum Francie, ex parte una, et Eduardum Anglie reges illustres, ex altera, et utriusque regna et terras, jam per non modici temporis spatium, pacis emulus, Sathane spiritus suscitavit, ex quibus animarum discrimina, personarum pericula et dampna rerum innumera proh dolor! contigerunt, non expedit exprimere litteris, cum satis in communem notitiam sint deducta.

Cumque Pacis Actor per inspirationem sui spiritus, exhortationes ac sollicitudines nostras, continue non sine immensitate laborum ab ipso guerrarum predictarum principio adhibitas in hac parte, nuper ipsarum corda partium emolisset ad pacem, ac fuisset in nos hinc et inde super hiis et aliis partium predictarum discordiis, et super reformatione pacis et concordie compromissum, nos, desiderantes ut hujusmodi negotium finem prosperum sortiretur, inter cetera perpetuam fieri pacem per nostrum arbitrium pronuntiavimus inter eos. Et, ad hujusmodi pacem confirmandam, roborandam atque servandam, laudavimus et mandavimus ut inter dilectum filium nobilem virum Eduardum, ipsius regis Anglie filium, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Isabellam, natam predicti regis Francie, firmaretur et fieret copula conjugalis. Verum, quia prefatus rex Anglie ac dilectus filius nobilis vir Guido, comes Flandrie, inter se olim tractasse certo modo et convenisse dicuntur quod predictus Eduardus, filius prefati regis Anglie, ac filia primogenita ejusdem co-

mitis Flandrie, quam ex superstite ejus uxore suscepit, matrimonialiter jungerentur, et postmodum, quia super hoc, quoad dictam primogenitam, certum prestabatur obstaculum, iidem rex Anglie et comes Flandrie convenerunt de filia secundo genita predictorum comitis et uxoris ejus cum predicto filio regis Anglie matrimonialiter copulanda, si hujusmodi de dicta primogenita tolli non posset obstaculum, et hujusmodi conventiones inter eosdem Anglie regem et comitem Flandrie juramentis firmate fuerunt. Nos, nolentes quod ex hiis que inter eosdem regem Anglie et comitem Flandrie, ut predicitur, acta sunt, predicto matrimonio firmando et faciendo inter prefatos filium regis Anglie ac filiam regis Francie, et per consequens perfectioni dicte pacis ullum prestetur impedimentum, vel ambiguitas aliqua ingeratur, et attendentes quod, sicut asseritur, predictus filius regis Anglie vel aliqua ex dictis filiabus comitis Flandrie nullum sponsaliorum vel matrimonii contrahendorum inter se invicem consensum obligatorium prestiterunt, hujusmodi conventiones habitas et juramenta prestita inter eosdem regem Anglie et comitem Flandrie, vel alios nomine ipsorum, tam ex virtute compromissorum dictorum regum et submissionis prefati comitis Flandrie, in nos factorum et habite, quam auctoritate apostolica et apostolice plenitudine potestatis, omnino dissolvimus, cassamus et totaliter annullamus. Decernentes conventiones et juramenta ipsa nullius esse roboris vel momenti dictosque regem Anglie et comitem Flandrie ac ipsius regis filium et aliquam de predictis ejusdem comitis filiabus ad eorum observationem aliquatenus non teneri, et per consequens, quominus prefati filius regis Anglie ac filia regis Francie matrimonialiter copulari valeant, nullum propterea impedimentum prestari posse vel obstaculum adhiberi.

Nulli ergo, et cetera. Nostre dissolutionis, cassationis, annullationis et constitutionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. julii, anno quarto.

(POTTHAST, 24712.)

2810 (CCCCXVI) Vatican, 30 juin 1298.

Littere super compromisso inter Francie et Anglie reges. (fol. 102 v°.)

Universis presentes litteras inspecturis. Tamquam universalis pastor de singulorum salute fidelium sollicite cogitantes, guerris, dissensionibus et discordiis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi, Francie, et Eduardi, Anglie regum illustrium, quibus dissidebant adinvicem, dudum cum amaricatione perceptis, ab ipso hujusmodi dissensionum et discordiarum principio studuimus diversis modis et temporibus, non sine immensitate laborum, opem et operam efficacibus studiis adhibere qualiter eos reducere ad pacem et concordiam valeremus.

Cumque nuper utriusque ipsorum regum procuratores et nuntii fuissent ad hoc ab eis ad nostram presentiam destinati, quia dictus rex Anglie ac dilecti filii nobiles viri .. Flandrie et .. Barri comites pluresque nobiles de comitatu Burgundie obligati adinvicem ac juramento fuisse dicebantur astricti quod super hiis idem rex Anglie, sine dictorum comitum et nobilium, iidemque comites et nobiles, sine ipsius regis Anglie conscientia et assensu, cum dicto rege Francorum nullam pacem facerent vel inirent, predictis procuratoribus et nuntiis ejusdem regis [1] Anglie, scilicet venerabilibus fratribus nostris, Guillielmo, Dublinensi archiepiscopo, et Johanne, episcopo Wintoniensi, ac dilectis filiis nobilibus viris Amedeo, comite Sabaudie, Ottone de Grandisono et Hugone de Ver, militibus, in nostra presentia constitutis et se nolle dicentibus inter ipsos reges hujusmodi discordias concordare, vel illas ordinationi nostre supponere, sine predictorum Flandrie ac Barri comitum et nobilium de comitatu Burgundie voluntate : tandem dilecti filii nobiles viri Robertus, primogenitus, Philippus de Flandria et Johannes de Namurco, dicti comitis Flandrie filii, ejusdem comitis eorum patris atque suo, Henricus, comes Barensis, suo, et Gualterius de Montefalconis, miles de dicto comitatu Burgundie, suo proprio et aliorum de eodem comitatu nobilium predictorum nomine, habentes ad hoc plenariam potestatem, quatenus sua et eorum, quorum erant procuratores, intererat vel interesse poterat quoquomodo, de volumptate ac expresso consensu predictorum nuntiorum et procuratorum ipsius regis Anglie, volumptati, ordinationi, arbitratui, dispositioni, diffinitioni, arbitrio sive laudo nostri, tamquam private persone ac Benedicti Gaytani, super guerris, dissensionibus, discordiis et controversiis predicti regis Francie, ac suis et eorum quorum erant procuratores, se submittere ac supponere ; prefatique nuntii et procuratores regis Anglie postmodum, de volumptate ac expresso consensu predictorum comitis Flandrie filiorum et comitis Barensis et Gualteri de Montefalconis, nominibus quibus supra, in nos tanquam in privatam personam et tanquam in arbitrum, arbitratorem, laudatorem, diffinitorem, et amicabilem compositorem super guerris, dissensionibus, discor-

1. *Ms* : eidem regi.

diis et controversiis regum predictorum similiter conpromittere curaverunt. Et, quia in instrumentis submissionum predictorum inde confectis de obligatione, astrictione, conscientia, consensu et volumptate predictis premisso modo mentio non habetur, nos super hoc has litteras nostras predictis nuntiis et procuratoribus regis Anglie, in premissorum testimonium duximus concedendas. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24711.)

2811 (CCCCXVII) Vatican, 30 juin 1298.

« Alia littera super compromisso. » (fol. 103.)

Universis presentes litteras inspecturis. Tanquam universalis pastor de singulorum salute fidelium sollicite cogitantes, guerris, dissensionibus et discordiis carissimorum in Christo filiorum nostrorum Philippi, Francie, et Eduardi, Anglie regum illustrium, quibus dissidebant ad invicem, dudum cum amaricatione perceptis, ab ipso hujusmodi dissensionum et discordiarum principio studuimus diversis modis et temporibus non sine immensitate laborum opem et operam efficacibus studiis adhibere qualiter eos reducere ad pacem et concordiam valeremus. Cumque nuper utriusque ipsorum regum procuratores et nuntii fuissent ad hoc ab eis ad nostram presentiam destinati, quia carissimus in Christo filius noster Adolphus, rex Romanorum illustris et predictus rex Anglie obligati ad invicem ac juramento fuisse dicebantur astricti quod iidem Romanorum et Anglie reges super guerris, dissensionibus et discordiis, que erant inter ipsos et predictum regem Francie, mutuo se juvarent, quodque neuter ipsorum, sine alterius consensu et volumptate, pacem faceret vel iniret, predictis eorumdem Francie ac Anglie regum nuntiis et procuratoribus cum plena potestate pacem tractandi et faciendi ac etiam componendi et in nos compromittendi in nostra presentia constitutis et procuratoribus ejusdem regis Anglie asserentibus quod, sine consensu dicti Romanorum regis absentis, cum prefato rege Francie vel procuratoribus ejus nullam pacem facere intendebant, nos, nolentes quod propter ipsius regis Romanorum absentiam et consensus sui defectum impediretur communis utilitas tanti boni et desiderantes super dicte pacis negotio salubriter providere, loco et nomine ipsius Romani regis, quem pro firmo gerimus et habemus votis nostris acquiescere in hac parte, volumus et consensimus ac ipsis regis Anglie procuratoribus licentiam et auctoritatem dedimus ac mandavimus quod, ejusdem Romanorum regis absentia et consensus sui defectu nequaquam obstantibus, iidem procuratores ejusdem regis Anglie ad tractatum et perfectionem dicte pacis compromittendo vel aliter sicut melius posset fieri procederent de hujusmodi nostro consensu, auctoritate, licentia et mandato, cum nostre intentionis existat, prout ad nos pertinet, dicti Romanorum regis et imperii jura servare integra et illesa. Ipsi vero nuntii et procuratores memorati regis Anglie, hujusmodi nostris licentia et mandato preambulis, in nos, tanquam in privatam personam et Benedictum Gaitanum, tanquam in arbitrum, arbitratorem, laudatorem, diffinitorem et amicabilem compositorem de alto et basso absolute ac libere super hujusmodi guerris, dissensionibus et discordiis predictorum Francie et Anglie regum, nomine ipsius regis Anglie, compromittere curaverunt. Et, quia in instrumento confecto super compromisso prefatis regis Anglie procuratoribus et nuntiis in nos facto de premissis consensu, auctoritate, licentia et mandato nostris mentio non habetur, nos super hoc has litteras nostras predictis Anglie regis nuntiis et procuratoribus in horum testimonium duximus concedendas. Dat. ut supra.

2812 (CCCCXVIII) Vatican, 27 juin 1298.

« Denuntiatur quod A, rex Romanorum non intromittat se de regno Francie et quod rex Francie de regno Alamanie. » (fol. 103 v°.)

Universis presentes litteras inspecturis. Quietem et pacem ex nostris provenire studiis ubilibet affectantes et cupientes pericula in hac parte potissime cautius evitare, denumptiamus et dicimus quod nostre intentionis existit ut charissimus in Christo filius noster Adolphus, rex Romanorum illustris, ultra fines et limites regni sui se de juribus, finibus et limitibus charissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francie illustris, ac regni ejus; ipseque rex Francie extra fines et limites regni sui se de juribus, finibus et limitibus imperii seu predicti Alemannie regis nullatenus intromittant; sed uterque ipsorum suis juribus, finibus et limitibus sit contentus; et, si aliquid sit ab alterutra partium indebite attemptatum, illud in statum debitum revocetur, prout justum et equum fuerit, vel concordatum extiterit inter eos, aut modo vel modis quo vel quibus pro quiete mundi vel alias exigente justitia, salvo honore cujuslibet, fuerit ordinandum.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. julii, anno quarto.

(POTTHAST, n° 24707.)

2813 (CCCCXVIIII) Vatican, 13 juillet 1298.

Conceditur ecclesie Lateranensi palatium Anterinanum. (fol. 103 v°.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Sancti Johannis Lateranensis. Gerentes in vobis —.

Lateranensi ecclesie conceditur « palatium infra Urbis menia constitutum quod Anterinanum vulgariter nuncupatur quodque ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectare dinoscitur. »

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III id. julii, anno quarto.

2814 (CCCCXX) Latran, 1er janvier 1299.

Conceditur castrum de Soci, Aretine diocesis. (fol. 103 v°.)

Dilecto filio nobili viro Guillelmo dicto Novello, comiti palatino in Tuscia, familiari nostro. Benigne considerationis indagine —.

Ei, qui « ab annis teneris nostris obsequiis familiariter deputatus laudabiliter et prudenter » se gessit, et suis posteris castrum de Soci, Aretine diocesis, ad heremum et ordinem Camaldulenses pertinens sed de quo « modice utilitatis fructum propter potentiam seu malitiam vicinorum annuatim percipere poterant », cum muris, palatiis et omnibus juribus, donat eumque nihilominus per annulum suum de eisdem presentialiter investit. Addit se in recompensationem dicti castri pertinentis eidem Camaldulensi heremo ecclesiam de Balneo, Saxenatis diocesis, univisse et incorporasse, « jure patronatus et omnibus aliis que dilecti filii nobiles viri comites Guidones illarum partium in ecclesia seu plebe obtinere noscuntur ipsis comitibus semper salvis. Volumus autem quod tu et posteri supradicti ad protegendum et defendendum bona, possessiones et jura ejusdem heremi cum ab ipsius priore vel conventu fueritis requisiti vos promptos et favorabiles impendatis. »

Dat. Laterani, kal. januarii, anno quarto. »

(POTTHAST. 24756.)

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Capiteleonis, Aretine diocesis, et .. preposito Aretine ac .. archidiacono Atrebatensis ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

2815 (CCCCXXI) Latran, 1er janvier 1299.

Conceditur ecclesia de Balneo, Saxenatis diocesis. (fol. 104.)

Dilectis filiis.. priori et conventui heremi Camaldulensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis. Ad apostolatus nostri notitiam fide digna et jam nostris auribus inculcata relatione pervenit quod .. plebanus et canonici ecclesie seu plebis de Balneo, Sassenatis diocesis, laudabilibus et salubribus actibus, quos honestas ordinis exigit clericalis, libello dato repudii, mundanas sequentes illecebras et secularibus voluptatibus inherentes, vitam ducunt enormiter dissolutam, in sue salutis et fame dispendium et scandalum plurimorum. Bona quoque, possessiones et jura ecclesie seu plebis ejusdem custodire ac tueri non curant pro sue libito volumptatis : propter quod illa utpote incustodita et relicta neglectui usurpantur et occupantur a pluribus in ipsius ecclesie seu plebis grave prejudicium et jacturam.

Cum de conniventia suprascripti prioris comiti Guidoni Novello castrum de Soci, Aretine diocesis, ad heremum et ordinem Camaldulenses pertinens, de quo modice utilitatis fructum propter potentiam seu malitiam vicinorum annuatim percipere poterant, dederit, eidem heremo dictam plebem annectit et incorporat.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii de Turno et .. priori de Cellis, Sassenatis diocesis, ac .. archidiacono ecclesie Atrebatensis* —. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24757.)

2816 (CCCCXXII) Vatican, 24 juin 1298.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 104.)

Dilecto filio Phylippo clerico, nato dilecti filii nobilis viri Baligani quondam Uguicinelli civis Esini. Adtendentes devotionem —.

Confert vel reservat ei dignitatem vel canonicatum seu quodcumque beneficium ecclesiasticum nulli alii de jure debitum in majore vel quavis ecclesiarum civitatis et diocesis Auximane, non obstante quod idem Phylippus in ecclesia Sancti Gervasii de Monteoffo, Senegaliensis diocesis, canonicatum et beneficium sine cura noscatur obtinere aut quod infra vicesimum quintum annum constitutus non possit dignitatem recipere.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. julii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori secularis Sancti Benedicti de Frondelosiis, Esine diocesis, et Bertoldo de Labro, capellano nostro, Carnotensis, ac Hordeo Lombardelli, Esine canonicis ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

2817 (CCCCXXIII) Vatican, 23 juillet 1298.

« Dispensatio super matrimonio cum quibusdam civibus Esinis. » (fol. 104 v°.)

Dilecto filio Baligano, nato nobilis viri Uguicinelli, et dilecte in Christo filie Captanie, nate nobilis viri Raynaldi Symonetti, civibus Esinis. Etsi conjunctio copule —.

Ad sedandas inimicitias inter parentes et consanguineos eorum indulget suprascriptis ut non obstante tertio consanguinitatis gradu quo suprascriptus, ex uno latere, et quarto quo suprascripta, ex altero, sunt conjuncti, matrimonium contrahere valeant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. augusti, anno quarto.

2818 (CCCCXXIIII) Vatican, 23 juillet 1298.

« Alia dispensatio cum Esinis. » (fol. 105.)

Dilecto filio Guillelmo, nato nobilis viri Raynaldi Symonetti, et dilecte in Christo filie Belleflori, nate nobilis viri Manentis, civibus Esinis. Romani pontificis precellens—.

Ad sedandas familiares inimicitias indulget ut nonobstante quarto consanguinitatis gradu invicem matrimonium contrahere valeant.

Dat. ut supra.

2819 (CCCCXXV) Vatican, 23 juillet 1298.

« Alia dispensatio cum Esinis. » (fol. 105.)

Dilecto filio Phyliputio, nato quondam nobilis viri Todini Captii, et dilecte in Christo filie Catholice, nate quondam Avoltroni Baligani, civibus Esinis. Romani pontificis precellens —.

Ad sedandas familiares inimicitias indulget ut nonobstante quarto consanguinitatis gradu quo supracriptus, ex uno latere, et tertio quo suprascripta, ex altero, sunt conjuncti matrimonium invicem contrahere valeant.

Dat. ut supra.

2820 (CCCCXXVI) Latran, 4 janvier 1299.

« Executoria super mutuo pro abbate monasterii Sancte Genovefe Parisiensis. » (fol. 105.)

Dilectis filiis . . archidiacono Lexoviensi et magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, canonico Asisinati, ac . . officiali Trecensi. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum mille et quingentorum florenorum auri quod Johannes, abbas monasterii Sancte Genovefe Parisiensis, contraxit a Cinzo Cambii et Guarente Jacobi mutuantibus pro se et Rogerio et Lapo de Spinis, Symone Gerardi, Nerio Cambii, Ranutio Ugui et Masseto Clarissimi ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum.

Dat. Laterani, II non. januarii, anno quarto.

2821 (CCCCXXVII) Vatican, 31 mai 1298.

« Quod possit absolvere quosdam de regno Datie. (fol. 105 v°.)

Venerabili fratri J., archiepiscopo Lundensi, Suetie primati. Ex parte tua —.

Ei concedit facultatem absolvendi a culpa propter violationem interdicti commissam illos qui ad obedientiam ecclesie redierint.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. junii, anno quarto.

(POTTHAST, 24684.)

2822 (CCCCXXVIII) Vatican, 31 mai 1298.

« Quod possit conferre beneficia que tanto tempore vacaverunt, et cetera. » (fol. 105 v°.)

Venerabili fratri J., archiepiscopo Lundensi, Suetie primati. Tue merita devotionis —. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24685.)

2823 (CCCCXXVIIII) Latran, 7 janvier 1299.

Citatur ad Sedem Apostolicam. (fol. 106.)

Dilecto filio .. magistro ordinis sancte Marie Theotonicorum. Fidedignis relatibus intellecto —.

Ei qui archiepiscopum Rigensem carceri mancipatum tenebat cujusque Fratres, nitentes Osiliensem episcopum similiter personaliter capere, castro Lealensi eundem episcopum spoliaverant, canonicos Osilienses de ipsorum prebendis et beneficiis expulerant, mandat ut infra sex menses a die presentationis harum litterarum compareat personaliter coram Sede Apostolica cum tribus commendatoribus Livonie.

Dat. Laterani, VII id. januarii, anno quarto.

(POTTHAST, 24760.)

2824 (CCCCXXX) Latran, 5 janvier 1299.

« Quod accedant ad Sedem Apostolicam. » (fol. 106 v°.)

Venerabilibus fratribus J., Rigensi archiepiscopo et C., Osiliensi [1] *episcopo.* De statu —.

Eis de superiore epistola significat eosque rogat et requirit ut infra sex menses a die presentationis harum litterarum ad Sedem Apostolicam personaliter accedant, et nihilominus reliquos suffraganeos nec non clerum et populos civitatum et diocesium suarum citent ut infra superius assignatum terminum per procuratores idoneos apostolico se conspectui representent, ut, eis et ipsis ac magistro et commendatoribus presentibus, utilior via providendi sibi appareat de illo statu et conditionibus, quibus terra Livonie ac tota Rigensis provincia subjaceat, et de studiis et operibus fratrum dicti ordinis.

Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24761.)

2825 (CCCCXXXI) Rieti, 25 octobre 1298.

« Super prorogatione cujusdam compromissi. » (fol. 106 v°.)

Dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Desideriis vestris —. Petitio siquidem vestra nobis exhibita continebat quod, orta dudum inter quondam fratrem Bonifatium, Hospitalis vestri magnum preceptorem pro parte vestra, et nobilem virum Hemericum, bajulum Roberti filii et heredis quondam Guillelmi de Alneto, pro eodem Roberto, super castro Corneti, Esculane diocesis, quod ad monasterium Sancte Trinitatis de Venusio ad vos spectans dicitur pertinere, materia questionis, tandem iidem preceptor, pro vobis, et Herricus, pro dicto Roberto, pacis et quietis commodum affectantes, in dilectos filios magistros Andream de Isernia et Porrinam de Casulis, juramento prestito et datis fidejussoribus, pena duorum milium marcharum argenti adjecta, inter cetera sub hac forma compromittere curaverunt videlicet: quod, si idem magister Porrina se super hoc forsitan excusaret, in compromisso hujusmodi pro eodem Hospitali ei succederet quondam Jacobus de Arena, tunc vivens, et si dicti arbitri discordarent, dilecti filii nostri Johannis, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, cum altero hujusmodi arbitrorum concordantis, arbitrio starent partes, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo venturum compromisso hujusmodi duraturo : quod si fortassis sepefati magistri Andreas et Porrina vel eorum alter nollent seu non possent compromissum suscipere memoratum, partes ipse vel earum altera arbitrum vel arbitros eis libere subrogarent, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Cum itaque dictus magister Porrina onus compromissi hujusmodi suscipere penitus recusarit eodemque Jacobo viam universe carnis ingresso, prefatus preceptor morte preventus neminem in compromisso subrogarit eodem, in gravem ejusdem Hospitalis jacturam, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis et Hospitali prefato in hac parte de oportune provisionis remedio dignaremur. Cum igitur non sit ad presens in partibus istis qui hujusmodi arbitrum vel arbitros pro parte vestra valeat subrogare et finiendi compromissi dies adeo instet quod ante ventura sit quam, ut verisimiliter creditur, hujusmodi subrogatio fieri possit, nos, affectantes quod a controversiis litigantes discedant et per viam arbitrii magis pacificam facilioris exitus et brevioris finis questio sopiatur, quod in utriusque partis potest commodum redundare, et considerantes quod compromissum, quod altera pars jam voluit, prorogamus, quodque de re, sicut proponitis, ecclesiastica agitur et idcirco tam utiliter quam decenter in hiis nostre sollicitudinis studium adhibemus, vestris supplicationibus inclinati, prefatum compromissum cum omnibus que in se continet usque ad festum Purificationis Beate Virginis proximo venturum de apostolice potestatis plenitudine prorogamus. Nulli ergo, et cetera. Nostre prorogationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

2826 (CCCCXXXII) Vatican, 30 juin 1298.

Super pace et concordia inter reges Francie et Anglie (fol. 106 v°.)

Carissimis in Christo filiis Phylippo, Francie, Eduardo, Anglie regibus, illustribus. Pronumptiationem quandam super reformanda inter vos pace et concordia et super hiis que ad pacem pertinent ac super aliis, super quibus per nuntios et procuratores vestros in nos tanquam in privatam personam et Benedictum Gaitanum nomine vestro et pro vobis extitit compromissum, arbitrando, laudando, diffiniendo, arbitraliter sententiando, mandando, ordinando, disponendo et pronuntiando ea vice nuper duximus faciendam, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Quam pronumptiationem et que in ea continentur auctoritate apostolica valere volumus et plenam habere decernimus roboris firmitatem, tenorem ipsius instrumenti de verbo ad verbum ex certa scientia

1. *Ms.* : Ossiensi.

presentibus annotari facientes qui talis est : « In nomine Domini, amen. Anno Domini MCCXCVIII, indictione XI, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno VI, die XXVII mensis junii, sanctissimus pater et dominus, dominus Bonifatius divina providentia papa VIII, arbitrium, laudum, diffinitionem, arbitralem sententiam, amicabilem compositionem, mandatum, ordinationem et alia infrascripta recitavit, legi fecit, dedit et protulit in hunc modum : Dudum inter charissimos filios nostros Phylippum, Francorum, ex parte una, et Eduardum, Anglie reges illustres, ex altera, suggerente inimico humani generis, pacis emulo, super diversis articulis materia discordie ac dissensionis exorta, tandem iidem reges per speciales nuntios et procuratores ipsorum, ad hoc ab eis mandatum habentes, in nos Bonifatium papam VIII, tanquam in privatam personam et dominum Benedictum Gaytanum, tanquam in arbitrum et arbitratorem, laudatorem, diffinitorem, arbitralem sententiatorem, amicabilem compositorem, preceptorem, ordinatorem, dispositorem et pronumptiatorem super reformanda pace et concordia inter ipsos reges, ac super his que ad pacem pertinent, et super omnibus et singulis discordiis, guerris, litibus, controversiis, causis, questionibus, damnis et injuriis, petitionibus et actionibus, realibus et personalibus atque mixtis, que fuerant et erant seu vertebantur et esse vel verti possent inter ipsos reges occasione quacumque, de alto et basso, absolute ac libere compromittere curaverunt, prout in compromissorum instrumentis publicis inde confectis plenius continetur. Nos igitur, Bonifatius papa predictus, qui finem imponere litibus affectamus sed precipue inter reges predictos, quorum quietem indesinenter appetimus et tanto ferventius felices cupimus vigere successus quanto pleniori eos affectione prosequimur et puriori complectimur caritate, hujusmodi compromissis receptis et nobiscum deliberatione prehabita diligenti, vocatis quoque nuntiis et procuratoribus supradictis ad arbitrium, laudum, mandatum et arbitralem sententiam audiendum eisque coram nobis ad hoc specialiter constitutis, ad laudem Omnipotentis Dei, qui est Pacis Actor et Salutis Amator, et gloriose Virginis matris ejus, sicut arbiter, arbitrator, laudator et amicabilis compositor, ac sicut privata persona et Benedictus Gaytanus, ex virtute ac forma compromissorum predictorum et omni modo et jure quo melius possumus, viam arbitratoris, laudatoris et amicabilis compositoris sequentes, dicimus, arbitramur, laudamus, diffinimus, arbitraliter sententiamus, mandamus, ordinamus, disponimus et pronumptiamus hac vice; ut inter eosdem reges fiat et sit perpetua et stabilis pax; et quod treugue vel sufferentie voluntarie, dudum indicte, inita ac firmate inter eos, eo modo et forma, ac omnibus et illis personis et terris, et sub illis penis, conditionibus et temporibus, sub quibus indicte, inite ac firmate fuerint, inviolabiliter observentur; ad hujusmodi autem pacem confirmandam, roborandam atque servandam, infra tempus quod duxerimus moderandum, prefatus rex Anglie Margarettam, sororem predicti regis Francie, recipere ac ducere, cum dotalicio quindecim milium librarum turonensium, assignando per ipsum regem Anglie in locis competentibus, de quibus inter partes fuerit concordatum vel, ubi partes ipse non concordarent, per nos arbitratum fuerit, in uxorem, et idem rex Francie eandem sororem suam eidem regi Anglie in uxorem dare et tradere cum dispensatione Sedis Apostolice teneantur; quodque Isabellis, filia prelibati regis Francie, que infra annum septennem dicitur constituta, suo tempore Eduardo, predicti regis Anglie filio, qui jam XIII etatis sue annum exegit, cum simili dispensatione matrimonialiter cum dotalicio decem octo millium librarum turonensium, similiter assignando per eumdem regem Anglie pro dicto filio suo in competentibus locis, de quibus concordaverint ipse partes vel de quibus nos duxerimus arbitrandum, si super hoc inter eos non provenit concordia, copuletur, idque firmetur atque valletur ex nunc modis inferius annotatis videlicet: quod idem rex Anglie, pro filio suo, idemque filius pro se, qui ad hoc sufficientem habent etatem, contrahant sponsalia predicta, eorumdem regis et filii juramentis firmanda, et rex Francie, nomine filie sue predicte, contrahat hujusmodi sponsalia pro eadem, que ut valida sint et firma, volumus, dicimus et arbitramur quod rex Francie promittat per juramentum, pro ipso in animam suam prestandum, se tradere predictam filiam suam predicto Eduardo nuptui, tempore quo concordatum extitit inter ipsos vel per nos arbitratum fuerit vel laudatum ; pro quibus attendendis firmiter et fideliter adimplendis dicimus, laudamus et arbitramur quod pena, de qua inter partes fuerit concordatum, vel, uti ipse partes non concordarent, per nos arbitranda et taxanda, firmetur ab utraque parte et promissa valletur, solvenda parti parenti a parte non parente, per quam penam negotium istud in tuto ponatur et partes ad ejus finalem executionem efficacius inducantur, cujus pene promissionem et obligationem efficaciter valere volumus et decernimus ac tenere, non obstantibus juribus que pro libertate matrimoniorum hujusmodi penas inhibent, que ex certa scientia pro tanto bono tollimus in hoc casu, addentes nichilominus quod reges predicti aliquos de baronibus suis notabiliores per juramenta faciant obligare ad sponsalia predicta et matrimonia procuranda et ad tollenda impedimenta pro viribus que possent circa hoc vel contra hoc adinveniri. Quia vero sponsalia predicta tanto

amplius desideramus habere felicem effectum et efficacem eventum, quanto per hoc probabiliter credimus pacem predictam firmius et fidelius observari, pro tanto pacis bono decernimus auctoritate apostolica quod terra regis illius, cujus culpa vel malitia steterit quo minus contrahantur predicta sponsalia et matrimonium consumetur, ecclesiastico subjaceat interdicto nisi super hoc requisitus predicta cum effectu correxerit infra mensem.

Item dicimus, laudamus, arbitramur, seu etiam diffinimus, quod de omnibus bonis mobilibus vel se moventibus, ablatis vel alias male subtractis, et de omnibus damnis datis hinc inde ante tempus mote vel orte guerre presentis; primo de omnibus que extant et consumpta non sunt, presertim de navibus, et aliis quibuscumque bonis per Anglicos et Vascones, et eorum complices ante guerram occupatis in mari vel in terra, quod rex Anglicus omnia que de predictis extant bona fide, sine lite et absque figura judicii, omni fraude cessante, ad requisitionem regis Francie vel nuntii sui statim faciat ad plenum restitui, et rex Francie similiter, si qua talia, ante dictam guerram capta vel ablata, apud ipsum vel in sua potestate estantia reperta fuerint, similiter ad plenum restitui faciat a prefato rege Anglie vel ejus nuntio requiquisitus; de ablatis vero non estantibus sed deperditis et consumptis, laudamus, arbitramur seu etiam diffinimus quod rex Anglie ad requisitionem regis Francie vel nuntii ejus satisfieri faciat et ad hoc faciendum etiam teneatur sine lite ac figura judicii, bona fide et omni fraude cessante; et rex Francie similiter, si qua per gentes suas ablata, deperdita seu consumpta inventa fuerint, ad requisitionem regis Anglie vel nuntii sui faciat satisfieri, taxatione nobis circa predictorum estimationem contra utramque partem, ubi per concordiam partium negotium super predictis sopitum non esset, plenarie reservata.

Item dicimus, laudamur, arbitramur seu etiam diffinimus, quod idem rex Anglie de omnibus terris, vassallis et bonis, que ipse nunc habet et tenet in regno Francie, seu tenebat ante motam guerram presentem, habeat illam quantitatem et illam partem terrarum, vassallorum, et bonorum eorumdem, quam sibi ex virtute compromissorum predictorum laudaverimus et mandaverimus assignari, vel inter reges ipsos fuerit concordatum; et sub illis fidelitate, homagio, modis et conditionibus habeat, sub quibus ipse ac pater suus habuisse hactenus et tenuisse noscuntur, modis et temperamentis per nos adhibendis in abusu, si quis ex parte gentis regis Francie hactenus commissus inventus fuerit in exercitio resorti, modis etiam et temperamentis per nos adhibendis in abusu partis alterius, si quis videlicet ex parte regis Anglie vel suorum hactenus commissus contra jus resorti fuerit inventus, ne talia in posterum committantur; conditionibus etiam, modis et securitatibus per nos imponendis et adhibendis in terris, vassallis et bonis, et aliis, que per nostram pronumptiationem seu concordiam partium prefatus rex Anglie habiturus est de predictis, ne amodo idem rex Anglie vel successores ejus contra regem Francie vel successores ipsius valeant rebellare.

Dicimus etiam, laudamus et arbitramur, seu etiam diffinimus, quod ex nunc omnes terre, vassalli et bona predicta, et alia tam que tenet rex Francie de iis que tenebat rex Anglie ante guerram presentem quam que tenet rex Anglie in regno Francie, bona fide ac sine omni fraude, absolute ac libere in manibus et posse nostris ponantur et assignentur, tenenda a nobis nomine regis Francie, que ex parte sua, et nomine regis Anglie, que ex parte ejusdem nobis fuerint assignata : ita tamen, quod per hoc in possessione vel proprietate nichil novi juris accrescat alterutri partium, vel antiqui decrescat : super quorum assignatione, si qua fuerit exorta dubitatio vel ambiguitas inter partes, illam nostre declarationi et arbitrio reservamus. Quod si forsan dicti reges de ipsis terris et bonis ad invicem concordaverint, volumus, laudamus et arbitramur, ex nunc id, in quo concordaverint, perpetuo et inviolabiliter observari : alioquin nos ex compromissi predicti virtute apponemus ad id illud remedium, quod Dominus ministrabit et ex tradita nobis potestate licebit. Si vero casu aliquo contingente hoc facere non possemus, volumus, dicimus et arbitramur, quod utrique parti pristina jura sua salva remaneant et illesa. Acta, lata et pronumptiata fuerunt arbitrium, laudum, arbitralis sententia, mandatum, diffinitio, ordinatio, dispositio et omnia supradicta per eumdem dominum papam, ut superius enarrantur, anno, indictione, mense ac die predictis, Rome apud Sanctum Petrum in palatio papali, in consistorio publico, facto in sala majori, presente ibi gentium multitudine copiosa; et presentibus reverendis patribus dominis, Dei gratia, Gerardo, Sabinensi, fratre Mattheo, Portuensi et S. Ruffine, et Joanne, Tusculano episcopis; Joanne tit. SS. Marcellini et Petri, Nicolao tit. S. Laurentii in Damaso, fratre Jacobo tit. S. Clementis, Thoma tit. S. Cecilie ac Roberto tit. S. Potentiane presbyteris; Mattheo S. Marie in Porticu, Napoleone S. Adriani, Guillelmo S. Nicolai in Carcere Tulliano, Francisco S. Marie in Cosmedin, Petro S. Marie-Nove, ac Jacobo S. Georgii ad Velum Aureum diaconis, Sancte Romane Ecclesie cardinalibus, et venerabilibus viris dominis Johanne Judicis, Matheo Caraczulo, Guidone de Anagnia et Adenulfo de Supino, domini pape notariis, ac nobilibus viris dominis Urso et

Bertuldo de filiis Ursi de Urbe, Bartholomeo de Capua, regni Sicilie logotheta, et Jacobo de Pisis, familiari ipsius domini pape, testibus, ac domino Deodato de Urbe, ipsius domini pape capellano, qui arbitrium, laudum, arbitralem sententiam, mandatum, diffinitionem, ordinationem et omnia supradicta de mandato predicti domini pape ibidem publice legit et voce quasi preconia recitavit. Et ego Nicholaus dictus Novellus de Vico, apostolica et imperiali auctoritate notarius, predictis interfui et omnia ut supra legitur de mandato prefati domini pape scripsi et publicavi ac meo signo consueto signavi. » Nulli ergo, et cetera. Nostre constitutionis et annotationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. julii, anno quarto.

(POTTHAST, 24713.)

2827 (CCCXXXIII) Latran, 30 décembre 1298.

« Littera quitationis pro societate Perutiorum de Florentia. — In eodem modo pro certis aliis societatibus. » (fol. 108.)

Dilectis filiis Masso Perrutii, Catellino Ynfangati, Bencevenne Fulchi et Gino Rogerii ac ceteris eorum sociis de societate Perutiorum, civibus et mercatoribus Florentinis. Cum, de pecunia Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani per quondam fratrem Bonifatium de Calamandrano, olim magnum preceptorem dicti Hospitalis in partibus scismarinis, seu per alium, ejusdem Hospitalis seu fratris Bonifatii nomine, penes vos socios et societatem vestros deposita seu quovis alio titulo commendata, quinque milia quingentos sexaginta quinque florenos auri ad mandatum nostrum per venerabiles fratres G., Sabinensem et M., Portuensem episcopos, ac dilectum filium nostrum M., Sancte Marie in Porticu diaconum cardinales vive vocis oraculo vobis factum pro urgentibus negociis Ecclesie Romane duxeritis liberaliter persolvendos, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis, sociis et societati predictis de oportune quitationis et absolutionis beneficio dignaremur. Nos vero, vestre promptitudinis studia in Domino commendantes, solutionem hujusmodi quinque milium quingentorum sexaginta quinque florenorum auri de mandato nostro factam, ratam et gratam habemus, ac vos, socios et societatem vestros, quoad hujusmodi florenorum quantitatem, ut premittitur, persolutam, presentium auctoritate absolvimus et quitamus : ita quod ad solutionem seu restitutionem aliam de ipsis florenis faciendam imperpetuum compelli a quoquam vos, societas vestra seu aliqui ex sociis vestris nullatenus valeatis. Nos enim instrumenta depositi seu recognitionis dictorum florenorum, quoad quantitatem predictam, cassamus et irritamus et nullius prorsus esse decernimus firmitatis, errore calculi in omnibus semper salvo : has litteras nostra bulla munitas pro vestra, sociorum et societatis vestrorum cautela in hujusmodi rei testimonium concedentes. Dat. Laterani, III kal. januarii, anno quarto.

In e. m. pro *dilectis Manetto de Scalis et Jacobo Anneri militibus, Catalano Petri et Thotto Thedaldi ac ceteris eorum sociis de societate Scalarum, civibus et mercatoribus Florentinis.* Cum de pecunia et cetera ut in precedenti per totum usque : commendata, tria milia centum viginti quinque florenos auri ad mandatum nostrum, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

In e. m. pro *dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine et ceteris eorum sociis de societate Spinorum, civibus et mercatoribus Florentinis ac camere nostre mercatoribus.* Cum de pecunia, et cetera ut in prima usque : commendata, quattuor milia sexcentos sexaginta florenos auri ad mandatum nostrum, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

In e. m. pro *dilectis filiis Cino Bartolo et Symoni quondam Jacobi de Bardis filiis ac Nardo Centomille et ceteris eorum sociis de societate Bardorum, civibus et mercatoribus Florentinis.* Cum de pecunia, et cetera usque : commendata, tria milia florenorum auri ad mandatum nostrum, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

In e. m. pro *dilectis filiis Thome et Vanni de Mozis et Feo Bonaiuti ac ceteris eorum sociis de societate Mozorum, civibus et mercatoribus Florentinis et camere nostre mercatoribus.* Cum de pecunia, et cetera usque : commendata, duo milia octingentos quadraginta quattuor florenos auri ad mandatum nostrum, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

2828 (CCCCXXXIIII) Latran, 29 décembre 1298.

Quod possit contrahere mutuum usque ad summam mille florenorum auri. (fol. 108 v°.)

Venerabili fratri Theditio, archiepiscopo Turritano. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, IIII kal. januarii, anno quarto.

2829 (CCCCXXXV) Rieti, 1er novembre 1298.

« Dispensatio super pluralitate. » (fol. 108 v°.)

Dilecto filio magistro Johanni de Crancumbe, archidiacono de Estridinge in ecclesia Eboracensi. Benigno sunt

tibi —. Exhibita quidem nobis pro parte tua petitio continebat quod, te dudum absente ab archidiaconatu tuo de Estridinge in ecclesia Eboracensi, quidam in archidiaconatu ipso tui officiales in eo visitationis officium exercentes procurationes ab ecclesiis et personis archidiaconatus ejusdem secundum taxationes antiquas in pecunia numerata tuo nomine receperunt, ecclesiis et personis ipsis aliquando visitatis et aliquando in eis visitationis officio pretermisso. Tu quoque, in eodem archidiaconatu exercens personaliter hujusmodi visitationis officium, gravasti visitatos interdum propter plures equitaturas quas ultra statutum ducebas numerum in expensis, procurationes etiam ratione visitationis hujusmodi recepisti pluries secundum taxationem predictam in pecunia numerata contra statuta concilii generalis ac postmodum, hujusmodi pecunia sic recepta sed nullatenus restituta nec absolutione vel dispensatione super predictis obtempta, simplicitate ductus divina officia celebrasti alias te illis etiam immiscendo.

Absolvit eum a sententia suspensionis officii et beneficii quam secundum statuta predicta ex premissis incurrisse dinoscitur, dispensat cum illo super irregularitate et pecuniam minus juste perceptam remittit.

Dat. Reate, kal. novembris, anno quarto.

2830 (CCCCXXXVI) Rieti, 22 novembre 1298.

« Quod possint uni persone ydonee conferre tabellionatus officium. » (fol. 108 v°.)

Dilectis filiis .. decano et capitulo Parisiensibus. Grata devotionis obsequia —.

Supplicationibus Nicholai, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, annuens, facultatem eis largitur concedendi juxta formam quam Romana Ecclesia servare in talibus consuevit tabellionatus officium uni persone ydonee.

Dat. Reate, x kal. decembris, anno quarto.

2831 (CCCCXXXVII) Vatican, 25 juin 1298.

« Super visitatione facienda per archidiaconum ecclesie Claromontensis et residentia in eadem ecclesia. » (fol. 109.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Claromontensi. Exposita nobis tua petitio continebat quod parochiales ecclesie tue civitatis et diocesis per archidiaconos Claromontensis ecclesie debent annis singulis visitari ; sed, quia dicti archidiaconi visitando dictas ecclesias annuatim residere personaliter per octo menses continuos in eadem ecclesia, sicut tenentur, non possent ac redditus et proventus archidiaconatuum et prebendarum suarum ipsius ecclesie percipere, cum ipsi dum predictas ecclesias visitant residere in eadem ecclesia minime reputentur, hujusmodi visitationem nequeunt comode exercere —.

Concedit ei facultatem dispensandi hac vice auctoritate apostolica cum archidiaconis supradictis nunc existentibus in ecclesia memorata ut usque ad quinquennium non nisi per sex menses dumtaxat teneantur annuatim in prefata Claromontensi ecclesia residere ac per sex menses reliquos ecclesias visitare supradictas et redditus archidiaconatuum et prebendarum suarum percipere valeant.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VII kal. julii, anno quarto.

2832 (CCCCXXXVIII) Latran, 16 janvier 1299.

Provisio ecclesie Tholetane. (fol. 109.)

Venerabili fratri Gundisalvo, episcopo Conchensi in archiepiscopum Tholettanum electo. Angit nos cura —.

Transfertur de ecclesia Conchensi ad archiepiscopalem Tholetanam, per translationem Gundisalvi de eadem ad Albanensem ecclesiam vacantem.

Dat. Laterani, XVII kal. februarii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Tholetane — clero — populo — universis vasallis — universis suffraganeis —.* Dat. ut supra —.

2833 (CCCCXXXVIIII) Latran, 26 janvier 1299.

Provisio ecclesie Interamnensis. (fol. 109 v°.)

Venerabili fratri Masseo, episcopo Interanensi. Apostolatus officium —.

Predicta ecclesia pastoris solatio destituta « pro eo quod Peregrinum, de quo olim ipsi ecclesie tunc vacanti providimus, ex certis et rationabilibus causis a regimine ejusdem ecclesie privavimus ipsumque auctoritate apostolica duximus rationabiliter amovendum, » eidem suprascriptus preficitur in episcopum, consecrationis munere per M., Portuensem episcopum, impenso.

Dat. Laterani, VII kal. februarii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Interanensis — clero — populo —.* Dat. ut supra.

2834 (CCCCXL) Latran, 10 janvier 1299.

« Super causa que vertitur inter provisores fabrice et populum ecclesie Sancte Marie ville Ardemburch, diocesis Tornacensis, ex parte una, et episcopum Tornacensem et abbatem monasterii Sancti Bavonis Gandensis, ex altera. » (fol. 110.)

Dilectis filiis.. abbati monasterii de Thosan juxta Burgis et.. decano ecclesie de Teneremonda, Cameracensis et Thornacensis diocesium. Favoris nostris debet —. Exhibita siquidem nobis dilectorum filiorum provisorum fabrice ac populi ecclesie Sancte Marie ville de Ardenburch, diocesis Tornacensis, petitio continebat, quod dilectus filius noster N., tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, in appellationum et negotii principalis causa que inter venerabilem fratrem nostrum J., episcopum Tornacensem, ac dilectum filium . . abbatem monasterii Sancti Bavonis Gandensis, predicte diocesis, ex parte una, et predictos provisores et populum super provisione canonicorum dicte ecclesie, ex altera, vertebatur, auditor certo modo datus a nobis, dudum omnibus que partes coram eo super hiis proponere voluerunt auditis, considerans quod ex quibusdam excommunicationis in provisores predictos et interdicti in populum et universitatem dicte ville sententiis, post appellationes ad Sedem Apostolicam interjectas per episcopum eumdem prolatis, ac denegatione officiorum et sacramentorum ecclesiasticorum, nec non amotione clericorum et personarum ecclesiasticarum de dicta villa, gravia poterant in illis partibus scandala et animarum pericula exoriri, auctoritate nostra sibi super hoc oraculo vive vocis specialiter concessa, mandavit predictos clericos et personas ad eamdem villam redire et divina officia celebrari, conferri baptisma, penitentias injungi ac sacramenta alia per dictum episcopum prohibita ministrari debere, relaxans et revocans predictam interdicti sententiam usque ad dicte Sedis beneplacitum voluntatis. Inhibuit quoque cardinalis predictus eadem auctoritate procuratori dictorum episcopi et abbatis et, per ipsum, episcopo et abbati predictis [1] sub pena excommunicationis ne, hujusmodi negotio apud Sedem eandem pendente, quicque circa hec innovarent vel attemptarent, seu attemptari per alios procurarent, ac decrevit ex tunc irritum et inane, si quid contra suam inhibitionem hujusmodi contingeret attemptari. Nos etiam tunc per nostras certi tenoris litteras dilectis filiis . . Sancti Andree juxta Burgis ac . . de Dulcivalle juxta Ardenburch, predicte Tornacensis diocesis, monasteriorum abbatibus dedimus in mandatis ut ipsi vel alter ipsorum, per se vel per alium seu alios, predicta mandatum, relaxationem, revocationem et inhibitionem cardinalis ipsius ad dictorum episcopi, abbatis et aliorum quorum interesset notitiam deducentes, ea ubi et quando expedire viderent publicare sollempniter procurarent, prout in ipsis nostris litteris seriosius continetur. Verum, licet hujusmodi mandatum, relaxatio, revocatio et inhibitio cardinalis predicti ad ipsorum episcopi et abbatis et aliorum quorum interest fuerint jam deducta notitiam, non tamen ea per presbyteros, capellanos et ministros ejusdem ecclesie sunt servata, sed omissa penitus et contempta: ministris ipsis infrascriptas opponentibus exceptiones et causas quare predicta dicebant non debere aliquatenus observari ; primo videlicet quod fama erat quod quidam de dicta ecclesia fuerat violenter extractus, et longe ab ipsa ecclesia interfectus; secundo quod quidam clericus fuit ibi usque ad sanguinis effusionem percussus ; tertio quod quidam alius clericus in cimiterio dicte ecclesie extitit vulneratus, que tamen numquam ante relaxationem hujusmodi in initio vel processu litigii proposita fore dicuntur afflictiones afflictionibus cumulasse, sub excommunicationum et suspensionum penis hoc ipso inflictis generaliter inhibendo ne quis sacerdos vel clericus sive in eadem ecclesia beneficiatus existat, in ipsa audeat celebrare divina, ac omnibus parochianis ipsius ecclesie ne divinis officiis interesse presumant in grave scandalum predictorum provisorum et populi et salutis suarum prejudicium animarum. Quocirca nos, ex officio nostro et potestatis plenitudine providere volentes ne per aliqua subterfugia vel delusiones, que in protractibus litigiorum hujusmodi adinveniri sepius solent, populus et persone dictarum ecclesie ac ville divino cultu et sacramentorum administratione fraudentur, discreptioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, ad prefatam ecclesiam, ad quam prefatus episcopus diocesanus ipsius, temporibus et conditionibus sic se habentibus ut nunc se habent, accedere nec velle nec posse commode dicitur, nec etiam aliquis alius episcopus ipsi loco propinquus existat, quem in hoc laborare vellimus, personaliter accedentes, eandem ecclesiam et ipsius cimiterium auctoritate nostra ad omne dubium excludendum reconciliare curetis aqua per quemvis catholicum episcopum obtinentem Apostolice Sedis gratiam benedicta et clericis ac personis ecclesiasticis predictis ad easdem villam et ecclesiam revocatis, per vos vel alium seu alios divina organa reassumi faciatis in ipsis et sacramenta ecclesiastica populo ministrari. Non permittentes prefatos provisores et adherentes eis, predictorum occasione, pendente ac suo marte procedente hujusmodi appellationum et negotii principalis causa, quam et eam contingentia sub dicti car-

1. *Ms.* : predicti.

dinalis audientia ventillari voluimus, quomodolibet molestari. Contradictores et molestatores quoslibet etc. usque : compescendo. Ceterum, quia parum prodesset prefatis provisoribus et eis adherentibus dictorum resumptio organorum et sacramentorum administratio nisi eorum capaces existerent, volumus eis per vos auctoritate nostra, si forte aliquibus essent predictorum occasione auctoritate dictorum episcopi Tornacensis et abbatis Sancti Bavonis ligati sententiis vel laqueis involuti quo minus predicta sacramenta recipere et divinis officiis interesse valerent, de debite absolutionis beneficio in forma Ecclesie prout indiguerint de speciali gratia provideri, recepto tamen ab eis corporaliter juramento quod super hiis, pro quibus invenirentur forte ligati, Ecclesie parebunt mandatis seu cardinalis predicti aut illius cui negotium commiserimus memoratum semel vel pluries faciendis. Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno quarto. »

2835 (CCCCXLI) Latran, 13 janvier 1299.

« Confirmatio cujusdam exemptionis pro hospitali Sancte Marie de Caritate juxta portam civitatis Eugubii. » (fol. 110 v°.)

Dilectis filiis .. preceptori et fratribus hospitalis Sancte Marie de Caritate juxta portam civitatis Eugubii. Petitio vestra —.

Suprascriptos, qui hospitale suum in quo pauperes et infirmi ac peregrini, quorum illuc non modica confluit multitudo, de novo de bonis propriis construxerunt, se ac bona sua hospitali predicto offerentes, Ventura, episcopus Eugubinus, de consensu capituli sui exemit ab omni jurisdictione episcopi et capituli, ita tamen quod preceptor, qui in hospitali predicto per fratres inibi Domino servientes vel per majorem partem ipsorum pro tempore eligetur, infra octo dies per episcopum vel, sede vacante, capitulum Eugubii, electione presentata et discussa, confirmaretur; concessit etiam eis licentiam habendi capellam et cimiterium, inhibens ne iidem episcopus et capitulum qui pro tempore fuerint in hospitale predictum sententias excommunicationis vel interdicti promulgare presumerent, nichil juris sibi aut successoribus suis preterquam jus confirmationis hujusmodi et unam libram cere sibi et successoribus suis annis singulis persolvendam penitus reservando. Hanc exemptionem et omnia supradicta confirmat tenore instrumenti inserto incipientis : « Ventura, Dei gratia episcopus Eugubinus, dilectis filiis Angelo Nevoli, Juncte Conpagnoli et Jacobo Conosciute, civibus Eugubinis, fundatoribus, dotatoribus et constructoribus seu patronibus hospitalis S. Marie de Caritate » finientis : « Dat. et actum Reate in majori ecclesia sub anno Dei millesimo CC nonagesimo octavo. Ind. XI, die vicesimo secundo mensis Septembris, pontificatus domini Bonifatii pp. VIII anno quarto, presentibus domino Munaldello domini Munaldi de Eugubio judice, Thomasso de Aquila et Francisco Nucelle de Trajecto notariis ac Guarnerio de Eugubio testibus. — Et ego Valentinus Nicholai de Guarcino —. »

Dat. Laterani, id. januarii, anno quarto.

2836 (CCCCXLII) Rieti, 5 novembre 1298.

« Conceditur castrum Kie usque ad beneplacitum Apostolice Sedis sub annuo censu unius floreni. » (fol. 111.)

Venerabili fratri Laurentio, episcopo Ortano. Cum te nuper —. Dat. Reate, IIII kal. decembris, anno quarto.

(POTTHAST, 24752.)

2837 (CCCCXLIII) Latran, 10 janvier 1299.

« Commendatur ecclesie Paduana. (fol. 111.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Bononiensi. Cum te de —.

Ei, quem de Paduana ecclesia ad ecclesiam Bononiensem, tunc vacantem per obitum Schiatte episcopi Bononiensis, transtulerat, custodiam, curam et administrationem dicte ecclesie Paduane in spiritualibus et temporalibus committit.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno quarto. »

(POTTHAST, 24762.)

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Paduane — clero populo* —. Dat. ut supra.

2838 (CCCCXLIIII) Latran, 10 janvier 1299.

« Preficitur in episcopum Bononiensem. » (fol. 111 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Bononiensi. Dudum attente considerationis —.

Predicte ecclesie, per obitum Schiatte episcopi, qui nuper Reate diem clausit extremum, vacanti et ea vice apostolice dispositioni reservate, eum, tunc ecclesie Paduane episcopum, preficit in episcopum.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Bononiensis — clero — populo — universis vassallis* —. Dat. ut supra.

2839 (CCCCXLV) Vatican, 23 juillet 1298.

« Quod possint recipere clericos in eorum canonicos ut hactenus consueverunt. » (fol. 111 v°.)

Dilectis filiis .. preposito et capitulo ecclesie Tholosane. Pridem ex certis causis tunc imminentibus vobis per nostras duximus litteras inhibendum ne aliquem in ecclesia vestra reciperetis in vestrum canonicum et confratrem sine nostra speciali licentia et mandato, et decrevimus irritum et inane si secus super hiis per vos contingeret attemptari. Nos itaque, volentes pro bono et prospero statu ipsius ecclesie ad personas vestras dexteram apostolice libertatis extendere vobisque gratiam facere specialem, hujusmodi inhibitione et decreto nequaquam obstantibus, hac vice libere clericos in vestros canonicos, ut hactenus in eadem ecclesia fieri consuevit, recipere valeatis auctoritate vobis presentium indulgemus. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. augusti, anno quarto.

2840 (CCCCXLVI) Rieti, 6 décembre 1298.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 112.)

Dilecto filio nobili viro Henrico de Soliaco, Aurelianensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Helisabeth, nate nobilis viri Ferri, ducis Lothoringie et marchionis. Etsi conjunctio copule —.

Eis, quorum utriusque consanguinei tractatum federis nuptialis habuerunt, indulget ut nonobstante quarto consanguinitatis gradu invicem matrimonium contrahere valeant.

Dat. Reate, VIIII id. decembris, anno quarto.

2841 (CCCCXLVII) Latran, 18 janvier 1299.

« Quod provideat hac vice de priore in monasterio Sancte Marie de Vincareto, ordinis sancti Marci, Foropopuliensis diocesis. » (fol. 112.)

Venerabili fratri .. episcopo Faventino. Debitum officii nostri —. Cum igitur Deumelde, quondam prior monasterii Sancte Marie de Vincareto per priorem solliti gubernari, ordinis sancti Marchi de Mantua, Foropopuliensis diocesis, quia deprehensus est et etiam per confessionem suam convictus falsarius litterarum nostrarum, sit prioratu et regimine dicti monasterii omnique dignitate privatus, et propterea dictum monasterium de jure priore vacet ad presens, nos per apostolica scripta mandamus quatinus personam ydoneam de qua expedire videris, de gremio ipsius monasterii si recipiatur ibidem, alioquin aliunde de ordine ipso, auctoritate nostra hac vice preficias in priorem. Per hoc autem conventui prelibati monasterii derogari nolumus quominus sibi et memorato monasterio imposterum, cum vacabit, possint, prout ad eos pertinet, de priore per electionem canonicam vel alias legitime, sicut et hactenus, libere providere. Dat. Laterani, xv kal. februarii, anno quarto.

2842 (CCCCXLVIII) Latran, 13 janvier 1229.

Indultum super fructibus in absentia percipiendis. (fol. 112.)

Dilecto filio G., archidiacono ecclesie Bononiensis. Cum in civitate Bononiensi studium per Dei gratiam vigeat generale, cui archidiaconi Bononienses qui sunt pro tempore preesse noscuntur, ac in eodem studio consistentes qui licentiantur in aliqua facultate licentiam hujusmodi ab archidiaconis recipiant supradictis, propter quod plurimum expedit ut tu et successores tui archidiaconi Bononienses qui pro tempore fueritis residentiam faciatis in eadem ecclesia personalem —.

Ut hoc onus residentie ad quam illos teneri vult facilius supportent, concedit eis facultatem percipiendi in absentia redditus aliorum beneficiorum suorum, etiam si dignitates existant vel animarum curam habeant.

Dat. Laterani, id. januarii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Felicis Bononiensis et .. priori Sancti Johannis in Monte ac .. archipresbytero ecclesie de Cento, Bononiensis diocesis.* — Dat. ut supra. »

2843 (CCCCLVIIII) Rieti, 18 octobre 1298.

« Super provisione monasterii Sancti Nicholai in Bosco, Laudunensis diocesis. » (fol. 112 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Laudunensi et .. Suessionensi episcopis. Petitio dilecti filii —.

Vacante monasterio Sancti Nicholai in Bosco, ordinis sancti Benedicti, Laudunensis diocesis, duas in eo electiones, unam videlicet de Petro, priore prioratus de Sancto Albino, Atrebatensis diocesis, aliam vero de Goberto de Liescurt, utroque monachis ejusdem monasterii, contigit in discordia celebrari.

Hujusmodi electionis negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devoluto et utraque parte apud eamdem accessa, tandem Gobertus, antequam negotium domino pape presentatum fuisset, omni juri, si quid ei fuerat ex hac electione quesitum, et appellationi sue renuntiavit. Direxit igitur dominus papa litteras Laudunensi episcopo « ejus proprio nomine non expresso » ut, ejusdem electionis dicti Petri examinato diligenter processu, illam si expediret auctoritate apostolica confirmaret.

Verum bone memorie.. Laudunensi episcopo, qui tunc erat, antequam littere prefate illi presentate fuissent debitum nature persolvente, cum nec adhuc esset eidem Laudunensi ecclesie de pastore provisum, nullus per easdem litteras habitus est processus. Cumque ad nos iterato super hoc habitus esset recursus, nos, intendentes detrimentis que dictum monasterium ex vacatione diutina possent incurrere obviare, venerabili fratri nostro .. episcopo et dilecto filio.. archidiacono Brugensi in ecclesia Tornacensi per alias nostras injunximus litteras ut, si esset ita, ipsi vel alter eorum auctoritate nostra in predicto electionis ipsius Petri negotio procederent juxta predictarum directarum prefato Laudunensi episcopo continentiam litterarum ; postmodum vero, cum dictus Petrus hujusmodi secundas nostras litteras episcopo Tornacensi et archidiacono Brugensi presentasset eisdem, petens ab eis instanter ut in hujusmodi ejusdem electionis sue negotio procederent juxta super hoc traditam eis formam, ipsi vel eorum alter ad executionem dictarum litterarum eis super hoc directarum procedere recusarunt, quanquam per eundem Petrum fuerint super hoc pluries requisiti.

Mandat suprascriptis ut ambo vel unus eorum in predicto hujus electionis negotio procedant « juxta predictarum directarum super hoc Laudunensi continentiam litterarum. »

Dat. Reate, xv kal. novembris, anno quarto.

2844 (CCCCL) Latran, 17 janvier 1299.

« Quedam gratia concessa comuni civitatis Velletrensis. » (fol. 113.)

Dilectis filiis comuni civitatis Velletrensis. Grate devotionis studia, quibus erga Romanam Ecclesiam matrem vestram a longis retro temporibus civitas vestra claruisse dinoscitur et clare continuationis operibus non desistit, digne merentur ut vobis et ipsi civitati de statu quieto et prospero, in quantum cum Deo possumus, consulamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, presentium vobis auctoritate concedimus ut, cum Romanum pontificem ad civitatem vestram personaliter declinare contigerit, exhibere sibi pro vice qualibet unius dumtaxat commestionis pabulum teneamini, prout usi estis hactenus ab antiquo : quodque .. rector Campanie et Maritime, qui pro tempore fuerit, vel alius Ecclesie Romane nomine, vos ad parlamentum vel exercitum seu cavalcatam extra Campaniam et Maritimam trahere vel vocare non possit invitos, vosque ad hujusmodi parlamentum, exercitum vel cavalcatam non nisi infra ipsas Campaniam vel Maritimam accedere teneamini, prout de antiqua et approbata consuetudine fuit hactenus pacifice observatum. Nos enim nichilominus predictas nec non et alias laudabiles et rationabiles consuetudines, quibus usi estis ab antiquo pacifice et quiete, ac insuper omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris Romanis pontificibus et quibuscumque aliis rationabiliter vobis et civitati vestre concessas, sicut eas juste et pacifice possidetis, vobis et per vos eidem civitati auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis et confirmationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno quarto.

2845 (CCCCLI) Latran, 17 janvier 1299.

« Alia gratia concessa eisdem. » (fol. 113.)

Eisdem. Grate devotionis, et cetera ut in precedenti usque : supplicationibus inclinati, auctoritate vobis presentium indulgemus ut .. rector Campanie et Maritime, qui pro tempore fuerit, seu quivis alius qui jurisdictionem in ipsa civitate asserat se habere, occasione delictorum vel excessuum que deinceps in territorio vel districtu civitatis ejusdem perpetrari contigerit, pretextu strate quam non custoditam fuisse pretendetur, contra vos vel officiales vestros, tanquam circa custodiam ipsius strate negligentiam committentes, quoquo modo procedere seu jurisdictionem aliquam in vos vel officiales ipsos aut civitatem exercere nequeat, nisi in eo casu duntaxat cum de tali negligentia probationibus constiterit manifestis quod debeat vobis ad dolum vel latam culpam merito imputari. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. ut supra.

2846 (CCCCLII) Latran, 17 janvier 1299.

« Alia gratia concessa eisdem. » (fol. 113.)

Eisdem. Excitant nos devotionis affectus et fidei puri-

tas, quos ad nos et Romanam Ecclesiam vestra civitas gessit et gerit, ut vos et civitatem eandem prerogativa favoris et gratie prosequamur. Vestris itaque supplicationibus inclinati, districtius auctoritate presentium inhibemus ut nullus de cetero vobis vel officialibus vestris aliquam indebitam servitutem seu novum gravamen imponere, possessiones quoque vestras et civitatis vestre invadere vel vos in eis quoquo modo temere perturbare presumat. Nos enim, si per quemquam secus actum fuerit, illud ex nunc irritum decernimus et inane, ac nichilominus servitutes, gravamina, consuetudines et exactiones prava et illicita, si qua per aliquos potentes in vos vel civitatem vestram hactenus producta et imposita fuisse noscuntur, cassamus et anullamus, auctoritate predicta et cassas, nullas et irritas (*sic*) nuntiamus. Nulli ergo, et cetera, nostre inhibitionis, constitutionis, cassationis, annullationis et nuntiationis infringere, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. ut supra.

2847 (CCCCLIII) Latran, 17 janvier 1299.

« Alia gratia concessa eisdem. » (fol. 113.)

Eisdem. Devotionis vestre sinceritas, quam ad nos et Romanam Ecclesiam vos habere novimus, promeretur ut petitionibus vestris, in quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut in delinquentes in civitate Velletrensi aut ejus territorio vel districtu, sive de ipsa civitate fuerint vel etiam aliunde, prout eorum delicta et decessus exegerint, possitis libere per potestatem seu judices et officiales vestros, qui pro tempore fuerint, justitiam exercere auctoritate vobis presentium indulgemus : districtius inhibentes ne.. rector Campanie et Maritime, qui pro tempore fuerit, vel aliquis alius qui in civitate et districtu predictis quoquo modo jurisdictionem se habere pretenderit, de hujusmodi delictis et excessibus, postquam de ipsis cognoscere inceperitis, se ullatenus intromittat, nisi forte super hoc ad eum legitime appellari contingat vel potestatem sive judices et officiales vestros predictos in condempnando et puniendo existere negligentes. Cum autem dictus rector, per se vel alium, antequam ipsi potestas sive judices vel officiales vestri, de predictis vel similibus cognoscere inceperit, similiter inhibemus ne vos vel iidem potestas aut judices vel officiales vestri de illis vos intromittere ullatenus valeatis. Nos enim nichilominus omnem processum, si quem per se vel alios eundem rectorem vel quemvis alium qui se habere pretenderit ut predicitur jurisdictionem in civitate ac territorio memoratis, aut etiam per vos vel potestatem sive judices vel officiales predictos, contra hujusmodi nostram inhibitionem haberi contigerit, irritum decernimus et inane (*sic*) ac nullius existere firmitatis. Indulgemus insuper vobis auctoritate predicta ut hujusmodi delinquentes vel quoscumque[1] qui ad civitatem vestram confugerint aut permanserint in eadem, ad mandatum dicti rectoris vel cujusvis alterius qui ut predicitur in eisdem civitate ac districtu jurisdictionem pretenderit se habere, capere aut captivos mittere ad eosdem nullatenus teneamini neque ad id per ipsos vel de mandato eorum cogi aliquatenus valeatis. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, inhibitionis, constitutionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno quarto.

2848 (CCCCLIIII) Rieti, 24 novembre 1298.

« Super provisione monasterii Sancti Petri in Monte Sereno, Magdeburgensis diocesis. » (fol. 113 v°).

Dilectis filiis .. Pigaviensi et .. de Porta, Cisterciensis et sancti Benedicti ordinum, monasteriorum abbatibus, Merseburgensis et Wirtzburgensis diocesium. Vacante dudum monasterio Sancti Petri in Monte Sereno, per prepositum solito gubernari, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Augustini, Magdeburgensis diocesis, per mortem quondam Henrici, dicti monasterii prepositi, prior et conventus ejusdem monasterii quondam Fredericum, tunc ejusdem monasterii canonicum, primo et, eo demum priusquam ipsius esset electio confirmata renunciante juri, si quid ex hujusmodi electione fuerat acquisitum, dilectum filium Sifridum de Masin, monasterii predicti canonicum, in suum et ejusdem monasterii prepositum elegerunt. Cumque dicti prior, conventus et Sifridus, per procuratores ydoneos quos propterea ad Sedem Apostolicam destinarunt, fecissent nobis hujusmodi electionis facte de memorato Sifrido presentari decretum, nos examinationem dicte electionis memorati Sifridi dilecto filio nostro R., tituli Sancte Potentiane presbytero cardinali, sub ea forma duximus committendam, quod ipse, de consilio dilecti filii nostri .. tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, decerneret et diffineret quicquid circa confirmationem vel infirmationem ipsius electionis requireret[2] ordo juris. Idem vero cardinalis Robertus, commissionis hujusmodi sibi ut predicitur super hoc

1. *Ms.* : quousque.
2. *Ms.* : requiret.

facte forma servata dicteque [1] electionis ipsius Sifridi meritis plene discussis, cum sibi legittime constitisset quod tempore hujusmodi electionis facte de memorato Sifrido monasterium ipsum tanto tempore jam vacarat quod ejus provisio erat ad Sedem Apostolicam secundum Laterani statuta concilii legittime devoluta, habito super hiis ipsius cardinalis Johannis consilio et a nobis pronuntiandi requisita licentia et obtempta, electionem ipsam ejusdem Sifridi, non vitio persone ipsius Sifridi sed propter hujusmodi lapsum temporis, sententialiter infirmavit, cassavit, irritavit seu cassam et irritam nuntiavit, prout in instrumento publico inde confecto dicti cardinalis R. sigillo munito plenius dicitur contineri.

Mandat suprascriptis ut personaliter ad monasterium predictum accedentes ei de aliqua persona ydonea de gremio ejusdem vel etiam aliunde providere curent in prepositum.

Dat. Reate, VIII kal. decembris, anno quarto.

2849 (CCCCLV) Vatican, 8 juillet 1298.

« Dispensatur super pluralitate. » (fol. 113 v°.)

Dilecto filio Bernardo Fabri, canonico Vasatensi. Apostolice Sedis benignitas —.

Ei, consideratione Eduardi, regis Anglie, cujus clericus existit, indulget ut unicam dignitatem aut parochialem ecclesiam, si ei canonice offeratur, libere recipere ac una cum canonicatibus et prebendis, que in Vasatensi et Sancti Severini Burdegalensis, ac de Culturis, cui cura imminet animarum, cujus rector existit, ecclesiis ac prioratu Beate Marie, Vasatensis, et capella Beate Marie de Olerone sine cura, Xanctonensis diocesium, « dummodo canonicatus et prebendas, ecclesiam de Salvitate et capellam predictos canonice obtineat, » licite retinere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII id. julii, anno quarto.

2850 (CCCCLVI) Latran, 21 janvier 1299.

« Preficitur in episcopum Alatrinum. » (fol. 114).

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Alatrino. Desideria mentis nostre —.

Eum de Mutulensi ad Alatrinam ecclesiam transfert per obitum bone memorie Leonardi episcopi vacantem.

1. *Ms* : dictoque.

Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Alatrine — clero — populo.* — Dat. ut supra.

2850 *bis* (CCCCLVI *bis*) Vatican, 13 juin 1298.

« Super revocatione quorumdam processuum contra quosdam dominos de Ceccano. » (fol. 114).

Dilectis filiis .. in spiritualibus et in temporalibus in Campania Maritimaque vicariis. Exposita nobis dilectorum filiorum Guillelmi et Ricardi, capellanorum nostrorum, et nobilis viri Johannis de Ceccano fratrum petitio continebat quod ipsi dudum, ad precum instantiam quondam Annibaldi de Ceccano, fratris eorum, et nobilis viri Johannis, ipsius Annibaldi filii, quosdam nobiles de Campania dilecto filio nobili viro Rostagno Cantelmi, senatori Urbis, tunc Campanie Maritimeque rectori, sub certa summe pecunie pena fidejussores seu expromissores dederunt quod Annibaldus et Johannes, ejus filius, prefati rectoris precise parerent beneplacitis et mandatis. Cumque postmodum rector ipse, quia Annibaldus et ejus filius prelibati mandatis et beneplacitis ipsius rectoris non paruerant, supradictis fidejussoribus seu expromissoribus injunxisset ut predictam sibi pecunie summam persolverent, dicti fidejussores qui eandem solverunt pecuniam ad nostram super hoc providentiam habuere recursum. Nos autem vobis per nostras injunximus litteras speciales ut prefatos Guillelmum, Ricardum et Johannem fratres ad satisfaciendum fidejussoribus ipsis de hujusmodi summa pecunie cogeretis. Sed quia ipsi, infra terminum super hoc prefixum eisdem, memorato rectori seu fidejussoribus prelibatis de prefata non satisfecerunt pecunia, vos eos in mille argenti, ut asserunt, condempnastis, in personas eorum per te, fili vicarie in spiritualibus, excommunicationis sententia promulgata suisque terris ecclesiastico suppositis interdicto. Quare prefati Guillelmus, Ricardus et Johannes fratres nobis humiliter supplicarunt ut, cum ipsi fidejussoribus predictis satisfactionem plenariam super premissis duxerint impendendam, providere super hoc eis de benignitate solita dignaremur. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus, si quod de hujusmodi satisfactione fidejussoribus ipsis impensa proponitur veritate fulcitur, vos penas et sententias relaxare predictas et processus quoslibet per vos occasione premissorum habitos contra eos auctoritate nostra revocare curetis et nichilominus eisdem Guillelmo, Ricardo et Johanni fratribus de bonis mobilibus et immobilibus heredum

Annibaldi predicti pro quantitate pecunie dictis fidejussoribus a fratribus ipsis occasione hujusmodi sicut premittitur persoluta faciatis satisfactionem plenam et debitam exhiberi, ac eos de cetero, occasione custodie castrorum Sancti Laurentii et Roccedonne Burge, Ferrentine et Teatine diocesium[1], nullatenus molestetis. Contradictores et rebelles auctoritate predicta spiritualiter et temporaliter prout expedire videritis compellendo. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, id. junii, anno quarto.

2852 (CCCCLVII) Latran, 21 janvier 1299.

Exemptio ordinis Heremitarum sancti Augustini. (fol. 114 v°.)

Dilectis filiis priori generali et universis prioribus et fratribus ordinis Heremitarum sancti Augustini tam presentibus quam futuris religiosam vitam professis. Sacer ordo vester —.

Predictum ordinem, personas et ecclesias, oratoria, domos, res alias et loca ejus ac spectantia ad eadem bona in jus et proprietatem beati Petri et Apostolice Sedis assumit; illaque a cujuscumque diocesani et cujuslibet alterius potestate, jurisdictione et dominio eximit.

Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno quarto.

(POTTHAST, 24767.)

2853 (CCCCLVIII) Vatican, 16 mai 1298.

« Confirmatio cujusdam compositionis facte in ecclesia Constantiensi. » (fol. 114 v°.)

Venerabili fratri Roberto et dilecto filio Guidoni, archidiacono de Constantino, ac capitulo Constantiensi. Venerabilem Constantiensem ecclesiam —.

Constantiensis ecclesie quieti providere volens et suprascriptorum votis annuens initam inter eos super jurisdictione ecclesiastica compositionem, per quam, « prout vos, filii capitulum, specialiter et constanter asseritis, vestra et ecclesie ac subditorum predictorum pax et tranquillitas stabilis et perpetua procuretur », auctoritate apostolica confirmat, instrumento inserto infrascripti tenoris :

« Universis presentes litteras inspecturis ac audituris, Robertus, permissione divina episcopus, humile capitulum ecclesie Constantiensis et Guido de Constantino in eadem ecclesia archidiaconus, salutem in Domino sempiternam. A multis retroactis temporibus inter episcopos Constantienses et archidiaconum de Constantino in eadem ecclesia dudum super jurisdictione ecclesiastica quam dicti archidiaconi, cum eos prevenire contingeret, ad se de antiqua et approbata consuetudine et hactenus pacifice observata pertinere dicebant, tam tempore visitationis quam extra, causis criminalibus dumtaxat exceptis, episcopis contrarium asserentibus, immo si quam dicti archidiaconi jurisdictionem habebant, non in causis matrimonialibus nec aliis majoribus, sed solum in minoribus jurisdictionem poterant exercere, magna fuit materia questionis suborta, que adhuc, cum in multis casibus sopita creditur, varietate casuum ingruente frequentius solito et quasi assidue fortius invalescit. Ex qua ipsis predecessoribus et nobis non modica provenerunt incomoda et in promptu majora provenire timentur, nec non et subditi hujusmodi occasione premissorum multas vexationes, gravamina et animarum pericula incurrerunt et frequentius incurrunt. Nos igitur, hujusmodi incomodis et periculis obviare, paci nostre et totius ecclesie, ac subditorum saluti et tranquillitati providere volentes, nostra, successorum nostrorum, sedis episcopalis et archidiaconatus predicti utilitate pensata, attendentes etiam quod in tota Rothomagensi provincia nulli vel pauci sunt archidiaconi qui jurisdictionem aliquam extra tempus visitationis habeant, et in aliquibus ecclesiis dicte provincie etiam tempore visitationis nullam vel modicam jurisdictionem habeant archidiaconi nisi quod habent audire et referre episcopo que invenerint corrigenda, in compositionem nos dicti episcopus et archidiaconus, de consensu nostri dictorum capituli, si tamen sanctissimo patri domino notro Sacrosancte Romane ac Universalis Ecclesie summo pontifici placuerit, deveniemus in hunc modum : videlicet quod totalis jurisdictio archidiaconatus predicti, tempore visitationis et extra, penes sedem episcopalem remaneat, hoc retento archidiaconatui et archidiaconis[1], qui nunc extat et qui pro tempore fuerint, cum visitabunt, habebunt audire, inquirere et referre que fuerint corrigenda, animadvertere in impedientes visitationem ipsorum, cum fungentur officio visitandi, et in denegantes sibi procurationem ratione visitationis consuetam exhiberi. Et extra visitationem ipsius archidiaconi, qui nunc est et qui pro tempore fuerint, per se vel per alium aut alios cum ipsos abesse contigerit, habebunt cohercionem in firmarios terre sue de Labaffeure ac etiam decimarum suarum, pro hiis que

1. *Ms* : Forrentine et Tematine diocesium.

1. *Ms* : archidiacono.

pro firmis debebuntur predictis et pro deportationibus abbatum, installationibus et pensionibus sibi debitis ratione archidiaconatus predicti nec non et ratione tertie partis, quam in synodatico qui pro tempore fuerant archidiaconi consueverunt percipere in pascali synodo temporibus retroactis, et circate sibi debite in synodis. Ita tamen quod si a commissariis ipsorum archidiaconorum contigerit appellari, ad episcopum, qui nunc est vel qui erit pro tempore, vel ejus officialem appellabitur et non ad archidiaconum supradictum. Pro emolumento vero temporali quod occasione premissorum quocumque modo archidiaconatui predicto competere poterat, archidiaconi [1], qui nunc est vel qui pro tempore fuerint, percipient et habebunt singulis annis ducentas quadraginta libras turonensium parvorum, solvendas pro equis portionibus in fine mensis cujuslibet, mense Augusti pro quo nichil solvetur dumtaxat excepto, per manum sigilliferi Constantiensis apud Valonias vel illius qui sigilli recipiet emolumentum predicti, aut per manum sigilliferi Constantiensis, vel illius qui emolumentum sigilli curie Constantiensis recipiet, si forte sede vacante vel alias curiam Valoniensem contigerit ad sedem Constantiensem transferri. Item qui nunc est et qui pro tempore fuerint archidiaconi habebunt tertiam partem omnium emendarum, quocumque modo [eas] imponi et levari contigerit occasione relatorum per ipsos que tempore visitationis invenerint referenda, per manum illius qui emendas recipiet, infra mensem a tempore receptionis ipsorum. Sigilliferi vero predicti vel emolumentum recipientes sigilli aut etiam emendarum tenebuntur jurare quod ei qui nunc est et qui pro tempore fuerint archidiaconis satisfacient fideliter de premissis modo quo superius est expressum; quod si in solutione predicta deficerent in toto vel in parte juxta modum predictum, dampna, deperdita, sumptus et misias, que iidem archidiaconi ob hoc incurrerent, tenebitur episcopus, qui erit pro tempore, resarcire, per executorem super hoc a Sede Apostolica deputandum : ista etiam compositione inter capitulum et archidiaconos [2], qui nunc est et qui pro tempore fuerint, sede vacante, in omnibus predictis et sub eisdem conditionibus et forma in suo robore duratura. Hec autem omnia et singula supradicta, nos et successores nostri tenebimur, dum tamen Sanctissimo Patri predicto placuerit, fideliter, integraliter et inviolabiliter observare pacifice et quiete. In quorum omnium testimonium sigilla nostra cum sigillo dicti capituli sunt appensa. Nos vero capitulum antedictum, deliberatione prehabita diligenti attendentes in premissis utilitatem tam sedis episcopalis quam archidiaconorum predictorum, nec non ecclesie et subditorum tranquillitatem et pacem, premissis omnibus et singulis, si Sanctissimo Patri predicto placuerit, unanimiter consentimus et nostrum assensum prebemus. In cujus rei testimonium sigillum nostrum una cum sigillis reverendi in Christo patris domini R., Dei gratia nostri Constantiensis episcopi, et viri venerabilis et discreti Guidonis, archidiaconi predictorum duximus apponendum. Dat. anno Domini millesimo cc nonagesimo septimo, die veneris ante festum sancti Petri ad Cathedram. » Nulli ergo hominum, et cetera, nostre confirmationis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, xvii kal. junii, anno quarto.

1. *Ms.* archidiaconus.
2. *Ms.* archidiaconum.

In. e. m. *venerabili fratri Roberto, episcopo, et dilectis filiis Ricardo, archidiacono, et capitulo Constantiensi.* — Dat. ut supra.

In. e. m. *venerabili fratri Roberto, episcopo, et dilectis filiis Juliano, archidiacono Vallis Virie, et capitulo Constantiensi.* — Dat. ut supra.

2854 (CCCCLVIIII) Vatican, 26 juin 1298.

« Quod non currant tempora appellationibus factis per comitem Flandrie et ei adherentes. » (fol. 116 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Dudum inter in Christo carissimum filium nostrum P. [hylippum], regem Francorum illustrem, ex parte una, et dilectum filium nobilem virum Guidonem, comitem Flandrie, ex altera, super certis articulis discensionis materia, litibus etiam et questionibus exortis, plures appellationes pro parte ipsius comitis et ei adherentium fuerunt occasione hujusmodi ad Sedem Apostolicam interjecte. Nos autem, certis ex causis que ad id rationabiliter nos inducunt, volumus ut hujusmodi appellantibus tempora prosequendarum appellationum a jure statuta non currant, et quod omnia, super quibus appellatum est, et illa contingentia in eo in quo nunc sunt statu consistant, donec super hiis aliud duxerimus ordinandum, nec per lapsum temporis cuiquam prejudicium generetur. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, vi kal. julii, anno quarto.

2855 (CCCCLX) Vatican, 27 avril 1298.

« Conceduntur ecclesie Interamnensi omnia bona que habuerunt quidam de Arrono in civitate et ecclesia Interamnensibus. » (fol. 116 v°).

Ad perpetuam rei memoriam. Ad statum Iteranensis

ecclesie, nunc pastoris solatio destitute, que Sedi Apostolice immediate subjecta se illi devotam semper exhibuit et fidelem attente considerationis intuitum dirigentes — opem libenter impertimur — ut facultates ipsius ecclesie tenues et exiles — suscipiant ad laudem divini nominis incrementa.

Memorat sententias latas adversus Columpnenses ac eorum sequaces et prosequitur.

Unde cum Henricus, olim prior ecclesie Sancti Benedicti de Calcaria, et Oddo et Conradus quondam Raynaldi de Arrono militis, Arronittus Oddonis et Scodittus Conradi predictorum filii, ac Bernardus quondam Attaviani ejusdem loci de Arrono laici Spoletane diocesis prefatis scismaticis et rebellibus in hujusmodi scismate ac rebellione persistentibus et alicui vel aliquibus ipsorum adheserint ac dederint consilium, auxilium et favorem, presertim morando cum eis et serviendo illis vel eorum aliquibus in civitate Penestrina vel terris aliis, que cum predictis scismaticis in nostro et ejusdem Ecclesie rebellione persisterunt hactenus seu persistunt, in qua vel in quibus adhuc etiam morari noscuntur, nos memoratum Henricum, Oddonem, Conradum, Arronittum et Scodittum ac Berardum, contemptu et demeritis exigentibus eorundem, omnibus bonis suis mobilibus et immobilibus, rebus ac juribus que ipsi et eorum quilibet tempore predicte depositionis Jacobi et Petri predictorum in Spoletana et Interanensi civitatibus et prefato castro Arroni ac civitatum earundem diocesibus et tam in ipsarum quam dicti castri territoriis et districtibus ac alibi ubicumque locorum obtinebant — seu etiam tempore nostre privationis habebant — auctoritate apostolica ex officio et de apostolice plenitudine potestatis exigente justitia in perpetuum omnino privavimus illaque omnia et singula prefate Romane Ecclesie publicanda duximus et etiam confiscanda —. Revocavimus quoque omnes locationem — concessionem, contractum vel quasi contractum, factas seu factos post predictam ipsorum Jacobi et Petri depositionem vel etiam in fraudem ante depositionem eandem — per jam dictos Henricum, Oddonem, Conradum, Arronittum et Scodittum ac Berardum vel eorum aliquem aut alium vel alios, ipsorum vel alicujus eorum nomine, de predictis quibus illos privavimus vel aliquo seu aliquibus eorumdem, prout in nostris super premissis confectis litteris plenius et seriosius continetur. Nos itaque — credentes firmiter quod dignum Deoque acceptum opus exequimur si malignorum et indevotorum Romane Ecclesie bona, quibus illos exigente justitia privasse conspicimur, piis et salubribus usibus deputemus, bona omnia immobilia que prefati Henricus, Oddo, Conradus, Arroniticus, Scodittus et Berardus in civitate et diocesi Interannensibus obtinere, habere, tenere vel possidere hactenus noscebantur, quibus illos sicut premittitur apostolica duximus auctoritate privandos, mense episcopali Iterannensi auctoritate predicta et de apostolice plenitudine potestatis in perpetuum de gratia speciali concedimus, donamus, tradimus, deputamus, annectimus et etiam applicamus, ita tamen quod quilibet Iteranensis episcopus, qui pro tempore fuerit, predicta bona vel aliquam ipsorum partem nullo umquam tempore distrahere, alienare, locare, concedere, vendere seu donare vel in personam aliquam quoquomodo transferre presumat absque Apostolice Sedis licentia speciali. Nos enim, si secus per eundem episcopum quomodolibet attemptari contigerit, hoc ipso excommunicationis innodamus sententia et ejusdem Iterannensis ecclesie sit ipse omni prorsus administratione privatus. Volumus autem quod prefatus episcopus dilectis filiis capitulo Iterannensi de fructibus, redditibus et proventibus bonorum ipsorum quadraginta solidos usualis monete in festo Assumptionis Beate Marie Virginis annis singulis exhibere ac infra quindenam Natalis Domini duos solidos dicte monete camere Romane Ecclesie nomine census annuatim nomine predictorum bonorum solvere teneantur. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, donationis, traditionis, deputationis, annexionis, applicationis et constitutionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v kal. maii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni Iteranensi.* Ad statum Iteranensis, et cetera ut in precedenti verbis competenter mutatis usque : solvere teneantur, certis super hoc per alias nostras litteras executoribus deputatibus. Intendentes igitur prefatos scismaticorum fautores acriori pena deprimere, prout malitia exigit eorundem, et ecclesie sive mense predicte de oportune defensionis auxilio providere consultius in hac parte, universitati vestre per apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus eidem episcopo et successoribus suis, cum ab eis vel ipsorum aliquo fueritis requisiti, promptis et oportunis auxiliis assistentes non permittatis eos et ecclesiam ac mensam predictas super premissis ab aliquo vel aliquibus aliquatenus molestari, sed ipsos in eis perpetuis futuris temporibus defendatis, molestatores, contradictores, turbatores, impedientes ac injuriatores quoslibet et rebelles per temporales penas de quibus expedire videritis compescendo. Et nichilominus memoratos Henricum, Conradum, Oddonem, Arronittum, Scodittum et Berardum de tota terra et districtu

vestris perpetuo forbannire curetis, universis et singulis de terra et districtu prefatis sub pena privationis et confiscationis omnium bonorum suorum eidem Romane applicandorum Ecclesie districtius inhibentes ne quis ipsos vel eorum aliquem quoquomodo recipere vel receptare presumat sive illis impendere consilium, auxilium vel favorem : nos enim omnes illos qui secus egerint excommunicationis et interdicti sententiis innodamus. Personas insuper predictorum Henrici, Conradi, Oddonis, Arnonitti (*sic*), Scoditti et Berardi captioni fidelium exponatis, denunptiando capientes et defendentes eosdem fore exinde prorsus innoxios et nullius pene inflictione mulctandos. Ceterum si vos contingat mandatum nostrum in premissis contempnere vel negligere quoquomodo, vos, potestas et consiliarii, excommunicationis, vos vero, comune, interdicti et mille marcharum argenti eo ipso penas et sententias incurratis. Nullam quoque ex hujusmodi penis et sententiis tam per nos latis quam etiam inferendis volumus per alium quam per Sedem Apostolicam revocari et, si secus actum fuerit, illud ex nunc irritum decernimus et inane ac nullius existere firmitatis. Non obstantibus quibuscumque pactis et conventionibus, juramentis, cautionibus ac penis, que dudum in formatione pacis facta de comuni vestro inter dilectos filios nobiles viros Henricum Raynerii et Franciscum Johanutii et quosdam familiares ipsorum de Campo Regali, cives Iterannenses (*sic*), et quosdam alios, ex parte una, et predictos Henricum, olim priorem, Oddonem, Conradum, Arronittum, Scodittum et Berardum, ex altera, intervenisse dicuntur, ex quibus in premissis nullum volumus impedimentum afferri vel prejudicium generari, seu si aliquibus ab eadem sit Sede indultum vel contingeret indulgeri quod interdici vel excommunicari nequeat aut suspendi per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. Tudertino et .. Reatino episcopis ac dilecto filio Bertuldo de Labro, canonico Carnotensi, capellano nostro.* — Dat, ut supra.

2856 (CCCCLXI) Vatican, 22 avril 1298.

« Super eodem. » (fol. 117 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Olim ex justis et rationabilibus causis Jacobum et Petrum de Columpna, quondam Sancte Romane Ecclesie cardinales exigentibus culpis et demeritis eorundem, a dignitate cardinalatus deposuimus, ipsosque privavimus omni cardinalatuum commodo et honore judicantes eos scismaticos et blasphemos et in hujus scismate persistentes, et cetera ut in precedenti verbis competenter mutatis usque : de predictis quibus eos privamus vel aliquo seu aliquibus eorundem. Nulli ergo, et cetera, nostre privationis, publicationis, confiscationis, constitutionis et revocationis, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. maii, anno quarto.

2857 (CCCCLXII) Latran, 15 janvier 1299.

« Confertur magistro Guillelmo Flotte prepositura Normannie in ecclesia Carnotensi cum dispensatione. » (fol. 117 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo Flote[1], *preposito Normanie in ecclesia Carnotensi.* Generis et morum nobilitas —.

Suprascriptam preposituram, tempore promotionis quondam Goffridi dicti Butticularii in Meldensem episcopum cum aliis ejusdem beneficiis apostolice dispositioni reservatam et per mortem dicti Goffridi, qui antequam huic provisioni preberet assensum in partibus Gallicanis diem clausit extremum, vacantem, proprio motu ei confert et de illa providet, non obstante quod archidiaconatum Brabantie in Cameracensi et in Sancti Franbaudi Silvanectensi thesaurariam et in Ambianensi sub exspectatione prebende in canonicum auctoritate apostolica receptus in eadem Cameracensi, Parisiensi, Carnotensi, Lugdunensi, Viennensi, Matisconensi, Aniciensi et Claromontensi ecclesiis canonicatus et prebendas et quedam alia beneficia ecclesiastica seu pensiones sine cura in regno Francie dictus Flote noscatur obtinere.

Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno quarto.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Autisidorensi ac dilecto filio .. decano ecclesie Pictavensis.* — Dat. ut supra.

2858 (CCCCLXIII) Latran, 13 janvier 1299.

« Quod provideat hac vice de abbate in monasterio Sancti Benedicti de Savignano, Ariminensis diocesis. » (fol. 118.)

Venerabili fratri Matheo, episcopo Portuensi. Inter sollicitudines alias —. Sane dudum dilecto filio Guidone, abbate monasterii Sancte Marie de Vangadicia, Camaldulensis ordinis, Adriensis diocesis, de monasterio Sancti Benedicti de Savignano ejusdem ordinis, Arimi-

1. *Ms* : Flore.

nensis diocesis, ad ipsum monasterium Sancte Marie per nos apostolica ex certis causis auctoritate translato ac per translationem hujusmodi monasterio ipso de Savignano vacante, nos postmodum, ne monasterium ipsum de Savignano propter pastoris defectum incurrere contingeret aliquid detrimenti, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus eidem Guidoni commisimus usque ad certum temporis spatium exercendam.

Cum tempus hoc sit elapsum, suprascripto concedit facultatem preficiendi hac vice dicto monasterio de Savignano personam ydoneam in abbatem.

Dat. Laterani, id. januarii, anno quarto.

2859 (CCCCLXIIII) Vatican, 7 juillet 1298.

« Quod ecclesia Beati Mauricii de Calcino, Bisuntine diocesis, que pariochialis existit efficiatur collegiata. » (fol. 118.)

Dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Pauli, Bisuntine diocesis. Ille preces merito —. Ex parte siquidem dilecti filii nobilis viri Gualteri de Montefalco militis ac dilecte in Christo filie nobilis mulieris Maltidis, ejus conjugis, Bisuntine diocesis, fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum ipsi, terrena in celestia et transitoria in eterna[1] commutare salubri commercio cupientes ac habentes ad ecclesiam Beati Mauricii de Calcino, dicte diocesis, que parochialis existit et in qua progenitores dicte Maltidis quattuor capellanias perpetuas fundasse pariter et dotasse dicuntur, specialis devotionis affectum, ut, in ea servitorum numero aumentato laudes reddantur Domino gratiores, intendant de bonis propriis augere adeo ipsius ecclesie facultates quod, facultatibus quas nunc habet ac predictarum capellaniarum redditibus computatis, unus decanus et duodecim canonici possint ex eis commode substentari ac redimere jus patronatus quod in ea dilecti filii .. abbas et conventus monasterii Sancti Benigni de Divione, ordinis sancti Benedicti, Lingonensis diocesis, obtinere dicuntur per compensationem condignam dictis abbati et conventui ac monasterio de hujusmodi bonis dictorum nobilium assignandam, eandem parochialem in colegiatam ecclesiam erigi ac in ea constitui canonicorum hujusmodi duodenarium tantum numerum et decanum qui curam gerat ipsius ei prefici mandaremus.

Mandat suprascripto ut, ad locum personaliter accedens, ecclesiam predictam Beati Mauricii in collegiatam auctoritate apostolica erigat, « etiamsi ad id venerabilis fratris .. Bisuntini archiepiscopi, loci diocesani, seu cujusvis alterius non accedat assensus », duodenarium canonicorum numerum constituendo ac plebanum ejusdem ecclesie in decanum preficiendo, tam in distributionibus quam in grosso duas canonicorum prebendas habiturum.

Et, ut dicti nobiles de tantis caritatis operibus preter divine retributionis premium aliquid humanum solatium sibi suisque successoribus sentiant[1] profuturum, presentationem canonicorum hujusmodi, faciendam tibi hac vice ac in posterum decano qui, ut predicitur, pro tempore fuerit et qui ipsas instituat, ad dictos nobiles eorumque successores, electionem vero decani, confirmandam per diocesanum loci, ad canonicos ejusdem ecclesie volumus perpetuo pertinere, jure diocesani et cujuslibet alterius in omnibus reservato —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, non. julii, anno quarto.

1. *Ms* : Terrena.

1. *Ms.* : setiant.

2860 (CCCCLXV) Vatican, 26 juin 1298.

De pecunia minus licite recepta in usus pauperum et infirmorum eroganda. (fol. 118 v°.)

Carissime in Christo filie Margarete, regine Sicilie illustri, relicte clare memorie C[aroli] regis Sicilie vidue. Meruit sincera devotio —. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi ut omnem pecuniam quam te minus licite a quibuscumque recepisse commemoras, si inveniri non possint quibus ejusdem pecunie sit restitutio facienda, possis de tui confessoris consilio in usus infirmorum et pauperum erogare auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VI kal. julii, anno quarto.

2860 (*bis*) (CCCCLXVI) Vatican, 26 juin 1298.

« Quod possit intrare monasteria monialium, quorumcumque ordinum, ter in anno. » (fol. 118 v°.)

Eidem. Ex tue magnitudinis —. Dat. ut supra.

2861 (CCCCLXVII) Rieti, 9 novembre 1298.

« Super provisione prebende Aniciensis facienda magistro Hugoni de Mota. » (fol. 118 v°.)

Dilecto filio .. abbati monasterii Casedei, Claromontensis diocesis. Exposita nobis dilecti filii magistri Hugonis de Mota, clerici Claromontensis diocesis, petitio continebat, quod bone memorie Johannes, tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis, dum in partibus Francie legationis officio fungeretur, volens eidem Hugoni gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam integram, non sacerdotalem, Aniciensis ecclesie sibi, si tunc in ipsa vacabant et de jure nulli alii debebantur, duxit auctoritate legationis hujusmodi conferendos, alioquin canonicatum et prebendam hujusmodi proximo in eadem ecclesia vacaturos — dans nichilominus .. Securetti Aniciensis et secularis Sancti Genesii Claromontensis abbatibus ac preposito Brivatensis, Claromontensis diocesis, ecclesiarum suis sub certa forma litteris in mandatis ut — canonicatum et prebendam — predicto Hugoni conferre et assignare curarent.

Postmodum cum in ea ecclesia canonicatus et prebenda per mortem Albini dicti Chauleti canonici vacavissent, « eodem legato infra fines sue legationis existente », ea abbas Secureti predicto Hugoni contulit atque decanus et major pars capituli eumdem receperunt. Nonnulli vero canonici contra eumdem Hugonem a quibusdam confictis gravaminibus ab eisdem frivole ad Sedem Apostolicam appellarunt.

Et licet coram quondam Hugolino de Luca, tunc apostolici palatii auditore, libellus exhibitus fuerit, constestatione litis et positionum — oblatione postmodum subsecutis, tamen hujusmodi appellationes nec per se neque per ipsorum procuratorem aut alium jam elapso septennio in causa hujusmodi ulterius procedere curaverunt, licet quidam qui se dicit procuratorem partis adverse procurarit, ut asserit, jam decurso triennio causam ipsam dilecto filio .. decano Pictavensis ecclesie, capellano nostro, committi, in qua postmodum non processit. Quare prefatus Hugo nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc de benignitate Sedis Apostolice dignaremur.

Mandat suprascripto ut hunc Hugonem, consideratione .. archiepiscopi Narbonensis pro eo humiliter supplicantis, vel procuratorem ejus inducat in possessionem prebende et canonicatus predictorum, « aliis quibusvis appellationibus frivolis nequaquam obstantibus », et faciat eidem de dicte prebende fructibus, proventibus et redditibus a tempore collationis et provisionis sibi facte de ipsa integre responderi.

Dat. Reate, v id. novembris, anno quarto.

2862 (CCCCLXVIII) Rieti, 24 novembre 1298.

« Annotatio cujusdam privilegii concessi .. abbatisse et conventui monasterii Sancti Thomé Reatini, Cisterciensis ordinis. »

Dilectis in Christo filiabus .. abbatisse et conventui monasterii Sancti Thome Reatini, Cisterciensis ordinis. Significastis nobis quod dudum bone memorie Thomas episcopus et dilecti filii capitulum Reatini monasterium vestrum, in quo ipsi lapidem primum posuerant, obtentu pie memorie J. episcopi tunc viventis, ab eorum et Reatine ecclesie jurisdictione ordinaria exemerunt, censu annuo unius libre cere prefate ecclesie in dicto monasterio reservato, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum episcopi et capituli Reatinorum sigillo sigillatis plenius continetur; felicis quoque recordationis Nicholaus papa IIII, predecessor noster, vestris supplicationibus inclinatus, quod super hiis ab eisdem episcopo et capitulo Reatinis provide factum extitit ratum et gratum habens, id per suas sub certa forma litteras auctoritate apostolica confirmavit. Verum, quia fila serica in quibus bulla ipsius predecessoris in eisdem litteris est appensa ex contusione bullatorum pro majori parte confracta fore noscuntur ne ex debilitate reliquorum filorum dicta bulla ex litteris ipsis forsitan evellatur super hoc nobis adhiberi remedium per Sedem Apostolicam humiliter postulastis.

Dictas litteras Nicolai pape IIII facit annotari incipientes: « Cum a nobis petitur » finientes: « Dat. Rome, apud Sanctam Mariam Majorem, v non. februari, anno III. »

Dat. Reate, VIII kal. decembris, anno quarto.

2863 (CCCCLXVIIII) Latran, 21 janvier 1299.

« Dispensatio super matrimonio cum quibusdam de filiis Ursi de Urbe. » (fol. 119.)

Dilecto filio nobili viro Theobaldo Mathei Ursi de filiis Ursi de Urbe et dilecte in Christo filie nobili mulieri Jacobe, uxori ejus. Romani Pontificis —. Sane porrecta nobis ex parte vestra petitio continebat quod vos olim matrimonium publice in facie Ecclesie contraxistis et, carnali postmodum inter vos copula subsecuta, plures suscepistis filios ex matrimonio sic contracto. Verum, quia quondam Sinibaldus Henrici de Chiavano prior vir tuus, filia Jacoba, tibi, fili Theobalde, quarto fuit consanguinitatis gradu conjunctus, propter quod in eodem non potestis matrimonio absque dispensationis gratia

licite remanere, fuit nobis ex parte vestra humiliter supplicatum ut providere super hoc de oportuno dispensationis remedio paterne sollicitudinis remedio dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno quarto.

2864 (CCCCLXX) Rieti, 29 novembre 1298.

« Super collatione prioratus de Longovia, Mimatensis diocesis. » (fol. 119 v°.)

Venerabili fratri .. [episcopo] Aniciensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Silvanensis ac .. priori Sancti Juliani de Tonello, Ruthenensis et Mimathensis diocesium. Ecclesiarum et locorum —. Porrecta siquidem nobis ex parte dilectorum filiorum Vilate, abbatis, et Eraclei de Tornello, monachi monasterii Sancti Theotfredi, ordinis sancti Benedicti, Aniciensis diocesis, petitio continebat quod quondam Petrus, ejusdem abbatis predecessor, diligenter attendens quod prioratus de Longovia conventualis, ejusdem ordinis, Mimatensis diocesis, monasterio predicto subjectus ac consuetus per abbatem ipsius monasterii, qui est pro tempore, uni ex ejusdem monasterii monachis assignari, positus erat in medio plurium oppressorum, propter quod defensore ydoneo plurimum indigebat, quodque per eumdem Eracleum et suos, qui sunt in illis partibus nobiles et potentes, idem prioratus et ejus jura poterant melius quam per alium defensari, dictum prioratum, ipsius et dicti monasterii super hoc utilitate pensata, eidem Eracleo contulit et etiam assignavit, idemque Eracleus, dictum prioratum pretextu collationis hujusmodi aliquandiu retinens, percepit fructus et redditus ex eodem. Verum, quia idem Eracleus tempore collationis jam dicte patiebatur, sicut et adhuc patitur, in etate defectum, cum in quartodecimo sue etatis anno vel circa illum constitutus esse dicatur, propter quod et etiam quia prioratus ipse dicebatur tanto tempore vacavisse quod ejus collatio erat ad Sedem Apostolicam per lapsum temporis secundum Lateranensis statuta concilii devoluta, eadem collatio invalida fuerat ipso jure, ex parte ipsorum Vilate, abbatis, et Eraclei fuit nobis humiliter supplicatum ut providere super hoc tam Eracleo quam prioratui supradictis paterna sollicitudine dignaremur. Cum autem ipsi prioratui et ejus juribus, nisi per eundem Eracleum et suos ab hujusmodi oppressoribus deffendatur, grave, prout accepimus, immineat detrimentum, multaque sperentur eidem prioratui per Eracleum et suos predictos commoda provenire, nos, et eidem prioratui super hoc de salutari remedio providere et ipsi Eracleo specialem gratiam facere intendentes, ipsorum Vilate, abbatis, et Eraclei supplicationibus inclinati, discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, si vobis constiterit de premissis, eidem Eracleo pro eo quod taliter prioratum recepit et retinuit supradictum imposita prout expedire videritis penitentia salutari, eodemque prioratu per eum, quatenus possessioni incumbit ipsius, prius omnino dimisso, si tandem eidem Eracleo propria merita suffragentur, et persona ipsius ad regimen prioratus ejusdem utilis extimetur, super quibus vestram intendimus conscientiam onerare, prefato Eracleo fructus ex eodem prioratu ab eo perceptos remittere ac donare auctoritate nostra curetis et, abolendo in eo omnem inhabilitatem, infamiam, maculam sive notam, ex ipsius prioratus receptione et retentione necnon dictorum fructuum perceptione obortas, de nostre plenitudine potestatis, ac dispensando cum ipso ut, defectu et aliis premissis nequaquam obstantibus, prioratum eundem libere recipere ac licite valeat retinere, dictum prioratum eadem auctoritate sibi denuo conferre et assignare curetis, inducentes ipsum in illius corporalem possessionem et defendentes inductum, ac denuntiantes ea que per eum vel cum eo circa administrationem prioratus ejusdem alias rite, juste et utiliter medio tempore acta sunt habere roboris firmitatem. Contradictores, et cetera usque : compescendo. Ita tamen quod idem Eracleus in dicto prioratu, donec ad legitimam etatem pervenerit, per ydoneum vicarium faciat deserviri et, cum ad etatem pervenerit supradictam, ad ordines, prout onus requirit ipsius, se faciat statutis temporibus promoveri et personaliter resideat in eodem. Dat. Reate, III kal. decembris, anno quarto.

2865 (CCCCLXXI) Latran, 15 janvier 1299.

« Preces ad .. regem Francie pro .. episcopo et ecclesia Pictavensibus. » (fol. 120.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri. A nostra non recessit memoria quod cum dudum, dum nos in minori officio constituti una cum venerabili fratre nostro G., episcopo Sabinensi, a felicis recordationis Nicholao papa quarto, predecessore nostro, fuissemus ad partes Francie nuntii destinati pro quibusdam negotiis et precipue pro negotio tangente venerabilem fratrem nostrum .. episcopum Pictavensem, quem tene-

bas bonis suis et specialiter castro et castellania de Emglia, Pictavensis diocesis, spoliatum seu etiam dissazitum, procurante seu causam vel occasionem ad hoc dante Gaufrido de Valeia qui, eundem episcopum super eisdem castro et castellania molestans indebite et impugnans, non cessabat ipsum episcopum et ecclesiam Pictavensem afficere multiplicibus injuriis et jacturis, quod causam nostre dedit principaliter missioni, tandem, tractatu per nos cum quibusdam tuis consiliariis assumpto et habito, te sciente, extitit inter cetera ordinatum quod castrum et castellania predicta, que ad manus tuas assumpsisse ideo dicebaris quia idem episcopus, coram te super eisdem castro et castellania ad judicium evocatus, ad instantiam dicti Gaufredi de Valeya se jus habere in eisdem, licet mendaciter et per calumpniam, asserentis, super quo contra ipsum Gaufridum virum siquidem male fame et oppinionis sinistre infamia publice laborabat et ad nos clamor etiam tunc ascendit, non curaverat in tua curia super hoc in judicio respondere, nec non et alia bona ipsius deliberares seu deliberari faceres eidem cum fructibus inde perceptis; et quod a compulsione ipsius episcopi de stando juri in tua curia super temporalitate ecclesie Pictavensis supersedere deberes quousque aliud esset super hoc finaliter ordinatum. Verum eodem episcopo accepimus referente quod, licet senescallo Pictavensi datum fuisset per tuas litteras in mandatis quod predictam deliberationem faceret, et ad eam, quantum ad predicta castrum et castellaniam et alia bona immobilia, restitutione tamen fructuum nondum facta, processum fuisset, et postmodum idem episcopus dicta castrum et castellaniam aliquamdiu pacifice possedisset, tamen dicto Gaufrido, pretextu cujusdam mandati quod a tua emanasse curia asserebat, castrum et castellaniam predictam postmodum indebite occupante, ad manus tuas eadem castrum et castellaniam motu proprio recepisti et per senescallos, prepositos, servientes tuos Pictavenses seu per dictum Gaufridum fructus colligere vel percipere et colligi facere ex eisdem, non sine gravi dampno ipsius episcopi et ecclesie, procurasti, contumaciam sive inobedientiam in non respondendo super hiis in tua curia ipsi episcopo impingendo; cum tamen tam ipse quam predecessores sui de temporalitate dicte ecclesie, pro qua alicui principi seculari fidelitatem vel homagium non fecerunt, nunquam consueverunt in seculari judicio respondere. Licet autem nos alias munificentiam tuam per litteras apostolicas duxerimus attentius exortandam ut, ad memoriam reducens devotionem et obedientiam quas progenitores tui ad Romanam Ecclesiam ac defensionem et conservationem libertatis ecclesiastice pre ceteris noscuntur regibus habuisse, castrum et castellaniam predicta deliberare curares eidem episcopo et sue ecclesie Pictavensi et de predictis perceptis fructibus restitutionem mandare et facere fieri cum effectu, tam ob amorem justitie quam ob reverentiam Sedis Apostolice atque nostram, a molestatione etiam ipsius super premissis et consimilibus desistendo; tamen, ut idem episcopus asserit, non solum predictas litteras tue celsitudini presentatas effectui mancipare tardasti sed, gravamen gravamini cumulando, etiam ad alia bona temporalia ipsius episcopi et ecclesie Pictavensis manum apponere curavisti, ea sasiendo et sasita tenendo non sine gravi predictorum episcopi et ecclesie lesione.

Quare nos serenitatem tuam paternis monitis iterum exortamur quatinus sasinam predictam de bonis prefatis ipsius episcopi amovere et alia predicta, super quibus tibi, ut predictum est, alias scripsimus, cures ob Dei et nostram reverentiam benigne et efficaciter adimplere : in isto negotio, quod multum insidet cordi nostro, te taliter habiturus quod inde possis apud Deum et nos de devotione et obedientia merito collaudari. Dat. Laterani, xviii kal. februarii, anno quarto.

2866 (cccclxxii) Latran, 15 janvier 1299.

Quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria sue civitatis et diocesis per effusionem sanguinis seu ex alia causa violata. (fol. 120 v°.)

Venerabili fratri G., episcopo Pictavensi. Cum sicut ex parte —. Dat. Laterani, xviii kal. februarii, anno quarto.

2867 (cccclxxiii) Sans date.

Forma juramenti. (fol. 120 v°.)

Forma juramenti. Ego, prepositus monasterii Sancte Marie Mortariensis per prepositum soliti gubernari, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis beati Augustini, Papiensis diocesis, ut in forma usque in finem.

2868 (cccclxxiiii) Latran, 15 janvier 1299.

» Dispensatio super matrimonio cum quibusdam civibus Toletanis. » (fol. 120 v°.)

Venerabili fratri G., episcopo Conchensi, in archiepiscopum Tholettanum electo. Exhibita nobis —.

Et cum Petro Gundisalvo dicto Cameno et Columba nata dicti[1], civibus Tholetanis, qui, ignari quod esset inter eos aliqua affinitas, matrimonium contraxerunt et prolem procrearunt, si constiterit de premissis post diligentem inquisitionem, dispenset ita ut nonobstante quarto affinitatis gradu in matrimonio remanere possint prolem susceptam legitimam decernendo.

Dat. Laterani, xviii kal. februarii, anno quarto.

2869 (ccccLxxv) Latran, 14 janvier 1299.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 120 v°.)

Dilecto filio Guidoni de Haynonia, archidiacono et canonico Leodiensi. Benigne sunt tibi —.

Suprascripto, qui olim custodiam et archidiaconatum Leodiensis ecclesie nec non ipsius ac Metensis et Trajectensis ecclesiarum canonicatus recepit, eos aliquamdiu insimul detinuit absque dispensatione et fructus percepit ex eis, cum predictam custodiam in manibus Johannis, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyteri cardinalis, libere resignaverit, indulget ut archidiaconatum, canonicatus et prebendas nec non et fructus ex eis et eadem custodia medio tempore perceptos retinere valeat eumque ab omni nota et inhabilitate inde contractis absolvet.

Dat Laterani, xiiii kal. februarii, anno quarto.

2870 (ccccLxxvi) Latran, 14 janvier 1299.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 120 v°).

Dilecto filio Herrico, nato dilecti filii nobilis viri . . comitis Haynonie, canonico Metensi. Ex parte tua —.

Suprascripto, qui dudum, adhuc minor duodecim annorum, Condatensis et Montensis, Cameracensis diocesis, ecclesiarum prepposituras et Metensis et Cameracensis ecclesiarum canonicatus et prebendas recepit et eos insimul aliquamdiu absque dispensatione apostolica tenuit et fructus percepit ex eisdem, cum predictas prepposituras libere resignaverit, indulget ut fructus taliter perceptos retinere valeat eumque ab omni nota et inhabilitate inde contractis absolvet.

Dat. ut supra.

1. Deest nomen in codice

2871 (ccccLxxviii) Rieti, 24 novembre 1298.

« Confertur dignitas seu personatus in ecclesia Lincolniensi cum dispensatione. » (fol. 121.)

Dilecto filio Amedeo de Sabaudia, canonico Lincolniensi. Dudum personam tuam — speciali gratia prosequi cupientes teque in Lincolniensi ecclesie, cujus etiam tunc eras canonicus, specialiter honorare, personatum seu dignitatem, si quis vel si qua nulli de jure debitus vel debita in eadem ecclesia tunc vacabat, alioquin primo vacaturum vel vacaturam, quem vel quam per te vel procuratorem tuum acceptandum duceres vel etiam acceptandam, donationi apostolice reservare curavimus, dilectis filiis.. archidiacono Remensi ejusque collegis tibi super hoc executoribus per nostras certi tenoris litteras deputatis. Postmodum vero archidiaconatu Oxoniensi, cui curat imminet animarum, in ecclesia memorata vacante per promotionem venerabilis fratris nostri Symonis, Saresbiriensis episcopi, ad Saresbiriensem ecclesiam, qui ante promotionem suam archidiaconatum obtinebat eundem, dilectus filius Pontius de Salino, Herefordensis ecclesie canonicus, cui archidiaconus predictus, prout ex forma dictarum poterat litterarum, super hoc commiserat vices suas, aliquamdiu processit in executione hujusmodi, licet processus ejusdem tibi non fuerit fructuosus pro eo quod, cum patereris in etate defectum, tecum super hoc non fuerat dispensatum. Quare nobis — dignaremur. Nos itaque, intendentes personam tuam claris tuis exigentibus meritis quibus nosceris insignitus nec non et consideratione carissimi in Christo filii nostri E[duardi], regis Anglorum illustris, cujus consanguineus esse dinosceris, pro te dudum nobis cum instantia supplicantis, prerogativa favoris et gratie prosequi specialis, personatum seu dignitatem in eadem ecclesia Lincolniensi donationi apostolice reservamus non obstantibus--aut quod decanatum Brugensis, Conventrensis et Lichefeldensis diocesium et in Lugdunensi, Saresbiriensi et Dublinensi ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere —. Ut autem te uberioris dono gratie prosequamur tecum eadem auctoritate nichilominus dispensamus ut non obstante quem pateris in ordinibus et etate defectu possis personatum seu dignitatem hujusmodi libere assequi —. Dat. Reate, viii kal. decembris, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. preposito Brugensis, Tornacensis diocesis, et .. decano Herefordensis ac magistro Giffredo de Vesano, [canonico] Cameracensis ecclesiarum* — Dat. ut supra.

2872 (CCCCLXXVIII) Latran, 13 janvier 1299.

« Prorogatur terminus ad recipiendum consecrationem. » fol. 121 v°.)

Dilecto filio Guillelmo, electo Grassensi. Personam tuam —.

Suprascripto presbytero, consideratione Caroli, Sicilie regis, cujus in curia Romana procurator existit, prorogat terminum ad recipiendam episcopalem consecrationem usque ad festum nativitatis beati Johannis Baptiste proximo futurum et ei indulget ut interim canonicatus et prebendas Aptensis, Cavallicensis et Forojuliensis et preposituram ejusdem Aptensis et sacristiam predicte Forojuliensis ecclesiarum et ecclesiam de Villaria, Forojuliensis diocesis, cui cura non imminet animarum, et ecclesiam de Roccabruna ejusdem diocesis curam animarum habentem licite valeat retinere.

Dat. Laterani, id. januarii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Pontii Niciensis et .. preposito Massiliensis ac .. sacriste Grassensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2873 (CCCCLXXVIIII) Latran, 19 janvier 1299.

« Confertur custodia ecclesie Leodiensis. » (fol. 122.)

Dilecto filio Henrico, nato dilecti filii nobilis viri .. comitis Haynonie, canonico et custodi ecclesie Leodiensis. Generis claritate conspicuus —.

Suprascripto custodiam predicte ecclesie, quam nuper Guido de Haynonia, qui tunc eam obtinebat, libere resignavit et de qua nullus preter dominum papam disponere potest, nec non et prebendam cum canonicatu non sacerdotalem, si vacat ad presens vel proximo vacaverit, confert et de illis providet, non obstante quod in Metensi ecclesia canonicatum obtineat et prebendam et de canonicatu et prebenda Cameracensis ecclesie, de quibus per bone memorie G., Cameracensem episcopum, se dicit provisum, inter eum et quemdam alium questio ventiletur.

Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. preposito Lausanensis et .. Sancti Pauli Leodiensis ac .. Condatensis, Cameracensis diocesis, decanis ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

2874 (CCCCLXXX) Rieti, 24 novembre 1298.

« Compositio habita inter .. abbatem et conventum monasterii Cluniacensis et Albertum de Flisco, archidiaconum Remensem. » (fol. 122 v°.)

Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Cluniacensis, Matisconensis diocesis, et Alberto de Flisco, archidiacono Remensi, capellano nostro. Ea que judicio —.

Cum questio verteretur inter suprascriptos super prioratu de Turribus super Maternam, Cluniacensis ordinis, Remensis diocesis, inter procuratores eorum, mediante Gerardo, episcopo Sabinensi, quedam amicabilis et salubris compositio intervenit.

Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, compositionem eandem auctoritate apostolica ex certa scientia confirmamus et presenti scripti patrocinio communimus ac supplemus defectum qui ex eo extitit in eadem quod predictus procurator tuus, abbas, a vobis, predicti conventus, mandatum ad hoc non habebat, nec etiam a te, abbas, forsitan satis plenum seu quod assensus vester, conventus predicti, non fuit habitus in eadem, aut quemcumque alium, si quis ex quacumque causa forsan fuit in illa, de apostolice plenitudine potestatis, decernendo compositionem predictam eam vim eumque nichilominus habere vigorem, quem haberet si procurator predictus a vobis abbate et conventu ad hoc mandatum plenum et sufficiens habuisset, illamque nichilominus plenam obtinere roboris firmitatem. Et ut compositio ipsa tam per vos quam per successores vestros, abbas et conventus predicti, efficacius observetur, volumus et presentium auctoritate statuimus quod si tu, archidiacone, vel tu, abbas, seu aliquis successorum tuorum, abbas, contra compositionem predictam veneris excommunicationis, vos vero, conventus predicti, si eam non observaveritis, ac monasterium ipsum, interdicti, preter penas in eadem ut premittitur compositione appositas, que nichilominus committantur et exigi valeant, eo ipso sententias incurratis. Decernimus insuper quod presentes littere, quibus tenorem dicti instrumenti de verbo ad verbum ut infra patet inseri fecimus, de eadem compositione, ac procuratoriis partium, aliisque omnibus in eo contenptis, tam in judicio quam extra, etiamsi instrumentum vel procuratoria originalia non appareant prelibata, sine alterius probationis amminiculo faciant plenam fidem, nec alias, eis ostensis, de compositione, procuratoriis et aliis ibi contentis ipsa probatio aliquatenus exigatur. Tenor vero predictus seriatim subscribitur qui talis est : « Universis presentes litteras inspecturis, Gerardus, miseratione divina episcopus Sabiniensis, salutem in Domino sempiternam. Dudum felicis recorda-

tionis dominus Adrianus Papa IIII[1], volens personam venerabilis viri Alberti nati nobilis viri domini Nicolai de Flisco, domini pape capellani, archidiaconi Remensis, favore prosequi gratioso, prioratum de Turribus super Maternam, Cluniacensis ordinis, Remensis diocesis quem dominus Adrianus obtinebat tempore quo fuit ad officium Apostolatus assumptus, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, apostolica ei auctoritate contulit, et providit de illo, ac sanctissimum patrem dominum B[onifatium] papam VIII, tunc Apostolice Sedis notarium, nomine dicti Alberti, de ipso per suum anulum investivit, retinendo ab ipso Alberto quoad viveret, prout ipsum tunc temporis Adrianus tenuerat antedictus. Decrevit quoque irritum et inane si secus de prioratu, juribus et pertinentiis predictis attemptatum esset, vel in posterum contingeret attemptari, certis dicto Alberto super hoc per suas sub certa forma litteras executoribus deputatis. Verum, quia antequam per hujusmodi litteras in aliquo processum fuisset dictus dominus Adrianus diem clausit extremum, dictus Albertus nullum ex litteris ipsis fuit comodem assecutus. Unde pie memorie dominus N[icolaus] papa III, ad ipsius Alberti supplicationis instantiam, eisdem executoribus suis dedit litteras in mandatis, ut in negotio hujusmodi procederent juxta predictarum directarum super hoc eis predicti domini Adriani continentiam litterarum, predicti vero executores in eodem negotio procedentes dictum Albertum sive procuratorem suum ejus nomine in possessionem dicti prioratus ac jurium et pertinentiarum ejus, ut asserit idem archidiaconus, induxerunt sive induci fecerunt auctoritate hujusmodi litterarum, quem dictus Albertus aliquandiu possedit pacifice et quiete. Cumque postmodum .. abbas et conventus monasterii Cluniacensis prefatum Albertum eodem prioratu per violentiam exspoliassent, ac per hoc sive alio modo ad eos dictus prioratus pervenisset, ut dictus archidiaconus asserebat, ac inter ipsum Albertum, ex parte una, et dictos abbatem et conventum, ex altera, super ipso prioratu orta esset materia questionis, tandem causa hujusmodi ad Sedem Apostolicam legittime devoluta, et a pie recordationis domino N[icolao] papa IIII diversis auditoribus in eadem causa datis, et eo demum viam universe carnis ingresso, ejusdem Alberti et predicti abbatis procuratores litigiorum anfractus vitare volentes, ac viam pacis et concordie affectantes, inter eos nomine predictorum dominorum suorum, a quibus habebant ad componendum super hoc mandata specialia, nobis mediantibus, quedam amicabilis compositio intervenit, talis videlicet quod prioratus predictus cum omnibus juribus et pertinentiis suis liber et immunis remaneat penes abbatem et conventum supradictos, ac dictus procurator ipsius abbatis pro bono pacis voluit et consensit quod dicti abbas et conventus de bonis, fructibus et proventibus prefati monasterii pensionem quadraginta librarum turonensium parvorum, singulis annis et terminis infrascriptis, scilicet medietatem in festo Omnium Sanctorum et aliam medietatem in festo Pentecostes proximo sequenti in palatio episcopi Parisiensis, ad voluntatem dicti domini Alberti, dicto Alberto vel procuratori suo seu nuncio speciali, habenti sufficiens ad hoc mandatum, ipso Alberto quamdiu vixerit in quocumque statu manente, sine requisitione dicti Alberti vel ejus procuratoris solvere teneantur : ita tamen quod, si dictis terminis idem Albertus vel ejus sufficiens procurator ad hoc non esset Parisius, vel pensionem predictam nollet recipere, vel differret, possint abbas et conventus, vel alii pro eis, dictam pensionem in dicto palatio offerre et consignare secundum formam juris et se taliter liberare, et ad hoc ipsos abbatem et conventum et successores eorum et dicti monasterii Cluniacensis bona presentia et futura nichilominus obligavit. Renuntiavit insuper eidem procurator dicti domini Alberti, nomine quo supra, dicto prioratui, omnibus arreragiis et fructibus dicte domus perceptis et qui percipi potuerunt, nec non dampnis et expensis et interesse quibuscumque vel qualitercumque in lite vel alitercumque hactenus factis, occasione negotii supradicti, ac etiam liti super hoc mote, gratiis impetratis vel impetrandis, omni juri et actioni sibi ac domino suo competentibus super ipsis nomine omnium et singulorum predictorum, et procuratorem dictorum abbatis et conventus de predictis omnibus et singulis quietavit penitus et absolvit, et promisit etiam dicto procuratori, nomine quo supra, quod de renuntiatione, cessione et quietatione omnium predictorum faceret dari per eundem dictum Albertum archidiaconum publicum instrumentum cum ab eodem procuratore abbatis et conventus predictorum fuerit requisitus, et tam ipse quam ejusdem abbatis procurator, procuratorio nomine predictorum dominorum suorum, sibi ad invicem compositionem hujusmodi observare et contra non facere vel venire aliqua ratione vel nullo unquam tempore, solempni stipulatione premissa, firmiter promiserunt, obligantes se, procuratorio nomine predictorum dominorum suorum, ad hoc sub pena mille marcharum boni et puri argenti, solvenda a parte que dictam compositionem non servaret, cujus medietas camere domini pape applicetur, et alia medietas parti compositionem servanti predictam, que pena totiens committatur, quotiens contra eam ventum fuerit, et ea

1. Legendum est : quintus.

soluta vel non, compositio ipsa in sua firmitate perduret. Hoc acto nichilominus inter partes predictas quod, si predicti abbas et conventus non servaverint omnia supradicta, legitimo impedimento cessante, ipse Albertus vel procurator ejus, si voluerit, libere, sua propria auctoritate, sine auctoritate alicujus judicis, possit prioratum predictum, bona et jura ipsius apprehendere, tenere, possidere et fructus percipere pro libito voluntatis, sine contradictione et resistentia abbatis et conventus predictorum, cujusque monachi et cujuslibet alterius persone, supradictis omnibus manentibus in sua firmitate. Que omnia predicti procuratores dictorum abbatis et conventus et Alberti, nomine supradicto, promiserunt attendere et observare, renuntiando in hiis omnibus constitutioni de duabus dietis edite in concilio generali, ac omnibus constitutionibus predicti domini B[onifatii] pape, ac beneficio restitutionis in integrum, et omnibus litteris et indulgentiis apostolicis impetratis et etiam impetrandis, et omni juris canonici et civilis auxilio, ac conventioni judicum et locorum, si alterutram partium contra alteram super hiis litteras apostolicas contingeret impetrare, nec non omnibus aliis exceptionibus per quas partes predicte possent in posterum se tueri. Ut autem de premissis omnibus notitia plena perpetuo habeatur, hujusmodi litteras fieri fecimus et per infrascriptum notarium scribi et publicari in presentia testium subscriptorum, ac sigilli nostri appensione muniri. Actum Rome, in hospitio in quo morabatur prefatus dominus Sabiniensis, anno Domini millesimo CCLXXXXVIII, indictione XI, die quintodecimo junii, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno quarto. Presentibus venerabilibus patribus dominis F., Mediolanensi, et F., Idrontino archiepiscopis, et discretis viris dominis Uberto de Advocatis, canonico Cathalaunensi, Thomasio Bisatia, Guillelmo de Cornazano et Uberto Cathenatio, testibus ad hoc vocatis specialiter et rogatis. Et ego Armannus Mantellus publicus auctoritate apostolica notarius —. » Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, suppletionis, constitutionis, voluntatis et statuti, et cetera. Dat. Reate, VIII kal. novembris, anno quarto.

In. e. m. *venerabili fratri .. episcopo Placentino et dilectis filiis .. thesaurario Bajocensis ac .. magistro scolarum Januensis ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

2375 (CCCCLXXXI) Vatican, 21 avril 1298.

Indultum super fructibus in absentia percipiendis. (fol. 112 v°.)

Dilecto filio Michaeli [1]. Volentes tibi —.

Cuidam Michaeli indulgetur ut usque ad quinquennium ubique in absentia ejus redditus omnium suorum beneficiorum ecclesiasticorum, etiam si dignitates existant vel curam animarum habeant, percipere valeat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XI kal. maii, anno quarto.

In. e. m. *dilectis filiis .. Sancti Martini Ambianensis et .. Sancti Vedasti Atrebatensis monasterii abbatibus ac magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori ecclesie Morinensis.* — Dat. ut supra.

1. Deest rubrica sed legitur nomen *Michaelis* in executoria.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM CURIE QUARTI ANNI

DOMINI BONIFATII PAPE VIIII

2876 (CUR. I) Vatican, 4 février 1298.

« Mandatur episcopo Suessionensi quod citet electum Laudunensem. » (fol. 127.)

Venerabili fratri .. episcopo Suessionensi. Nuper ad nostrum pervenit auditum quod, vacante ecclesia Laudunensi per obitum bo. me. Roberti, episcopi Laudunensis, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, ad tractandum de futuri substitutione pastoris convenientes in unum, in quosdam ex eis compromittere curaverunt, qui unum de se ipsis in ejusdem ecclesie Laudunensis elegisse dicuntur episcopum et pastorem. Sed licet venerabilis frater noster .. archiepiscopus Remensis, loci metropolitanus, ex certis causis confirmare presentatam sibi electionem hujusmodi denegasset seu etiam distulisset, tandem tamen dictus archiepiscopus electionem confirmavit eamdem. Nos autem, ex hiis et aliis que pervenerunt ad nos et maxime de persona dicti electi hujusmodi negotium suspectum non immerito reputantes, et propterea volentes super hiis scire plenam veritatem, fraternitati tue per apostolica scripta mandamus quatinus predictos archiepiscopum et electum et dilectos filios capitulum ipsius Laudunensis ecclesie et alios qui sua crediderint interesse, per te vel per alium seu alios, ex parte nostra perentorie citare procures, ut infra duorum mensium post citationem hujusmodi prefatus electus, personaliter, et predicti archiepiscopus et capitulum et alii, per procuratores ydoneos, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, hujusmodi negotium contingentibus, nostro se conspectui representent — non obstantibus —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II non. februarii, anno quarto.

2877 (II) Vatican, 4 février 1298.

« Quod citet Arnaldum, episcopum Lectorensem. » (fol. 127.)

Venerabili fratri .. episcopo Convenarum. Nuper ad nostrum pervenit auditum quod, vacante dudum ecclesia Lectorensi per obitum bo. me. .. Lectorensis episcopi, fuit in ea de Arnaldi de Monte Lausuno electio in concordia celebrata. Cumque venerabilis frater noster .. archiepiscopus Auxitanus, loci metropolitanus, confirmare presentatam sibi electionem hujusmodi denegasset seu etiam distulisset, extitit propter hoc ab eodem archiepiscopo ad Sedem Apostolicam appellatum. Postmodum autem idem electus, causa prosequende appellationis hujusmodi ad eandem Sedem iter arripiens, usque ad civitatem Senarum dicitur pervenisse, sed deinde retrocedens ad proprium rediit, electionem predictam petiturus ab eodem archiepiscopo confirmari. Nos autem — hujusmodi negotium suspectum non immerito reputantes, et cetera ut in precedenti mutatis mutandis. Dat. ut supra.

2878 (III) Vatican, 20 février 1298.

« Super predicatione Crucis contra Columpnenses. » (fol. 127 r°.)

Venerabili fratri Matheo, Portuensi et Sancte Rufine episcopo, Apostolice Sedis legato. Sicut alie nostre testantur littere, in multorum notitiam est deductum et fraternitas tua non ignorat nos contra Jacobum de Columpna et Petrum nepotem ipsius, olim Sancte Romane Ecclesie cardinales, ac alios natos et posteros quondam Johannis de Columpna fratris Jacobi et patris Petri predictorum, scismaticos et blasphemos —, post diversos processus diversis temporibus habitos, contra eos de fratrum nostrorum consilio per victricis Crucis suffragium potenter exurgere providentes, Crucem ipsam dedimus et volumus Christi fidelibus predicari. Ac omnibus vere penitentibus et confessis, qui, signo ipsius vivifice Crucis a nobis vel ab aliis ad hoc a nobis deputandis assumpto, in personis propriis et expensis aut in expensis alienis et personis propriis; illis etiam qui, secundum facultatum suarum vires in expensis suis mittendo alium vel alios bellatores, ad expugnationem processerint predictorum et in hujusmodi expugnatione perseverarent quousque volunptarie vel quoacte ad nostra et Apostolice Sedis beneplacita forent subacti, moderamine tamen perseverationis hujusmodi et virium facultatum, per nos aut alium vel alios, quos ad hoc specialiter et expresse deputaremus, quotiens et quando et prout videremus expediens faciendo, nobis plenius reservato; illis insuper qui occasione prosecutionis hujusmodi mortem incurrerent, illam suorum omnium remissionem concessimus peccatorum, que dudum in generali concilio transfretantibus et morantibus in Terre Sancte subsidium per Sedem Apostolicam est concessa. Si qui vero forent qui, licet personaliter ad hujusmodi expugnationem nollent accedere vel non possent, alias tamen aliquid de bonis a Deo sibi collatis offerrent in subsidium negotii memorati, aut quovis modo in ipso negotio darent auxilium, consilium vel favorem, eos hujusmodi remissionis gratie pro quantitate subsidii et devotionis affectu voluimus esse participes. Ad hujusmodi predicationis ministerium fiducialiter te assumpto, ac predicandi per te, vel alium seu alios, in provincia Tuscie, ac aliis provinciis, locis et partibus, de quibus tibi videretur expediens, contra predictos scismaticos et rebelles, ac fauttores et sequaces ipsorum, et civitatem Penestrinam, castrum Columpne ac alia castra, terras et loca, que tenebantur vel tenerentur imposterum per eos vel per alios pro eisdem, Christi fidelibus verbum Crucis, et exhibendi Crucem eandem quibuscumque petentibus contra ipsos, et remissionem nostram hujusmodi nuntiandi concessa tibi libera facultate. Ne igitur, pretextu dicti moderaminis faciendi nobis ut premittitur reservati, fideles Christi, qui se jam fecerunt hujusmodi Crucis caractere insigniri vel facient in futurum, super prosequendo predicto negotio et prefata indulgentia consequenda ulterius in ambiguitate morentur, moderando declaramus et declarando moderamus, tenore presentium, ut omnes vere penitentes et confessi, qui, sicut premittitur, signo mirifice Crucis a nobis vel ab aliis ad hoc deputatis a nobis vel auctoritate nostra vel etiam deputandis assumpto vel assumendo, in personis propriis et expensis aut in expensis alienis et personis propriis; illi [1] etiam qui secundum facultatum suarum vires, quarum habent notitiam pleniorem, in expensis suis mittendo bellatorem seu bellatores ad expugnationem predictorum processerint, et in hujusmodi expugnatione perseveraverint quousque, auctore Domino, hujusmodi expugnatio victoriose fuerit terminata, aut saltem per sex menses, si expugnationem eandem, quod absit, tantum differri contingeret ; illi [2] insuper qui occasione prosecutionis vel perseverationis hujusmodi mortem incurrerent, illam suorum consequantur veniam delictorum que dudum in predicto generali concilio transfretantibus et morantibus in Terre Sancte subsidium per Sedem Apostolicam est concessa. Reliquos vero, qui in hujusmodi prosecutionis negotio secundum premissa non fecerint sed alias in eo personale vel de bonis suis subsidium ministrabunt, aut quovis modo in negotio ipso dabunt auxilium, consilium vel favorem, juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum participes remissionis esse volumus supradicte. Tu itaque hujusmodi moderationem et declarationem nostram sicut expediet per te ac alios publices et denunties, ut Crucesignati et Crucesignandi intelligant quam seu quantam indulgentiam concessam a nobis, auctore Domino, consequentur. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, x kal. martii, anno quarto.

2879 (IIII) Vatican, 18 février 1298.

« Mandatur citari personaliter Alvarus, episcopus Palentinus. » (fol. 127 v°.)

Dilecto filio .. archidiacono de Carnuno in ecclesia Palentina. Quanto majoris —.

1. *Ms. :* illis.
2. *Ms. :* illis.

Cum Gundisalvo Petri ab auctoritate apostolica provisum fuerit de prebenda nunc vacante aut proximo vacatura in ecclesia Palentina, cumque postmodum Alvarus, Palentinus episcopus, ad cujus notitiam hec provisio pervenerat, « pontificalis maturitatis oblitus, quodque nos ipsum absentem et ignorantem de Mindoniensi ad Palentinam gratiose transtuleramus ecclesiam, et motibus adherens illicitis, quos cautius debuit freno modestie cohibere, » contulerit tres prebendas in contemptum Sedis Apostolice et ejusdem Gundisalvi prejudicium, et postea contra hujusmodi pape provisionem ad Sedem Apostolicam appellaverit, predicto archidiacono injungitur ut prefatum episcopum, ab omni beneficiorum ecclesiasticorum collatione suspensum, citet ut infra trium mensium spatium coram papa compareat.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. martii, anno quarto.

2880 (V) Vatican, 18 février 1298.

« Super eodem. » (fol. 128.)

Eidem. Pridem dilectus —.

Ut Petrum Guterii, portionarium ecclesie Palentine, cui, post mortem Francisci de Coconato, de canonicatu in ecclesia Palentina per episcopum Alvarum provisum fuerit, inducat ut infra decem dies post monitionem dictos canonicatum et prebendam in manibus Gundisalvi Petri, sub pena suspensionis, liberos dimittat.

Dat. ut supra.

2881 (VI) Vatican, 1er mars 1298.

« Privatur Mirus de Pusano omnibus beneficiis suis et confiscantur etiam bona sua. » (fol. 128.)

Ad perpetuam rei memoriam. Dudum ex justis et rationabilibus causis Jacobum et Petrum de Columpna, et cetera ut supra in tertio regesto usque : duximus innodandos.

Cum igitur Mirus de Pusano clericus prefatis scismaticis et rebellibus, in hujusmodi scismate et rebellione persistentibus, aut ipsorum alicui vel aliquibus adheserit ac dederit auxilium, consilium et favorem, presertim morando cum eis et serviendo ipsis in civitate Penestrina, « in qua adhuc etiam, ut dicitur, immoratur », omnibus beneficiis ecclesiasticis et quibuscumque juribus privatur et bona ejus confiscantur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. martii, anno quarto.

In e. m. .. *castellano et hominibus castri Paliani, Penestrine diocesis*. Dudum ex justis —.

Ut domos quas prefatus Mirus in castro Paliani possidet diruere faciat et eas sic dirutas nec non et possessiones ejus accipiant et possideant nomine Ecclesie Romane donec de eisdem aliud sit ordinatum.

Dat. ut supra.

2882 (VII) Vatican, 11 février 1298.

« Quod provideat hac vice ecclesie Cassanensi de pastore. » (fol. 128.)

Dilecto filio Landulfo, Sancti Angeli diacono cardinali, Apostolice Sedis legato. Nolentes quod Cassanensis —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, III id. februarii, anno quarto.

2883 (VIII) Vatican, 3 mars 1298.

« Processus contra Columpneuses. » (fol. 128.)

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Ad succidendos infructuosos palmites, pestiferos et nocivos, quos, quasi ficus fatua, domus de Collumpna produxit, nescientes in semitis justitie dirigere gressus suos, ad cor reverti et agere penitentie dignos fructus, licet diutius exspectatos, Jacobum videlicet de Columpna et Petrum, nepotem ipsius, olim Sancte Romane Ecclesie cardinales et filios quondam Johannis de Columpna, fratris dicti Jacobi et patris Petri prefati, posteros, fauttores et sequaces eorum, in virtute Altissimi exurgentes, spiritualiter et temporaliter contra eos duximus exurgendum. Consequenter, dictis J. et P. descendentibus in profundum malorum, et molientibus inconsutilem tunicam Domini Sancte videlicet Ecclesie scindere unitatem, et ut gladium acuentibus linguas suas et prorumpentibus non tam in verba blasphema et scismatica quam insana, que in scriptis redacta sub sigillis quibus antequam essent depositi utebantur per Urbem et diversa mundi climata destinarunt, ex[is]timantes loquacitatem facundiam et maledicere conscientie bone signum, et, conficta materia disputandi, quia veritate non poterant, nos saltem lacerare conviciis presumpserunt. Quorum dicta licet possemus superiori assertione convincere et luce clarioribus rationibus confutare, duximus eorum latratibus non dare responsum, ut contrita eorum rabies auctoritate sonora Presidentis in supremo judicii solio frangeretur, et patens veritas per se ipsam veniret in publicam notionem, nos-

trumque silentium in supplicium eis foret. Processus tamen contra ipsos et alios fecimus successive varios diversisque temporibus, spirituales et temporales penas et sententias continentes et mulctas. Quorum quia totum tenorem constitutioni presenti inserere longum esset, ex eis quedam compendiose collecta huic nostre constitutioni duximus inserenda ad certitudinem presentium et memoriam futurorum, videlicet : quod, ex causis que rationabiliter nos moverunt, de fratrum nostrorum consilio, deposuimus dictos J. et P. a cardinalatibus ejusdem Ecclesie et ab omni cardinalatus comodo et honore ; ipsos judicavimus scismaticos et blasphemos et tanquam hereticos puniendos, expositis personis eorum a fidelibus capiendis, omnibus beneficiis, officiis, honoribus, dignitatibus et prelaturis perpetuo privantes eosdem, et reddentes inhabiles ad habenda, cunctis eorum bonis, mobilibus et immobilibus, juribus et jurisdictionibus publicatis; contra natos insuper et posteros dicti Johannis spiritualiter et temporaliter duximus multipliciter procedendum, eorum bonis et juribus etiam confiscatis, ipsisque posteris dicti Johannis, per masculinam et femininam lineam descendentibus, indignis perpetuo redditis ad cardinalatus honorem et quelibet officia, beneficia et ministeria in Ecclesia memorata vel ejus curia, alibi vero usque ad quartam generationem; omnem personam presentem et futuram, cujuscumque fuerit eminentie, conditionis aut status, ecclesiastici vel mundani, etiamsi foret dicte Romane Ecclesie cardinalis, que ipsos J. et P. vel eorum alterum scienter et deliberate pro cardinalibus habuerit et tenuerit, aut ad cardinalatum admiserit, seu votum eorum aut alicujus ipsorum suffragium in electione Romani Pontificis admiserit, aut in Pontificem Romanum elegerit, nominaverit, assumpserit vel receperit, seu dederit in hiis vel ad hec auxilium, consilium vel favorem, excommunicationis sententia duximus innodandam, a qua absque expressa licentia Romani Pontificis non possint absolvi nec etiam per collegium Apostolice Sedis, eadem Sede vacante, eamque prelatione, dignitate, statu et honore ecclesiasticis omnino privavimus, nichilominus omnes qui dictis J. et P. alias et natis dicti Johannis favorem prebuerint vel auxilium in rebellione vel scismate persistentibus excommunicationis sententia innodantes. Hec et alia per nos facta, in predictis nostris processibus et in litteris nostris bullatis super eis confectis contenta, hac constitutione perpetuo valitura ratificamus, confirmamus et etiam innovamus, eademque de novo facimus de fratrum nostrorum consilio predictorum. Et, ut dictorum malitia non inveniat successorem, et punite transgressionis exemplar retrahat alios ab offensa, ac in oblivionem veritas veniens non vagetur incerta, statuimus atque decernimus ut et ipsa inviolabiliter observentur, et quod similes excessus et culpe penis similibus imposterum puniantur. Nulli ergo, et cetera, nostre constitutionis, ratificationis, confirmationis et innovationis, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, v non. martii, anno quarto.

(POTTHAST, 24520 [1].)

2284 (VIIII) Rieti, 28 août 1298.

« Quod citet B., episcopum Trajectensem. » (fol. 128.)

Venerabili fratri .. episcopo Tornacensi. Dudum venerabilis —

Cum B., episcopus Trajectensis, promotionis sue tempore, a camera apostolica et H., Ostiensi episcopo, tunc camerario, mutuum contraxisset, ad quod certis terminis persolvendum tenebatur, et nec quantitatem predictam solverit, etsi solutionis terminus et prorogationes a papa habite effluxerint, nec ad Sedem Apostolicam, ut tenebatur, accesserit, citetur ut infra duos menses post citationem, ab administratione episcopatus Trajectensis suspensus, ad Romanam curiam personaliter veniat; alioquin sententiam depositionis se noverit incurrisse.

Dat. Reate, v kal. septembris, anno quarto.

2285 (X) Rieti, 26 septembre 1298.

« Quod citet Petrum de Gressibus, cantorem ecclesie Parisiensis. » (fol. 128 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Parisiensi. Ad nostram noviter fidedignis relatibus perlato notitiam quod Petrus de Gressibus, cantor ecclesie Parisiensis, regulam modestie [2] clericalis et ea quibus se ad humilitatem erudiat pretermittens, ad illa verba deformia sue loquacitatis lingua laxata prorupit que, si relatio veritati subserviat, correctionis merito exigunt disciplinam, nos, super hiis ab eodem volentes inquirere veritatem, ne sua sibi detestanda loquacitas cedat ad gloriam, sed discat ipse in antea modum imponere lingue sue —.

Citetur ut infra duos menses se conspectui pape representet.

Dat. Reate, VI kal. octumbris, anno quarto.

1. Hec constitutio, absque signo chronologico in Sext. Decret. lib. 5, tit. 3 *De Schismaticis* edita, non inserta fuit in registro anni precedentis sub eadem data quam processus : « *Lapis abscissus* », (24519) ut male conjecit Potthast.

2. *Ms.* : modeste.

2886 (XI) Rieti, 1er octobre 1298.

« Littere pro subsidio petendo a prelatis regni Francie. » (fol. 129.)

LITTERE PRO SUBSIDIO PETENDO A PRELATIS REGNI FRANCIE. *Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, prepositis, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis, Calatravensis, Visensis, Vallumbrose, Camaldulensis et aliorum ordinum, nec non prioribus Hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi, et beate Marie Theotonicorum preceptoribus et magistris, ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per regnum Francie constitutis, salutem,* etc. Procellosi temporis qualitate et inevitabilis quasi necessitatis impulsu, quos cause varie et diverse producunt, compellimur subjectorum fidelium corda movere et ad devotionem inducere, ut prudenter attendant et debita gratitudine circumspecte prospiciant sollicitudines, amaritudines et labores, expensas innumeras et importabilia onera, que, postquam fuimus ad apostolice apicem dignitatis assumpti, subivimus, ut christianitatis status, nunc hinc nunc inde turbatus, scandalis repletus et guerris, ad pacis pulcritudinem deveniret, et diligenter advertant quomodo specialiter studia nostra commisimus ut nobilis juvenis Fredericus, natus quondam Petri olim regis Aragonum, per vias pacificas ad nostra et Ecclesie mandata rediret. Qui, sicut modernorum temporum evidentia magnifestat, ut obmittamus predecessorum nostrorum et Ecclesie lacrimas, anxietates, sumptus et onera, que subierint persecutionis quondam Frederici olim Romanorum imperatoris ejusque imperii potestatis temporibus, nec non dampna, exilia, penas, injurias atque mortes illata dicte Ecclesie fidelibus et devotis, quorum fecit sanguinem ebuliri prefate persecutionis acerbitas longo tempore protelata, quasi regulus ex radice colubri, lapidis offensionis et petri scandali, videlicet dicti quondam Frederici, olim Romanorum imperatoris dampnate memorie, exiens, ipsius et predecessorum suorum etiam scelerum imitator, occupator insule Sicilie et invasor, obaudiens ut aspis surda nostra salubria monita et paterna spernens consilia, de facto, cum de jure non posset, se fecit in regem Sicilie coronari et inungi quin potius execrari, nec profecimus apud eum. Insuper non latet in abditis quod ad mundi angulos est deductum, qualiter a nobis exierint, licet ex nobis non fuerint, Jacobus et Petrus de Columpna, olim Sancte Romane Ecclesie cardinales, et quomodo, cum natis quondam Johannis de Columpna, fratris Jacobi et patris Petri prefatorum, suisque sequacibus, novi et inauditi scismatis inventores in superbie spiritu cornua erigentes, contra nos et Sedem Apostolicam rebellarunt; propter quod, gravibus processibus spiritualiter et temporaliter habitis contra eos, etiam per hostiles [qui] extiterunt non sine magnis effusionibus expensarum quas bellica facta requirunt sed cum multis nostris et subjectorum fidelium et devotorum nostrorum oneribus et subsidiis studuimus eorum superbiam et suorum sequacium efficaciter ebdomare, civitate Nepesina, Cagaroli et castris aliis atque terris, que tenebantur pro ipsis, ad nostra et Ecclesie memorate mandata redactis, victo etiam et destructo funditus castro Columpne, ut sub silentio transeamus inexplicabiles sumptus quos fecimus in armata, quam per carissimum in Christo filium nostrum Aragonum regem illustrem fieri procuravimus ad recuperationem insule Sicilie contra Fredericum predictum.

Ad hujusmodi autem pacificum Christianorum statum et recuperationem insule procurandos, inter cetera precipue nos induxit et angit nostro et Ecclesie prefate cordibus infixa consideratio et quasi indelebilis Terre Sancte succursus, Christi sanguine consecrate, que sic immaniter et in tante (*sic*) Christianitatis opprobrium ab infidelibus prophanatur, cui non videmus posse efficaciter subvenire nisi cismarina prius christianitas tranquilletur, potissime in partibus et provinciis illis et regnis a quibus potest et solet dicte Terre efficacius subveniri, et maxime nisi prius dicta insula Sicilie ad mandata nostra et prefate Ecclesie revertatur.

Cum igitur ex premissis, sicut vestra universitas ignorare non debet, gravia onera subierimus et expensas, ad relevanda hujusmodi gravamina et importabilia onera et expensas ac necessitates, quibus premimur nos et Ecclesia memorata, et ut facilius supportare possimus que nobis incumbunt et imminent facienda, et ut, Deo actore, ad honorem suum, ad optatum finem laudabilia proposita nostra producere valeamus prout expedire viderimus et decere, cum sit consonum rationi ut filii patribus, subditi superioribus, non solum exteriorem honorem impendant verum etiam in necessitate subveniant promptis obsequiis, exurgatis et nobis impendatis auxilium quod a vobis cum fiducia magna requirimus, excitantes vos, hortantes et rogantes attente pro utilitate publica et intollerabilibus oneribus nostris et dicte Ecclesie relevandis, quibus nos et Sedes premimur memorata, quatinus ad requisitionem venerabilis fratris nostri R., episcopi Vicentini, quem ad hoc ad partes vestras specialiter destinamus, tale et tam festinum subsidium

nobis et dicte Sedi efficaciter prebeatis quod devotionem vestram et promptitudinem obsequendi exinde merito commendare possimus, et nos et dicta Sedes, vestram gratitudinem attendentes, reddamur ad vestra commoda promptiores. Dat. Reate, kal. octobris, anno quarto.

In e. m. *venerabili fratri R., episcopo Vicentino.* Procellosi temporis, et cetera usque : non debet, gravia subissemus onera et expensas; propter quod venerabilium fratrum nostrorum archiepiscoporum et episcoporum ac dilectorum filiorum electorum, abbatum, per regnum Francie constitutorum egebamus succursibus et subventionibus indigebamus, ipsos duximus per alias nostras litteras attente monendos, affectuose rogandos et obsecrandos in Domino Jhesu Christo quatinus ad relevanda hujusmodi gravamina et importabilia onera et expensas ac necessitates, quibus premebamur nos et Ecclesia memorata, exurgerent et nobis impenderent auxilium quod ab eis cum fiducia magna requirebamus, excitantes ipsos, hortantes et rogantes attente ut pro utilitate publica et intollerabilibus oneribus nostris et dicte Ecclesie relevandis, quibus nos et Sedes premebamur predicta, ad requisitionem tuam, quem propter hoc ad partes illas specialiter destinabamus, tale et tam festinum nobis et dicte Sedi efficaciter subsidium preberent quod devotionem attendentes redderemur in suis petitionibus promptiores. Quocirca nos, eorumdem prelatorum et personarum ecclesiasticarum gratitudinem experiri volentes, de tua circumspectione confisi presentium tibi auctoritate committimus et mandamus quatinus, eisdem archiepiscopis et episcopis, prelatis et personis ecclesiasticis per te vel alium seu alios dictas nostras litteras representans, eos juxta prudentiam a Domino tibi datam ex parte nostra requiras, roges, excites et inducas ut ipsi, tanquam devotionis et benedictionis filii, ad nos et predictam Ecclesiam matrem tuam debite gratitudinis, devotionis et caritatis aperientes viscera cum effectu, sic in tante necessitatis causa ac ad tanta onera sublevanda nobis habunde subveniant quod, post divine recompensationis premium, nos, videntes eos satis retribuere pro omnibus istis temporalibus que tribuit eis Deus, non solum eorum gratitudinem in Domino merito commendare possimus, sed ad [1] eadem sua et ecclesiarum suarum commoda et honores pro tempore nos gratiosi reddamur faciles et benigni. Dat. ut supra.

(Potthast, 24727.)

1. *Ms* : et.

2887 (xii) Rieti, 1er octobre 1298.

« Raynaldo, episcopo Vicentino, super eodem. » (fol. 130.)

Eidem. Per alias nostras sub certi tenoris litteras tibi dedimus in mandatis ut venerabiles fratres nostros archiepiscopos ac dilectos filios electos, abbates — ceterasque omnes personas ecclesiasticas, regulares et seculares, exemptos et non exemptos per regnum Francie constitutos, quorum volumus gratitudinem et ingratitudinem experiri, ex parte nostra rogares, induceres, excitares et hortareris attente ut nobis et Romane Ecclesie, matri sue, tanquam benedictionis et devotionis filii, ad nos et eandem Ecclesiam debite gratitudinis, devotionis et caritatis aperientes viscera cum effectu, ad nostra et dicte Ecclesie relevanda onera subvenirent, prout in ipsis litteris plenius continetur. Ut autem aliter cum devotis aliter cum indevotis agatur, presentium tibi tenore committimus et mandamus quatinus eos quos in hoc, post inductionem, excitationem et cohertionem (*sic*) hujusmodi, tenaces, ingratos et duros inveneris, nec non et illos de quibus videris expedire, quos ab administratione spiritualium et temporalium a tempore citationis hujusmodi volumus esse suspensos, ex parte nostra per te vel alium seu alios peremptorie cites et mandes eisdem ut infra illum terminum, quem ad hoc tua discretio duxerit prefigendum, personaliter nostro se conspectui representent, audituri et facturi que eis duxerimus injungenda nostrisque beneplacitis parituri, quicquid autem super hiis faciendum duxeris nobis intimare procures. Dat. ut supra.

(Potthast, 24728)

2888 (xiii) Rieti, 1er octobre 1298.

« Littere decime ad diversos collectores. » (fol. 130.)

Littere decime. *Venerabilibus fratribus .. Aquilegensi et ..Gradensi patriarchis et eorum suffraganeis ac universis archiepiscopis, et episcopis etc., ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, tam in Italia extra regnum Sicilie, quam extra eam in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus et provinciis constitutis.* Procellosi temporis — nos enim ad illum finem tendimus et, actore Domino, aspiramus ex quo Christianitati ac vobis tranquilitatis dulcedo proveniet et Terre Sancte succursus — decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum tam in Italia extra regnum Sicilie quam extra eam in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus et provinciis per tres annos a festo Nativitatis nuper preterito numerandos duximus imponendum. Quam

per hujusmodi triennium, hujus videlicet primi anni decimam integre propter ingruentes necessitates immediate quadragesime futuro proximo, secundi vero in duobus terminis scilicet : in festis Nativitatis beati Johannis primo venture pro medietate ipsius decime, et Natalis Domini subsequentis pro alia medietate, et tertii in hujusmodi festivitatibus ejusdem tertii anni modo simili, nostro et ipsius ecclesie nomine, illis personis quas ad hoc duxerimus deputandas, volumus et mandamus ut liberaliter persolvatis —. Non obstantibus, et cetera. Ceterum clericos illos ad prestationem ipsius decime teneri nolumus quorum ecclesiastici redditus et proventus summam septem librarum turonensium parvorum non excedant. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ceterisque omnibus personis ecclesiasticis per regnum Sicilie constitutis.* — ut in precedenti per totum. — Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Beneventano, collectori decime in regno Sicilie.* — Ut per triennium et terminis institutis dictam decimam in his partibus recipiet. — Dat. ut supra.

In e. m. *archiepiscopis et episcopis ceterisque omnibus personis ecclesiasticis per Arelatensem, Aquensem, Ebredunensem, Viennensem, Tarantasiensem et Bisuntinam civitates et dioceses earumque provincias, necnon et per eam partem Lugdunensis provincie que est citra Rodanum extra regnum Francie constitutis.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *archiepiscopo Ebredunensi collectori decime in supra nominatis partibus.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Massiliensi, collectori decime in Arelatensi et Aquensi civitatibus ac diocesibus atque provinciis.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Paduano, collectori decime in Marchia Tervisina, Aquilegensi, Gradensi civitatibus et diocesibus, patriarchatibus atque provinciis.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Novariensi, collectori decime in Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provinciis, necnon in eisdem Mediolanensi, Papiensi, Januensi, et Placentina civitatibus et diocesibus.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Faventino, collectori decime in provincia Ravennati, Marchia Anconitana et Massa Trabaria, necnon in eisdem* [1] *Ravennati, Ariminensi, Ferrariensi, Sancti Leonis et Urbinati civitatibus et diocesibus ac Pomposiani et Galliate monasteriis seu abbatiis et S. Marie de Balneo et S. Agathe plebibus, ac eorum et etiam monasterii Farfensis terris in Marchia ipsa et partibus Romaniole consistentibus.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Pistoriensi, collectori decime in provincia Tuscie.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Nepesino, collectori decime in patrimonio beati Petri in Tuscia et ducatu Spoletano ac Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus.* — Dat. ut supra.

In e. m. .. *episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime, Sabineque provinciis, necnon in Hostiensi Penestrina, Tusculana, Portuensi et Albanensi, ac Reatina, Interanensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus ac monasteriis Sublacensi, Farfensi et S. Salvatoris Reatini abbatiis et eorum terris.* — Dat. ut supra.

1. eadem.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM QUINTI ANNI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

2889 (1) Latran, 28 janvier 1299.

Interpretatio privilegii regi Francie concessi super fructibus primi anni beneficiorum ecclesiasticorum. (Reg. 49 fol. 133.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri. Dudum celsitudini tue, propter imminentes tunc tibi et regno tuo intrinsece guerre periculum, pro salubri deffensione intrinseci status ejusdem regni, quod Sedes ipsa velut ortum conclusum, in quo divinus cultus preteritis temporibus viguit, inter singula regna mundi dileximus et diligimus (*sic*), omnes fructus, redditus et proventus et obventiones quaslibet primi anni omnium prepositurarum, decanatuum, archidiaconatuum et aliarum dignitatum ecclesiasticarum, archiepiscopalibus, episcopalibus ac monasteriis seu abbatiis dumtaxat exceptis, et prebendarum et beneficiorum omnium, que in regno ipso dicta guerra durante vacare contingeret, in iminentium tibi expensarum subsidium duximus concedendos, prout in litteris seu privilegio super hoc celsitudini tue concessis plenius continetur. Verum diversas postmodum et luctuosas Ecclesie Gallicane querelas accepimus quod multa et grandia quin immo intollerabilia gravamina pretestu concessionis hujusmodi ecclesiis et personis ecclesiasticis tam regularibus quam secularibus dicti regni per executores tibi datos a nobis, vel per subdelegatos ab eis, sive per seculares balivos, officiales et ministros regios, hujusmodi privilegium plus debito extendentes, in diversis casibus et maxime quando per hujusmodi executores vel subdelegatos invocatur super hiis auxilium brachii secularis, illata dicuntur hactenus et cotidie gravius irrogari. Ex quibus, si relatis veritas suffragetur, posset Divina Majestas, que tantum te sublimavit inter filios hominum, provocari, Apostolice Sedis honor et noster, qui tanta te affectione prosequimur, ledi ac nitor fame tue celebris offuscari. Quocirca nos, tam nostra et ejusdem Sedis quam tua consideratione, non valentes hoc, sicut etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, serenitati tue super hiis intentionem et volunptatem nostram clarius apperire providimus, et aliqua prout expedit tam in exactis quam exigendis fructibus seu proventibus dubia declarare, cum ad nos ipsius privilegii interpretatio quod a nobis gratiose processit pertineat, et nostrum sit extimare modum quem volumus beneficii nostri esse, ne quod ad bonum fecimus redundet in noxam vel eliciatur sanguis ab ubere quod ad fomentum tuarum virium porrexerit tibi ex multe dilectionis teneritudine Sancta Romana Ecclesia mater tua. Que profecto[1], quanto liberalius votis tuis exponitur, tanto meruit tractari modestius et in suis sacris membris, titulis et ordinibus plenius honorari. Ut igitur nostra tibi, fili[2] carissime, super hiis intentio patefiat, volumus et auctoritate presentium declaramus ut privilegium hujusmodi ad conventuales prioratus, nec non ad non conventuales aut ad illos quorum priores per superiores suos pro libito absolvuntur, sive distinctos sive non distinctos proventus habere noscantur, aut etiam ad beneficia vacantia aliter quam per mortem nullatenus extendatur; sed nec etiam extendatur ad magistros, preceptores, priores, balivos vel officiales, quocumque nomine censeantur, ordinum Sancti Johannis Jerosolimitani ac Sancte Marie Theotonicorum et Militie Templi nec non Sepulcri Dominici, sive perpetuos sive temporales, qui per mortem vel alias quocumque modo ab officiis vel commissis eis administrationibus cessant, vel ipsa deserunt aut dimittunt vel etiam amoventur ab eis; nec ad ecclesias, administrationes, balivas vel loca seu grangias eis commissas ; nec etiam ad magis-

1. *Ms.* : prefato.
2. *Ms* : filii.

tros, preceptores seu priores sive prelatos, quocumque nomine censeantur[1], domorum dei, leprosariarum, hospitalium pauperum, presertim ubi prelati ad mensam suam non habent bona distincta vel etiam si haberent; sed nec ad ecclesias, balivas, maneria, prepondituras, guardias, vicarias, custodias, rendarias, obedientias vel firmas que vel sub predictis vel quibusdam aliis nominibus per abbates, monasteria vel ecclesiarum capitula vel personas alias ecclesiasticas committuntur; nec etiam ad vicarias seu capellanias, ut plurimum a decedentibus vel secundum morem diversarum ecclesiarum a quibuscumque institutas ad missas pro ipsis decedentibus celebrandas, certis institutis redditibus presbitero inibi celebranti seu aliis ut intersint divinis vel nocturnis canonicis horis. Si autem beneficium quod habet decedens tenetur de consuetudine vel de jure ad hospitalitatem vel ad certas helemosinas impendendas vel pitantias seu censum, declaramus ut ista debeant detrahi de fructibus primi anni. Si etiam duplices fructus primo anno concurrant, sic ipsos fructus intelligimus tibi fore concessos ut in eodem anno fructus ejusdem beneficii non recipias nisi semel. Verum, quia contingit interdum quod primi fructus beneficiorum hujusmodi debentur defuncto vel fabrice aut ecclesie habenti annalia, declaramus ut pretextu dicti privilegii non prejudicetur premissis in totum qui primi anni alias fructus fuerant percepturi de jure, consuetudine, privilegio vel statuto; sed tu tunc medietatem fructuum primi et secundi anni, et predictus defunctus vel fabrica vel ecclesia habeat alias duas partes primi scilicet et secundi anni, qui, si privilegium non obstaret, fructus primi anni integraliter percepisset; ex tunc vero subsequenter recipiant sequentes fructus, si plures fuerint, scilicet unus medietatem tertii et quarti anni et sic deinceps, ut, etsi differatur perceptio fructuum, hii tamen eis qui percepturi sunt finaliter non fraudentur. Hujusmodi etiam privilegium dicimus non extendi ad prioratus, subprioratus, claustrales, forestarias, cellerarias, infirmarias, hospitalarias et administrationes alias, sub abbate infra monasteria seu loca regularia constitutos. Idem quoque dicimus de grangiis et balivis et locis ecclesiasticis in quibus non sunt oratoria licet temporaliter vel perpetuo conmutantur, sed nec ac cotidianas distributiones quarumcumque ecclesiarum seu ad anniversaria vel obventiones que ad certum quid deputate noscuntur vel ad beneficia quorum adeo tenues sunt proventus quod a prestatione decime absolvuntur vel ad beneficia in Curia Romana vacantia, majora vel parva, quocumque nomine censeantur, quorum dispositio ad Romanum dumtaxat pontificem dinoscitur pertinere hujusmodi privilegium aliquatenus extendatur. Declaramus insuper quod pro ventuum beneficiorum vacantium primi anni, tibi per hujusmodi nostrum privilegium concessorum, ac ejus, quod est dimitttendum in ecclesiis non collegiatis ei qui ministrabit in beneficio sic vacanti quousque alius fuerit institutus, extimatio non per executores tibi datos a nobis vel subdelegatos ab eis aut per regios officiales fiat sed per ordinarios tantum. Que quidem proventuum tibi solvendorum extimatio, per dictos ordinarios facienda, fiat secundum extimationem secundum quam de ipsis proventibus, exceptis tamen distributionibus ad quas predictum privilegium prout premissum est non extenditur, decima solvi solet. Ceterum, si primi anni proventus hostilitate vel sterilitate facientibus ad valorem solitum non ascendant, non plus pro te exigi volumus quam ipsi proventus tempore hujusmodi sterilitatis vel hostilitatis ascendant, licet forsan annorum precedentium fructus plus valere consueverint vel sequentium plus valerent. Volumus quoque, et est consonum rationi, ad scandala evitanda, quod solutio hujusmodi proventuum fiat in terminis congruis per ipsos ordinarios statuendis, quibus ordinariis ex nunc duximus committendam. Illorum autem beneficiorum vacantium primi anni proventus tibi per hujusmodi privilegium intelligantur concessi que de facto et de jure vacare noscuntur, non illorum in quibus hii qui ea possident ab ordinariis tollerantur licet sue institutionis titulum non obstendant. Ac, si que obligationes pro solutione istorum fructuum tibi vel tuis officialibus facienda aut executoribus tibi deputatis vel subdelegatis ab eis inite fuerint contra presentis declarationis tenorem, ipsas volumus non tenere. Volumus insuper ut super solutione seu perceptione hujusmodi proventuum primi anni non invocetur brachium seculare absque nostra speciali auctoritate vel licentia per nostras patentes litteras exprimenda, cum satis censura ecclesiastica ad hoc sufficere videatur nisi aliud specialiter mandaremus. Sed nec pretextu defectus solutionum volumus ut ad calices, vasa sacra, libros et vestes et bona mobilia divino usui dedicata manus aliquatenus extendatur. Cumque duxerimus ordinandum quod ecclesia Albiensis, que olim fuit ecclesia regularis, secularis existat, quodque, vacantibus dignitatibus, personatibus, portionibus et prebendis aut beneficiis personarum regularium, substituantur in eis ecclesiastice seculares persone que in locum eorum succedant, hujusmodi privilegium ad proventus talium dignitatum, personatuum vel beneficiorum seu portionum declaramus et volumus non extendi.

Regalem igitur excellentiam rogamus et hortamur

1. *Ms* : Ceseantur.

attente per Apostolica tibi scripta mandantes quatinus prefatas ecclesias et personas ecclesiasticas, in perceptis vel percipiendis fructibus, proventibus et obventionibus memoratis pro divina et Apostolice Sedis reverentia non facias nec permittas contra hujusmodi volunptatis, intentionis et declarationis nostrarum tenorem in aliquo molestari, percepta contra ipsorum formam restitui faciens et si qua detines occupata dimittas : te circa hoc taliter, prout de tue serenitatis virtute confidimus, habiturus quod in ipsis ecclesiis regni tui divinum cultum propterea inminui non contingat, et ecclesiastice persone non solum patientius ferant onus quod eis ex concessione talis privilegii conqueruntur illatum ; verum etiam pro incolumi et longeva regie majestatis vita, gloriosis successibus et eterna salute nec non pro statu prospero regni tui in eisdem ecclesiis, que domus orationis existunt, non egris animis non segniter [1] sed ex corde, ac ipsi earumdem ecclesiarum patroni, Sancti et Sancte Dei, ad Dominum cui semper assistunt jugiter intendant; nosque, ad instar Illius qui bonis et rectis corde benefacere delectatur, videntes tuos officiales ab iniquitatibus restringere manus suas, amplioribus te gratiis et honoribus prosequamur. Hujusmodi autem nostras intemptionem, volunptatem et declarationem privilegii sepedicti, contra quas, si quid attenptatum est hactenus, vel imposterum attemptari contigerit, decernimus non tenere, sic ad executorum tibi a Sede Apostolica concessorum et subdelegatorum ab eis ac officialium tuorum facias deduci notitiam, quod, nostro et tuo honore servatis, provideatur indempnitatibus Ecclesie Gallicane. Dat. Laterani, v kal. februarii, pontificatus nostri anno quinto.

(POTTHAST, 24772 sed non integre.)

2890 (II) Latran, 24 janvier 1299.

Provisio heremi Sancte Crucis Fontis Avellane. (fol. 134.)

Dilecto filio Jacobo, priori heremi Sancte Crucis Fontis Avellane, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis. Ad exequendum pastoralis —.

Provisionem heremi Sancte Crucis, vacantis per obitum quondam Mathei prioris in civitate Reatina, tunc inibi residente Romana Curia, Apostolice Sedis reservatam gratiose remisit dominus papa monachis ejusdem, sub ea forma ut per viam scrutinii procederent et, juramento prestito, quicquid per eas fieri contingeret ad ejus presentiam deferrent. De septuaginta duobus monachis, tunc in ipsius heremi capitulo congregatis, quinquaginta duo in .. abbatem monasterii Sancti Laurentii in Campo, ordinis sancti Benedicti, Fanensis diocesis, direxerunt vota sua. Hec electio, per Gerardum, episcopum Sabinensem, Nicolaum, tit. S. Laurentii in Damaso presbyterum, et Jacobum, S. Georgii ad Velum Aureum diaconum cardinales examinata, non admittitur, « non persone vitio sed ex aliis certis rationabilibus causis », et suprascriptus, tunc prior claustralis ejusdem heremi, preficitur in priorem.

Dat. Laterani, VIIII kal. februarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24768.)

In e. m. *Dilectis filiis capitulo heremi Sancte Crucis Fontis Avellane, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Eugubine diocesis — universis vassallis.* — Dat. ut supra.

2891 (III) Latran, 3 février 1299.

Provisio ecclesie Januensis. (fol. 134 v°.)

Venerabili fratri Porchetto, archiepiscopo Januensi. In supreme dignitatis —.

Eum, ordinis Minorum professorem, ecclesie Januensi, per obitum bo. me. Jacobi archiepiscopi vacanti et ea vice dispositioni Sedis Apostolice reservate, preficit in antitistem, ei per Matheum Portuensem episcopum munere consecrationis impendere et pallio exhibito.

Dat. Laterani, III non. februarii, anno quinto.

In e. m. *Dilectis filiis capitulo ecclesie Januensis — clero — suffraganeis — populo — vassallis.* — Dat ut supra.

(POTTHAST, 24777.)

2892 (IIII) Latran, 31 janvier 1299.

Ut possit contrahere mutuum usque ad summam septingentarum marcharum argenti. (fol. 134 v°.)

Venerabili fratri Marono, archidiacono Bracharensi. Cum sicut in nostra. — Dat. Laterani, II kal. februarii, anno quinto.

2893 (V) Même date.

Ut possit contrahere mutuum usque ad summam mille quingentorum florenorum auri. (fol. 135.)

Dilecto filio Bartholomeo, priori monasterii Sancte Crucis Colimbriensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini. Ex parte tua. — Dat. ut supra.

1. *Ms* : seniter

2894 (VI) Même date.

Ut possit contrahere mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri. (fol. 135.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Pisano. Ex parte tua. — Dat. ut supra.

2895 (VII) Latran, 8 février 1299.

Executoria mutui. (fol. 135.)

Venerabili fratri .. episcopo Theanensi et dilecto filio Guidoni, priori ecclesie Sancti Augustini de Rechano, Pisane diocesis. Exponente nobis pridem —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum mille florenorum auri quos Thedisius, archiepiscopus Turritanus, recepit ab Odone Gaitano et Jacobo ejus filio, civibus et mercatoribus Pisanis de societate Benedicta ac ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, VI id. februarii, anno quinto.

2896 (VIII) Latran, 10 février 1299.

Provisio Pisane ecclesie. (fol. 136.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Pisano. Romani pontificis —.

Suprascriptus, ordinis Predicatorum professor, ecclesie Pisane, « per promotionem Theoderici, tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis, ad apicem cardinalatus assumpti, quem olim eidem ecclesie tunc per obitum bo. me. R., Pisani archiepiscopi, pastoris solatio destitute prefeceramus in archiepiscopum », vacanti, preficitur in archiepiscopum, ei munere consecrationis impenso et pallio exhibito per Mattheum, Portuensem episcopum.

Dat. Laterani, quarto id. februarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24783.)

In e. m. *archipresbytero et capitulo — suffraganeis* —. Dat. ut supra.

2897 (VIIII) Latran, 2 février 1299.

Confertur archidiaconatus ecclesie Rothomagensis. (fol. 136 v°.)

Dilecto filio Bartholomeo, decano ecclesie Pictavensis, capellano nostro. Clara multiplicis probitatis —.

Conferuntur suprascripto archidiaconatus et canonicatus ecclesie Rothomagensis quos Johannes de Capriaco, electus Carcassonensis, tempore promotionis sue obtinebat et qui, cum ceteris ejus beneficiis, Apostolice dispositioni reservati fuerunt, nonobstante quod decanatum ecclesie Pictavensis et in eadem ac Sancti Yllarii ecclesiis Pictavensibus canonicatus et prebendas noscitur obtinere.

Dat. Laterani, IIII non. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono Tornacensis, Pictavensis, et magistris Bernardo Roiardi, capellano nostro, Xanctonensis, ac Gaufrido de Plesseio, Remensis canonicis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2898 (X) Latran, 25 janvier 1299.

De restitutione castri Argente (fol. 137).

Dilectis filiis nobilibus viris Azoni et Francisco, fratribus, marchionibus Estensibus. Nuper non sine —.

Ut castrum Argente, ab eis usurpatum, magistro Rogerio Caze infra viginti dies restituant non obstante subterfugio quo eumdem nuncium, hanc restitutionem sibi aut archiepiscopo Ravennati fieri infra mensem prius postulantem, eluserant asserendo quod a Maghenardo de Susignano et Rolandino de Camesio, nomine illius archiepiscopi, occupabatur.

Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24769.)

In e. m. *dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni Ferrariensibus.* —. Dat. Laterani, VII kal. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. potestati, consilio et comuni Mutinis* —. Dat. ut supra.

2899 (XI) Latran, 25 janvier 1299.

Eadem de re. (fol. 138.)

Venerabili fratri .. episcopo Faventino. Digna nos monet —.

Ei mandat quatinus, si marchiones Estenses mandatis in epistola precedenti contentis infra tempus efficaciter obedire non curaverint, contra eos et universos atque singulos qui fuerint rebelles ad excommunicationis in personas et in terras ipsorum et eorum subjectas regimini interdicti nec non omnium feudorum, privilegiorum, indulgentiarum et immunitatum cunctorumque bonorum et jurium que a Romana seu Ravennati et aliis tenent et habent ecclesiis privationis sententias, appellatione remota, procedat ac alias spiritualiter et temporaliter prout justitia suadebit.

Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno quinto.

2900 (XII) Latran, 9 février 1299.

Super facto castri Dolii. (fol. 138 v°.)

Dilectis filiis .. de Sancto Miliano ac .. de Claserna, Eugubine diocesis, monasteriorum abbatibus. Dudum ad nostram deducto notitiam quod inter civitatis Eugubine et castri de Saxoferrato [1], diocesis Nucerine, comunia occasione castri Dolii, predicte diocesis, vel ejus et aliorum quorumdam confinium erat materia turbationis exorta, pluresque fuerant hinc et inde injurie ac offensiones illate ex quibus non solum eis sed aliis etiam fidelibus illarum partium gravia poterant scandala suscitari, nos, volentes super hiis utiliter providere, prefata comunia nec non Brodarium, natum quondam nobilis viri Hermanni [2], de dicto castro militem, ex parte nostra fecimus sub certa forma citari ut utrumque ipsorum comunium, per legitimum sindicum, ac dictus Brodarius, personaliter, infra certum terminum nostro se conspectui presentarent, audituri et facturi que super premissis injungeremus eisdem. Facta itaque citatione hujusmodi et eisdem comunibus ac prefato Brodario juxta hujusmodi mandati nostri tenorem comparentibus coram nobis, nos, volentes oportunum adhibere remedium in premissis, prefatis comuni Saxiferrati et eorum officialibus ac predicto Brodario certum mandatum super hiis per nos et alium duximus faciendum quod sub certis spiritualibus penis mandavimus observari. Verum, quia, sicut accepimus, predictum comune ac officiales de Saxoferrato dictusque Brodarius fuerunt mandati nostri hujusmodi contemptores, nos, nolentes ut ipsi de contemptu eorum et nequitia glorientur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, potestatem et comune Saxiferrati dictumque Brodarium ex parte nostra perhemptorie citare curetis ut comune ipsum, per syndicum ad hoc ab eis legittime ordinatum, et prefati potestas et Brodarius, personaliter, infra quindecim dies post citationem nostram, nostro se conspectui representent, super hujusmodi contemptu et inobedientia pro meritis recepturi ac facturi que ipsis super premissis omnibus duxerimus injungenda : alioquin ex tunc contra eos ad agravationem spiritualium predictarum et inflictionem temporalium penarum, prout expedire viderimus, procedemus. Diem autem hujusmodi citationis et formam et quicquid super premissis duxeritis faciendum nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, v id. februarii, anno quinto.

1. *Ms* : Sasferrato.
2. *Ms.* Hemanni.

2901 (XIII) Latran, 15 février 1299.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quinque millium florenorum auri. (fol. 139.) [1]

Dilecto filio Egidio Camelini, electo Rodonensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, xv kal. martii, anno quinto.

2902 (XIIII) Latran, 11 février 1299.

Provisio ecclesie Redonensis. (fol. 139.)

Eidem. Ad apicem summi —.

Eum, decanum ecclesie Meldensis, ecclesie Redonensi per translationem Johannis ad Lexoviensem vacanti et Apostolice dispositioni reservate preficit in episcopum.

Dat. Laterani, III id. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. thesaurario et capitulo ecclesie Redonensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie — Johanni comiti Britanie —*. Dat. ut supra.

2903 (XV) Latran, 5 février 1299.

Executoria mutui pro creditoribus prioris heremi Camaldulensi. (fol. 139 v°.)

Dilecto filio magistro Egidio de Aquileio, canonico Senonensi. Supplicante nuper nobis —.

Notificatur ei executorio nomine mutuum duo millium sexcentorum florenorum auri de summa trium millium quos David, prior heremi Camaldulensis, recepit a Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali.

Dat. Laterani, non. februarii, anno quinto.

2904 (XVI) Latran, 20 février 1299.

Idem pro creditoribus prioris Sancte Crucis Colimbriensis (fol. 139 v°.)

Dilectis filiis Raynerio de Vichio, Lichefeldensis, et Petro de Monte Ochiello, Bononiensis, ac Lanto Guidonis, Pistoriensis ecclesiarum (canonicis). Ex parte dilecti —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum mille quingentorum florenorum auri quos Bartholomeus, prior monasterii

1. Legitur in margine.

Sancte Crucis Colimbriensis recepit a Paulo Spine, mutuante pro se, Martino et Marco Jacobi, Nese et Tottho Bartholomei de Amannatis, Jacobo Agolantis, Currado Lantis, Johanne Bandini et Dino Johannis Gerardini, Lanfranco Jandonati, Johanne Franchi, Johanne Arrigonis et Vanne Fredi, Johanne Jacobi Agolantis, Meo Nesis, Phylippo Franchi et Johanne de Lamporechio, de societate Amanatorum de Pistorio.

Dat. Laterani, x kal. martii, anno quinto.

2905 (XVII) Même date.

Idem pro creditoribus archiepiscopi Pisani. (fol. 139 v°.)

Dilectis filiis magistro Nicolao de Neapoli, Florentine, et Jacobo Pagano, Tullensis ecclesiarum canonicis. Ex parte venerabilis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum trium millium florenorum auri quos Johannes, archiepiscopus Pisanus, recepit a Bocciameo Johannis Cavallosaris mutuante pro se ac Ceo Symone et Pucceto ejusdem Bacciamei fratribus, civibus et mercatoribus Pisanis de societate de Cavallosaris.

Dat. ut supra.

2906 (XVIII) Latran, 11 février 1299.

Provisio ecclesie Paduane. (fol. 139 v°.)

Dilecto filio Ottobono, electo Paduano. Onerosa pastoralis officii —.

Is, tunc auditor litterarum contradictarum audientie domini pape, ecclesie Paduane, per translationem Johannis ad Bononiensem vacanti et Apostolice dispositioni reservate, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, III id. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — universis vassallis —*. Dat. ut supra.

2907 (XVIIII) Latran, 17 février 1299.

Confirmatur compositio facta super dominio civitatis Appamiarum (fol. 140.)

Venerabili fratri.. episcopo et dilectis filiis capitulo Appamiarum, ac nobili viro Rogerio, comiti Fuxi, Appamiarum diocesis. Ea que judicio vel concordia terminantur firma debent et illibata persistere et, ne in recidive contentionis scrupulum relabantur, Apostolico convenit presidio communiri. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, cum olim inter vos, frater episcope et filii capitulum, ex parte una, et te, fili comes, ex altera, super temporali jurisdictione civitatis Appamiarum, et civitate ipsa ejusque pertinentiis, et quibusdam aliis diversis articulis orta fuisset materia questionis, demum, mediante dilecto filio nobili viro Guidone de Levis, domino de Mirapesce, talis inter vos amicabilis compositio, si ad id nostrum beneplacitum et assensus accederent, intervenit, videlicet quod tu, predicte comes, tuique successores et posteri castrum civitatis ejusdem habeatis et teneatis, quod cum munitionibus dicte civitatis expensis propriis teneamini fideliter custodire, tuque, prefate episcope, habeas et teneas quandam turrim imperpetuum magnam et fortissimam cum suis edificiis et pertinentiis, ibidem de novo constructam per te, comes memorate ; et quod merum et mixtum imperium, et omnimoda ordinaria jurisdictio, et eorum exercitium, ac omnes proventus et redditus civitatis ejusdem, provenientes ratione furnorum, molendinorum, bancorum, judeorum, leude, curie, omnes incursus rerum mobilium et immobilium, temporalium tamen, et bona vacantia dicte civitatis et ejus territorii quoquomodo evenientia, et omnes justitie pecuniarie sexaginta solidorum Tholosanorum et septem solidorum et quecumque alie, sive majores fuerint sive minores, et oblie de Villanova et de Campo Appamiarum, et oblie Clavarum, cum earum foriscapiis et penis earum impositis contra cessantes oblias solvere temporibus a jure statutis, ac molendina, prata, vinee et quarta vinearum et oboli, que tu, dicte comes, detinebas seu percipiebas, ad vos pertineant, et communia inter vos equalibus portionibus pro indiviso existant, necnon et omnes alii redditus et proventus dicte civitatis ad temporalitatem quomodolibet pertinentes, exceptis obliis majoribus non expressis cum earum foriscapiis et penis impositis contra cessantes oblias solvere temporibus a jure statutis, que non consueverunt poni in pariagiis regum vel comitum temporibus retroactis, et si predictarum obliarum non expressarum res alias confiscarentur et venirent in commissum, tu predicte comes et tui teneamini eas ejicere [1] extra manum post annum atque diem, quarum quidem rerum oblie solum ad te predicte episcope et tuam ecclesiam perpetuo pertinebunt ; et quod sit in castro predicto castellanus per vos, prefati episcope et comes, communiter

[1] *Ms.* : eicere

eligendus, qui tuis expensis propriis, dicte comes, castrum ipsum fideliter custodiat, et incarcerandos illuc mittendos nomine vestro, dicti episcope et comes, ac ecclesie prelibate fideliter custodiat posse suo, et eidem castellano per te, dicte comes, de tuo salarium persolvatur ; et quod in civitate predicta sit vicarius qui omnes proventus et redditus recipiat communiter nomine vestro et equalibus portionibus restituat tibi, episcope, et eidem ecclesie, tibique, comes predicti, et qui de communi assensu vestro eligatur, ac juret vobis se fideliter habiturum in hujusmodi officio sibi commisso, et de administratis per eum vobis teneatur reddere rationem, qui etiam servientes ponat et eligat in ipsa civitate, qui preposito signo tuo, dicte episcope, in massis seu baculis quos portabunt, tua, dicte comes, signa portent. Qui etiam vicarius citationes reales et personales fieri faciat, et captiones capiendorum, et executiones sententiarum causarum criminalium et civilium, et alia, vice et nomine vestro, exerceat que ad vicarie officium pertinebunt ; et quod per vos ei communiter salarium exsolvatur ; et quod sit in civitate predicta unus bonus judex ordinarius, vir sapiens et discretus, per vos communiter eligendus, qui juret in manibus vestris vel locum vestrum tenentium, quod fideliter se habebit in officio judicatus per vos sibi commissò, et salarium vos communiter exhibeatis eidem ; et quod omnia que in ipsa civitate per castellanum, vicarium et judicem, vel vos aut vestrum alterum, vel mandato vestro fient et proclamationes civitatis ejusdem rerum seu jurium ad temporalitatem ipsius civitatis duntaxat et ad vos communiter pertinentium equaliter nomine vestro fiant, preposito semper in preconisationibus et aliis premissis omnibus nomine tuo, dicte episcope, in signum majoris dominii, et in signum subjectionis, dicte comes, tuo nomine subsequente, et quod tu, dicte comes, tuique posteri recognoscatis vos tenere in feudum honoratum castrum et omnia supradicta a te, prefate episcope, et ecclesia tua et episcopis qui pro tempore prefuerint ecclesie memorate, et teneamini tibi, dicte episcope, pro te et ecclesia predicta recipienti, tuisque successoribus homagium et fidelitatis sacramentum prestare, quod facere debet fidelis vasallus domino suo fideli, et personam tuam, sepedicte episcope, et canonicorum ecclesie predicte, et tua et eorum bona et jura et subditorum vestrorum custodire fideliter vestro posse ; quodque tu, comes predicte, tibi, prefate episcope, et ecclesie memorate terram annui redditus mille librarum turonensium parvorum infra ipsam diocesim et extra civitatem predictam assignare tenearis, si poteris bono modo, alioquin pro qualibet libra annui redditus parvorum turonensium, que ex dicta quantitate dictarum mille librarum deficeret viginti libras parvorum turonensium vobis, predicti episcope et capitulum, exhibeas et persolvas, cum infra ipsam diocesim una libra prò viginti libris ejusdem monete exemptionis contractu communiter habeatur, ex quibus denariis pro defectu ipsorum reddituum traditis et solutis, vobis, dicti episcope et capitulum, tua provida discreptio, prefate episcope acquirere valeat redditus tue ecclesie memorate, si vobis, prefati episcope et capitulum, expediens videatur ; et quod in vexillis que ponuntur tubis quando fient preconizationes in civitate predicta vel aliis similibus signum tuum, prefate episcope, preponatur, tuum vero, comes predicte, deinde subsequatur, et quod quolibet anno in die festo beati Antonini mense septembris, tu, prefate comes, et gentes tue dimittere teneamini castrum predictum per totam illam diem tibi, memorate episcope, et canonicis ecclesie supradicte, familieque vestre ; quodque per totam illam diem usque in sero teneantur vexillum ejusdem ecclesie in signum dominii positum supra castrum, et eadem die in sero tu, dicte episcope, et prefati canonici, et tui ac eorumdem canonicorum successores teneamini tibi, dicte comes, tuisque successoribus libere dimittere castrum ipsum ; et quod tu, prefate comes, tenearis facere dicta die in signum subjectionis et dominii servitium consuetum canonicis ecclesie memorate, scilicet exhibendo eis dimidium modium frumenti purgati et unum modium vini puri, et unam vaccam pinguem, et quattuor porcos vel quattuor solidos tholosanorum pro porcis antedictis, prout in patentibus litteris inde confectis vestris, predicti episcope et capitulum, et comes ac nobiles prelibati, sigillis munitis perspeximus plenius contineri. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, compositionem hujusmodi per quam conditio ecclesie predicte melior est effecta, sicut eedem littere continebant, ratam et gratam habentes, eam auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus et presentis scripti patrocinio communimus, supplentes defectum, si quis in ea ex quacumque causa extitit de Apostolice plenitudine potestatis, ac decernentes compositionem ipsam per omnia et singula supradicta presentibus sic expressa plenum robur firmitatis obtinere, ac ei tam in judicio quam extra fidem omnimodam adhiberi, etiamsi de ipsa supradicte seu quevis alie littere, aut instrumenta vel munimenta non obstenderentur vel nullatenus apparerent. Nulli ergo, et cetera. Nostre confirmationis, suppletionis et constitutionis, et cetera. Si quis autem, et cetera. Dat. Laterani, XIII kal. martii, anno quinto.

(POTTHAST, 24786)

2908 (XX) Latran, 22 février 1299.

Provisio ecclesie Conchensis. (fol. 141)

Dilecto filio Pascasio, electo Conchensi. Pastoralis officii —.

Ecclesie Conchensi, per translationem Gundisalvi ad Toletanam vacanti et Apostolice dispositioni reservate, suprascriptus, archidiaconus Ulmetensis in ecclesia Abalensi, preficitur in episcopum. Eidem ecclesie de Sanctio Martini, archidiacono Talaverensi in ecclesia Toletana, provisum fuerat sed dictus Sanctius in manibus domini pape resignavit.

Dat. Laterani, VIII kal. martii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo — clero — populo — universis vassallis — venerabili fratri Gundisalvo, olim Conchensi episcopo, electo in archiepiscopum Tholetanum.* — Dat. ut supra.

2909 (XXI) Latran, 3 février 1299.

Provisio ecclesie Lexoviensis. (fol. 141)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Lexoviensi [1]. Apostolatus officium nobis —.

Vacante dicta ecclesia, per obitum G. episcopi, capitulum ipsius ecclesie Henricum de Tilleyo, eorum concanonicum, in minoribus ordinibus constitutum, postularunt in episcopum sed ea postulatio « ex certis causis » non fuit admissa et provisio dicte ecclesie Apostolice dispositioni fuit reservata. Suprascriptus, tunc episcopus Redonensis, transfertur ad prefatam Lexoviensem.

Dat. Laterani, III non. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — vassalis — regi Francorum illustri.* — Dat. ut supra.

2910 (XXII) Rieti, 11 octobre 1298.

Dispensatio super defectu natalium. (fol. 142)

Dilecto filio magistro Johanni de Denremunde, capellano nostro. Illegitime genitos —.

Dispensatur cum eo, familiariter apud Sedem Apostolicam obsequiis domini pape insistente, super defectu natalium quem patitur de conjugato genitus et soluta.

Dat. Reate, V id. octobris, anno quarto.

1. *Ms* : Lexoniensi.

2911 (XXIII) Latran, 25 février 1299.

Executoria mutui pro creditoribus archiepiscopi Bracharensis. (fol. 142)

Dilectis filiis Raynerio de Vichio, Lichefeldensis, et Petro de Montechello, Bononiensis, ac Lanto Guidonis, Pistoriensis ecclesiarum canonicis. Exponente nobis pridem —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum septingentarum marcharum argenti quas archiepiscopus Bracharensis recepit a Paulo Spine, mutuante pro se et Martino et Marco Jacobi Nese et Thotto Bartholomei de Amannatis, Jacobo Agolantis, Corrado Lantis, Johanne Bandini et Dino Johannis Gerardini, Lanfranco Ja(n)donati, Johanne Franchi, Johanne Arrigonis et Vanne Fredi, Johanne Jacobi Agolantis, Meo Nesis, Phylippo Franchi et Johanne de Lamporchio, de societate Amanatorum de Pistorio.

Dat. Laterani, V kal. martii, anno quinto.

2912 (XXIIII) Latran, 6 février 1299.

De discordia inter episcopum et capitulum Cathalaunenses. (fol. 142)

Dilectis filiis magistro Jacobo de Normandis, archidiacono Narbonensis, Matheo de Granceyo, Belvacensis, et Johanni de Villa Garden[is], Remensis cantoribus ecclesiarum. Dudum inter venerabilem —.

Cum inter episcopum Cathalaunensem, ex una parte, et decanum capitulumque Cathalaunenses, ex altera, « super certis articulis super quibus ipse decanus et capitulum a dicto episcopo asserebant indebite se gravatos », orta discordia, per decennium et amplius organa suspendissent, dominus papa, postquam fuit ad Apostolice dignitatis apicem assumptus, de hujusmodi discordia audiens et ex officio de salubri remedio providere volens, utramque partem peremptorie citavit. Comparentibus episcopo personaliter et magistro Petro de Alidiva canonico Cathalaunensi procuratore capituli, et auditis que petebat ipse tam coram se quam coram Johanne, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, et Nicolao, Sancti Laurentii in Damaso presbyteris cardinalibus, « quibus hoc duximus committendum », dissensionem eamdem per viam compendii terminare proponens, ordinat ut statim a divinorum suspensione cessent, organa resumant capitulum et infra unius mensis spatium post resumptionem, mille libras parisiensium deponat episcopus apud monasterium Sancti Remigii Rhemense vel Sancte Genovefe Parisiense, « ut si eum in premissis in culpa reperiri contigerit disponatur de ipsis prout jus dictaverit et vobis videbitur. » Mandat suprascriptis ut ad hoc eos compellant et infra duos menses negotium studeant concordia vel

judicio terminare. Si nec in totum nec pro aliqua parte negotium terminare duxerint, ipsum, infra sex menses sub modis et cautionibus ibi annotatis instructum, in totum vel in ea parte de qua terminare non potuerint, ad Sedem Apostolicam remittant, prefixo eisdem partibus termino peremptorio competente.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24780.)

2913 (XXV) Latran, 26 février 1299.

Super gratia in Ambianensi ecclesia Johanni de Comite de Urbe concessa. (fol. 143)

Dilecto filio Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Nicolai de Comite de Urbe, canonico Ambianensi. Virtutum merita —.

Olim suprascripto canonicatus et prebenda in ecclesia Ambianensi per Apostolicas litteras reservata fuerunt sed, cum in eadem ecclesia prebende sacerdotales medie ac integre fore dicantur et dictus Johannes sacerdotale onus cupiat evitare, decernitur ut dicte littere a data ipsarum ac processus earum auctoritate super hoc habiti et habendi per executores eumdem effectum ac vigorem habeant ad prebendam integram non sacerdotalem quem haberent si de illa in eis expressa mentio haberetur.

Dat. Laterani, IIII kal. martii, anno quinto.

2914 (XXVI) Latran, 28 février 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 143.)

Dilecto filio nobili viro Marino, quondam Jacobi de Judice, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Letitie, nate Phylippi Capasce[m], civibus Amalfitanibus. Etsi conjunctio copule —.

Ad preces nobilis viri R[oberti] ducis Calabrie et pro bono pacis indulget ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno quinto.

2915 (XXVII) Même date.

Dispensatio matrimonii. (fol. 143 v°.)

Dilecto filio nobili viro Angelo de Pando de Scala et dilecte in Christo filie Venetie, nate Lombardi Pironti de Ravello. Romani pontificis precellens —.

Ad preces R[oberti] ducis Calabrie indulget ut pro pace conservanda matrimonium invicem contrahere valeant non obstante quarto affinitatis gradu pro eo quod prima uxor Angeli Venetie quarto consanguinitatis attinebat.

Dat. ut supra.

2916 (XXVIII) Sans date.

Forma juramenti. (fol. 143 v°.)

Forma juramenti. Ego .. abbas monasterii —.

Pro abbate monasterii Sancti Petri de Monte, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Metensis diocesis, Apostolica limina visitaturo bienniis.

2917 (XXVIIII) Latran, 1er mars 1299.

Provisio ecclesie Venafrane. (fol. 143 v°.)

Dilecto filio Jordano, electo Venafrano. Debitum officii nostri —.

Eum, canonicum ecclesie Sancte Marie de Sermineto, Terracinensis diocesis, ecclesie Venafrane, per obitum bone memorie Andree episcopi vacanti et Apostolice dispositioni reservate, preficit in episcopum.

Dat. Laterani, kal. martii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — vassallis — Carolo, regi Sicilie illustri —.* Dat. ut supra.

2918 (XXX) Latran, 25 février 1299.

Indultum pro eodem electo. (fol. 144.)

Eidem. Cum te nuper —.

Ei in subdiaconatus ordine constituto recipiendi ordines et munus consecrationis a quocumque maluerit archiepiscopo vel episcopo concedit facultatem.

Dat. Laterani, V kal. martii, anno quinto.

2919 (XXXI) Latran, 1er février 1299.

Dispensatur super etatis defectu. (fol. 144.)

Dilecto filio Johanni Alfonsi, canonico Bracharensi. Laudanda probitatis studia —.

Indulget ei ut beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam animarum habeat, si ei canonice offeratur, recipere valeat, non obstante quem patitur in ordinibus et etate defectu, cum nondum vicesimum quintum annum attigerit licet quartum decimum exegisse noscatur.

Dat. Laterani, kal. februarii, anno quinto.

2920 (XXXII) Latran, 9 février 1299.

Facultas conferendi decanatum ecclesie Toletane. (fol. 144.)

Venerabili fratri Gundisalvo, episcopo Albanensi. Magna providentie tue —.

Concedit ei facultatem conferendi persone ydonee decanatum ecclesie Toletane cum prestimoniis et ceteris beneficiis que quondam Michael Exemeni obtinebat, per ejus obitum apud Sedem Apostolicam vacantem.

Dat. Laterani, v id. februarii, anno quinto.

2921 (XXXIII) Latran, 8 février 1299.

Ut monasterio de Simorra de abbate providere possit. (fol. 144 v°.)

Venerabili fratri A., archiepiscopo Auxitano. Cum, sicut accepimus, dilectus filius Bernardus, abbas monasterii Cymorre, tue diocesis, diligenter attendens quod ipse jam affectus senio et alias corporis debilitate gravatus non potest ipsius monasterii regimen salubriter exercere, cupiat idem regimen occasione hujusmodi resignare, dictumque monasterium multis invasoribus sit vicinum de quorum oppressionibus vacationis imminente dispendio est verisimiliter dubitandum.

Mandat suprascripto quatinus, resignatione dicti abbatis recepta, prefato monasterio de persona ydonea de ipsius gremio assumenda vel etiam aliunde provideat.

Per hoc autem conventui dicti monasterii nullum volumus in posterum prejudicium generari.

Dat. Laterani, VI id. februarii, anno quinto.

2922 (XXXIIII) Latran, 27 février 1299.

De relaxandis sententiis occasione negotii civitatis Appamiarum promulgatis. (fol. 144 v°.)

Venerabili fratri B., episcopo Appamiarum. Olim occasione discordie inter te et dilectos filios capitulum Appamiarum, ex parte una, et nobilem virum Rogerium comitem Fuxi, ex altera, super civitate Appamiarum et ejus jurisdictione ac aliis quibusdam articulis suscitate, nonnulle per venerabiles fratres nostros .. Auxitanum archiepiscopum et .. episcopum Carcasonensem auctoritate nostra in personam ipsius comitis excommunicationum et in terram ejus interdicti sententie fuerunt hactenus diversis temporibus promulgate. Cum autem, cooperante Illo qui pacis est actor et opera pacis amat, inter te et capitulum ac comitem supradictos amicabilis compositio super premissis intervenire noscatur, nosque illam, pro tuo et capituli ac comitis eorumdem statu pacifico et tranquillo, auctoritate Apostolica ex certa scientia duxerimus confirmandam, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus prefatum comitem, per te vel per alium quem ad hoc reputabis ydoneum, auctoritate nostra juxta formam Ecclesie ab hujusmodi vinculis excommunicationum absolvas et in eadem terra predicti comitis, civitate Appamiarum dumtaxat excepta, prefatas relaxes sententias interdicti. Volumus tamen quod, antequam per te vel per alium super hujusmodi absolutionis et relaxationis negotio procedatur, idem comes de dampnis et injuriis ecclesie Appamiarum illatis sic [1] in predicta compositione satisfactionem exhibeat [2] prout tua discreptio viderit expedire. Dat. Laterani, III kal. martii, anno quinto.

2923 (XXXV) Latran, 18 février 1299.

De sententia relaxanda, occasione gratie Apostolice in Ulixbonensi ecclesia contempte promulgata. (fol. 145.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Bracharensi. Sua nobis Martinus Stephani Curvus, rector ecclesie Sancti Petri de Noman, Lamecensis diocesis, petitione monstravit quod, vacantibus olim canonicatu et prebenda in ecclesia Ulixbonensi per mortem quondam magistri Mathei Gunsalvi, ipsius ecclesie canonici, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, nos, eosdem canonicatum et prebendam — quondam Benedicto de Fumone, tunc viventi, camerario dilecti filii nostri M., Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, contulimus —, quondam Nicholino de Camilla, capellano nostro, tunc vivente ac ejus collegis sibi super hoc executoribus — deputatis.

Dicto Nicholino ad executionem procedente, excommunicationis sententiam prefatus Martinus incurrit detinendo prebendam prefato Benedicto collatam et ejus procuratorem a possessione ejiciendo violenter, nec citationi paruit que postea per Apostolicas litteras tradita fuit episcopo Ulixbonensi ut compareret infra trium mensium spatium personaliter coram

1. *Ms*: si.
2. *Ms*: exhibeant.

Sede Apostolica sub privationis et inhabilitatis pena. Cum vero idem Martinus heredibus ejusdem Benedicti qui interim obiit satisfecerit super premissis, mandatur suprascripto ut eum ab excommunicationis sententia absolvat, injuncto ei quod de jure fuerit injungendum, dictas penas relaxet et cum eo super irregularitate dispenset imposita ei propter hoc penitentia competente.

Dat. Laterani, XII kal. martii, anno quinto.

2924 (XXXVI) Latran, 13 février 1299.

Citatur archiepiscopus Eboracensis occasione reservationis Apostolice contempte. (fol. 145.)

Dilectis filiis magistris Giffredo de Vesano, camere nostre clerico, Cameracensis, et Johanni de Luco, Londoniensis ecclesiarum canonicis. Etsi moleste feramus —. Dudum siquidem, volentes— Franciscum, Sancte Marie in Cosmedin diaconum cardinalem, priusquam esset a nobis in cardinalem assumptus in Eboracensi ecclesia, cujus extitit canonicus, specialiter honorare, dignitatem seu personatum — conferendam vel conferendum eidem ex tunc donationi Apostolice reservavimus.

Vacante decanatu ipsius ecclesie executor executioni processit et dictus Franciscus acceptavit.

Verum dicti capitulum ejusdem Eboracensis ecclesie, licet premissorum notitiam obtinerent, — magistrum Guillelmum de Chameltone, archidiaconum Eboracensem, in decanum ejusdem ecclesie non sine consensu venerabilis fratris nostri Henrici, Eboracensis archiepiscopi, ac ejusdem archidiaconi et Rogerii de Mar, subdecani Eboracensis ecclesie, procurante studio, eligere presumpserunt idemque archiepiscopus electionem — confirmavit —.

Mandat suprascriptis sub excommunicationis pena ut citent dictum archiepiscopum, «sub excommunicationis quam ipso facto incurrat et depositionis archiepiscopalis dignitatis quam procul dubio poterit formidare » penis, et archidiaconum et subdecanum, sub privationis pena quam ipso facto incurrant, ad comparendum personaliter coram Sede Apostolica infra trimestris temporis spatium. Si citatio in Eboracensi civitate secure fieri non potest, fiat in civitate Londoniarum vel in aliis locis competentibus.

Dat. Laterani, id. februarii, anno quinto.

2925 (XXXVII) Latran, 28 janvier 1299.

Committitur administratio archiepiscopatus Strigoniensis et preposituге Albensis. (fol. 145 v°.)

Dilecto filio Gregorio, electo Strigoniensi. Preteritorum exhibitio temporum —.

Cum suprascriptus in Albensis ecclesie, Vesprimensis diocesis, prepositum primo et subsequenter in archiepiscopum Strigoniensem electus fuerit, et dictarum electionum, quibus aliqui se opposuisse noscuntur, prosecutio, si ordinario modo procederet, possit diutius perdurare, ipsarum prosecutionem usque ad beneplacitum Sedis Apostolice suspendit nec non et eum in spiritualibus et temporalibus procuratorem Strigoniensis ecclesie usque ad ejusdem Sedis beneplacitum ordinat, eique administrationem tam illius quam Albensis ecclesiarum generalem et liberam committit, ita tamen quod de bonis immobilibus earumdem ecclesiarum nihil penitus alienet nec etiam de paramentis et libris aut aliis rebus.

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24773.)

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Strigoniensis — clero — populo — vassallis — capitulo ecclesie Albensis, Vesprimensis diocesis* —. Dat. ut supra.

2926 (XXXVIII) Même date.

De officio inquisitionis heretice pravitatis in Hungaria exercendo. (fol. 146 v°.)

Eidem. Utilitate publica exposcente —.

Ei, cui per precedentes litteras Strigoniensis et Albensis ecclesiarum administratio commissa fuit, concedit ut contra hereticos, scismaticos et paganos, fautores, adjutores et defensores ipsorum, per fratres Predicatorum seu Minorum ordinis, quos magister et minister generalis eorumdem ordinum aut prior et minister provincialis Ungarie, de consilio discretorum fratrum suorum ordinum, ei duxerint nominandos, inquisitionis et punitionis officium valeat exercere secundum canonicas sanctiones.

Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24775.)

2927 (XXXVIIII) Latran, 15 mars 1299.

Executoria mutui pro creditoribus episcopi Redonensis (fol. 146 v°.)

Dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, ac . . officiali Pa

risiensis, et magistro Johanni de Penestre, camere nostre clerico, thesaurario Cathalaunensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum quinque millium florenorum auri quos Egidius Camelini, episcopus, tunc electus Redonensis, recepit a Lanfranco Anselmi, mutuante pro se et Clarentino Anselmi, Merguliesio et Johanne Bracci, Putio et Baldo Romerii, Morgiano et Lippo Floravantis, Symone et Lotto Anselmi et ceteris de societate Clarentum de Pistorio.

Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

2928 (XL) Latran, 4 février 1299.

Pro Henrico de Tilleyo, in episcopum Lexoviensem non admisso. (fol. 147.)

Dilecto filio Henrico de Tilleyo, canonico Lexoviensi. Dudum Lexoviensi ecclesia —.

Ei, qui post obitum Guillelmi, defectum ordinum patiens, fuit per viam compromissi a capitulo in episcopum Lexoviensem postulatus, indulget ut, ex eo quod dictam postulationem non propter persone vitium sed ex certis causis non duxerit admittendam, nulla ei macula possit impingi sed hoc nonobstante valeat ad quamlibet dignitatem etiam episcopalem assumi.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno quinto.

2929 (XLI) Latran, 1er février 1299.

Provisio monasterii Sancti Salvatoris Papiensis. (fol. 147.)

Dilecto filio Oberto, abbati monasterii Sancti Salvatoris Papiensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Olim monasterio —.

Vacante prefato monasterio, prior et conventus ipsius fratrem Bignonum, monachum monasterii Sancti Bartholomei de Strata prope Papiam, ejusdem ordinis, in abbatem concorditer elegerunt; sed presentato electionis decreto domino pape et prefato Bignono confirmationem petente, eam post examinationem ejus nec non et electi persone certis ex causis justitia exigente cassavit et commisit oraculo vive vocis Gerardo, Sabinensi episcopo, et Guillelmo, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinalibus, ut eidem monasterio de persona ydonea providerent. Provisionem, quam de suprascripto, tunc abbate monasterii de Precipiano, ejusdem ordinis, Terdonensis diocesis, dicti cardinales fecerant, confirmat eorum instrumenti tenorem inserens incipientis : « Vacante olim monasterio » sub data : Dat. Reate, idibus decembris, anno Domini millesimo CC°LXXXXVIII, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno quinto.

Dat. Laterani, kal. februarii, anno quinto.

2930 (XLII) Latran, 11 février 1299.

Concessio quarumdum domorum in claustro Parisiensis ecclesie. (fol. 147 v°.)

Dilecto filio Leonardo de Flisco, canonico Parisiensi. Gerentes ad personam tuam —.

Cum Johannem de Capriaco, electum Carcassonensem, canonicum Parisiensem, eidem ecclesie Carcassonensi prefecisset in episcopum, omnia beneficia ejus a die ejus prefectionis duxit reservanda et postmodum canonicatum et prebendam que idem Johannes in ecclesia Parisiensi obtinebat suprascripto contulit.

Cum autem dictus electus tempore prefectionis ejusdem quasdam domos in claustro ejusdem ecclesie Parisiensis positas tenuerit que, prout asseris, prebende predicte nullatenus sunt annexe sed ad .. decanum et capitulum ipsius ecclesie pertinent, — domos predictas —, retinendas a te quoad vixeris et canonicatum et prebendam retinueris supradictos, prout illas idem electus dicte prefectionis tempore retinebat, Apostolica tibi auctoritate concedimus et etiam assignamus — non obstantibus quibuscumque statutis et conventionibus contrariis ejusdem ecclesie —, illis presertim per que in eadem ecclesia dicitur esse cautum quod antiquiores canonici possint quas voluerint ex hujusmodi domibus dicti capituli, dimissis aliis quas habebant primitus, adoptare, quodque nulli canonico ipsius ecclesie liceat aliquam de domibus habere predictis nisi in eadem ecclesia singulis annis certo tempore residentiam fecerit personalem et super hujusmodi residentia facta et quod sit in proposito pro futuro tempore faciendi eandem [1] in capitulo ejusdem corporale prestiterit juramentum —. Dat. Laterani, III id. februarii, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono Narbonensi et .. cantori Meldensi ac magistro Uberto de Advocatis, canonico Cathalaunensi* —. Dat ut supra.

2931 (XLIII) Latran, 3 février 1299.

De confirmatione abbatis Sancti Petri de Monte, Metensis diocesis. (fol. 148.)

Venerabili fratri .. episcopo Tullensi. Ex parte dilectorum filiorum .. prioris et conventus monasterii Sancti

1. *Ms.* : eundem.

Petri de Monte, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Metensis diocesis, fuit expositum coram nobis quod, vacante dudum eodem monasterio per obitum quondam Jacobi, abbatis ipsius, ipsi prior et conventus — fratrem Philippum de Metis, canonicum et vestiarium dicti monasterii, in abbatem ipsius monasterii elegerunt et humiliter supplicarunt ut, cum propter paupertatem dicti monasterii prefatus electus non posset, ut dicebant, commode Apostolicam Sedem adire pro confirmatione hujusmodi electionis et benedictionis munere obtinendis, electionem ipsam confirmari et benedici eundem electum in illis partibus mandaremus.

Suprascripto mandat quatinus, inquisitione solita facta, dictum electum confirmet; si vero de eo provideri non posset dicto monasterio, denuntiet priori et conventui ejusdem ut per electionem canonicam et concordem sibi et dicto monasterio provideant dictamque electionem confirmet; alioquin ipse provideat de persona ydonea de ipsius gremio vel etiam aliunde assumenda.

Dat. Laterani, III non. februarii, anno quinto.

2932 (LXIIII) Latran, 8 février 1299.

Ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu. (fol. 148.)

Dilecto filio nobili viro Petro Gaucerandi de Pinos, Urgellensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Saure, nate carissimi in Christo filii J[acobi], regis Majoricarum illustris. Etsi conjunctio copule —. Dat. Laterani, VI id. februarii, anno quinto.

2933 (XLV). Latran, 24 janvier 1299.

Super negotio monasterii Sancte Berte de Blangiaco. (fol. 148 v°.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri. Dudum oblata nobis ex parte dilectorum filiorum . . abbatis et conventus monasterii Sancte Berte de Blangiaco, ordinis sancti Benedicti, Morinensis diocesis, petitio continebat quod ab olim sancta ipsa, dum adhuc in seculo permaneret, salubri ducta proposito et ad opera pietatis intenta, priusquam comitatus Sancti Pauli principium suscepisset, monasterium ipsum in proprio comitatu fundavit, illud de bonis suis et ad patrimonium ejus spectantibus pia liberalitate dotando, assensu regis Francie qui tunc erat et a quo dictum comitatum proprium immediate tenebat ad id nichilominus accedente, prefatique abbas et conventus in terra ejusdem monasterii jurisdictionem plenariam, resorto, ut verbis paterne [lingue] uterentur, ad regem Francie pertinente, dumtaxat excepto, habuerunt et exercuerunt temporibus retroactis. Et licet tu esses et progenitores tui, reges Francie qui pro tempore fuerant, in possessione guardie ipsius monasterii ac etiam hujusmodi resorti fuissent a tempore cujus memoria non extabat, et ad eos illa spectassent et ad te spectarent, tamen dilectus filius nobilis vir Guido de Castellione, comes dicti comitatus Sancti Pauli, ad eorumdem abbatis et conventus injurias et gravamen intendens, super guardia et resorto prefatis petitorium et possessorium intemptando, fecit nominatos abbatem et conventum coram te ad judicium evocari, nominatis abbate et conventu constanter asserentibus ex adverso quod in eorum possessione eras et non ad eum sed ad te illa totaliter pertinebant. Qui, in hujusmodi causa in qua super possessorio tantum processum postea fuerat omnino succumbens ac, postmodum super petitorio inter te ac eosdem abbatem et conventum, ex parte una, et comitem sepedictum, ex altera, processu legittime habito et inquisitione, prout requirebat ordo juris, super hoc facta sollicite et deinde diligenter inspecta, non immerito reformidans ne contrariam in hac parte sententiam reportaret, erga celsitudinem [1] tuam adeo, ut dicitur, institit quod, lite ipsa pendente, guardiam et resortum predicta, eisdem abbate et conventu expresse contradicentibus et proponentibus talia fieri non debere, dicto comiti concessisti, ea in ipsum et ejus heredes nichilominus transferendo, in non modicum predictorum abbatis et conventus et dicti monasterii prejudicium et gravamen, et, quia post hec idem abbas et conventus coram dicto comite nolebant, sicut nec debebant etiam neque salva conscientia poterant, in temporalibus [respondere], debitoribus monasterii nominati ne ipsis abbati et conventui aliquid solverent sub certis penis districtius inhibendo. Predictus comes etiam non patiebatur quod abbas et conventus predicti de bonis ejusdem monasterii necessaria vite perciperent, nisi eis per manus ipsius comitis vel suorum deberent eadem ministrari. Eisdem itaque abbate et conventu suppliciter petentibus eis et dicto monasterio circa premissa per Apostolice Sedis providentiam provideri, nos, aperte immo apertius cognoscentes talia vergere in derogationem libertatis ecclesiastice ac regie dignitatis, magnificentiam tuam per nostras sub certa forma litteras rogandam duximus attentius et

1. *Ms.* : sollicitudinem.

hortandam ut concessionem et translationem hujusmodi, predictis comiti et ejus heredibus a te factas, ad te revocans, guardiam et defensionem solitas circa memoratos abbatem et conventum ac bona et jura monasterii supradicti, prout deceret celsitudinem regiam, favorabiliter exerceres, et bona et jura eis ablata nominatis abbati et conventui restitui faceres, et ab ipsorum dampnis, gravaminibus et molestiis quibuscumque nominatum[1] comitem et suos in posterum abstinere, rescripturus nobis per tuas litteras quicquid super hoc fecisset regia celsitudo. Et licet, sicut accepimus, eedem nostre littere ipsi celsitudini fuerint presentate, tamen ipsa nec quod continebatur in illis efficere nec rescribere nobis quid per eam in hoc actum fuerit juxta litterarum ipsarum continentiam procuravit. Nos igitur, quibus ex commisso nobis apostolatus officio singulorum cura generaliter est commissa, nolentes, sicut nec debemus, talia coniventibus oculis pertransire, magnitudinem regiam, sicut semel, sic et iterum rogamus et hortamur attente nichilominus tibi ex intimis suadentes quatinus, diligenter considerans et prudenter advertens quod religiosarum personarum, que divinis obsequiis insudantes pro tua et fidelium aliorum salute apud Deum jugiter intercedunt, perferre molestias, promovere gravamina, saluti tue ac honori non expedit sed illis adesse potius favoribus oportunis, concessionem et translationem hujusmodi, predictis comiti et ejus heredibus a te factas, sine difficultate non differas revocare, guardiam et deffensionem solitas circa memoratos abbatem et conventum, quos in Domino paternis affectibus caritative prosequimur, prout decet serenitatem regiam, utiliter et favorabiliter exercendo, et faciendo abbati et conventui et monasterio nominatis bona et jura eis ablata restitui, et ab ipsorum dampnis, gravaminibus, injuriis et molestiis quibuscumque nominatum comitem ac suos etiam abstinere juxta priorum continentiam litterarum, rescripturus nobis per tuas litteras quicquid in hac parte duxeris faciendum. Preces autem nostras in hoc sic perfecte, sic efficaciter adimpleat regia celsitudo quod, preter salubre quod ob id a Rege regum et principum consequeris, a nobis exinde grata proveniat actio gratiarum, nosque non cogamur ad hoc aliud justum et competens remedium adhibere. Dat. Laterani, VIIII kal. februarii, anno quinto.

2934 (XLVI) Latran, 15 mars 1299.

Ut provideant de preposito monasterio Sancte Crucis Mortariensi. (fol. 149.)

Venerabilibus fratribus .. Placentino et .. Novariensi episcopis ac dilecto filio .. abbati monasterii Clarevallis, Cisterciensis ordinis, Mediolanensis diocesis. Vacante dudum monasterio Sancte Crucis Mortariensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio, pertinente, per prepositum solito gubernari, ordinis sancti Augustini, Papiensis diocesis, per obitum quondam Henrici, monasterii memorati prepositi, plures fuerunt in eo electiones de diversis personis per priorem et capitulum ipsius monasterii in discordia celebrate, quarum alique prosequi non curarunt electiones hujusmodi de se factas, relique vero libere in nostris manibus resignarunt omne jus, si quod eis ex hujusmodi electionibus factis de ipsis fuerat acquisitum. Nuper autem prior et capitulum supradicti, per dilectos filios fratres Aliuntum, Sancti Andree de Cherio, et Jacobum de Tridino, Sancte Marie de Robeto ecclesiarum prepositos, canonicos ipsius monasterii, quos propter hoc ad Sedem Apostolicam transmiserunt, nobis humiliter supplicarunt ut, cum monasterium ipsum tanto tempore jam vacasset quod ejus provisio erat ad Sedem predictam secundum generalis statuta concilii legitime devoluta, providere ipsi monasterio de persona ydonea, ne vacationis ulterioris dispendia substineret, paterna sollicitudine dignaremur. Nos igitur — circumspectioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, ad monasterium ipsum vos personaliter conferentes et habentes pre oculis solum Deum, eidem monasterio de persona, moribus et vita laudabili ac alias ydonea ad ejusdem monasterii regimen exercendum, super quibus vestras intendimus conscientias onerare, de ipsius monasterii assumenda gremio vel etiam aliunde, auctoritate nostra providere curetis, preficientes personam eandem de qua taliter duxeritis providendum in prepositum monasterii prelibati ac facientes ipsi ab ejus subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, recepturi postmodum ab eodem, nostro et Ecclesie Romane nomine, fidelitatis debite solitum juramentum juxta formam quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam —. Dat. Laterani, idus (*sic*) martii, anno quinto.

2935 (XLVII) Latran, 12 mars 1299.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 149.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Meldensi. Ex parte tua fuit —.

Dat ei licentiam contrahendi mutuum per magistrum Petrum Marsilii, canonicum ecclesie Sancti Florentini de Ambasia, Tu-

1. Ms. : nominatim.

ronensis diocesis, procuratorem ejus in Romana Curia, usque ad summam octo millium florenorum auri.

Dat. Laterani, IIII id. martii, anno quinto.

2936 (XLVIII) Sans date.

Forma juramenti pro Petro, archiepiscopo Cusentino. (fol. 149 v°.)

Forma juramenti. Ego Petrus, archiepiscopus Cusentinus —.

2937 (XLVIIII) Sans date.

Forma assignandi palleum pro eodem. (fol. 149 v°.)

Forma assignandi palleum. Ad honorem Dei —.

2938 (L) Latran, 5 mars 1299.

Ut secundum taxationem antiquam decima novissime imposita exigatur in diocesibus Florentina, Fesulana et Lucana. (fol. 149 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Pistoriensi. Porrecta nobis ex parte venerabilis fratris nostri .. episcopi et dilectorum filiorum cleri civitatis et diocesis Florentine petitio continebat quod, si decima per nos novissime in Ytalie partibus imposita secundum clericorum conscientiam exigatur, non solum oriri poterunt, ut in preteritis accidit, exinde inter ipsos clericos improperia, altercationes et scandala et eorum animarum pericula sed etiam diminutio debite solutionis decime supradicte, cum aliqui, propter gravem inopiam quam ex malitia temporum et ex multis incumbentibus expensarum oneribus incurrerunt, nonnulli vero, propter avaritie vitium, prolabantur in quamdam temerariam suppressionem veritatis circa suorum reddituum quantitatem. Quapropter nobis humiliter supplicarunt ut, predictis scandalis et animarum periculis occurrentes, ac attendentes quod predictorum clericorum proventus ecclesiastici per collectores decimarum que fuerunt olim Terre Sancte subsidio deputate diligenti super hoc deliberatione prehabita taxati fuerunt, et secundum taxationem hujusmodi extiterunt ex tunc ipse decime persolute, providere sibi super hoc paterna sollicitudine dignaremur. Nos itaque, predictorum episcopi et cleri supplicationibus inclinati, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus ab ecclesiis, personis et locis ecclesiasticis dictarum civitatis et diocesis, quorum facultates in eo statu in quo erant tempore taxationis prefate existere dinoscuntur, juxta taxationem ipsam exigas decimam supradictam; a reliquis vero, quorum facultates notabiliter augmentate sunt vel etiam diminute, plus vel minus exigas quantum augmentum vel diminutio juxta taxationem decime memoratam requiret. Dat. Laterani, III non. martii, anno quinto.

In e. m. — cleri et episcopi diocesis et civitatis Fesulane — Lucane.

2939 (LI) Latran, 25 mars 1299.

Executoria mutui pro episcopo Meldensi. (fol. 149 v°.)

Dilectis filiis .. preposito Pistoriensis, et magistro Johanni de Penestre, camere nostre clerico, thesaurario Cathalaunensis ecclesiarum, ac .. officiali Parisiensi. Pridem ex parte —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum octo millium florenorum auri quos magister Petrus Marsilius, procurator in Romana Curia Johannis episcopi Meldensis, recepit a Lanfranco Anselmi mutuante pro se ac Clarentino Anselmi, Merguliesio et Johanne Bracchii, Putio et Baldo Raynerii, Gerardino Bonini, Marsupino Anselmo Meliorati, Framerigo Cacialeonis, Morgiano et Phylippo Floravantis, Landulfo Gerardini, Symone et Betto Anselmi ac ceteris de societate Clarentum.

Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno quinto.

2940 (LII) Latran, 15 février 1299.

Ut in sua et singulis ecclesiis collegiatis civitatis, diocesis et provincie Pisanarum singulas personas ydoneas in canonicos recipi facere possit. (fol. 149 v°.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Pisano. Volentes tuam honorare —. Dat. Laterani, XV kal. martii, anno quinto.

2941 (LIII) Même date

Ut possit condere testamentum. (fol. 190.)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

2942 (LIIII) Même date.

Indultum. (fol. 150.)

Eidem. Ex tuarum provenire —.

Concedit ei facultatem recipiendi, quotiens et quando sibi viderit expedire, fratres ordinis Predicatorum, de quo fuit ad archiepiscopalem dignitatem assumptus, quos ad sua obsequia duxerit eligendos, et etiam dispensandi cum eis ut carnem in mensa licite comedere valeant.

Dat. ut supra.

2943 (LV) Même date.

Ut possit eligere confessorem. (fol. 190.)

Eidem. Ut per confessionis —. Dat. ut supra.

2944 (LVI) Même date.

Indultum. (fol. 180.)

Eidem. Licet populum Domini —.

Concedit ei facultatem impertiendi indulgentiam quadraginta dierum quoties eum solemnia misse celebrari vel verbum Dei proponere contigerit.

Dat. ut supra.

2945 (LVII) Même date.

Forma assignandi palleum. (fol. 150.)

Forma assignandi palleum. Ad honorem Dei —.

2946 (LVIII) Même date.

Forma juramenti. (fol. 150.)

Forma juramenti. Ego Petrus, archiepiscopus Cusentinus —.

2947 (LVIIII) Latran, 15 mars 1299.

Ut Petro, electo Cusentino, palleum, per Mattheum archidiaconum Cusentinum postulatum, assignet. (fol. 150.)

Venerabili fratri Phylippo, archiepiscopo Neapolitano. Cum palleum insigne —. Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

2948 (LX) Même date.

Conceditur palleum. (fol. 150.)

Dilecto filio Petro, electo Cusentino. Cum palleum —. Dat. ut supra.

2949 (LXI) Latran, 20 mars 1299.

Licentia alienandi quamdam domum ad plebem Montisbelli pertinentem. (fol. 150 v°.)

Dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Felicis de Bononia. Dilectus filius nobilis vir Albertus, natus quondam Odofredi, civis Bononiensis, juris civilis professor, nobis exposuit quod capella Sancti Ambrosii Bononiensis, ad plebem Montis Belli Bononiensis diocesis pertinens pleno jure, quamdam domum juxta eandem capellam sitam, domui ejusdem nobilis contiguam, obtinet que dicto nobili est plurimum oportuna. Propter quod idem nobilis domum ipsam per legitimam permutationem seu venditionem acquirere desiderat.

Mandat suprascripto ut licentiam largiatur Antonio archipresbytero memorate plebis vendendi seu permutandi dictam domum.

Dat. Laterani, XIII kal. aprilis, anno quinto.

2950 (LXII) Même date.

Ut testamentum condere possit. (fol. 150 v°.)

Dilecto filio Alberto de Gallutiis, archipresbytero ecclesie Sancti Laurentii in Collina, Bononiensis diocesis. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

2951 (LXIII) Même date.

Confertur seu reservatur beneficium in diocesi Bononiensi. (fol. 150 v°.)

Dilecto filio Johanni, nato dilecti filii Benedicti Alberti Ottofredi, clerico Bononiensi. Laudabilia tue juventutis —.

Beneficium ecclesiasticum in civitate vel diocesi Bononiensi vacans confertur vel vacaturum reservatur suprascripto, non ob-

stante quod primam tantum tonsuram habeat clericalem et nondum nonum etatis sue annum egerit.

Dat. ut supra.

In e.m. *dilectis filiis .. Sancti Felicis, et .. Sancti Pauli Bononiensium monasteriorum abbatibus ac .. archipresbytero plebis Sancti Laurenti in Colina* —. Dat. ut supra.

2952 (LXIIII) Latran, 7 mars 1299.

Ut dimittat Guido de Baisio quamdam prebendam Bononiensis ecclesie illicite occupatam. (fol. 150.)

Dilecto filio Guidoni de Abbaisio, archidiacono Bononiensi. Dudum dilecto filio [1] —.

Mandat suprascripto ut prebendam ecclesie Bononiensis, vacantem per obitum quondam Pauli de Grandanis, quam in prejudicium Philippi nati nobilis viri Nutii de Tuderto, cui reservata fuerat per priores Apostolicas litteras, tenebat occupatam, eidem Philippo dimittat; alioquin abbas monasterii S. Pauli Bononiensis ad id eum compellet. Frustra enim pretendit Guido archidiaconatus dignitatem sibi collatam et posteriorem Apostolicam reservationem pro se factam, cum declaratoria ipsius pape constitutio in hoc memoratum Philippum tanquam priorem ei posteriori licet dignitatem habenti merito preferat. Nec obstat Philippo statutum ecclesie Bononiensis « quo capitulum Bononiense adstrictum dicitur nullum eligere vel recipere in canonicum, nisi ad eum ordinem vel superiorem, in quo fuerat cedens, nec electum vel confirmatum in canonicum admittere ad perceptionem prebende nisi primo se faciat promoveri ad ordinem ad quem receptus fuerit vel electus » cum dictum statutum de capitulo Bononiensi non de Romano Pontifice loquatur et recta ejus interpretatio minime Guidoni subveniat.

Dat. Laterani, non. martii, anno quinto.

2953 (LXV) Latran, 11 mars 1299.

Confirmatur cum dispensatione collatio prepositure Civitatensis. (fol. 151 v°.)

Dilecto filio Petro, nato nobilis viri Duraguerre Valeriani de Piperno, preposito et canonico ecclesie Civitatensis, Aquileiensis diocesis. Laudanda probitatis studia —.

Cum Petrus, S. Marie Nove diaconus cardinalis, olim in Tuscie ac Lombardie partibus legatus, preposituram et canonicatum Civitatenses, Aquilejensis diocesis, post resignationem eorumdem a Sclatta, episcopo Bononiensi, « qui tunc ejusdem legati clericus existebat », in manibus magistri Jacobi dicti Pagani, ejusdem legati capellani factam, suprascripto, nepoti suo, legatione durante contulerit; confirmatur eidem dicta collatio et dispensatur cum eo ut, non obstante etatis et ordinis defectu, hanc preposituram una cum canonicatibus et prebendis quos in Remensi, Carnotensi, Bononiensi, Lingonensi, Terracinensi et Pipernensi, Terracinensis diocesis, ecclesiis obtinet, retinere valeat.

Dat. Laterani, v id. martii, anno quinto.

2954 Latran, 23 mars 1299.

Ut magistrum et fratres Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani adversus molestatores defendat. (fol. 152.)

Venerabili fratri .. episcopo Aurasicensi. Etsi cunctos sub religionis —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

2955 (LXVII) Même date.

Omnes libertates et immunitates a Romanis Pontificibus concessas confirmat. (fol. 152 v°.)

Dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Cum a nobis petitur —. Dat. ut supra.

2956 (LXVIII) Même date.

Eximuntur a prestatione cujuslibet decime, occasione quacumque, in quibuslibet partibus, nuper concesse. (fol. 152 v°.)

Eisdem. Dum paterne considerationis —. Dat. ut supra.

2957 (LXVIIII) Latran, 22 mars 1299.

Confirmatur compositio inter .. priorem Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani in Alvernia et .. episcopum Claromontensem inita. (fol. 152 v°.)

Dilectis filiis .. priori et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Ea que judicio —. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, orta dudum inter quondam fratrem Stephanum, priorem Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in Alvernia, predecessorem

1. Edita fuit apud : *Thomas, Extraits des Archives du Vatican pour servir à l'histoire littéraire du Moyen-âge* in *Mélanges d'archéologie et d'histoire de l'Ecole Française de Rome*, 1882, p. 438.

tuum, fili[1] prior, ex parte una, et bone memorie G., episcopum Claromontensem, ex altera, ratione domorum de Larascharia, de Mayes, de Segur et de Holoys, ad predictum Hospitale spectantium et in Claromontensi diocesi consistentium, in quibus idem episcopus jus visitandi easdem ac procurationes tam ratione visitationis quam alias recipiendi sibi competere asserebat, ex adverso predecessore proponente prefato se ac domos predictas, ratione privilegiorum ipsi Hospitali a Sede Apostolica concessorum, fore super hiis ab omni potestate dicti episcopi liberos et exemptos materia questionis, tandem super hiis de communi volumptate partium earundem, vitare volentium pro bono pacis et concordie litigiorum anfractus, mediantibus probis viris, scilicet quondam magistro[2] Guillelmo Ruphi, canonico, et Guillelmo de Hermenio, officiali[3] Claromontensibus, inter partes easdem compositio intervenit : videlicet quod pro qualibet domorum predictarum apud domos ipsas per eos qui dictarum domorum regimen pro tempore exercebunt, tam eidem episcopo quam ejus successoribus, qui pro tempore fuerint, XL solidos usualis monete singulis annis in octavis Pentecosten perpetuo futuris temporibus persolvantur ; episcopus vero et ejus successores predicti ultra dictos XL solidos occasione dictarum domorum nichil a priore dicti Hospitalis in Alvernia, qui esset pro tempore, aut ab illis qui dictarum domorum administrationi prefuerint petere vel exigere valeant quoquomodo ; ac tam prefatus episcopus, pro se dictisque successoribus suis, quam prefatus prior Stephanus, de licentia quondam fratris Nicolai magistri majoris Hospitalis ejusdem Sancti Johannis Jerosolimitani superioris sui, pro se et successoribus ejus predictis, qui pro tempore fuerint, promiserunt solleniter sibi invicem compositionem hujusmodi inviolabiliter observare prout in patentibus litteris inde confectis, dictorum episcopi, prioris, canonici et officialis sigillis munitis, plenius continetur. Nos itaque compositionem predictam — gratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, et cetera usque : communimus. Supplentes in ea de Apostolice plenitudine potestatis omnem defectum si quis in illa forsitan extitit ex eo presertim[4] quod in compositione prefata consensus capituli Claromontensis minime intervenit ac decernentes compositionem eandem hujusmodi defectu et alio quolibet nequaquam obstantibus perpetuam obtinere roboris firmitatem. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, suppletionis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani xi kal. aprilis, anno quinto.

1. Ms : filii.
2. Ms : magister.
3. Ms : officilia.
4. Ms : presentium.

2958 (LXX) Latran, 21 janvier 1298.

Confirmatur donatio juris patronatus hospitalis de Braus. (fol. 153.)

Eisdem. Pia nos excitat —.

Donationem quam nobilis vir Henricus, comes Barrensis, eis fecit de jure patronatus quod habebat in hospitali de Braus, Cathalaunensis diocesis, confirmat « non obstante quod super hoc .. episcopi diocesani consensus minime intervenerit. » « Volumus autem quod in eodem hospitali de Braus divina sollicite celebrentur officia et alia etiam exerceantur opera pietatis. »

Dat. Laterani, xii kal. februarii, anno quarto.

2959 (LXXI) Latran, 23 mars 1299.

Conceduntur ecclesie de Kirketone et de Horkestewe. (fol. 153.)

Dilectis filiis .. magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Onerosa nimis —.

Conceduntur eis perpetuo in usus proprios, reservata tamen pro vicario portione congrua, ecclesie de Kirketone et de Harkestewe, Lincolniensis diocesis, in quibus jus patronatus habent.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

2960 (LXXII) Même date.

Conceditur domus Fratrum ordinis Saccorum in civitate Burgedalensi. (fol. 143.)

Eisdem. Sollicite considerationis —. Habet siquidem exposite nobis vestre petitionis assertio quod pridem, occasione discordie inter carissimos in Christo filios nostros Phylippum, Francie, ac Eduardum, Anglie reges, — nonnulla membra hospitalis vestri circa portam civitatis Burdegalensis, ut dicitur, consistentis ignis fuerunt incendio concremata et alia dampna quampluria ejusdem occasione discordie pertulistis. Quare nobis supplicastis humiliter ut domum quam Fratres ordinis Saccorum in eadem civitate hactenus habuerunt et in qua duo dumtaxat ejusdem ordinis fratres remansisse noscuntur —

cum parati estis, sicut asseritis, predictis duobus fratribus in domo manentibus supradicta quoad vixerunt vite necessaria congrue ministrare, de speciali concedere gratia dignaremur.

Cum domus predicta secundum generalis concilii statuta Lugdunensis novissime celebrati sit dispositioni Sedis Apostolice reservata, annuit petitioni.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Vasatensi et dilecto filio .. abbati monasterii Sancte Crucis Burdegalensis.* — Dat. ut supra.

2961 (LXXIII) Latran, 6 avril 1299.

Ut mutuum contrahere valeant usque ad summam quatuor millium florenorum auri, non obstante quod ad contrahendum mutuum procuratorium non habeant. (fol. 153 v°.)

Dilectis filiis fratri Henrico, priori de Cella subtus Cantumerlam, ordinis sancti Benedicti, et magistro Johanni de Musceyo, rectori ecclesie de Sumpseyo, Trecensis diocesis, pro expeditione negotii electionis seu postulationis de dilecto filio fratre Guizardo, abbate monasterii Celle siti juxta Trecas, predicti ordinis, in Trecensi ecclesia carenti pastore celebrate apud Sedem Apostolicam constitutis. Nuper in nostra —. Dat. Laterani, VIII id. aprilis, anno quinto.

2962 (LXXIIII) Même date.

Ut mutuum usque ad summam octo millium florenorum auri contrahere possit. (fol. 153 v°.)

Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Eduensi. Cum sicut in nostra —. Dat. ut supra.

3863 (LXXV) Latran, 1er avril 1299.

Delegatur provisio monasterii de Sancto Januario, Vercellensis diocesis. (fol. 153 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Papiensi, .. Novariensi et .. Astensi episcopis. Rationis oculis intuentes —. Olim siquidem, cum diceretur quod quondam frater Rophinus, monachus monasterii de Sancto Januario ordinis sancti Benedicti, Vercellensis diocesis, qui pro abbate ipsius monasterii se gerebat, tunc vivens, ejusdem monasterii regimen resignarat, dilecti filii .. prior et conventus dicti monasterii, de licentia venerabilis fratris nostri .. episcopi Vercellensis, loci diocesani, cujus jurisdictioni ordinarie prefatum monasterium est subjectum, intendentes de alio pastore ipsi monasterio providere, die ad hoc prefixa insimul convenerunt et, post aliquos tractatus super hoc inter se habitos, Jacobum de Advocatis, monachum monasterii Sancti Stephani Vercellensis, predicti ordinis, in abbatem ipsius monasterii de Sancto Januario elegerunt, et memoratus episcopus electionem hujusmodi auctoritate ordinaria confirmavit. Cumque ab hujusmodi electione et confirmatione fuisset ex parte prefati Rufini et quorumdam aliorum monachorum predicti monasterii de Sancto Januario ad Sedem Apostolicam appellatum, nos hujusmodi negotium dilecto filio nostro G., Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, commisimus audiendum. Qui, juxta formam hujusmodi nostre commissionis sibi facte in negotio ipso procedens, demum, de speciali mandato nostro, ex certis causis, tam electionem quam confirmationem predictas cassavit ac irritavit et cassas et irritas nuntiavit, dictoque Rofino super abbatia predicti monasterii de Sancto Januario, in qua pretendebat se jus habere, duxit perpetuum silentium imponendum; dictusque Rofinus fuit postmodum viam universe carnis ingressus. Nos igitur, de ipsius monasterii de Sancto Januario provisione, quam et nobis noscimur reservasse, sollicite cogitantes —, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus ad dictum monasterium — vos personaliter conferentes et habentes pre oculis solum Deum, eidem monasterio de Sancto Januario de persona, vita et moribus comendanda et alias ydonea ad ipsius monasterii regimen exercendum, assumenda de gremio ipsius monasterii vel etiam aliunde, super quibus vestram intendimus conscientiam onerare, auctoritate nostra providere curetis —; volumus autem quod per hoc priori et conventui supradictis, quoad provisiones abbatum ipsius monasterii de Sancto Januario que iminebunt per ipsos pro tempore faciende seu loci diocesano, quoad confirmationes ipsorum abbatum, nullum imposterum prejudicium generetur —. Dat. Laterani, kal. aprilis, anno quinto.

2964 (LXXVI) Latran, 23 mars 1299.

Delegatur provisio monasterii Sancti Ambrosii Mediolanensis. (fol. 154.)

Venerabilibus fratribus .. Brixiensi, et .. Novariensi episcopis, ac dilecto filio .. abbati monasterii Clarevallis, Mediolanensis diocesis. Debitum officii nostri —. Sane monasterio Sancti Ambrosii Mediolanensis, ordinis sancti

Benedicti, per mortem quondam Bertrandi abbatis ipsius monasterii solatio destituto pastoris, contigit in eo duas electiones, una de dompno Astulfo de Lampagnano et alia de dompno Matheo dicto Cota, ejusdem monasterii monachis, in discordia celebrari —.

Hujusmodi electionum negotio post nonnullos processus coram vicario archiepiscopi Mediolanensis, cui dictus archiepiscopus auctoritate ordinaria commiserat negotium, per appellationem Astulfi ad Sedem Apostolicam devoluto, apud eamdem Sedem Mattheus debitum nature persolvit et Astulfus resignavit. Mandatur suprascriptis ut ad dictum monasterium personaliter accedentes de persona ydonea ei providere curent.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

2965 (LXXVII) Latran, 31 mars 1299.

De provisione archidiaconatus de Essexia. (fol. 154.)

Dilecto filio Adrebandino, nato quondam Jacobi Riccardi de Militiis de Urbe, archidiacono Essexie in ecclesia Londoniensi. Tui et tuorum —.

Dictum archidiaconatum, quem Laurentius de Fuxis de Berra, capellanus et camerarius Petri de Columpna cardinalis depositi, olim obtinebat, per generalem sententiam privationis adversus fautores schismaticorum Columpnensium latam, apud Sedem Apostolicam vacantem, suprascripto contulerat. « Verum, cum in litteris super hoc confectis tu non archidiaconus de Essexia in eadem ecclesia Londoniensi, sed archidiaconus Londoniensis simpliciter nominareris, et in eis idem Laurentius non de Essexie in ecclesia Londoniensi sed simpliciter archidiaconus Londoniensis fuisse diceretur nec contineretur in illis quod nos tibi archidiaconatum de Essexia sed archidiaconatum simpliciter Londoniensem contulissemus, tu ex eisdem litteris nondum consequi commodum potuisti.» Decernit provisionem predictam et eas litteras super ea confectas eamdem vim ab earum data obtinere et obtinuisse quam si archidiaconus Essexie in illis nominaretur.

Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno quinto.

2966 (LXXVIII) Latran, 10 avril 1299.

Executoria mutui. (fol. 154 v°.)

Dilectis filiis .. archipresbytero Florentine, et magistro Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis ecclesiarum, ac .. officiali Senonensi. Nuper in nostra constituti presentia dilecti filii frater Henricus, prior de Cella subtus Cantumerlam, ordinis sancti Benedicti, et magister Johannes de Museyo, rector ecclesie de Sunseyo Trecensis diocesis, pro expeditione negotii electionis seu postulationis de dilecto filio fratre Guizardo, abbate monasterii Celle siti juxta Trecas, predicti ordinis, in episcopum vacantis Trecensis ecclesie celebrate, exponere curaverunt quod pro negotio predicte electionis — eos subire oportebat magna onera expensarum.

Eisdem propterea procuratorium non habentibus concessa fuit licentia contrahendi mutuum usque ad summam quatuor millium florenorum auri, quos receperunt a Symone Gerardi et Cynto Cambii de societate Rogerii et Lapi Spine de Spinis de Florentia, mutuantibus pro se ac Rogerio et Lapo predictis et Phylippo et Spina Hugonis, Raynutio Huchi, Masseo Clarissimi et Andrea Bonaventure et ceteris eorum sociis.

Dat. Laterani, IIII id. aprilis, anno quinto.

2967 (LXXVIIII) Latran, 9 avril 1299.

Ut possit mutuum contrahere usque ad summam duorum millium florenorum auri. (fol. 155.)

Venerabili fratri Ottobono, episcopo Paduano. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, v id. aprilis, anno quinto.

In e. m. scribitur eidem pro summa mille quingentorum florenorum auri.

In e. m. scribitur eidem pro summa mille florenorum auri.

2968 (LXXX) Latran, 23 mars 1299.

Ut possit eligere confessorem. (fol. 155.)

Venerabili fratri Egidio, episcopo Redonensi. Ut per confessionis —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

2969 (LXXXI) Latran, 30 mars 1299.

Indulgentia pro ecclesia Redonensi. (fol. 155.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Loca sanctorum omnium —.

Indulgentia unius anni et XL dierum pro ecclesia Redonensi in singulis beate Marie Virginis et sanctorum Apostolorum Petrum et Pauli festivitatibus.

Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno quinto.

2970 (LXXII) Latran, 23 mars 1299.

De Domo Dei prope ecclesiam S. Marie ad Gradus Viterbiensem. (fol. 155.)

Ad perpetuam rei memoriam. Devotorum vota —.

Hospitale quod nobilis vir Visconte dictus Gattus, miles Viterbiensis, prope ecclesiam Sancte Marie ad Gradus, ordinis Predicatorum, Viterbiensem, sub vocabulo Domus Dei de bonis propriis fecit construi, sub protectione Apostolice Sedis suscipit, ab omni jurisdictione .. episcopi et capituli eximit et .. priori et conventui Fratrum ordinis Predicatorum supradicte ecclesie Sancte Marie submittit; cui priori, cum consensu conventus, tam per se quam per aliquem ex fratribus supradictis curam exercendi, instituendi et revocandi rectorem et familiares in hospitali prefato, ministrandi ecclesiastica secramenta personis ipsius et eas sepeliendi in cimeterio dictorum Fratrum licentiam impertitur.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui Fratram ordinis Predicatorum Sancte Marie ad Gradus Viterbiensis* —. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24803).

2971 (LXXXIII) Latran, 5 avril 1299.

Provisio ecclesie secularis Sancti Affrodisii, Biterrensis diocesis. (fol. 155 v°.)

Dilecto filio Benedicto Oddonis Gayetani de Pisis, abbati secularis ecclesie Sancti Affrodisii, Biterrensis diocesis. Tua et tuorum —.

Abbatiam dicte ecclesie, per mortem quondam Philippi de Gerardinis, qui nuper apud civitatem Florentinam diem clausit extremum,vacantem et Apostolice dispositioni reservatam, suprascripto confert, non obstante quod in Noviomensi thesaurariam et in ea et Laudunensi ac Pisana ecclesiis canonicatus et prebendas ac preposituram ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis, ex dispensatione Apostolica noscatur obtinere.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno quinto.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. Theanensi, et .. Magalonensi, ac .. Agathensi episcopis* —. Dat. ut supra.

2972 (LXXXIIII) Latran, 23 mars 1299.

Ut in Redonensi et singulis collegiatis ecclesiis sue diocesis singulas personas ydoneas recipi facere valeat. (fol. 156.)

Venerabili fratri Egidio, episcopo Redonensi. Personam tuam —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

2973 (LXXXV) Latran, 6 avril 1299.

Provisio monasterii Gorgiensis, Metensis diocesis. (fol. 156.)

Dilecto filio Petro, abbati monasterii Gorgiensis, ordinis sancti Benedicti, Metensis diocesis. Pastoralis officii debitum —. Dudum siquidem, ex certis rationabilibus causis que nos ad id non immerito induxerunt et specialiter propter gravia et intollerabilia debitorum onera quibus tunc Metensis ecclesia premebatur, monasterium Gorgiense, ordinis sancti Benedicti, Metensis diocesis, cum bonis, juribus et pertinentiis ac prioratibus suis omnibus, bone memorie Bucardo episcopo et episcopatui Metensi ac ejusdem mense, quoad viveret, in exonerationem debitorum hujusmodi duximus concedendum. Cumque postmodum ex parte dilectorum filiorum .. prioris et conventus ejusdem monasterii nobis fuisset humiliter supplicatum ut, cum ipsi parati existerent pro Metensi ecclesia supradicta quamdam solvere summam pecunie nonnullis romanis mercatoribus, quibus in dicta summa eadem ecclesia tenebatur, revocare concessionem hujusmodi, ex qua prout ipsorum fatebatur assertio eis dictoque monasterio detrimentum non modicum et importabile dispendium imminebat, de Apostolice benignitatis clementia dignaremur, nos certis executoribus per nostras sub certa forma dedimus litteras in mandatis ut, .. priore ac conventu predictis hujusmodi solutionem prestantibus certis ad hoc terminis constitutis, concessionem eandem auctoritate nostra penitus revocantes, priorem, conventum et monasterium supradictos in eum statum in quo dicte concessionis tempore existebant reducere ac reponere non differrent, concedendo predictis priori et conventui plenam et liberam facultatem eligendi sibi abbatem in monasterio memorato sub cujus obedientia permanerent; ac eos et monasterium ipsum Metensi denuntiarent episcopo, qui esset pro tempore, vel Metensi ecclesie memorate, occasione prefate concessionis, in aliquo non teneri. Porro, priore ac conventu predictis solutionem in terminis ipsis prestantibus prelibatam, eisque per hos et eodem monasterio in eum statum in quo predicte concessionis tempore fuerant plene litterarum ipsarum auctoritate reductis, ex parte ipsorum

nobis denuo extitit supplicatum ut, cum ipsi diligenter considerent et solerter attendant prefatum ipsorum monasterium per te, tunc abbatem monasterii Lucensis, Sedi Apostolice immediate subjecti, dicti ordinis, Bisuntine diocesis, posse salubriter et utiliter reformari, providere ipsis et eidem monasterio Gorgiensi de persona tua, quam sibi et ipsi monasterio sperabant fore perutilem et multipliciter fructuosam, de solite benignitatis affluentia curaremus. Nos autem, ad prefatum monasterium Gorgiense gravibus durisve hactenus oppressionibus lacessitum paterne compassionis gerentes affectum, et cupientes eidem Gorgiensi monasterio de pastore ydoneo providere, qui sciret et posset exacti dampna temporis restaurare ac reformare salubriter statum ejus, ipsique alias preesse utiliter et prodesse, ad provisionem ipsius monasterii Gorgiensis studia nostra convertimus ac intendere cupimus diligenter. Et tandem, deliberatione sollicita super hoc habita et consideratis attentius diversarum muneribus gratiarum tibi ab Eo qui bonorum est omnium elargitor exhibitis, super quibus non solum a priore et conventu predictis sed ab aliis etiam fidedignis laudabile de te nobis testimonium perhibetur, ipsorum prioris et conventus in hac parte supplicationibus inclinati, te ad Gorgiense monasterium transferimus memoratum, preficientes te ipsi Gorgiensi monasterio in abbatem —. Dat. Laterani, VIII id. aprilis, anno quinto.

In e. m... *priori et conventui monasterii Gorgiensis — universis vassallis* —. Dat. ut supra.

2974 (LXXXVI) Latran, 7 avril 1299.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 156 v°.)

Dilectis filiis Petro abbati et conventui monasterii Gorgiensis, ordinis sancti Benedicti, Metensis diocesis. Ex parte vestra —.

Datur licentia Jacobo de Beliguevilla, canonico ecclesie de Mota, Tullensis diocesis, procuratori eorum in Romana Curia contrahendi mutuum pro eis usque ad summam duorum milium florenorum auri.

Dat. Laterani, VII id. aprilis, anno quinto.

2975 (LXXXVII) Latran, 18 mars 1299.

Indulgentia pro Domo Dei prope ecclesiam S. Marie ad Gradus Viterbiensem. (fol. 156 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Immensa benignitas Conditoris —.

Indulgetur omnibus vere penitentibus et confessis, qui manum porrexerint adjutricem hospitali Domus Dei prope ecclesiam Sancte Marie ad Gradus, ordinis Fratrum Predicatorum, Viterbiensem, delictorum suorum veniam juxta quantitatem subsidii et devotionis affectum.

Dat. Laterani, XV kal. aprilis, anno quinto.

2976 (LXXXVIII) Même date.

Gratia pro eodem hospitali. (fol. 157.)

Dilectis filiis in spiritualibus et temporalibus Patrimonii beati Petri in Tuscia rectoribus vel eorum vicariis tam presentibus quam futuris. Etsi locorum —.

Ut non permittant ab aliquibus injuriis affici vel alias indebite molestari hospitale Domus Dei prope ecclesiam Sancte Marie ad Gradus Viterbiensem.

Dat. ut supra.

2977 (LXXXVIIII) Latran, 1er avril 1299.

Provisio ecclesie Parmensis. (fol. 157.)

Dilecto filio Giffredo, electo Parmensi. Licet continuata —.

Ecclesie Parmensi, vacanti per obitum bone memorie Johannis apud Sedem Apostolicam defuncti et Apostolice dispositioni reservate, suprascriptus, canonicus Cameracensis, « quem apud nos et fratres nostros — fidedignorum testimonia multipliciter commendarunt quique predicte Apostolice Sedi circa executionem negotiorum ab eadem Sede tue sollicitudini hactenus commissorum grata et devota obsequia nosceris impendisse », preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno quinto.

(POTTHAST, 24809.)

In e. m. *capitulo — clero — populo — vassallis.* — Dat. ut supra.

2978 (LXXXX) Latran, 4 avril 1299.

De quibusdam prebenda et canonicatu in ecclesia Corisopitensi collatis. (fol. 157 v°.)

Dilecto filio Alano Angall, canonico et archidiacono de Pochaer in ecclesia Corisopitensi. Meritis tue multiplicis —. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum olim in Corisopitensi ecclesia canonicatus et archidiaconatus de Pochaer ac prebenda, eidem archidiaconatui non annexa, per mortem quondam magistri Hervei de Doulas canonici et archidiaconi de Pochaer in eadem ecclesia vacavissent, venerabilis frater noster .. Corisopitensis episcopus, ad quem in ecclesia ipsa canonicatuum, prebendarum et dignitatum collatio noscitur pertinere, volens te prosequi gratiose, tibi canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos, sicut premittitur tunc vacantes, auctoritate propria contulit et providit de illis, tuque ipsos post collationem hujusmodi tibi factam diu possedisti pacifice et quiete. Verum dilectus filius Radulphus Silvani clericus, asserens prebendam ipsam sibi deberi pretextu cujusdam reservationis, pridem ante vacationem canonicatus et prebende ac archidiaconatus predictorum facte de canonicatibus et prebendis in cunctis cathedralibus et collegiatis ecclesiis regni Francie per executores deputatos a nobis super gratia quam carissimo in Christo filio nostro Phylippo, regi Francorum illustri, duximus hactenus concedendam, qui quidem executores prelibato Radulpho virtute gratie supradicte ad requisitionem ipsius regis de canonicatu et prebenda in eadem Corisopitensi ecclesia providerunt, te super jamdictis canonicatu et prebenda, tibi ab eodem collatis episcopo, molestat multipliciter et perturbat. Cum autem, prout habet tue devotionis assertio, jus, si quod in eadem prebenda tibi competere noscitur, non possis nec etiam audeas ob ipsius regis potentiam contra Radulphum defendere memoratum, idemque episcopus, tempore collationis hujusmodi ab ipso sicut premittitur tibi facte, penitus ignorarit quod hujusmodi gratia sepefato regi concessa fuisset, ac etiam de consuetudine ipsius Corisopitensis ecclesie anteactis temporibus sit obtentum ut nullus in ea dignitatem habere valeat nisi canonicatum vel prebendam obtineat in eadem, nobis humiliter supplicasti ut, ne provisione hujusmodi remaneas defraudatus, providere tibi super hoc de Apostolice benignitatis clementia dignaremur. Nos itaque canonicatum ejusdem Corisopitensis ecclesie — et prebendam nulli alii de jure debitam, si qua in eadem ecclesia vacat ad presens, — Apostolica tibi auctoritate conferimus —, si vero nulla talis prebenda nunc vacat in ecclesia supradicta, nos prebendam primo in eadem ecclesia vacaturam —, conferendam tibi cum vacaverit donationi Apostolice reservamus —, tibi quoque auctoritate Apostolica de gratia concedimus ampliori ut archidiaconatum predictum, tibi ab episcopo memorato collatum, aliqua ejusdem ecclesie consuetudine contraria vel statuto nequaquam obstante possis licite ac libere retinere —. Dat. Laterani, II non. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono de Gaceio, Lexoviensis, et .. cantori Venetensis, ac .. scolastico Dolensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2979 (LXXXXI) Latran, 30 mars 1299.

Licentia concedendi tabellionatus officium uni persone ydonee. (fol. 158.)

Venerabili fratri Egidio, episcopo Redonensi. Ex parte tua —. Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno quinto.

2980 (LXXXXII) Latran, 13 mars 1299.

De absolutione comitis Ferrei Castri et aliorum rebellium Andree regi Hungarie. (fol. 158.)

Dilecto filio .. electo Strigoniensi. Porrecta nobis ex parte nobilis viri Johannis, comitis Ferrei Castri, Jauriensis diocesis, nati quondam Henrici bani de Ungaria, petitio continebat quod, cum ipse olim venerabili fratri nostro Johanni, Auximano tunc exinde episcopo et in partibus illis Apostolice Sedis nuntio, fidem et devotionem Sancte Romane Ecclesie debitam observare cum reverentia promisisset, ita quod nulli tanquam regi Ungarie pareret aut intenderet seu obediret nisi destinato seu approbato a Sede predicta, quia tamen obedientiam et reverentiam Andree, qui rex Ungarie nominatur, ignorans ipsius regimen per Sedem approbatum eandem, noluit exhibere, tam idem nobilis quam sui complices et fautores per bone memorie L., archiepiscopum Strigoniensem, et .. Jauriensem, et .. Wesprimiensem episcopos ac alios suos suffraganeos fuerunt auctoritate ordinaria excommunicationis sententia innodati —.

Eorum supplicationibus annuens mandat suprascripto ut eum et suos complices absolvat ad cautelam.

Dat. Laterani, III id. martii, anno quinto.

(POTTHAST, 24791.)

2981 (LXXXXIII) Latran, 13 mars 1299.

Conceditur pedagium castri de Gualdo, Nucerine diocesis, ad Romanam spectans Ecclesiam, usque ad beneplacitum domini pape. (fol. 158.)

Dilectis filiis Johanni Bartholi Clavelli et Bartholo ejus filio de Fulgineo laicis. Grate devotionis studia —. Dat. Laterani, III id. martii, anno quinto.

In e. m. *dilecto filio .. archidiacono Fulginati.* — Dat. ut supra.

(POTTHAST [1], 24787).

2982 (LXXXXIIII) Latran, 6 avril 1299.

Provisio ecclesie Eduensis. (fol. 158.)

Venerabili fratri Bartholomeo, episcopo Eduensi. Etsi juxta que —.

Vacante Eduensi ecclesia per obitum Hugonis et capitulo per viam scrutini electioni futuri pastoris procedente, « quamplures ex ipso capitulo in dilectum filium Guidonem de Limentone, de Succeio, quamplures vero in Gerardum de Bellovisu, de Beligniaco in prefata ecclesia Eduensi prepositos consenserunt, ipsis electis in alias singulares personas ejusdem capituli dirigentibus vota sua. Postmodum autem memorati prepositi propter hoc ad Sedem Apostolicam accedentes et tandem in nostra presentia constituti — sponte et libere resignarunt. » Suprascriptum, tunc decanum ecclesie Pictavensis, preficit in episcopum, munere consecrationis per M., episcopum Portuensem, ei impenso.

Dat. Laterani, VIII id. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Eduensis — clero civitatis et diocesis.* — Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Lugdunensi* — desistat de administratione Eduensis ecclesie quam tempore vacationis duxerat exercendam, prout predecessores ejus exercere consueverant. — Dat. ut supra.

In e. m. *eidem archiepiscopo* — ut suprascripto episcopo se exhibeat favorabilem in conservandis et ampliandis juribus ecclesie Eduensis — Dat. ut supra.

In e. m. *populo civitatis et diocesis — Phylippo, regi Francie illustri.* — Dat. ut supra.

1. Sub data « II° non. martii anno quinto » quam male dedit Theiner in Codice Diplomatico dominii temporalis S. Sedis I. 356, n° 529.

2983 (LXXXXV) Latran, 30 mars 1299.

Confirmatur administratio monasterii Romaricensis durante negotio electionum electe a majori parte concessa. (fol. 159.)

Dilectis filiis .. decano Columbe monasterii, Bisuntine diocesis, et .. thesaurario, ac Jacobo de Lariens, canonico Bisuntinis. Causam electionum in discordia celebratarum per formam scrutinii in monasterio Romaricensi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, Tullensis diocesis, de Clementia, sacrista, et Johanna dicta Sibilla, abbatissa de Portu Suani monasteriorum, venerabili fratri nostro G., episcopo Sabinensi, commisimus audiendam. Comparentibus autem procuratoribus partium coram dicto episcopo in terminis sibi a dicto episcopo assignatis, priusquam eadem causa fuerat (*sic*) coram dicto episcopo diutius agitata, magister Stephanus de Vileta, procurator predicte Clementie, proponens ipsam Clementiam electam esse a majori parte monialium dicti monasterii Romaricensis, cum instantia petiit predicte Clementie per memoratum episcopum decerni debere administrationem spiritualium et temporalium in dicto monasterio, secundum constitutionem quam nuper super hoc noscimur edidisse. Idem vero episcopus, examinato quatinus ad hoc opus erat dictarum electionum negotio et comperto predictam Clementiam a multo majore parte monialium dicti monasterii Romaricensis electam fuisse, factaque super hiis relatione fideli et interloquendi a nobis petita licentia et obtenta, deliberatione insuper secum et cum peritis habita diligenti, presenti predicto procuratore ipsius Clementie et magistro Hugone de Grandicuria, procuratore predicte Johanne, se contumaciter absentante, interloquendo pronuntiavit dictam Clementiam in spiritualibus et temporalibus administrare debere in Romaricensi monasterio supradicto, sibi omnimodam administrationem hujusmodi decernendo, ita tamen quod de bonis ipsius monasterii Romaricensis nichil penitus alienet nec monialem aliquam recipiat in eadem donec principale dictarum electionum negotium sit decisum, prout in instrumento publico inde confecto, dicti episcopi sigillo munito, plenius continetur. Nos itaque, ipsius Clementie supplicationibus inclinati, quod ab eodem episcopo super hoc factum est ratum et gratum habentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus illud faciatis autoritate nostra per vos vel per alium seu alios firmiter observari. Contradictores, et cetera usque : compescendo. Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno quinto.

2984 (LXXXXVI) Latran, 23 mars 1299.

Citatur propter multos excessus Bernardus Raymundi, qui se pro priore gerit monasterii de Briva. (fol. 159).

Dilectis filiis .. abbati monasterii de Belloloco, Lemovicensis diocesis, et Ademaro Roberti, Caturcensis, ac Geraldo de Ornaco, Lemovicensis ecclesiarum canonicis. Ad audientiam nostram, Martino, canonico monasterii de Briva, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, referente, pervenit quod Bernardus Raymundi, qui se gerit pro priore ipsius monasterii per priorem soliti gubernari, quondam Eblonem Magistri, dicti monasterii canonicum, volentem a priore predicto ex certis et sufficientibus gravaminibus in scriptis ad Sedem Apostolicam appellare ac adherere appellationi contra eundem priorem per quemdam ejus concanonicum ad eandem Sedem, pro se sibique adherentibus et adherere volentibus, interjecte, hujusmodi appellationem suam legere non permisit; sed, ob hoc contra eum gravius provocatus, ipsum verbo appellantem ad Sedem predictam capi et detrudi in carcere procuravit, quem ibi usque ad non modicam sanguinis effusionem, nervorum separationem et membrorum destructionem [1] fecit ita torqueri crudeliter et immaniter tormentari quod idem Eblo post modicum temporis spatium expiravit. Idem quoque Bernardus quondam Petrum Judicis, canonicum dicti monasterii, non convictum de aliquo crimine nec confessum nec etiam diffamatum, post et contra appellationes ipsius Petri ad dictam Sedem, ab eodem Petro in scriptis interpositas, capi et tamdiu in carcere detineri et diris questionibus exponi fecit quod idem Petrus ex illatis ei tormentis, elapso modici temporis spatio, vite spiritum exalavit. Prefatus preterea Bernardus Raymundi quondam Bernardum Dusercha, clericum dicte diocesis, quamquam nullam in eum jurisdictionem haberet, temeritate propria capi fecit eumque in carcere infra septa dicti monasterii tamdiu detineri captivum et diversis crudeliter affligi tormentis quod idem clericus paucis diebus elapsis, hujusmodi afflictionum occasione, diem clausit extremum. Memoratus insuper Bernardus Raymundi, sue religionis ac proprie salutis immemor, quondam Stephanum Fabri, laicum dicte diocesis, capi, incarcerari et ad caudam cujusdam equi trahi per villam de Briva et demum suspendio tradi ausu nephario procuravit. Et, licet idem Bernardus Raymundi, propter excessus per eum commissos in personas Eblonis, Petri, Bernardi predictorum, excommunicationis sententiam incurrisse noscatur, ipse tamen, tamquam in profundum malorum demersus, clavibus contemptis Ecclesie, divina officia celebrare necnon verius, quantum in eo est, profanare presumit, in anime sue periculum et scandalum plurimorum. Nolentes igitur premissa indiscussa relinquere vel sub silentio deserere incorrecta, instructionem aliquam recepimus super eis ac, volentes super hiis plenius agnoscere veritatem, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, predictum Bernardum Raymundi ex parte nostra perenptorie citare curetis ut infra duos menses post citationem vestram personaliter compareat coram nobis facturus ac recepturus super premissis quod justitia suadebit. Diem autem, et cetera usque : intimare. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

1. *Ms. :* destructiationem.

2985 (LXXXVIII) Latran, 28 mars 1299.

Mandatur dispensari super defectu natalium cum Nicolao de Capella. (fol. 159 v°.)

Dilecto filio Nicolao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero cardinali. Laudabili testimonio —.

Ut, consideratis diligenter circumstantiis, cum Nicolao de Capella, clerico Abrincensis diocesis, qui ejus capellanus existit, dispenset super defectu quem patitur, de presbytero genitus et soluta, ita tamen quod idem clericus in civitate et diocesi Abrincensi, unde ipse traxit originem, nullum beneficium assequatur et in aliqua ecclesia in qua pater ejus ministraverit non ministret, ac se faciat ad ordines promoveri quos requiret onus beneficii et personaliter resideat.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno quinto.

2986 (LXXXXVIII) Vatican, 31 janvier 1297.

De taxatione procurationum Apostolicarum hospitalibus et locis Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani impositarum. (fol. 159 v°.)

Dilecto filio .. preposito ecclesie Arelatensis. Reducentes ad sedule considerationis examen quantis periculis quantisve dispendiis — dilecti filii .. magister et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani pro Christi servitiis et tuitione catholice fidei — se exponunt, libenter ipsos oportuni favoris exhibitione prosequimur —. Exposita siquidem nobis eorum petitio continebat quod in procurationibus, legatis et nuntiis atque cursoribus Sedis

Apostolice exhibendis non solum Hospitale prefatum sed alia etiam hospitalia et loca sibi subjecta, pro eo quod fratres hospitalium et locorum ipsorum ad taxationem procurationum hujusmodi, cum illam contingit fieri, non vocantur, agravantur ultra proprias facultates —. Nos itaque, benigna consideratione pensantes quod iidem magister et fratres, pro substentandis Christi pauperibus ad hospitalia et loca confluentibus supradicta, gravia substinent onera expensarum — discretioni tue — mandamus quatinus, cum procurationes hujusmodi ab ecclesiis exhiberi ac eis imponi et taxari contigerit, facultatibus hospitalium et locorum predictorum provida circumspectione pensatis, sic circa hospitalia et loca prefata super jam dictis procurationibus exhibendis statuere ac ordinare auctoritate nostra procures, fratribus ipsis ad taxationem evocatis predictam, ut eadem hospitalia et loca ultra facultates eorum gravari ulterius non contingat —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, II kal. februarii, anno tertio.

2987 (LXXXXVIIII) Latran, 17 février 1299.

Ordinatio Apostolica in litigio super collatione cujusdam prebende Lincolniensis moto. (fol. 159 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Apostolice Sedis equa et circumspecta provisio, uniuscujusque satagens jura tueri, cum jurgantium lites ad ejus perferri contingit auditum, ut justitia in judicium convertatur, provide nititur solvere per exhibitionem justitie, nunc per viam rigoris juris, nunc per eque provisionis remedium, circumcisis superfluitatibus voluntatum, quod cavillationum nequa congeries et ambiguitatis scrupulus innodarunt. Sane, audito dudum quod canonicatus et prebenda ecclesie Lincolniensis per mortem quondam magistri Stephani de Thawel, ipsius ecclesie canonici, qui in civitate Basiliensi de Romana Curia recedendo decesserat, tunc vacabant, nos, volentes dilectum filium magistrum Riccardum de Feringes, capellanum nostrum, canonicum Lincolniensem, gratiosis affectibus honorare, canonicatum ipsius Lincolniensis [ecclesie] cum plenitudine juris canonici, et prebendam predictam sic vacantem, si de jure nulli alii deberetur, alioquin prebendam aliam, si qua nulli alii de jure debita tunc vacabat ibidem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, eidem magistro Riccardo, litterarum nostrarum auctoritate contulimus et providimus de eisdem. Si vero nulla talis prebenda tunc vacabat in ecclesia supradicta nos prebendam proximo in eadem ecclesia vacaturam que de jure nulli alii deberetur, conferendam ipsi magistro Riccardo cum vacaret, donationi Apostolice duximus reservandam et decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quocunque contingeret attemptari, certis super hoc sibi per alias nostras litteras executoribus deputatis. Postmodum vero, dum executores ipsi juxta formam predictarum litterarum directarum eis ad hujusmodi provisionis executionem intenderent, magister Walterius de Wittonia, archidiaconus Huntingdonensis in ecclesia Lincolniensi, qui canonicus etiam prebendarius in ipsa Lincolniensi ecclesia tunc temporis existebat, vel procurator ejus pro eo asserens prebendam predictam, que per obitum Stephani prefati vacaverat, ipsi magistro Waltero per venerabilem fratrem nostrum Oliverium, Lincolniensem episcopum, ad quem collationem canonicatuum et prebendarum in ipsa ecclesia cum vacant spectare dicebat fuisse collatam, et quod idem Walterius pretextu predicte collationis, ut dicebat facte sibi, prebendam possidebat eandem, ab hujusmodi provisione nostra facta jamdicto Riccardo et executione [1] predictorum executorum habita super ea ad Sedem Apostolicam appellavit. Negotio itaque collationum et appellationis hujusmodi ad Sedem devoluto predictam, nos in causa ipsa predicta dilectum filium magistrum Raynerium de Vichio, capellanum nostrum ac auditorem causarum nostri palatii, dedimus in ipsa causa partibus auditorem; coram quo in dicta causa petitionibus seu libellis exhibitis hinc et inde, ac lite super ipsis in ejus presentia inter partes predictas legitime contestata, et assignato ipsis partibus perentorio termino competenti ad exhibendum omnia acta, jura et munimenta cum quibus debuerant venire parate, predictus Riccardus prefatas provisionis nostre sibi facte litteras ac alia munimenta quibus tunc uti voluit in causa predicta in termino ipso produxit, parte altera preter appellationem suam hujusmodi et quamdam notificationem super ea nichil penitus producente. Cumque hujusmodi processus dicte cause habiti coram auditore prefato fuissent propositi coram nobis, nos, ad obviandum fraudi volentes quod uterque litigantium predictorum de titulo collationis sibi facte de prebenda ipsa doceret, ex officio nostro partibus ipsis injunximus ut collationum suarum titulos coram auditore predicto certo termino exhiberent, et quod pars dicti Walteri de certo tempore hujusmodi collationis sibi facte, si tamen facta sibi fuerat, responderet. Sed, licet jamdictus magister Riccardus prefatas collationis sue litteras coram eodem auditore, ut predicitur, produxisset, per quas de suo titulo plenius jam constabat, pro parte tamen dicti Walteri nichil fuit exhi-

1. *Ms.* : executionem.

bitum per quod de suo titulo expresse constaret. Dixit attamen procurator dicti Walteri in judicio coram auditore predicto quod de dicta collatione, quam eidem Waltero asseruerat fore factam, nulle, ut credebat, fuerant confecte littere, nullumque processerat publicum instrumentum, sed tandem procurator ipse certam expressit diem qua hujusmodi collationem ipsi Waltero asseruit factam esse, licet super hoc respondere diutius distulisset : que dies, si veritate ipsius assertio fulciretur, per duos vel circa collationem et provisionem nostram hujusmodi precedebat. Demum autem pro parte predicti magistri Riccardi fuit coram nobis et fratribus nostris in consistorio propositum et petitum quod, cum ipse de hujusmodi provisione per nos facta sibi plenius docuisset, sed pro parte dicti Walteri de predicta collatione, quam sibi asseruerat esse factam, nichil fuisset sufficienter ostensum, nos ipsi Riccardo de oportuno remedio providere, ac predictam collationem suam executioni mandare, dictique Walteri obviare malitiis in hac parte favorabiliter dignaremur. Nos igitur, qui finem salubrem et celerem imponere litibus affectamus, volentes sic in hac parte salubriter providere quod nequitia non prevaleat puritati, sed injuria confuxa subcumbat, ratio gratiosa triumphet ac justitia sic confundat et deprimat malignitatem quod per hujusmodi exhibitionem exempli tollatur aliis occasio malignandi et maxime impugnandi provisiones Apostolicas fraudolenter, in quo plerumque retroactis temporibus, in illis potissime partibus, nonnulli iniquitatis filii ex prave consuetudinis quasi vitio deliquerunt, infrascriptam ordinationem super dicto negotio fore providimus faciendam.

Quapropter, attendentes quod non est verisimiliter presumendum quod, si Lincolniensis episcopus predicto Waltero prebendam contulisset eandem, [non] confecta fuisset de hujusmodi collatione scriptura, ut puta patentes littere vel publicum instrumentum, ut consuetum est et maxime in Anglia in talibus observari.

Considerantes quoque quod nulla verisimiliter conjectura monstrat quod prefata collatio episcopi memorati, si qua etiam facta fuit, collationem nostram hujusmodi precessisset, quinimo assertio dicti Walteri vel procuratoris ejus super hoc suspecta redditur et conficta, cum secundum solitum viatorum cursum et nature possibilitatem difficile immo quasi impossibile videatur quod tam brevi tempore, a die scilicet obitus prefati magistri Stephani usque ad diem quo dictus procurator Walteri collationem ipsam dicto Waltero asserit fore factam, inter quos sexdecim dierum distantia dumtaxat habetur, de civitate Basiliensi, in qua dictus Stephanus ut predicitur obiit, ad predictum Lincolniensem episcopum iter suum perficere viator aliquis verisimiliter potuisset, ac ipso presertim tempore yemali scilicet et quo illius itineris grave viatoribus periculum imminebat, et oportebat eos habere per mare transitum et a recto itinere deviare [1] propter gravia guerrarum discrimina que inter reges et regna seu principum terras, per que haberi transitum quinpotius circuitum longevum et maximum oportebat, tunc ingruere peccatis exigentibus noscebantur.

Pensantes etiam quod hujusmodi assertio predicti procuratoris Walteri de prefata collatione, quam dixit factam sibi fuisse, conficta redditur non modicum et suspecta ex eo quod collationem ipsam per duos dies memoratam provisionem nostram asseruit precessisse, quam quidem suspicionem potissimum ingerit predicti procuratoris dilatio quin immo diffugium ad respondendum et docendum de certo die collationis ejusdem Walteri, cum ipse diem predicte provisionis nostre presciverit, et demum confixerit, ut premittitur, collationem suam hujusmodi precessisse.

Inspicientes insuper quod pars dicti Walteri sufficienter sue collationis titulum non expressit, propter quem predictam provisionem per nos prefato magistro Riccardo factam incautius impugnabat, quem exprimere debuit cum de provisione ipsius magistri Riccardi de qua dictus Walterius in appellatione sua fecerat mentionem sibi ante appellationem hujusmodi constitisset. Advertentes denique quod in Anglia consueverunt ut plurimum contra provisiones Apostolicas confictiones minus veraces opponi, cavillationes nequiter adhiberi, queri diffugia, impedimenta prestari et occupationes inique presumi, et ideo volentes prefatum negotium sic provisionis oportune remedio diffiniri quod utrique litigantium predictorum reddatur exinde quod debetur et nichilominus hujusmodi rei exemplo tollatur aliis audacia imposterum malignandi.

Super hiis cum fratribus nostris discussione prehabita diligenti per viam provisionis et ordinationis auctoritate Apostolica et de Apostolice potestatis plenitudine dicimus, ordinamus, mandamus et volumus quod prefatus Walterius predictam prebendam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, infra decem dies post denuntiationem presentium omnino dimittat et fiat de possessore petitor; dictusque Riccardus in plena et pacifica ipsius prebende ac predicti canonicatus sibi collatorum per nos possessione ponatur et fiat de petitore possessor, non obstantibus dicti Walteri objectionibus et contradictionibus supradictis et aliis quibuscumque : ipsi tamen Waltero jure, si quod habet in petitorio, et objectionibus et contradictionibus ipsis et aliis processibus dicte cause, dictoque Riccardo etiam omni jure suo super prebenda hu-

1. *Ms.* : de mare.

jusmodi reservato. Fructus vero redditus et proventus per eundem Walterum ex prebenda ipsa perceptos dispositioni et ordinationi nostre in eventum negotii reservamus. Quod si dictus Walterius super dicta prebenda voluerit per testes de suo jure probare, volumus ut, per eum primitus sicut predicitur prebenda ipsa dimissa dictoque Riccardo in plenam et pacificam ejusdem prebende possessionem inducto, probare coram auditore prefato, aut illo vel illis cui vel quibus id duxerimus comittendum, per bonas, honestas, graves et fidedignas personas nec suspectas in aliquo teneatur, et quod utraque pars coram eodem auditore possit in dicta causa prosequi jura sua, ipseque auditor possit partes ipsas audire, valeat et causam hujusmodi jure debito diffinire : presenti ordinatione nostra in suo tamen robore per omnia permanente nisi super ea rationem processuum habendorum in causa duxerimus aliter disponendum. Et si dictus Walterius seu procurator ejus se ad hujusmodi probationem obtulerit, et plene non probaverit dictam probendam ante predictam provisionem nostram dicto Riccardo de ipsa factam fuisse ipsi Waltero collatam, nos ei ex tunc perpetuum silentium imponimus super ea et nichilominus canonicatu ipsius Lincolniensis ecclesie, quem ipse obtinet, ac beneficio constitutionis nostre novelle, per quam sibi conceditur quod redire possit ad priorem prebendam per eum dimissam quam primitus in eadem ecclesia obtinebat, privamus eundem, nec non et in eum eventum privamus ipsum Walterum archidiaconatu Huntingdonensi, quem obtinet in predicta Lincolniensi ecclesia, ac omnibus aliis beneficiis ecclesiasticis, que in ipsa ecclesia obtineret; ac reddimus ipsum perpetuo inhabilem et indignum ad omne beneficium ecclesiasticum in predicta, in qua peccavit, ecclesia obtinendum, si onere hujusmodi probationis assumpto defecerit in probando quod predicta collatio ut asseritur facta sibi premissam collationem nostram precesserit ut est dictum. Decernimus insuper auctoritate prefata ex nunc irritum et inane si contra presentem provisionem ordinationem et mandatum nostra secus a quoque scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostri dicti, ordinationis, mandati, voluntatis, reservationis, impositionis, privationis et constitutionis —. Dat. Laterani, XIII kal. martii, anno quinto.

In e. m. *venerabilibus fratribus .. Lincolniensi .. Wintoniensi et .. Cremonensi*[1] *episcopis.* — Dat. ut supra.

2988 (C) Latran, 1er avril 1299.

De benedictione impendenda abbati monasterii S. Saturnini de Tavernulis. (fol. 161.)

1. *Ms.* : Tremonensi.

Venerabilibus fratribus .. Terraconensi et .. Narbonensi archiepiscopis et episcopis eorum suffraganeis ad quos littere iste pervenerint. Cum dilecti filii nostri Johannes[1], tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyter, et Matheus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinales, de mandato nostro facto eis oraculo vive vocis, dilectum filium Raymundum, abbatem monasterii Sancti Saturnini de Tavernulis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Urgellensis diocesis, nuper apud Sedem Apostolicam constitutum ipsi monasterio tunc abbate carenti prefecerunt in abbatem — .. nos —, quod ab eisdem cardinalibus super hoc factum est, ratum et gratum habentes, — eidem R[aymundo] abbati ut ordines qui sibi desunt et benedictionis munus — a quocumque vestrum maluerit — recipere valeat — concessimus facultatem.

Ut quicumque ex illis dicto abbati, cum ab eo fuerit requisitus ordines et benedictionis munus impendat.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilecto filio Raymundo, abbati monasterii S. Saturnini de Tavernulis.* — Dat. ut supra.

2989 (CI) Latran, 15 mars 1299.

Citantur archiepiscopi Treverensis et Maguntinus, pro debitis non solutis. (fol. 161.)

Ad futuram rei memoriam. Laudanda Sedis Apostolice rectitudo, que in suis actibus provida circumspectione dirigitur, illos non immerito gratia et favore prosequitur speciali quos sibi, facti evidentia edocente, devotos et obsequiosos agnoscit, ut et ipsi ad ejus reddantur beneplacita promptiores, ac alii eorum exemplo ad illa propensius excitentur. Sane dilecti filii Clarentinus et Lanfrancus Anselmi, Marguliosus et Johannes Bintii et alii eorum socii de societate Clarentum de Pistorio, nostre camere mercatores, nuper nobis exponere curaverunt quod .. archiepiscopus Treverensis, quia eis quandam non modicam summam pecunie, in qua ipsis ex causa mutui noscitur obligatus, in prefixo sibi super hoc termino restituere non curavit, fuit hactenus propter hoc per executores mercatoribus ipsis a Sede Apostolica deputatos vinculo excommunicationis astrictus; ac postmodum felicis recordationis Nicolaus papa IIII, predecessor noster, volens prefatis mercatoribus in hac parte benigniter providere, memorato archiepiscopo per suas

1. *Ms.* : Johannis.

litteras speciales injunxit ut super hoc mercatoribus ipsis debitam satisfactionem impendere non differret, alioquin auctoritate Apostolica citabat eundem ut infra competentis temporis spatium in eisdem litteris comprehensum se jam dicti predecessoris conspectui presentaret, de Romana Curia nullatenus recessurus donec per ipsum existeret prefatis mercatoribus satisfactum; at idem archiepiscopus, ad inobedientiam se convertens, nec mercatoribus satisfecit eisdem, neque coram predecessore comparuit supradicto. Demum, nobis ad apicem Apostolice dignitatis assumptis, venerabilis frater G., episcopus Sabinensis, et dilectus filius noster Theodoricus, tituli Sancte Crucis presbyter cardinalis, tunc et nunc etiam camerarius noster, priusquam per nos in cardinalem promotus extiteret, eidem archiepiscopo suas de nostra conscientia et mandato divisim seu singulariter litteras direxerunt, ut in hac parte prefattis mercatoribus satisfacere procuraret, aperte predicentes eidem quod, si id facere fortasse contempneret, nos taliter contra ipsum procedere curaremus quod sibi non immerito displiceret. Sed prefatus archiepiscopus, ab incepta contumacia non recedens, quin potius eam non sine multa temeritate continuans, illud efficere non curavit triennio et amplius jam elapso, licet eisdem episcopo et Theodorico, nondum tunc in cardinalem assumpto, per suas duxerit litteras respondendum quod in proximo ex tunc id quod in eorum continebatur litteris efficaciter adimpleret. Processu vero temporis, cum prefati mercatores ad nostram audientiam perduxissent quod quamplures archiepiscopi et episcopi, abbates, priores, prepositi, decani, archidiaconi et alii ecclesiarum et monasteriorum prelati, collegia, capitula et conventus ac persone ecclesiastice tam seculares quam regulares regni Alamanie in non modicis pecuniarum summis ex causa mutui mercatoribus tenebantur eisdem, ac nobis supplicassent humiliter ut, cum propter viarum discrimina que in illis haberi partibus asseruntur, in tam diversis locis in quibus debitores hujusmodi moram trahunt, jus suum in hac parte prosequi grave nimis illis existere nosceretur, providere ipsis de aliquo loco accomodo in quo possent jus prosequi supradictum paterne sollicitudinis studio dignaremur, nos, diligentius attendentes commoditates innumeras quas ecclesie ecclesiasticeque persone nonnunquam ex hujusmodi mutuis consequuntur et, propter hoc ac etiam ob specialis et familiaris devotionis affectum quem iidem mercatores ab olim erga nos et Romanam gesserunt Ecclesiam et gerere non desistunt, nolentes ut ex hujusmodi commoditatibus dispendia paterentur, eis certum locum, civitatem videlicet Mediolanensem, in quo jus ipsum contra omnes hujusmodi debitores possent facilius consequi duximus concedendum : dantes venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Mediolanensi per nostras sub certa forma litteras in mandatis ut apud civitatem ipsam, convocatis partibus inibi, causas audiret hujusmodi et, appellatione remota, usuris cessantibus, eas fine debito terminaret, faciens quod decerneret auctoritate nostra firmiter observari. Verum prefatus archiepiscopus, hujusmodi mandato nostro recepto volens ad executionem ipsius procedere, diligenter prefatum archiepiscopum Treverensem, qui sicut premittitur jam dictis mercatoribus in non modica pecunie summa ex mutui causa dinoscitur obligatus, per suas speciales litteras, prout ex virtute predictarum litterarum nostrarum poterat, citare studuit ut infra competentis temporis spatium in eisdem litteris dicti archiepiscopi Mediolanensis expressum, per se vel per procuratorem ydoneum ad hoc specialiter constitutum, in civitate predicta coram ipso comparere curaret, prefatis mercatoribus super hujusmodi mutuo in judicio responsurus. Et quia memoratus archiepiscopus Treverensis, nec per se neque per procuratorem suum aut alium, coram archiepiscopo Mediolanensi prefato apud civitatem eandem in predicto termino vel post eum etiam diutius expectatus comparere curavit, idem archiepiscopus Mediolanensis in eundem archiepiscopum Treverensem propter hujusmodi suam contumaciam manifestam excommunicationis sententiam exigente justitia promulgavit. Quare prefati mercatores a nobis humiliter postularunt ut, cum nullus ad partes illas propter viarum discrimina gravia et ejusdem archiepiscopi Treverensis potentiam secure valeat se conferre archiepiscopum citaturus eundem, oportunum super hoc remedium adhibere de benignitate solita curaremus. Nos igitur, sollicita meditatione pensantes quod nil obedientia prodesset humilibus si contumacia contumacibus non obesset, ac nolentes mercatoribus ipsis in suo jure deesse, qui sumus omnibus in justitia debitores, memoratum archiepiscopum Treverensem ad ejus subterfugia removenda in audientia nostra, publice ac peremptorie, Apostolica auctoritate citamus ut infra tres menses, a data presentium numerandos, coram nobis personaliter comparere procuret, beneplacitis et mandatis Apostolicis super tanta ejus contumacia et inobedientia humiliter pariturus ac nichilominus responsurus in judicio mercatoribus supradictis, ac facturus alias quod ordo dictaverit rationis, aperte predicentes eidem quod, si forte in prefixo sibi per nos termino supradicto comparere contempserit seu neglexerit coram nobis, contra eum spiritualiter et temporaliter, prout qualitas facti suaserit, et contumacia ejus exegerit, ac expediens fore putabimus, actore Domino procedemus. Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

In e. m. *scribitur pro .. archiepiscopo Maguntino.* Laudanda, et cetera ut in precedenti verbis convenienter mutatis usque in finem. Dat. ut supra.

2990 (CII) Latran, 17 avril 1299.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam viginti millium florenorum auri. (fol. 161 v°.)

Dilecto filio Roberto, electo Remensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, xv kal. maii, anno quinto.

2991 (CIII) Latran, 13 avril 1299.

Admittitur postulatio episcopi Laventini ad Gurcensem sedem. (fol. 161 v°.)

Venerabili fratri Henrico, episcopo Gurcensi. Ad regimen universalis — deputentur. Dudum siquidem Gurcensi ecclesia per obitum bone memorie Hertrudi, Gurcensis episcopi, pastoris solatio destituta, venerabilis frater noster Conradus, archiepiscopus Salzburgensis, et dilecti filii .. prepositus, .. decanus et capitulum ecclesie Gurcensis, ad quos comuniter electio Gurcensis episcopi tam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine quam ex privilegio Sedis Apostolice speciali eidem archiepiscopo concesso dicitur pertinere, die ad eligendum prefixa — insimul convenerunt et — per viam scrutinii procedentes assumpserunt tres de dicto capitulo fidedignos qui, sua primo et singulorum vota postmodum diligentius inquirentes, ea mox in dicto capitulo publicarunt et, comperto quod omnes in te, tunc episcopum Laventinum, unanimi voto consenserunt, dilectus filius Hertrudus, prepositus Gurcensis ecclesie, de mandato ipsius archiepiscopi et singulorum de capitulo supradicto, suo et eorumdem nomine, te in episcopum Gurcensem duxit canonice postulandum, ac postmodum prefati archiepiscopus et capitulum, per dilectos filios magistrum Gerlacum, prepositum ecclesie in Volchemarch, Salzeburgensis diocesis, et Ditricum, predicte Gurcensis ecclesie canonicum, ad nos propter hoc specialiter destinatos, nobis decretum postulationis hujusmodi presentarunt, humiliter supplicantes ut postulationem eandem benigne admittere dignaremur.

Relatione facta super examinatione dicte postulationis per J., episcopum Tusculanum, Theodericum, tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbyterum, ac Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinales, eam admittit et suprascripto dat licentiam transeundi de Laventina ad Gurcensem ecclesiam.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. preposito, .. decano et capitulo ecclesie Gurcensis — universis ecclesie Gurcensis ministerialibus et vassallis.* — Dat. ut supra.

2992 (CIIII) Sans date.

Forma juramenti. (fol. 162.)

Forma juramenti. Ego Raymundus, abbas monasterii Sancti Saturnini de Tavernulis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.

2993 (CV) Latran, 25 janvier 1299.

Facultas condendi testamentum. (fol. 162.)

Venerabili fratri Raynaldo, episcopo Vicentino. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno quinto.

2994 (CVI) Même date.

Facultas concedendi duabus personis ydoneis tabellionatus officium. (fol. 162.)

Eidem. Ex parte tua —. Dat. Laterani ut supra.

2995 (CVII) Latran, 28 février 1299.

De concessione castri de Servo, Albinganensis diocesis. (fol. 162 v°.)

Dilecto filio .. magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Oblata nobis —.

Ut possit concedere nobili viro Nicolao de Auria civi Januensi et ejus heredibus castrum de Servo, Albinganensis diocesis, ad Hospitale pertinens, per viginti annos retinendum.

Dat. Laterani, II kal. martii, anno quinto.

2996 (CVIII) Latran, 1er avril 1299.

Dispensatur super observatione compositionis inite inter ecclesiam S. Quiriaci et Domum Dei de Pruvino. (fol. 162 v°.)

Dilectis filiis .. magistro et fratribus Domus Dei de Pruino ante Fontem, Senonensis diocesis. Inducunt nos opera —. Pro parte siquidem vestra fuit propositum coram nobis quod, cum vos in ecclesia Sancti Kiriaci de Pruvino, Senonensis diocesis, quamdam prebendam sacerdotalem obtinere noscamini, ut fructus hujusmodi prebende ac distributiones cotidianas ejusdem ratione prebende in eadem ecclesia percipere valeatis, magister domus ipsius, qui est pro tempore, juxta quamdam compositionem dudum initam inter vos — et .. decanum et capitulum ipsius ecclesie,— tenetur diebus singulis in eadem ecclesia in divinis officiis personaliter deservire.

Indulgetur suprascripto et successoribus ejus ut, non obstante dicta compositione, per aliquem de fratribus ipsius domus ad hoc ydoneum, donec prefatus magister negotiis vel servitiis dicte domus fuerit occupatus, super quo conscientia ejus oneratur, deserviri valeat.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancte Columbe prope Senones et .. decano Sancti Stephani ac magistro Egidio de Ascolayo, canonico Senonensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

2997 (CVIIII) Latran, 7 février 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 163.)

Dilecto filio Antonio, nato nobilis viri Percivallis de Camilla, civis Januensis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Catherine, nate nobilis viri Francisci quondam Barnabonis Malaspine, Lunensis diocesis. Romani pontificis —.

Indulgetur, ad sedandas inimicitias que inter A., episcopum Lunensem, cujus Antonius nepos existit, et Franciscum existunt, ut Antonius et Catherina invicem matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, VII id. februarii, anno quinto.

2998 (CX) Latran, 13 mars 1299.

Confertur vel reservatur canonicatus in ecclesia Saresbiriensi. (fol. 163.)

Dilecto filio Roberto de Leycestria, presbytero, canonico Saresbiriensi. Volentes personam —.

Contemplatione bone memorie Hugonis, tituli Sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, cujus capellanus commensalis fuit, et obtentu M., Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, pro eo supplicantis, canonicatum et prebendam in ecclesia Saresbiriensi suprascripto confert vel reservat, si non vacant, non obstante quod in ipsa ecclesia quamdam perpetuam vicariam ac ecclesiam Sancti Rovaldi Schefconensis, Saresbiriensis diocesis, curam animarum habentem noscatur obtinere et quod ei alias de parrochiali ecclesia de Motesfonte, Wintoniensis diocesis, sit provisum super qua inter eum et quemdam alium clericum questio ventilatur.

Dat. Laterani, III id. martii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Wintoniensi et dilectis filiis .. abbati monasterii de Stanleya, ordinis Cisterciensis, Saresbiriensis diocesis, ac .. archidiacono Cantuarensi.* — Dat. ut supra.

2999 (CXI) Latran, 6 avril 1299.

Provisio ecclesie Cerviensis. (fol. 163 v°.)

Venerabili fratri Antonieno, episcopo Cerviensi. Inter sollicitudines alias —.

Suprascriptus professor ordinis Fratrum Minorum ecclesie Cerviensi, per obitum Theodorici episcopi vacanti et ea vice dispositioni Apostolice reservate, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, VIII id. aprilis, anno quinto.

(Potthast, 24812.)

In e. m. *dilectis filiis archipresbytero et capitulo — clero — populo.* — Dat. ut supra.

3000 (CXII) Latran, 15 mars 1299.

Prorogatio cujusdam gratie. (fol. 163 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Basiliensi. Dudum considerantes attentius —.

Suprascripto, cui propter onus debitorum ecclesie sue concessum fuerat ut omnia beneficia ecclesiastica que promotionis tempore obtinebat usque ad quinquennium retinere ac eorum fructus, redditus et proventus percipere posset, usque ad triennium a fine hujus quinquennii nunc durantis prorogatur eadem gratia.

Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. Beate Marie ad Martires extra muros Treverenses et .. Beate Marie in Lutelburg, Treverensis diocesis, monasteriorum abbatibus,ac magistro Huguitioni de Vercellis, canonico ecclesie Brugensis, Tornacensis diocesis.* — Dat. ut supra.

3001 (CXIII) Latran, 3 mars 1299.

De triginta duobus millibus florenis auri regi Aragonie solu tis. (fol. 164.)

Dilectis filiis Clarentino et Lanfranco Anselmi, Margiano Floravantis, Baldo Raynerii, Donato Bartholi, Paulo Johannis, Bonino Gerardini et ceteris eorum sociis de societate Clarentum, civibus Pistoriensibus, camere nostre mercatoribus. Reducentes ad sedule —.

Dantur suprascriptis littere quitationis triginta duorum millium florenorum auri, quos de mandato domini pape persolverunt Jacobo, regi Aragonie, de summa decem millium marcharum auri que remanserunt ad solvendum pro residuo centum millium marcharum argenti, per Romanam Ecclesiam pro dote Blance regine Aragonie ejus uxoris eidem regi promissarum, et conceditur eisdem ut de cujusvis decime tam dudum deputate subsidio Terre Sancte quam etiam prosecutioni negotii regni Sicilie ac quibusdam necessitatibus Romane Ecclesie supradicte primo, secundo et tertio concesse pecunia seu quavis alia de censibus vel procurationibus in Italia, Francia et Anglia penes eos deposita vel deponenda retinere valeant usque ad quantitatem mutui supradicti.

Dat. Laterani, v non. martii, anno quinto.

3002 (CXIIII) Latran, 22 avril 1299.

Executoria mutui. (fol. 164.)

Dilectis filiis .. archidiacono Atrebatensis, et magistro Johanni de Penestre, camere nostre clerico, thesaurario Cathalaunensis, ac .. cantori Morinensis ecclesiarum. Pridem ex parte —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum duorum millium florenorum auri quos Jacobus de Belignevilla canonicus ecclesie de Mota, Tullensis diocesis, procurator monasterii Gorgiensis Metensis in Romana Curia, recepit a Cancino Spilliati, mutuante pro se ac Thoma Vanne, Rizardo de Mozis, Lapo Scandittii, Ziano Marzoli, Bartholo Gerardi et Lapo Pieri ac ceteris de societate Mozorum de Florentia.

Dat. Laterani, x kal. maii, anno quinto.

3003 (CXV) Latran, 18 avril 1299.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam quatuordecim millium florenorum auri. (fol. 164.)

Dilecto filio Phylippo, abbati monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ad Romanamc Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, XIIII kal. maii, anno quinto.

3004 (CXVI) Latran, 25 avril 1299.

Executoria mutui. (fol. 164.)

Dilectis filiis magistro Petro de Eugubio, cantori Morinensis, clerico camere nostre, ac Bartholomeo Abbatis, canonico Bononiensis ecclesiarum, et .. officiali Trecensi. Exponente nuper nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum quatuordecim millium florenorum auri quos Phylippus, abbas Sancti Medardi Suessionensis, recepit a Symone Gerardi, mutuante pro se ac Rogerio, Lapo, Phylippo et Spina Spine de Spinis, Nero Cambii, Cinto Cambii, Andrea Gualterotti, Guarente Jacobi, Raynutio Hughi, Masseo Clarissimi, Vanne Paganetti, Bonifatio Rogerini, Andrea Bonaventure et Gerardo Rustici ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum.

Dat. Laterani, VII kal. maii, anno quinto.

3005 (CXVII) Latran, 21 avril 1299.

Gratia conceditur Johanni de Langetono, cancellario regis Anglie. (fol. 164 v°.)

Dilecto filio Johanni de Langetono, subdiacono, cancellario carissimi in Christo filii nostri E[duardi] regis Anglie illustris, thesausario ecclesie Wellensis. Eximie devotionis —.

Suprascripto, cum quo fuit jam dispensatum ut thesaurariam ecclesie Wellensis et ecclesias de Lodeswell, de Burgo subtus Steymnor, de Breydeshale, de Hornecaster, de Wallepole, de Burewell et de Racolure, Exoniensis, Karleolensis, Conventrensis et Lichefeldensis, Lincolniensis, Norvicensis et Cantuariensis diocesium, curatas una cum canonicatibus et prebendis quos obtinebat in Wellensi, Saresbiriensi, Cicestrensi, Lichefeldensi, Lincolniensi, Eboracensi, Dublinensi et de Langecester, Dunelmensis diocesis, ecclesiis retinere valeat, indulgetur, consideratione Eduardi, regis Anglie, pro eo « veluti caro sibi cum magna instantia supplicantis », ut, si de dicti regis beneplacito processerit et ei expedire videbitur, adhuc nichilominus

duo beneficia ecclesiastica curam animarum habentia, si alias ei canonice offeruntur, dummodo horum duorum et omnium ceterorum ejus beneficiorum redditus summam secundum communem extimationem patrie mille librarum sterlingorum valorem annuum non excedant, recipere valeat.

Dat. Laterani, XI kal. maii, anno quinto.

3006 (CXVIII) Même date.

Dispensatur cum eodem super pluralitate. (fol. 164 v°.)

Eidem. Eximie devotionis —.

Dispensatur cum eo super pluralitate, ita tamen quod nec jus tollatur nec justitia impediatur in causa que vertitur inter eum et .. archiepiscopum Cantuariensem qui, asserens quod pluralitatem beneficiorum curam animarum habentium absque Apostolica dispensatione retinebat illicite, eum privatum ecclesia de Racolure nuntiavit.

Dat. ut supra.

3007 (CXVIIII) Même date.

Certior fit rex Anglie de gratiis ejus cancellario concessis (fol. 165).

Carissimo in Christo filio E., regi Anglie illustri. Habet in nobis. — Sane dilectus filius Johannes de Langetono thesaurarius ecclesie Wellensis, cancellarius tuus, nuper ad presentiam nostram accedens, nobis ex parte regia litteras presentavit per quas eum velut tibi carum et gratum nobis intime commendasti. Nos quidem cancellarium ipsum et predictas litteras benigne recepimus et laudem petitionibus ejus auditis, tuam in ipso volentes honorare personam licet cum eo duxerimus super pluralitate — dispensandum, nichilominus sibi ex dono gratie amplioris indulximus ut, si regis processerit beneplacito ac expedire videris, adhuc etiam duo alia beneficia — licite recipere — valeat et habere. Credimus itaque, fili, rem tibi gratam et gratiosam in premissis egisse ac intentum habemus animum et paternum gerimus et excitamus affectum ad regia, in quantum patiatur honestas, beneplacita prosequenda. Dat. ut supra.

3008 (CXX) Même date.

Eadem de re. (fol. 165).

In eundem modum eidem. Habet in nobis —.

Precedens epistola, eisdem verbis confecta, repetitur.

Dat. ut supra.

3009 (CXXI) Latran, 25 avril 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 164.)

Dilecto filio Georgio Bartholomei Gysi et dilecte in Christo filie Aglisie Merini de Carceribus, civibus Nigropontensibus. Licet conjunctio copule —.

Indulgetur ad sedandas discordias inter eorum progenitore ut matrimonium invicem contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, VII kal. maii, anno quinto.

3010 (CXXII) [1] Latran, 25 avril 1299.

Executoria mutui. (fol. 165.)

Dilectis filiis. . archidiacono de Gaceyo in ecclesia Lexoviensi et magistro Petro de Eugubio, cantori ecclesie Morinensis, clerico camere nostre, ac . . officiali Parisiensi. Exponente nobis pridem —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum viginti millium florenorum auri quos Robertus, electus Remensis, recepit a Symone Gerardi et Andrea Gualterotti mutuantibus pro se ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum.

Dat. Laterani, VII kal. maii, anno quinto.

3011 (CXXVIII) [2] Latran, 28 avril 1299.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam octo millium florenorum auri. (fol. 164 v°.)

Dilecto filio magistro Dyonisio de Meleduno, canonico ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis, procuratori venerabilis fratris nostri Johannis episcopi Carcassonensis, ad Sedem Apostolicam destinato. Nuper in nostra —. Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno quinto

1. Ad calcem hujus capituli, legitur, sine titulo rubricato et cancellata linea transversali, executoria mutui octo millium florenorum auri facti per societatem Amannatorum de Pistorio procuratori episcopi Carcassonensis, sub n° CXXVIII inserta, incipiens: *Dilectis filiis Rodulpho de Aurricuria, Parisiensis, et Petro de Monticello, Bononiensis, et Agolante Guidonis, Pistoriensis canonicis ecclesiarum. Nuper in nostra — Dat. Laterani* IIII *kal. maii, anno quinto.* In margine legitur vocabulum *vacat* in duas partes divisum in principio et in fine epistole.

2. Jam notavimus supra in nota errorem qui deprehenditur in serie numerorum.

3012 (CXXX) Latran, 23 mars 1299.

Venerabili fratri . . episcopo Ulixbonensi. Inter cetera desideria —.

Concedit ei facultatem, cum in dicta ecclesia non modicus sit numerus prebendarum, pauci tamen ex canonicis resideant, dividendi, consensu ejusdem capituli minime requisito, duas prebendas ad suam et capituli collationem communiter spectantes, faciendi de ipsis quatuor portiones et providendi de illis quatuor personis ydoneis qui canonicorum absentium defectum suppleant.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

3013 (CXXXI) Même date.

Ut possit condere testamentum. (fol. 165 v°.)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

3014 (CXXXII) Même date.

Indulgentia pro ecclesia B. Vincentii Ulixbonensi. (fol. 165 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Licet is de cujus —.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum pro ecclesia Ulixbonensi, in qua corpus beati Vincentii martyris requiescit, in festo ipsius sancti et in die translationis ejusdem.

Dat. ut supra.

3015 (CXXXIII) [1] Anagni, 5 mai 1297.

Executoria mutui. (fol. 166.)

Dilectis filiis Radulpho de Arricuria, Parisiensis, et Petro de Montochello, Bononiensis, ac Agolante Guidonis, Pistoriensis canonicis ecclesiarum. Nuper in nostra —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum octo millium florenorum auri quos magister Dyonisius de Meleduno procurator J., episcopi Carcassonensis, recepit a Lanfranco Jandonati et Raynerio Guidonis mutuantibus pro se et ceteris eorum sociis de Societate Amannatorum.

Dat. Anagnie, III non. maii, anno quinto.

3016 (CXXXIIII) [2] Latran, 7 février 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 166.)

Dilecto filio Antonio, nato nobilis viri Percivallis de Camilla civis Januensis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Katerine, nate nobilis viri Francisci quondam Barnabonis marchionis Malaspine, Lunensis diocesis. Romani Pontificis —.

Ad sedandas discordias que inter A., Lunensem episcopum, cujus Antonius nepos existit, ex parte una, et dictum Franciscum, ex altera, existere dicuntur, indulget suprascriptis ut non obstante quarto consanguinitatis gradu matrimonium contrahere valeant.

Dat. Laterani, VII id. februarii, anno quinto.

3017 (CXXXV) Latran, 5 avril 1299.

Pro Theobaldo de Cathalauno resignante electionem abbatie Belliloci in Argonia. (fol. 166.)

Dilecto filio fratri Theobaldo de Cathalauno, monacho monasterii Belliloci in Argonia, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis. Petitio tua —.

Suprascripto, qui, pendente negotio sue electionis ad Sedem Apostolicam devolute, non metu objectorum criminum, in quorum probatione omnino defecerat pars adversa, sed potius per hoc credens providere consultius paci sue, resignavit, indulgetur ut per resignationem electionis predicte aliquam notam vel fame derogationem non incurrat.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno quinto.

3018 (CXXXVI) Latran, 6 février 1299.

Prorogatur tempus consecrationis electo Salertinato qui pro negotiis Roberti, ducis Calabrie, personaliter occupatus existit. (fol. 166.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Godorino, electo Salernitano. Promerente tam tue —. Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno quinto.

3019 (CXXXVII) Latran, 28 mars 1299.

Ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu. (fol. 166 v°.)

Dilecto filio magistro Nicolao de Auri et dilecte in Christo filie Sibilie Thomasini Gualterii, civibus Januensibus. Licet conjunctio copule —. Dat. Laterani, v. kal. aprilis, anno quinto.

1. Cf. epistolam insertam in nota sub n° 3010.
2. Cf. epistolam insertam sub n° 2997.

3020 (CXXXVIII) Latran, 1er février 1299.

De canonicatu in ecclesia S. Stephani de Nerinano conferendo. (fol. 160 vo.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi. Cum dilectus filius —.

Mandat ei ut, recepta resignatione quam Robertus de Moneta, canonicus ecclesie Sancti Stephani de Nerinano, ejus diocesis, intendit facere de canonicatu suis et prebenda, provideat de eisdem persone ydonee.

Dat. Laterani, kal. februarii, anno quinto.

3021 (CXXXVIIII) Latran, 23 mars 1299.

Ut magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani adversus molestatores defendant. (fol. 166 vo.)

Dilecto filio . . abbati monasterii de Sancta Columba, Senonensis diocesis. Etsi cunctos —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. scribitur . . abbati Sancti Germani de Pratis Parisiensis.

3022 (CXL) Latran, 10 avril 1299.

Provisio ecclesie Remensis. (fol. 167.)

Dilecto filio Roberto, electo Remensi. Precelso Sedis Apostolice —. Sane venerabilem Remensem ecclesiam — predilectam in pectore gerimus —. Dudum siquidem ecclesia ipsa, per obitum bone memorie Petri, Remensis archiepiscopi, pastoris solatio destituta, dilecti filii . . prepositus, . . decanus et capitulum ipsius ecclesie certa die ad eligendum prefixa — per viam scrutinii procedentes, nonnullos de dicto capitulo fidedignos assumere curaverunt qui vota — publicarent —, demum — per publicationem hujusmodi compertum extitit quod in te, ipsius ecclesie canonicum, omnes de dicto capitulo concorditer et unanimiter consenserunt. Et subsequenter, tibi electione hujusmodi presentata, ei consensum tuum infra tempus a jure statutum impendere curavisti, te propter hoc cum certis procuratoribus memorati capituli super hujusmodi negotio specialiter constitutis ad Apostolicam Sedem personaliter conferendo, et, presentato nobis hujusmodi electionis decreto super eadem electione confecto, nobis humiliter supplicasti ut electionem ipsam confirmare de Apostolice benignitatis clementia dignaremur. Nos autem, ad expeditionem ecclesiarum vacantium prout debitum nostri requirit officii opem libenter et operam impendentes, venerabili fratri G., episcopo Sabinensi, et dilectis filiis nostris J., tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero, ac M., Sancte Marie in Porticu diacono cardinalibus, tam electionis hujusmodi quam tue examinationem persone vive vocis oraculo duximus committendam, volentes ut quod per ipsos in hac parte inveniri contingeret eorum nobis plena relatio intimaret. Qui, super hoc sollicite procedentes, nobis quod per eos inventum extitit refferre plenarie curaverunt. At tandem tu, in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, jus, si quod tibi ex electione memorata competere noscebatur, ex considerationibus certis inductus sponte ac libere in nostris manibus resignasti, cujus resignationem benigne duximus admittendam. Nos igitur, qui predictam ecclesiam infra caritatis viscera retinemus, ad ipsius provisionem salubrem et celebrem more laudabilis pii patris vigilantibus studiis intendentes, ne illa prolixe vacationis afficeretur incomodis et dispendiis gravaretur, considerantes etiam et diligentius intendentes quod prepositus, decanus et capitulum supradicti non sine multa providentia et exacte deliberationis examine te ad ipsius ecclesie regimen unanimiter et concorditer elegerunt —, de te prefate Remensi ecclesie, de fratrum predictorum consilio et Apostolice potestatis plenitudine, providemus teque illi preficimus in archiepiscopum et pastorem —. Dat. Laterani, IIII id. aprilis, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito . . decano et capitulo ecclesie Remensis — clero civitatis et diocesis — venerabilibus fratribus universis suffraganeis ecclesie Remensis — dilectis filiis populo — universis vassallis — Philippo, regi Francie illustri.* —. Dat. ut supra.

3023 (CXLII) Latran, 17 avril 1299.

Ut ad suam ecclesiam accedat Conchensis episcopus. (fol. 168.)

Venerabili fratri Paschasio, Conchensi episcopo. Dudum venerabili fratri —.

Ei, cui per Mattheum, Portuensem episcopum, munus consecrationis impendi fecit, mandat ut ad suam ecclesiam accedat.

Dat Laterani, xv kal. maii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Conchensis* —. Dat. ut supra.

3024 (CXLIII) Latran, 28 avril 1299.

De Philippo, Francie rege, inducendo ad concedendum regalia electo Remensi. (fol. 168.)

Venerabili fratri . . episcopo Dolensi. Veniens ad Apostolicam Sedem dilectus filius Robertus de Cortiniaco, electus Remensis, pro obtinenda confirmatione electionis ipsius, tandem ex certis considerationibus cessit in nostris manibus omni juri quod sibi fuerat ex hujusmodi electione quesitum. Nos vero, resignatione ipsa recepta, tandem grandibus sue meritis probitatis ipsiusque nobilitate magnifica et potissimum eximie devotionis affectu, quo ad Romanam Ecclesiam matrem ejus et dominam et ad carissimum in Christo filium nostrum Phylippum, regem Francorum illustrem, et ad domum regiam, de qua electus ipse processit, fervere dinoscitur, in debitam considerationem aductis, quamvis ut premittitur resignasset, eum prefate Remensi ecclesie de fratrum nostrorum consilio in archiepiscopum prefecimus et pastorem, regiam in hoc intendentes honorare personam et rem regio gratam animo promovere, ac nichilominus, ut erga dictum electum noster plenius exuberare nosceretur affectus, eundem regem per speciales nostras rogamus litteras et hortamur attente ut, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia et pro decentia honoris ejus, eundem electum favorabiliter prosequens, presentialem prestationem homagii sibi faciendam per eum ipsi electo usque ad reditum ejus proroget, si forsan ad presentiam regiam non sic festinus accesserit sicut vellet, ac nichilominus ei vel nuntiis suis ad hoc specialiter destinatis temporalia que vulgariter regalia nuncupantur ex habundantia magnificentie regie reddat et reddi faciat de gratia speciali, hujusmodi dilatione presentialis prestationis homagii non obstante. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et excitamus attente quatinus, beneplacitum nostrum et honorem regium ac electi profectum in hac parte favorabiliter prosequens, apud eundem regem diligenter insistas et efficaciter opereris quod hujusmodi nostris precibus liberaliter annuat et eas ad gratiam exauditionis optate producat. Sic te super hoc diligenter et sollicite habiturus quod tua possit proinde providentia commendari et prefatum electum in tuis constituas beneplacitis debitorem. Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno quinto.

3025 (CXLIIII) Même date.

Eadem de re [1]. (fol. 168.)

In e. m. *dilecto filio nobili viro Petro Flot, militi et consiliario carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francorum illustris.* Veniens, et cetera ut in precedenti usque : non obstante. Quare nobilitatem tuam rogamus et excitamus attente quatinus beneplacitum nostrum, et cetera usque in finem. Dat ut supra.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Guidoni, comiti Sancti Pauli.* Veniens, et cetera ut in precedenti usque in finem. Dat. ut supra.

1. Titulus non rubricatus fuit.

3026-3026 *bis et ter* (CXLVI) Latran, 26 avril 1299.

Indulta pro electo Remensi. (fol. 168 v°.)

Dilecto filio Roberto, electo Remensi. Cum nuper de fratrum nostrorum consilio Remensi ecclesie, tunc pastore carenti, de te duxerimus providendum teque illi prefecerimus in archiepiscopum et pastorem, ac deinde ad diaconatus ordinem, ad quem nondum promotus fueras, per venerabilem fratrem nostrum G[erardum], episcopum Sabinensem, te fecerimns apud Sedem Apostolicam promoveri tibique ut sacerdotii ordinem a quocumque malueris antistite, gratiam et communionem predicte Sedis habente, statutis temporibus suscipere possis duxerimus per alias nostras litteras concedendum, nos, volentes in hiis que tibi cedunt ad consolationis augmentum ampliori prosequi te gratia et favore, tibi ut, postquam fueris in presbyterum ordinatus, consecrationis munus juxta formam canonicam a quocumque malueris antistite gratiam et communionem habente suscipere valeas, liberam concedimus auctoritate presentium. Dat. Laterani, VI kal. maii, anno quinto.

In e. m. *Eidem.* — Ut possit a quocumque maluerit episcopo sacerdotii ordinem recipere —. Dat. Laterani VII kal. maii, anno quinto.

In e. m. *Eidem.* — Conceditur ei palleum per Guidonem de Camlayo, canonicum Remensem, .. Suessionensi et .. Ambianensi episcopis deferendum —. Dat. Laterani, kal. maii, anno quinto.

3027 (CXLVII) Latran, 27 avril 1299.

Pro eodem. (fol. 168 v°.)

Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis presentes litteras inspecturis. Cum nuper, et cetera ut in precedenti usque : facultatem. Ideoque cuilibet vestrum presentium auctoritate committimus et mandamus quatinus unus ex vobis, qui super hoc ab eodem electo

fuerit requisitus, ascitis sibi duobus vel tribus episcopis eandem gratiam et communionem habentibus, ipsi electo auctoritate nostra juxta formam canonicam hujusmodi munus consecrationis impendant. Dat. Laterani, v kal. maii, anno quinto

3028 (CXLVIII) Même date.

Pro eodem. (fol. 168 v°.)

Venerabilibus fratribus . .Suessionensi et . . Ambianensi episcopis. Cum dilectum filium —.

Mandat eis ut Roberto, electo Remensi, palleum assignent, eis per magistros N., decanum, et Guidonem de Chamlayo, canonicum Remenses, destinatum.

Dat. ut supra.

3029 (CXVIIII)

Forma juramenti. (fol. 169.)

Forma juramenti. Ergo Robertus, archiepiscopus Remensis, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero, et cetera ut in forma usque in finem.

3030 (CL) Sans date.

Forma dandi palleum. (fol. 169.)

Forma dandi palleum. Ad honorem Dei omnipotentis et beate Marie Virginis et beatorum apostolorum Petri et Pauli, et cetera ut in forma usque in finem.

3031 (CLI) Latran, 27 avril 1299.

Super facto regalium ecclesie Remensis. (fol. 169.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri. Angit nos, fili carissime, stimulatque perpensius mentem nostram precordialis et affectuosa dilectio, qua personam tuam precipua favoris prerogativa prosequimur et a longis sumus temporibus prosecuti, ut ab iis que tue salutis augmentum impediunt, honori regio derogant tueque fame obnubilant claritatem curiosa revocare solertia studeamus, ut, quemadmodum in orbe terrarum dignitatis altitudine promines, sic et prorutiles excellentia meritorum.

Habet siquidem fidedigne relationis assertio quod pridem, Remensi ecclesia per obitum bone memorie Petri, Remensis archiepiscopi, solatio destituta pastoris, temporalia bona, reditus et proventus, ad Remensem archiepiscopum qui est pro tempore spectantia, pretextu guardie, custodie seu regalium capta, percepta et detenta per officiales tuos nomine regio extiterunt; et, licet ex parte dilecti filii Roberti de Cortiniaco, quem dilecti fiiii prepositus, decanus et capitulum ejusdem ecclesie ad ipsius regimen unanimiter et concorditer elegerunt, post hujusmodi electionem ipsius, cum instantia supplici fueris requisitus ut, regali amota custodia sive guardia, mandares et faceres hujusmodi temporalia reddi sibi, utpote cui ecclesie predicte in spiritualibus et temporalibus administratio erat a jure concessa, tu tamen, inductus, ut creditur, consiliis aliquorum, id efficere distulisti, non sine gravi electi memorati et ecclesie Remensis dispendio, juris derogatione non modica magnoque libertatis ecclesiastice detrimento. Profecto non sunt hec que pro multis et magnis per nos impensis tibi gratiis te putavimus gallicanis ecclesiis munera impensurum. Non unquam talia de regali credidimus gratuitate manare que Deum procul dubio provocant et homines scandalizant. Non ex iis vel aliis ecclesiarum gravaminibus et pressuris gloriosi sunt tui progenitores effecti; sed ex munificentiis et gratiarum actionibus quibus Deum in ecclesiis et personis ecclesiasticis honorarunt. Non repromittebant hec nobis nuntii tui pro tempore diebus nostris ad Sedem Apostolicam destinati. Quis princeps regnans in orbe terrarum laudabile ministrabit exemplum, si tu, progenitorum tuorum gesta salubria deserens, reperieris ecclesiastice libertatis infractor, quam totis deberes viribus pretueri? Quis diu sine tribulatione regnabit qui se adeo ecclesiis exhibebit infestum quod sanctorum patrociniis efficiatur indignus? Ex iis quippe, fili, dolemus et tu sine dubitatione formidas quod, nisi a talibus debita providentia recipiscas, nec te Dominus permittet impunem, neque nos ea poterimus equanimiter sustinere.

Cum itaque, sicut regalis sublimitas non ignorat, Apostolice Sedis consueta benignitas, que veluti pia mater bona et jura quorumlibet, presertim Remensis ecclesie supradicte que eidem Sedi se obedientem exhibuit et devotam, plenis favoribus prosequi et tueri sollicite non desistit, hujusmodi negotium potissime cordi gerat, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente tibique paternis affectibus suademus quatinus, tanquam princeps catholicus et de domo christianianissima et devotissima procreatus, quid tue saluti tuoque honori expediat sollicita consideratione discutias et persuasionibus nostris, que de sinceri pectoris archivio prosiliunt, promptis affectibus acquiescas, et, prudenter attendens quod bonorum ecclesiasticorum custodia sive guardia, quocumque nomine nuncupetur, vacationum

ecclesiasticarum tempore, pro utilitate ipsarum ecclesiarum extitit introducta et per Ecclesiam tolerata, debetque cessare postquam vacans ecclesia habet personam legitimam cui bonorum ecclesiasticorum administratio canonice est permissa, ita quod, nec pretextu regalium vel custodie sive guardie, persona laica, cujuscumque foret eminentie sive status, administrare potest in illis proventusque percipere seu temporalia bona tenere, de proventibus seu fructibus, per officiales tuos perceptis a tempore quo dictus electus in concordia petiit temporalia sibi reddi et hanc custodiam seu guardiam amoveri usque ad tempus quo idem electus in nostra presentia constitutus omne jus,si quod sibi fuerat ex hujusmodi electione quesitum, pure ac libere in nostris manibus resignavit, plenam satisfactionem impendi facias electo predicto, de quo post hujusmodi resignationem providimus Remensi ecclesie memorate ipsumque illi prefecimus de fratrum nostrorum consilio in archiepiscopum et pastorem : illam in iis efficaciam impensurus ut apud Eterni Regis clementiam, per quem terrenorum principum solia gubernantur, de bono semper in melius reddaris acceptior, tueque devotionis sinceritas plenius occurrat laudibus attollenda, et regie fame preconium apud fidelium populos gloriosis proficiat incrementis. Dat. Laterani, v kal. maii, anno quinto.

(POTTHAST, 24817.)

3032 (CLII) Latran, 28 avril 1299.

Eadem de re (fol. 169.)

Venerabili fratri . . episcopo Dolensi. Nuper ex fidedigne relationis assertione percepto quod pridem, et cetera ut in precedenti verbis convenienter mutatis usque : temporalia sibi reddi, dictus tamen rex hoc efficere distulit, non sine gravi predictorum electi et ecclesie Remensium dispendio et jactura. Nos regem eumdem per alias nostras sub certa forma rogamus litteras eique paternis affectibus suademus ut de proventibus seu fructibus supradictis, per officiales ipsos perceptis a tempore quo dictus electus petiit temporalia sibi reddi regiamque custodiam amoveri usque ad tempus quo idem electus in nostra constitutus presentia omne jus, si quod sibi fuerat ex hujusmodi electione quesitum, pure ac libere in nostris manibus resignavit, faciat plenariam satisfactionem impendi electo predicto, de quo post hujusmodi resignationem providimus Remensi ecclesie memorate ipsumque illi preficimus de fratrum nostrorum consilio in archiepiscopum et pastorem. Credentes itaque te fore de honore regio et salute sollicitum, fraternitatem tuam excitamus attente per Apostolica tibi scripta mandantes quatinus, pro divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia et pro conservatione honoris et salutis regis ejusdem, insistas efficacibus monitis, inductionibus et consiliis penes eum ut ipse, in hoc apud Deum et prefatam Sedem ac homines proprie salutis et fame derogationem evitans, que sibi super hoc scribimus efficaciter impleat ac nostris exhortationibus acquiescat, ita quod correctio salubris et prompta de providentia regie serenitatis emanet. Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno quinto.

In. e. m. *dilecto filio nobili viro Petro Flot, militi, consiliario carissimi in Christo filii nostri Phylippi regis Francorum illustri.* Nuper, et cetera ut in precedenti usque in finem. Dat. ut supra.

In. e. m. *dilecto filio nobili viro comiti Sancti Pauli.* Nuper, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

3033 (CLIII) Latran, 5 avril 1299.

Ut ecclesias et cimiteria violata sue civitatis et diocesis per personam ydoneam reconciliare valeat. (fol. 169 vo.)

Venerabili fratri J., episcopo Morinensi. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Laterani, non. aprilis, anno quinto.

3034 (CLIIII) Latran, 12 mars 1299.

Ut quatuor clerici ejus obsequiis insistentes fructus beneficiorum suorum in absentia percipere possint. (fol. 169 vo.)

Venerabili fratri . . episcopo Noviomensi. Devotionis affectum —. Dat. Laterani, IIII id. martii, anno quinto

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Suessionensi et dilectis filiis . . abbati monasterii Compendiensis, Suessionensis diocesis, et . . capicerio ecclesie Sancti Stephani Parisiensis.* — Dat. ut supra.

3035 (CLV) Latran, 12 mars 1299.

Ut possit concedere uni persone ydonee tabellionatus officium. (fol. 170.)

Venerabili fratri Symoni, episcopo Noviomensi. Ex parte tua —. Dat. ut supra.

3036 (CLVI) Latran, 15 mars 1299.

Indulgentia pro quodam altari in ecclesia Slevicensi. (fol. 170.)

Dilecto filio magistro Martino Daco, doctori in theologia, preposito ecclesie Slevicensis. Licet de cujus —.

Conceditur indulgentia unius anni et quadraginta dierum in ingulis beate Virginis et sancti Martini festivitatibus omnibus visitantibus altare quod in Slevicensi ecclesia in honorem beate Virginis et beati Martini construi fecit suprascriptus de bonis propriis et dotavit.

Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

3037 (CLVII) Latran, 18 mars 1299.

De absolutione regis Dacie. (fol. 170.)

Dilecto filio Ysarno, archipresbytero Carcassonensi, capellano nostro. Sicut matris Ecclesie —.

Ei concedit facultatem absolvendi ab excommunicatione Ericum, regem Dacie, Christophorum, ejus fratrem, et alios qui, pro eo quod Jacobum, archiepiscopum Lundensem, capere et detinere captivum ausu sacrilego presumpserant, excommunicati erant, cum ab eis fuerit humiliter requisitus, impensa prius per ipsos satisfactione passo injuriam competente.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno quinto.

(Potthast, 24.797 omisso exordio.)

3038 (CLVIII) Latran, 18 mars 1299.

De turbatoribus regni Dacie per censuram ecclesiasticam compescendis. (fol. 170.)

Eidem. Cum te ad —.

Ut turbatores et impedientes quoslibet pacem regis et regni Dacie publice vel occulte, quod ab hujusmodi turbatione ac impedimento omnino desistant, si 'expedire viderit, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam compellere valeat.

Dat. ut supra.

(Potthast, 24.799.)

3039 (CLVIIII) Latran, 18 mars 1299.

De dispensatione matrimonii regi Dacie concedenda. (fol. 170.)

Eidem. Licet matrimonii contractum —.

Cum Ericus, rex Dacie, post obitum Erici patris sui, pro tuitione ac defensione regni sui per potentiam et malitiam inimicorum ejus oppressi cum Ingeburgh, sorore Birgeri regis Suetie, de cujus presidio propter hoc plurimum confidebat, matrimonium per verba de presenti contraxit ac etiam consummavit et jam per plures annos cohabitavit eidem, concedit suprascripto facultatem dispensandi cum eis, postquam idem rex Ericus ab excommunicationis sententia per ipsum rite fuerit absolutus, ut in hoc matrimonio remanere possint non obstante quarto consanguinitatis gradu, et prolem susceptam vel suscipiendam nuntiandi legitimam.

Dat. ut supra.

(Potthast, 24.798.)

3040 (CLX) Latran, 18 mars 1299.

De nuntiis regis Dacie venientibus ad Sedem Apostolicam in terra comitis Hanonie male tractatis. (fol. 170 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, comiti, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Phylippe, comitisse Hanonie, uxori ejus. Moleste ferimus et quasi ex molestia nobis illata turbamur cum ad nostrum deferri contingit auditum quod venientes ad Sedem Apostolicam vel redeuntes ab ipsa, que singulorum fidelium tutrix ac defensatrix existit, afficiuntur spoliis, captionibus et detentionibus lacerantur vel alias indebitis pertractantur injuriis et jacturis, cum in hoc preter alias indecentias ipsius Sedis contemptus versari multipliciter dinoscatur. Inter alios enim Sedis prefate processus qui ter publice repetuntur in anno Sedes eadem omnes illos qui venientes ad eam vel redeuntes ab ipsa capiunt, spoliant vel detinere presumunt anathematis vinculo et excommunicationis astringit. Nuper siquidem non sine admiratione quin immo turbatione percepimus quod, cum quidam nuntii magnifici principis Erici, illustris regis Dacie, ac dilecti filii magistri Martini Daci, canonici Parisiensis, cancellarii regis ejusdem, qui ad nos et dictam Sedem fiducialiter mittebantur, per terram vestram transitum facerent, capti fuerunt et ad te Phylippam aducti captivi ac detenti postmodum et mancipati carceribus et enormiter pertractati, ita quod unus eorum etiam, qui subdiaconus fuisse dicitur, ex immanitate tormentorum expiravit ibidem, non modica insuper argenti quantitate, palafredis et aliis equis ceterisque bonis dicti regis et eorundem cancellarii ac nuntiorum, que ipsi nuntii tunc secum habebant, fuerunt nequiter spoliati. Et, licet hujusmodi res et bona penes vos esse noscantur vosque super eorum restitutione fueritis ex parte dicti regis cum instantia requisiti, tamen illa restituere pro vestre voluntatis arbitrio denegastis. Cum igitur tam ratione dicte Se-

dis quam respectu regis ejusdem honori et fame comodisque vestris ex hiis valeat multipliciter deperire, nisi ea per vos fuerint prompta et provida liberalitate correcta, nobilitatem vestram rogamus et hortamur attente per Apostolica vobis scripta mandantes quatinus, verbis nostris adhibentes filialis promptitudinis intellectum et attendentes quod nos in hac parte honoris vestri decentiam paterno more prosequimur, sic prompte, sic liberaliter nuntiis dicti regis et cancellarii curetis hujusmodi ablata restituere sicque ipsius regis animum super injuria sibi et suis illata placare per correctionem providam studeatis quod preces et mandatum Apostolicum inveniamini super hoc devote ac efficaciter implevisse, ut inter vos et dictum regem mutuam benevolentiam conservetis nec ex inde possit scandalum suboriri. Dat. ut supra.

3041 (CLXI) Latran, 18 mars 1299.

Indultum pro tribus clericis regis Dacie. (fol. 170 v°.)

Dilecto filio Ysarno, archipresbytero Carcassonensi, capellano nostro. Cum te ad —.

Ei committit facultatem faciendi recipi tres clericos regis Dacie in canonicos, unum videlicet in Roskildensi, alium in Ripensi et alium in Slevicensi ecclesiis cathedralibus.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno quinto.

(POTTHAST, 24.800.)

3042 (CLXII) Latran, 15 mars 1299.

Ut valeat divina officia sibi facere celebrari in locis interdictis. (fol. 171.)

Eidem. Cum te ad — . Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

3043 (CLXIII) Latran, 15 mars 1299.

Indultum pro rege Dacie. (fol. 171.)

Eidem. Cum te ad —.

Ei concedit facultatem concedendi Erico, regi Dacie, postquam idem ab excommunicationis sententia per ipsum rite fuerit absolutus, ut liceat ei per capellanum proprium antequam illucescat dies missam sibi facere celebrari.

Dat. Laterani, id. martii, anno quinto.

(POTTHAST, 24.793.)

3044 (CLXIIII) Latran, 18 mars 1299.

De defensione terre Estonie contra Paganos. (fol. 171.)

Venerabilibus fratribus . . Rigensi archiepiscopo, . . Tarbatensi et . . Ossiliensi episcopis. Paganorum horrenda perfidia —.

Cum pagani contra Ericum, regem Dacie, ac vassallos ejus in terra Estonie frequenter insurgant, suprascriptos rogat et obsecrat ut, efficacibus studiis ac viis et modis de quibus expedire viderint hujusmodi paganorum conatibus obviantes, illis vassallis pro defensione terre Estonie et dilatatione fidei Christiane efficaciter assistant.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno quinto.

(POTTHAST, 24,796.)

3045 (CLXV) Latran, 25 avril 1299.

De juribus electi Remensis a capitulo illicite retentis. (fol. 171.)

Dilectis filiis . . preposito, . . decano et capitulo Remensibus. Habet dilecti filii Roberti de Cortiniaco, Remensis electi, querela non levis quod, licet ipse vacante pridem Remensi ecclesia per obitum bone memorie Petri, archiepiscopi Remensis, ad ejusdem ecclesie regimen per electionem concordem a vobis uanimiter foret assumptus et electioni eidem prestitisset assensum petiissetque a vobis, post electionem et consensum hujusmodi, spiritualia et temporalia quedam, videlicet jurisdictionem ecclesiasticam et castra de Mousonno [1] et de Bellomonte, ad Remensem archiepiscopum qui est pro tempore pertinentia, cum juribus et pertinentiis suis, per vos pretextu vacationis ecclesie predicte detenta, reddi sibi, vos tamen, quamvis ad ipsum de jure administratio in spiritualibus et temporalibus pertinet, eadem castra restituere precise pro vestre voluntatis libito contra justitiam recusantes, spiritualem jurisdictionem prefatam sibi reddere plus debito distulistis et tandem pro restitutione spiritualis jurisdictionis hujusmodi exegistis ab eo certas et indebitas fidejussorias cautiones. Cum igitur vos non deceat ipsum, quem vobis elegistis in patrem, gravaminibus prosequi et pertractare molestiis, presertim ne ex hoc aliis etiam impugnandi ecclesias et personas ecclesiasticas exempli mali pernicies prebeatur, nosque nolimus id, sicut etiam nec debemus, equanimiter tollerare, vestre nobilitati per Apostolica scripta

1. *Ms* : Mosounno.

districte precipiendo mandamus quatinus fidejussores a fidejussionibus ipsis omnino absolvere, omnemque spiritualem et temporalem jurisdictionem et prefata castra cum omnibus juribus et pertinentiis suis electo memorato restituere, ac de omnibus fructibus, redditibus et proventibus a tempore quo idem electus petiit illa sibi restitui usque ad tempus quo ipse omne jus quod ex electione ipsa competebat eidem in nostris manibus resignavit inde perceptis plenariam satisfactionem impendere, cujuslibet dilationis et difficultatis obstaculo submoto, curetis qualibet ipsius ecclesie in hoc consuetudine contraria non obstante. Alioquin dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Johannis Senonensis et . . priori Sancti Mauricii Remensis ac . . cantori ecclesie de Brinone, Senonensis diocesis, damus per alias nostras litteras in mandatis ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, vos ad id monitione premissa auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellant ac demum, si vos inhobedientes invenerint et rebelles, vos ex parte nostra perentorie citare procurent ut vos, preposite et decane et duo alii de majoribus ex vobis, capitulum, personaliter, vos vero, capitulum, per procuratorem ydoneum, infra competentem terminum vobis prefigendum ab ipsis, coram nobis comparere curetis. Dat. Laterani, VII kal. maii, anno quinto.

In. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Johannis Senonensis et . . priori Sancti Mauricii Remensis ac . . cantori ecclesie de Brinone, Senonensis diocesis* —. Dat. ut supra.

3046 (CLXVI) Latran, 28 avril 1299.

Provisio ecclesie Arborensis. (fol. 171 v°.)

Venerabili fratri Alamanno, archiepiscopo Arborensi. Ad regimen universalis —. Dudum siquidem Arborensi et Tyrensi ecclesiis, que per Sedem Apostolicam canonice sunt unite, per obitum bone memorie Scolay, Arborensis et Tyrensis archiepiscopi, pastoris solatio destitutis, dilecti filii . . archipresbyter et capitulum ipsius ecclesie Arborensis ad quos archiepiscopi Arborensis, de jure communi, et Tyrensis, ex privilegio dicte Sedis eis concesso, electio pertinet, — deliberaverunt super hujusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi et tandem — in Marianum Manielli et Marianum de Ruo, canonicos Arborenses, unanimiter et concorditer compromittere curaverunt —, predicti vero canonici — Raynerium, Plovacensem episcopum, — in Arborensem et Tyrensem archiepiscopum concorditer postularunt, dictique archipresbyter et capitulum per supradictum Marianum de Ruo et dilectum filium Marianum de Alexandro, earumdem Arborensis et Tyrensis ecclesiarum canonicos, ad nos propter hoc specialiter destinatos, nobis decretum postulationis hujusmodi presentarunt —. Nos autem — examinationem postulationis ejusdem venerabili fratri Johanni, Tusculano episcopo, ac dilectis filiis nostris Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero, et Francisco, Sancte Lucie in Silice diacono cardinalibus, duximus committendam. Quibus decretum et processum postulationis ejusdem examinantibus diligenter nobisque ac fratribus nostris super hiis facta relatione fideli, hujusmodi postulationem non ratione postulate persone sed ex certis aliis rationabilibus causis non duximus admittendam, provisionem earumdem — dispositioni Sedis Apostolice reservantes.

Suprascriptum, ordinis Minorum professorem, preficit in archiepiscopum, munere consecrationis ei per Mattheum Portuensem episcopum impenso et palleo ei per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Guillemlum, Sancti Nicolai in carcere Tulliano, Franciscum, Sancte Marie in Cosmedin, Jacobum, Sancti Georgii ad Velum Aureum, Petrum, Sancte Marie Nove, et Richardum, Sancti Eustachii diaconos cardinales, exhibito.

Dat. Laterani, IIII kal. maii, anno quinto.

(Potthast, 24.819.)

In. e. m. *dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo ecclesie Arborensis — clero civitatis et diocesis — universis suffraganeis — dilecto filio nobili viro Johanni, vicecomiti de Basso, judici Arborensi* —. Dat. ut supra.

3047 (CLXVII) Anagni, 18 mai 1299.

Executoria mutui. (fol. 172.)

Dilectis filiis Bartholomino, preposito, et Agolante Guidonis Agolantis, Pistoriensis, ac Radulpho de Arricuria, Parisiensis ecclesiarum canonicis. Exponente nobis pridem —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum octo millium florenorum auri quos Bartholomeus, episcopus Eduensis, recepit a Lanfranco Jandonati et Paulo Spine, mutuantibus pro se ac Martino et Marcho Jacobi Amannati, Nesio et Totto Bartholomei Ammanati, Jacobo et Lante Agolantis, Dyno Johannis, Meo Nesis, Johanne Jacobi, Neapoleone Bandini, Johanne Spine, Bardo Justi, Meo Gundonis, Francino Francisci,

Phylippo et Johanne Franchi ac ceteris eorum sociis de societate Ammannatorum.

Dat. Anagnie, xv kal. junii, anno quinto.

3048 (CLXVIII) Latran, 23 mars 1299.

Ut non permittat magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani in personis aut bonis eorum contra indulta privilegiorum Sedis Apostolice ab aliquibus indebite molestari. (fol. 172.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Salernitano. Etsi cunctos —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. *episcopo Theatino — . . episcopo Calacensi — . . episcopo Iserniensi — .. episcopo Minervinensi — . . archiepiscopo Tranensi — .. episcopo Cannensi* [1] —. Dat ut supra.

3049 (CLXVIIII) Anagnie, 13 mai 1299.

Licentia permutandi quasdam possessiones ecclesie Sancte Marie Magdalene de Courpalayo (fol. 172 v°.)

Venerali fratri . . archiepiscopo Senonensi. Exposita nobis dilecti filii nobilis viri Johannis de Courpalayo, tue diocesis, petitio continebat quod dilecti filii . . decanus et capitulum ecclesie Sancte Marie Magdalene ejusdem loci de Courpalayo quasdam possessiones obtinent in villa de Courpalayo et ejus pertinentiis, quas quondam Johannes de Grantia, archidiaconus Drocensis in ecclesia Carnotensi, ad se ratione persone sue spectantes, eidem ecclesie Sancte Marie Magdalene pro anime sue remedio donavit quasque [2] dictus archidiaconus emerat ab heredibus quondam Henrici militis ejusdem ville, conjunctas et permixtas cum possessionibus nobilis supradicti.

Mandat snprascripto ut, discussis que in hac parte attendenda fuerunt, has possessiones permutandi cum ceteris possessionibus dicti nobilis dicte ecclesie facultatem concedat.

Dat. Anagnie, III id. maii, anno quinto.

1. Tria ultima nomina addita fuerunt in margine.
2. *Ms.* Suasque.

3050 (CLXX) Anagni, 8 mai 1299.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 172 v°.)

Dilecto filio Guillelmo de Carlentono, canonico Wellensi, capellano dilecti filii nostri Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis. Probitatis tue meritis —.

Consideratione dicti cardinalis indulget suprascripto ut una cum ecclesiis de Basham et de Norcreke ac de Bedintunne, Norwicensis et Wintoniensis diocesium, curatis et canonicatu et prebenda in Wellensi ecclesia ecclesiam de Chalke, Roffensis diocesis, similiter curatam, quam absque dispensatione Apostolica obtinuit, retinere valeat.

Dat Anagnie, VIII id. maii, anno quinto.

3051 (CLXXI) Vatican, 21 juillet 1298.

De controversia inter episcopum Morinensem et capitulum de Sancto Audomaro. (fol. 172 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Morinensi. Petitio dilectorum filiorum capituli ecclesie de Sancto Audomaro, tue diocesis, nobis exhibita continebat quod felicis recordationis Calistus papa predecessor noster intra alia circa ipsam ecclesiam voluit et per certi tenoris litteras suas concessit ut canonici, capellani, vicarii, scolares ceterique chorum ipsius ecclesie frequentantes ad nullius nisi prepositi ejusdem ecclesie justitiam responderent. Et, licet ex tunc usque ad hec tempora sic observatum fuerit et prescriptum etiam contra te ac antecessores tuos Morinenses episcopos ab ejusdem ecclesie prepositis in omnibus que ad legem jurisdictionis spectare noscuntur, tu tamen, pretendens quod nos tibi et nonnullis aliis prelatis regni Francie colligendi et faciendi colligi per vos vel alium seu alios in civitatibus et diocesibus vestris a vestris subditis, juxta tenorem concessionis facte nuper carissimo in Christo filio nostro Philippo, regi Francorum illustri, de decimis ecclesiasticorum reddituum dicti regni decimas ipsas easque dicto regi integraliter exhibendi, necnon et subditos ipsos ad solutionem decimarum ipsarum per censuram ecclesiasticam compellendi, liberam concesseramus per nostras litteras facultatem, omnes et singulos abbates, priores, prepositos, decanos ac alios ecclesiarum prelatos seu rectores, capitula, capellanos vel presbyteros, vicarios et alios ecclesiastica beneficia obtinentes ac ceteras ecclesiasticas personas tibi subditas publice in dicta de Sancto Audomaro tamquam tibi subdita et quampluribus aliis ecclesiis atque locis tuarum civitatis et diocesis fecisti per tuas moneri litteras ut, infra certum terminum,

quem ad hoc prefigebas eisdem, quibusdam, quos ad exigendum dictas decimas deputaveras collectores, integre solvere procurarent : alioquin ex tunc in omnes et singulas predictas personas monitas excommunicationis ac in capitula et ecclesias prelibata interdicti sententias promulgabas. Propter quod pro parte dictorum capituli de Sancto Audomaro, non ut se a solutione decimarum predictarum subtraherent, sed ne tu ac successores tui predictarum nostrarum litterarum, que facultatis tantum existere videbantur, ac hujusmodi monitionis pretextu, sub hoc involucro in dictos capitulum et ecclesiam de Sancto Audomaro jurisdictionem aliquam usurpantes, prescriptionem quam dicti prepositi de Sancto Audomaro contra te ac antecessores tuos Morinenses episcopos super premissis usi fuerant, nos interrupisse allegaretis imposterum, infra dictum terminum ad Sedem extitit Apostolicam appellatum. Sed tu, appellatione hujusmodi vilipensa, in singulos de dictis capitulo, capellanos, vicarios ceterosque chorum ipsius ecclesie frequentantes excommunicationis, in capitulum vero et ecclesiam sepedictos interdicti sententias, occasione hujusmodi, pluries promulgasti, et promulgatas mandasti per ecclesias et loca tuarum civitatis et diocesis publicari, comminando nihilominus te contra eos gravius processurum. Quare dicti capitulum nobis humiliter supplicarunt ut, cum ipsi predictas decimas non prefatis collectoribus, ne, ut premittitur, per hoc prefata interrumpi prescritio videretur, sed, Apostolicis parendo beneplacitis, regi integraliter solverint prelibato, hujusmodi processus tuos contra eos ac dictam ecclesiam et personas ejus predictas habitos, saltem ad cautelam, revocari per discretum aliquem mandaremus. Nos autem, sic tibi defferre in hac parte volentes, ne contra dictam ecclesiam de Sancto Audomaro, quam interne visceribus caritatis amplectimur, ex prefatis nostris litteris tibi sumas materiam jurgiorum, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus processus ipsos, contra prefatos capitulum, canonicos, capellanos, vicarios, clericos, scolares ac alios chorum ipsius de Sancto Audomaro ecclesie ut predicitur frequentantes ac eandem ecclesiam ut premissum est habitos, infra octo dies a receptione presentium revocare, saltem ut predicitur ad cautelam, sine qualibet difficultate procures : nullam eis deinceps molestiam illaturus, sed prosecuturus si velis apud Apostolicam Sedem, de cujus privilegio agitur, jus, si quod in hac parte asseris te habere. Nos enim dilectis filiis . . Sancti Vedasti Atrebatensis et . . Sancte Genovefe Parisiensis monasteriorum abbatibus nostris damus litteris in mandatis ut, si tu mandatum nostrum in hac parte infra prescriptum tempus neglexeris adimplere, ipsi vel alter eorum per se vel per alium aut alios ex tunc eosdem processus, saltem ut sepedicitur ad cautelam, auctoritate nostra studeant revocare, et, si jus ipsum ut predictum est velis prosequi, prefigant partibus terminum peremptorium competentem, quo per se vel per procuratores ydoneos cum omnibus juribus et munimentis suis Apostolico se conspectui representent, facture ac recepture in hac parte quod dictaverit ordo juris, eosdem capitulum, personas et ecclesiam auctoritate predicta a tuis molestiis ac injuriis propter hujusmodi comminationes tuas nichilominus preservando. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, XII kal. augusti, anno quarto.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Vedasti Atrebatensis et . . Sancte Genovefe Parisiensis monasteriorum abbatibus.* — Dat. ut supra.

3052 (CLXXII) Anagni, 30 mai 1299.

De assignanda decima societati Spinorum. fol. 173.)

Littera pro assignanda decima jam collecta. Venerabili fratri . . episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime Sabinieque provinciis nec non in Ostiensi, Penestrina, Tusculana, Portuensi et Albanensi ac Reatina, Interamnensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus ac monasterio Sublacensi, Farfensi et Sancti Salvatoris Reatina abbatiis et eorum terris.

Mandat ei ut totam pecuniam quam collegerit et colliget Rogerio et Lapo Spine ac eorum sociis de societate Spinorum assignet, per eos ad beneplacitum domini pape persolvendam in Romana Curia.

Dat. Anagnie, III kal. junii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Nepesino, collectori decime in patrimonio Beati Petri in Tuscia et Ducatu Spoletano ac Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus.* — Dat. ut supra.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Faventino, collectori decime in provincia Ravennati, Marchia Anconitana et Massa Trabaria nec non eadem Ravennati, Ferrariensi, Ariminensi, Sancti Leonis et Urbinati civitatibus et diocesibus ac Pomposiano et Galliate monasteriis seu abbatiis et Sancte Marie de Balneo et Sancte Agathe plebibus ac earum et etiam monasterii Farfensis terris in Marchia ipsa et partibus Romaniole consistentibus* —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Pistoriensi, collectori decime in provincia Tuscie.* — Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Bononiensi, collectori decime in Marchia Tervisina, Aquilegensi et Gradensi civitatibus et diocesibus, patriarchatibus atque provinciis.* — Dat ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Novariensi, collectori decime in Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provinciis nec non in eisdem Mediolanensi et Januensi, Papiensi et Placentina civitatibus et diocesibus.* — Dat. ut supra.

3053 (CLXXIII) Anagni, 25 mai 1299.

Officium protectoris monasterii Farfensis infrascripto committitur. (fol. 173 v°.)

Dilecto filio nostro Francisco, Sancte Lucie in Silice diacono cardinali. Licet ex debito —. Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno quinto.

3054 (CLXXIIII) Latran, 21 mars 1299.

Suscipitur dux Slesie sub protectione Apostolica. (fol. 174.)

Dilecto filio Bolkoni, duci Slesie[1] *ac domino de Winstenberch.* Consuevit interdum —. Cum itaque, sicut oblata nobis ex parte tua petitio continebat, tu et terra tua sitis Romane Ecclesie nullo medio subjecti nullumque preter Romanum Pontificem dominum in temporalibus habeatis, nos, tuis supplicationibus grato concurrentes assensu, personam tuam cum omnibus juribus ducalibus que tui progenitores ab eo tempore habuerunt quo devoverunt [se] ad culmen fidei Christiane (sic) ac aliis bonis tuis que in presentiarum possides sub beati Petri et nostra protectione suscepimus et presentis scripti patrocinio communimus.

Indulget insuper ut nullus delegatus vel subdelegatus in eum sententiam excommunicationis ferre valeat.

Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Kymensi.* — Dat. ut supra.

1. *Ms*: Blesie sed legitur Slesie in nigro scriptum in capite folii.

3055 (CLXXV) Anagni, 12 mai 1299.

Exemptio hospitalis Charitatis Beate Marie super fluvium de Roignon, Cathalaunensis diocesis. (fol. 174.)

Dilecto filio nobili viro Guidoni de Joinvilla, domino de Domno Georgio, Cathalaunensis diocesis. Pie matris Ecclesie —.

Cum suprascriptus quoddam hospitale ad opus infirmorum et pauperum in fundo proprio sub nomine Charitatis Beate Marie super fluvium de Roignon, Cathalaunensis diocesis, construxerit et bonis adeo dotaverit quod redditus « qui ex possessionibus a te hospitali predicto jam datis et etiam acquisitis usque ad ducentarum librarum turonensium parvorum valorem annuatim ascendere dinoscuntur », eximitur dictum hospitale ab omni jurisdictione ordinaria sub annuo censu duarum librarum cere, in recognitionis signum Camere Sedis Apostolice solvendo; indulgetur insuper ut inibi sacerdos instituatur et cimiterium habeatur.

Dat. Anagnie, IIII id. maii, anno quinto.

(POTTHAST, 24822.)

3056 (CLXXVI) Anagni, 2 juin 1299.

Citatur Bonacursus Malepa, de domo Lanfrancorum, plebanus de Sancto Cassiano, Pisane diocesis. (fol. 174.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Pisano. Habet fidedigna et nostris auribus jam pluries inculcata relatio quod Bonacursus Malepa de domo Lanfrancorum de Pisis, plebanus plebis de Sancto Cassiano, Pisane diocesis, et Pisanus canonicus, tanquam in reprobum sensum datus et ad actus nepharios operaque scelesta dispositus, culpas culpis et excessus excessibus, quos ad presens ex causa silentio preterimus, adjcere non veretur, in offensam Dei, proprie salutis dispendium et fidelium scandalum plurimorum.

Mandat suprascripto ut eumdem plebanum sub pena excommunicationis et privationis beneficiorum suorum citet infra viginti dierum spatium personaliter compariturum.

Dat. Anagnie, IIII non. junii, anno quinto.

3057 (CLXXVII) Même date.

De assignatione corone et aliorum jocalium Caroli, regis Sicilie, domino pape venditorum. (fol. 174 v°.)

Carissimo in Christo filio C[arolo], regi Sicilie illustri.

Venit nuper ad presentiam nostram dilectus filius nobilis vir Sergius Siginulfus de Neapoli, miles, nuntius tuus, et assignavit nobis ex parte tua coronas et quedam alia jocalia pretiosa, que preteritis temporibus cum quibusdam aliis jocalibus pro sexdecim milibus unciarum auri ad generale pondus regni Sicilie, debitis Apostolice Sedi de censu regni ejusdem pro duobus terminis ab olim transactis, ipsi Sedi impignorata fuerunt, queve coronas et jocalia nuper, dum eras Anagnie, pro viginti milibus unciarum auri ad dictum pondus nobis et Romane Ecclesie vendidisti, de quibus viginti milibus unciarum auri per nos et ipsam Ecclesiam est tibi per solutionem veram et integram satisfactum, predictis sexdecim milibus unciarum a te prefate Sedi ut predicitur in excomputum satisfactionis hujusmodi non deductis. Nos itaque presentium tenore fatemur coronam et jocalia supradicta a prefato milite fuisse nobis tuo nomine assignata et a nobis recepta, quodque sumus de hujusmodi coronarum et jocalium venditorum facta nobis assignatione contenti. Tu tamen ad solvenda dicte Sedi predicta sexdecim milia unciarum remanes pro prefatis duobus terminis obligatus. Dat. ut supra.

3058 (CLXXVIII) Anagni, 1er juin 1299.

Unitur monasterium Nicosia vulgariter nuncupatum, Pisane diocesis, monasterio Sancti Pauli ad Ortum Pisano. (fol. 174 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Admonet nos suscepti —.

Cum monasterium Sancti Augustini de Rezano, Nicosia vulgariter nuncupatum, per priorem solitum gubernari, ordinis ejusdem, Pisane diocesis, excepta dumtaxat ecclesia, gravium occasione guerrarum pro tempore in illis partibus ingruentium incendio sit destructum, monasterio Sancti Pauli ad Ortum Pisano, in quo prior et conventus ejusdem ordinis manere noscuntur et quod a prefato monasterio per miliaria sex non distat, idem monasterium unitur et subjicitur, ea lege ut, post cessionem vel decessum prioris monasterii Sancti Pauli, prior monasterii Sancti Augustini sit prior ejusdem, patronorum, qui laici esse dicuntur, et diocesani loci jure in omnibus salvo, et ut in utroque monasteriorum eorumdem divino cultui perpetuo serviatur per competentem canonicorum numerum.

Dat. Anagnie, kal. junii, anno quinto.

In e. m. *dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Savini Pisani et .. plebano plebis de Subiliano, Lucane diocesis, ac Petro Roderici, canonico Carnotensi, camere nostre clerico.* — Dat. ut supra.

3059 (CLXXVIIII) Anagni, 1er juin 1299.

Ecclesia Cameracensis archiepiscopis Remensibus, metropolitico jure regenda, restituitur. (fol. 175.)

Ad perpetuam rei memoriam. Apostolice Sedis circumspecta —. Dudum siquidem, ex certis considerationibus excitati que ad id nostrum animum induxerant et maxime propter quosdam improvidos actus bone memorie Petri archiepiscopi et capituli Remensium, venerabilem fratrem nostrum Guidonem, episcopum, et dilectos filios capitulum et ecclesiam Cameracenses, cum omnibus et singulis bonis eorum ubicumque constitutis, ac etiam civitatem et diocesim Cameracenses, nec non personas et loca ipsarum civitatis et diocesis ab omni potestate, jurisdictione ac dominio spirituali ac temporali tam ipsorum archiepiscopi, metropolitani eorum, et capituli Remensium quam etiam alterius cujuslibet prelati seu ecclesiastice persone, dumtaxat quousque dictum Guidonem episcopum prefate ecclesie Cameracensi preesse contingeret, per nostras sub certa forma litteras eximendas duximus de gratia speciali, ita quod nec idem archiepiscopus et capitulum Remenses nec quevis alia persona ecclesiastica ecclesiam, civitatem et diocesim Cameracenses prefatas, utpote taliter exceptas, vel eosdem Guidonem episcopum et capitulum Cameracenses aut personas ipsarum civitatis et diocesis communiter vel divisim interdicere interim, suspendere vel excommunicare valerent, seu quocumque modo alias in ecclesiam, civitatem et diocesim prefatas vel personas ipsarum potestatem vel jurisdictionem exercere, neque idem Guido episcopus et capitulum Cameracenses prefatis archiepiscopo et capitulo Remensibus vel alteri persone ecclesiastice supradicte in aliquo respondere quomodolibet tenerentur; sed infra hujusmodi tempus omnimode, immediate, precise et absolute soli dumtaxat Romano Pontifici et Romane Ecclesie ipsos decrevimus subjacere et, si forte contrarium presumi contingeret, foret ex tunc vacuum, irritum et inane. Postmodum autem, attendentes predictum Petrum archiepiscopum, ob cujus culpam loco pene prefata exemptio emanarat, fore de hac luce substractum, et propterea pium reputantes et equum ut cessante causa sic cessaret effectus quod predecessoris culpa non puniret successorem, ex tunc prefatam exemptionem sustulimus et omnem ejus sustulimus effectum, et dilectum filium Robertum, electum, et successores ejus, archiepiscopos, et prefatum capitulum et ecclesiam Remenses ad omnem jurisdictionem, potestatem atque dominium, quas et quod spiritualiter et temporaliter in predictos Guidonem episcopum et capitulum et ecclesiam ac bona eorum ac etiam in civitatem et diocesim Cameracenses

suffraganeos suos et personas et loca ipsorum metropolitico jure tempore predicte exemptionis habebant, auctoritate Apostolica duximus restituendos in integrum —. Volumus autem quod per exemptionem predictam et restitutionem eamdem neutri partium quidcumque novi juris accrescat vel antiqui decrescat. Nulli ergo, et cetera, nostre sublationis, submotionis, restitutionis, reductionis, voluntatis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, kal. junii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Ambianensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Dyonisii ac .. decano ecclesie Sancti Symphoriani Remensium.* — Dat ut supra.

(Potthast, 24824 executoriam notavit.)

3060 (CLXXX) Anagni, 10 juin 1299.

De observatione ordinationis inter regem et episcopos Cypri et fratres S. Johannis Jerosolimitani et Templi facte. (fol. 175.)

Dilecto in Christo filio Henrico, regi Cypri. Pro bono —.

Eum hortatur ut provisionem et ordinationem, quam nuper inter eum, archiepiscopum Nicosiensem, et suffraganeos ejus, ex una parte, et magistros, conventus et fratres domorum Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Militie Templi in regno Cypri morantes, ex altera, pro pacifico statu et efficaciore defensione ejusdem regni, impugnatione hostium et depressione falsorum Christianorum prohibita Saracenis deferentium fecerit, equanimiter ferat et inviolabiliter observet. Licet acquisitio bonorum stabilium in regno predicto sit per provisionem hujusmodi eisdem fratribus interdicta absque Apostolice Sedis consensu vel regis, benigne tamen permittat idem rex eosdem « aliquas modicas seu minutas acquisitiones et edificia non ad emulationem facere ut possint in regno ipso morari commodius » et eos sic gratiose pertractet ut ipsi de hujusmodi eorum mora in affabilitate regia letentur.

Dat. Anagnie, IIII id. junii, anno quinto.

(Potthast, 24835.)

3061 (CLXXXI) Même date.

Eadem de re. (fol. 175.)

Dilectis filiis .. ministro provinciali Syrie Minorum ac .. Predicatorum et .. Heremitarum Sancti Augustini Nicosiensibus prioribus fratrum ordinum. Gerentes cordi —.

Eis mandat quatinus efficaciter apud partes insistant ut ordinationem a se pro dissidio inter Cypri regem et milites Templarios sedando editam firmiter observent et nichilominus, si opus fuerit, eas ad id auctoritate Apostolica appellatione postposita compellant.

Dat. ut supra.

(Potthast, 24836.)

3062 (CLXXXII) Même date.

Eadem de re. (fol. 175.)

Ad perpetuam rei memoriam. Pro bono et pacifico —.

Cum in provisione inter Henricum regem Cypri et archiepiscopum Nicosiensem ejusque suffraganeos nec non et fratres domorum Hospitalis Sancti Johannis et Militie Templi in dicto regno morantes facta, inter cetera de privilegiis, libertatibus et immunitatibus per Apostolicam Sedem concessis agatur, statuitur ut, si super dictis privilegiis dubium notabile oriri contingat, id ad notitiam domini pape deducatur, declarationem et interpretationem ejus subiturum.

Dat. ut supra.

3063 (CLXXXIII) Anagni, 13 juin 1299.

Ut inquisitores heretice pravitatis Judeis Urbis nomina testium et accusatorum in eorum causis receptorum publicare non denegent. (fol. 175 v°.)

Universis et singulis Judeis Urbis ubilibet constitutis catholice fidei agnoscere veritatem. Exhibita nobis pro parte vestra non sine gravi querela petitio continebat quod, licet nos nuper inter cetera statuerimus ut, cessante periculo quod propter potentiam personarum contra quas inquiritur super heretica pravitate testibus in inquisitionis hujusmodi causa receptis et accusatoribus etiam imminere posset, eisdem personis eorumdem testium et accusatorum nomina, prout in aliis fit judiciis, publicentur, inquisitores tamen pravitatis ejusdem, in casibus in quibus contra vos auctoritate Apostolice Sedis ad inquirendum descendunt, vos asserentes potentes, publicationem hujusmodi vobis aliquando facere denegant, sicque vobis ex hoc debite deffensionis facultas subtrahitur et nobis obedientibus injuste nocendi materia preparatur. Nos autem, considerantes imbecillitatem vestram et propterea vos, etiamsi divitiis habundetis, impotentium numero ascribentes, volumus ut tanquam impotentibus predicti inquisitores, in casibus in quibus contra vos possent eadem auctoritate inquirere, vobis predictam publi-

cationem faciant nec potentiam ad eam denegandam pretendant, nisi adeo de potentia illius contra quem in dictis casibus inquiretur esset notorium quod non posset quin esset potens aliqua tergiversatione celari vel per negationem in dubium revocari. Quod si super hujusmodi potentia dubietas oriatur, precipimus ut per inquisitores non facta vobis publicatione jamdicta ad ulteriora minime procedatur antequam id dicte Sedi referant et responsum obtineant ab eadem. Decernentes irritum et inane, si secus super hiis contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre voluntatis, precepti et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, id. junii, anno quinto.

3064 (CLXXXIIII) Anagni, 28 mai 1299.

De decima assignanda. (fol. 176.)

Littere assignationis decime. Venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime in Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provinciis ac in ea parte Lugdunensis provincie que est citra Rodanum extra regnum Francie constituta —.

Mandat ei ut totam pecuniam quam de dicta decima, pro necessitatibus Ecclesie Romane per triennium imposita, per se vel alios pro presente primo anno collegerit Rogerio et Lapo Spine ac eorum sociis de societate de Spinis Camere Apostolice mercatoribus assignet, ad beneplacitum domini pape in Romana Curia persolvendam.

Dat. Anagnie, III kal. junii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Massiliensi, collectori decime in Arelatensi et Aquensi civitatibus et diocesibus atque provinciis.* — Dat. ut supra.

3065 (CLXXXV) Anagni, 12 juin 1299.

Pro Rogerio Spine et ejus sociis de societate Spinorum. (fol. 176.)

Carissimo in Christo filio E., regi Anglie illustri. Devote promptitudinis studia —.

Eum rogat et hortatur ut Rogerio Spine et ejus sociis de societate de Spinis de Florentia, Apostolice Camere mercatoribus, licet tam ipsi quam mercatores aliarum societatum in regno Anglie morantes officialium regiorum requisitionem mutuandi magnam pecunie summam non adimpleverint, cum tam in ultramontanis quam Italicis partibus et maxime apud Sedem Apostolicam essent eis temporibus similibus oneribus aggravati et ideo se ad hujusmodi petitum mutuum insufficientes quodam modo sentirent, in ejus et dicte societatis agendis et maxime in aliis mutuis ei factis « pro quibus a te certum assignamentum bonorum seu reddituum obtinent » apud ejus potentiam non derogetur et eos favore solito prosequatur.

Dat. Anagnie, II id. junii, anno quinto.

(POTTHAST, 24839.)

In e. m. *venerabili fratri Waltero, Conventrensi et Lichefeldensi episcopo, [thesaurario] carissimi in Christo filii nostri E., regis Anglie illustris.* — Dat. ut supra.

3066 (CLXXXVI) Anagni, 8 juin 1299.

De usu monete Jaccensium in regno Aragonie. (fol. 176.)

Venerabilibus fratribus .. Valentino et .. Dertusensi episcopis. Clara merita carissimi in Christo filii nostri Jacobi, Aragonie, Sardinie et Corsice regis illustris, quibus erga Romanam viget Ecclesiam, digne nos excitant et inducunt ut eum prerogativa favoris et gratie prosequamur. Petitio siquidem ipsius regis nobis exhibita continebat quod ex certis considerationibus sibi et regno suo poterat multipliciter expedire ut in regno ipso, sicut habebatur antiquitus, usus monete Jaccensium sic et deinceps etiam habeatur [1]. Sed, cum nonnulli progenitores ejus, Aragonie reges, et ipse ac etiam barones, nobiles, milites, infantiones, cives et alii de regno predicto ad popularium instantiam dicti regni juramentis propriis firmaverunt de hujusmodi moneta inibi ulterius non cudenda, idem rex nobis cum instantia supplicavit ut dispensando super juramentis hujusmodi providere super hoc de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, ipsius regis supplicationibus inclinati, quia vos de facto et facti circumstantiis habere poteritis notitiam pleniorem, discretioni vestre, de qua plene confidimus, per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, super hoc in memorato regno indagatione diligenti prehabita, si expedire noveritis incolis dicti regni et majoris partis cleri et populi regni ejusdem ad id accedat assensus, super quibus omnibus vestras intendimus conscientias onerare, auctoritate nostra eidem regi ut, non obstantibus hujusmodi juramentis prestitis per ipsum et alios supradictos, a quibus eo casu auctoritate predicta ipsos omnes et singulos absolvatis, seu quibuslibet Apostolicis litteris super

1. *Ms.* : habetur.

hoc dudum obtentis, possit in dicto regno monetam cudi facere prelibatam et communem ejus usum imponere libere concedatis. Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

3067 (CLXXXVII) Même date.

Ut regi Aragonie legata indistincte relicta in quibusdam ejus terris per biennium assignent. (fol. 176 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Dertusensi et dilecto filio .. abbati monasterii Sanctarum Crucum, ordinis Cisterciensis, Barchinonensis diocesis. Carissimo in Christo —.

Cum Jacobus Aragonie, Sardinie et Corsice rex ad vindicandam injuriam Romane Ecclesie contra Fredericum, germanum ejus, et Siculos rebelles cum magno exercitu sit in proximo progressurus, mandat suprascriptis ut in regnis Aragonie ac Valentie, comitatu Barchinonie ac omnibus terris dicti regis et etiam in terris regis et regni Majoricarum et omnibus aliis terris regi Aragonie mediate vel immediate subjectis, Sardinie et Corsice regno et terris exceptis, super legatis indistincte in posterum relinquendis inquirentes, legata ipsa nomine Ecclesie Romane exigere studeant, assignaturi ea dicto Aragonie regi.

Presentibus post biennium a data presentium minime valituris. Dat. ut supra.

3068 (CLXXXVIII) Anagni, 18 juin 1299.

Eximitur a prestatione decime nuper imposite monasterium S. Marie de Nazareth juxta civitatem Aquensem situm. (fol. 176 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Massiliensi, collectori decime in Arelatensi et Aquensi civitatibus, diocesibus atque provinciis. Dilectos in Christo filios —.

Obtentu Caroli regis Sicilie pro illis supplicantis mandat suprascripto ut decimam, cujus nuperrime collector institutus fuit, non exigat ab .. abbatissa et conventu monasterii monialium Sancte Marie de Nazareth siti juxta civitatem Aquensem secundum instituta ordinis Fratrum Predicatorum viventium.

Nos enim de hujusmodi decima per eundem regem pro predictis abbatissa et conventu reputamus esse nobis in istis partibus satisfactum ac sumus de hujusmodi satisfatione contenpti. Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno quinto.

3069 (CLXXXVIIII) Anagni, 8 juin 1299.

De expeditione adversus Fridericum et rebelles Siculos. (fol. 176 v°.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, Aragonie, Sardinie et Corsice regi illustri, et dilecto filio Guillelmo, electo Salernitano, ac nobili viro Roberto, duci Calabrie, primogenito carissimi in Christo filii nostri C[aroli] regis Sicilie illustris. Cum in Sicilie insulam contra Fredericum natum quondam Petri olim regis Aragonie et Syculos rebelles — sitis in proximo progressuri, ut rebelles ipsi per vos ad devotionem et mandata ejusdem Ecclesie coacti vel voluntarii divina vobis assistente clementia reducantur, nos — presentium vobis auctoritate concedimus ut civitates, castra, villas, terras et loca quelibet nec non communia et universitates ac singulares personas ipsorum per dictam insulam et ceteras partes regni prefati citra Farum vel circumadjacentia loca et insulas constituta et alias quascumque personas que in prefata rebellione fuerunt —, si ad nostra et ejusdem Sedis mandata redierint, possitis auctoritate nostra ad mandata ipsa nomine nostro et Ecclesie predicte recipere —. Volumus tamen quod civitates, castra, terras, villas et loca comunitates, universitates atque personas notabilia ex hujusmodi redeuntibus ad mandata et conditiones ipsorum et quicquid in hac parte duxeritis faciendum nobis per vestras litteras frequenter et seriosius rescribatis. Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

3070 (CLXXXX) Même date.

Eadem de re. (fol, 177.)

Dilecto filio Guillelmo, electo Salernitano. Illius exemplo cujus —.

Concedit ut omnes sententias excommunicationis, suspensionis et interdicti per Apostolicam Sedem vel ejus legatos prolatas, postquam persone, capitula, universitates et loca ipsa que illas incurrerunt ad mandata Ecclesie redierint, valeat relaxare.

Dat. ut supra.

3071 (CLXXXXI) Anagni, 13 juin 1299.

Eadem de re. (fol. 177.)

Eidem. Cum carissimus —.

Concedit ei ut omnes illos ex rebellibus qui occasione rebellionis adversus Romanam Ecclesiam et Carolum regem Sicilie

et etiam illos qui illis prestando consilium et favorem, sententiam excommunicationis incurisse noscuntur, si ad Ecclesie mandata redierint, absolvere valeat, intimaturus domino pape personas notabiles ex hujusmodi redeuntibus.

Dat. Anagnie, id. junii, anno quinto.

3072 (CLXXXXII) Anagni, 5 juin 1299.

Eadem de re. (fol. 177.)

Eidem. Quantis et quam gravibus —.

Dat ei facultatem concedendi indulgentiam que transfretantibus in Terre Sancte subsidium in generali concilio est concessa omnibus vere penitentibus et confessis qui cum Jacobo rege Aragonie et Roberto duce Calabrie in personis propriis et expensis aut in expensis etiam alienis et personis propriis ad expugnationem processerint Frederici et Siculorum rebellium.

Dat. Anagnie, non. junii, anno quinto.

3073 (CLXXXXIII) Anagni, 10 juillet 1299.

Eadem de re. (fol. 177.)

Eidem. Dignum est ut —.

Dat ei facultatem deputandi ydoneos sacerdotes et illis concedendi quod possint ministrare omnia ecclesiastica sacramenta illis qui erunt in prosecutione negotii contra Siculos rebelles etiam in locis interdictis.

Dat. Anagnie, VI id. julii, anno quinto.

3074 (CLXXXXIIII) Anagni, 17 juin 1299.

De renovatione cujusdam privilegii Innocentii quarti. (fol. 177 v°.)

Dilectis filiis .. abbati et conventui Sancti Gregorii in Clivoscauri de Urbe, ordinis sancti Benedicti. Privilegium quoddam felicis recordationis Innocentii pape IIII predecessoris nostri ab eo concessum ex parte vestra nobis exhibitum cujus fila serica per que in eo plumbea bulla pendet sunt pro parte corrosa, ut de ipso imposterum certitudo haberi valeat, ad vestre supplicationis instantiam de verbo ad verbum fecimus annotari, cujus tenor talis est : Innocentius —.

Inseritur hoc privilegium in quo possessiones dicti monasterii confirmantur et alie gratie ei conceduntur incipiens : « Religiosam vitam » sub : « Dat. Lugduni, per manum magistri Martini Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, VI kal. julii, indictione VII, Incarnationis Dominice anno millesimo CCXLVIIII, pontificatus vero domini Innocentii pape IV anno VI. »

Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24844.)

3075 (CLXXXXV) Anagni, 18 juin 1299.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 178.)

Venerabili fratri Johanni, priori ecclesie Eliensis. Cum nuper .. Rodulphum, episcopum Norvicensem, ad ecclesiam Eliensem — duxerimus — transferendum — sicque predicta Norwicensis ecclesia — vacet ad presens nosque — mandemus — archiepiscopo Cantuarensi ut te eidem ecclesie Norwicensi auctoritate nostra preficiat in episcopum et pastorem, tuque habeas quedam ipsius Norwicensis ecclesie apud Sedem Apostolicam prosequi et tractare negotia ac pro ipsorum expeditione negotiorum— te subire oporteat magna onera expensarum, nobis humiliter supplicasti ut usque ad summam tredecim milium florenorum auri nomine ipsius Norwicensis ecclesie mutuum contrahendi — ut in forma usque in finem. Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno quinto [1].

3076 (CLXXXXVI) Anagni, 17 juin 1299.

Ut mutuum contrahere valeat usque ad summam quatuor millium florenorum auri. (fol. 178.)

Venerabili fratri Rizardo, archiepiscopo Dublineni. Cum sicut —. Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno quinto.

3077 (CLXXXXVII) Anagni, 18 mai 1299.

Eadem de re. (fol. 178 v°.)

Eidem. Cum sicut, et cetera ut in proxima precedenti per totum usque in finem. Dat. Anagnie, XV kal. jnii (*sic*), anno quinto.

1. *In margine legitur:* De ista littera fuerunt facte due : una videlicet de XII^{m} milibus florenorum auri et alia de mille, et sub eadem data. Simili modo fuit facta alia littera de mille florenis sub : Dat. Anagnie, non. augusti, anno quinto.

3078 (CLXXXXVIII) Orvieto, 25 août 1297.

Corrigitur et completur quedam dispensatio super pluralitate. (fol. 178 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Sancto Rodulpho, archidiacono Dunelmensi. Laudanda tue multiplicis —.

Olim dispensatum fuit cum eo super pluralitate ecclesiarum curatarum a Nicolao papa quarto, quia Eduardi, regis Anglie, servitiis insistendo eum oportebat magna subire onera expensarum.

Verum, quia in hujusmodi dispensationis litteris, per ignorantiam illius qui pro te predictas litteras impetravit, appositum extitit quod tu prefati regis obsequiis insistebas cum non tunc insisteres sed antea ipsius regis servitiis institisses, nec exprimebatur in litteris supradictis quod tu prefatas ecclesias fuisti post generale Lugdunense concilium assecutus, et te non feceras infra annum —ad sacerdotium promoveri, nobis humiliter supplicasti ut super premissis et super eo etiam quod post dispensationem hujusmodi archidiaconatum Dunelmensem — recepisti — providere tibi de oportuno dispensationis remedio dignaremur.

Annuit petitioni.

Dat apud Urbemveterem, VIII kal. septembris, anno tertio.

3079 (CLXXXXVIIII) Anagni, 11 mai 1299.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 178 v°.)

Dilecto filio Zampo de Urbeveteri, plebano plebis Sancte Marie de Fighino, Clusine diocesis. Oblata nobis tua —.

Dispensatur cum eo consideratione T., tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis, cujus frater existit, ut cum plebanatu supradicto curam animarum habente ecclesiam de Cambes, Carnotensis diocesis, similem curam habentem quam nuper ei Gualterius, archidiaconus Pisciacensis in ecclesia Carnotensi, « ad quem collatio ejusdem ecclesie pertinet», contulit, retinere valeat.

Dat. Anagnie, v id. maii, anno quinto.

3080 (CC) Anagni, 8 mai 1299.

Committitur administratio ecclesie Larinensis. (fol. 178 v°.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Beneventano, administratori ecclesie Larinensis. Ex debito suscepti —. Cum itaque, sicut ad nostrum pervenit auditum, Larinensis ecclesia pastore vacet ad presens et bone memorie Jacobus, Maltensis episcopus, cui per dilectum filium nostrum L., Sancti Angeli diaconum cardinalem, tunc in regno Sicilie Apostolice Sedis legatum, administratio ejusdem ecclesie — commissa, ut dicitur, existebat, rebus sit humanis exemptus.

Committitur suprascripto administratio dicte ecclesie.

Dat. Anagnie, VIII id. maii, anno quinto.

3081 (CCI) Sans date.

Forma juramenti. (fol. 179.)

Forma juramenti. Ego N., archiepiscopus Tharsensis —.

3082 (CCII) Sans date.

Forma dandi palleum. (fol. 179.)

Forma dandi palleum. Ad honorem Dei omnipotentis.

3083 (CCIII) Anagni, 19 juin 1299.

De decima regi Aragonie assignanda. (fol. 179.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Valentino, et dilecto filio Pontio, preposito ecclesie Celsonensis, Urgellensis diocesis. Cum nuper decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum regnorum, comitatus Barchinonie, omniumque terrarum — regi Aragonie mediate vel immediate subjectarum, Sardinie et Corsice regno et terris exceptis, per duos annos post finitum quaternium, per quod per alias nostras litteras regi eidem —decimam dudum concessisse dinoscimur, — pro Terre Sancte ac regni Sicilie prosecutione negotii duxerimus imponendam, vosque ipsius decime deputaverimus collectores—, discretioni vestre — mandamus quatinus — quicquid ex decima ipsa colligi contigerit et haberi prefato regi nomine nostro et Ecclesie Romane integraliter assignare curetis —. Dat. Anagnie, XIII kal. julii, anno quinto.

3084 (CCIIII) Anagni, 8 juin 1299.

De reformatione prioratus Montis Serrati, Vicensis diocesis. (fol. 179.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Terraconensi. Inter sollicitudines —. Sane fidedigna nuper expositione percepimus quod in prioratu Beate Marie de Monte Serrato, ordinis sancti Benedicti, Vicensis diocesis, per progenitores carissimi in Christo filii nostri Jacobi, Aragonie, Sardinie et Corsice regis illustris, olim ut asseritur constructo de bonis propriis et dotato, habentur quamplures tam clerici seculares quam laici qui donati vulgariter appellantur in eodem positi prioratu per abbates monasterii Rivipollensis, ejusdem ordinis, predicte diocesis, et priores qui olim eidem prioratui prefuerunt : qui quidem donati de bonis ipsius prioratus sicut ejusdem prioratus monachi victualia percipere dinoscuntur. Sed, cum ipsi donati vitam dicantur ducere dissolutam, incestus, adulteria, fornicationes et alia enormia committere non verentes, monachi degentes in prioratu predicto ex hiis impediuntur plurimum in divinis officiis exequendis et observantia regulari servanda, et alias inde grave scandalum generatur, dictusque prioratus gravibus propterea flagitatur angustiis et jacturis. Nos igitur, cupientes ut prioratus ipse, ad quem Christi fideles propter miracula que meritis Beate Virginis,in cujus honorem et sub cujus vocabulo est constructus, inibi virtutum Dominus dicitur operari et propter laudabilem hospitalitatem que in eo ut accepimus jugiter observatur, grandem immo permaximam devotionem gerere dinoscuntur, felicis status ubertate letetur, et propterea volentes super hiis de oportuno remedio providere, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus auctoritate nostra, de plano,sine strepitu et figura judicii, de statu et conditionibus prefati prioratus et hujusmodi donatorum et specialiter; utrum prioratus ipse sit eis ad dandum ipsis hujusmodi victualia et ea que per ipsos recipiuntur ibidem legitime obligatus, vel si ex gratia recipiunt eadem et utrum emerint que recipiunt vel dederint aliquid pro eisdem habendis, per te vel alium seu alios diligenter inquirens, si videris quod dicti donati et que sic recipiunt in detrimentum ejusdem prioratus cedere dinoscantur, et quod illa que sic recipiunt eis sine juris injuria possint auferri, donatos ipsos compellas quod ab eodem prioratu omnino discedant et absolvas prioratum ipsum et priorem et conventum ejusdem ab omni obligatione, promissione, contractu et debito, per que tenerentur eisdem donatis hujusmodi victualia et que ipsi donati ab eis sic recipiunt ministrare : ita tamen quod iidem prior et conventus prius donatis ipsis cum integritate restituant pretium et quicquid receperint ab eisdem pro hujusmodi victualibus et aliis que a dicto prioratu donati recipiunt supradicti. Si autem dicti prior et conventus voluerint donatos eosdem vel ipsorum aliquem in dicto prioratu in statu solito et ad percipiendum solita remanere potius quam exinde amoveri, hoc in eorundem prioris et conventus arbitrio relinquatur. Pensiones insuper per abbates et conventum prefati monasterii concessas olim quibuscumque personis, percipiendas a priore et conventu predicti prioratus vel ipsorum altero minus rationabiliter et illicite ac in ipsius prioratus prejudicium et gravamen auctoritate revoces supradicta, decernens ipsos priorem et conventum dicti prioratus ipsumque prioratum de cetero ad pensiones hujusmodi non teneri. Ceterum quia, sicut accepimus, cum institutio prioris in prioratu predicto a fundatione prioratus ejusdem ad eum qui est abbas pro tempore monasterii memorati pertinuerit, sicut et adhuc ut dicitur pertinet, nonnulli abbates dicti monasterii qui fuerunt pro tempore, ad Deum et ad statum prosperum ipsius prioratus respectum debitum non habentes sed sequentes potius carnalitatis affectum, prefecerunt nonnumquam dicto prioratui personas minus ydoneas in priores, per quorum administrationem malam scilicet ac inutilem idem prioratus adeo dudum in spiritualibus et temporalibus fuit collapsus quod vix posse adicere ut resurgeret sperabatur, demum autem, eodem prioratu vacante, bone memorie Johannes, tituli Sancte Cecilie presbyter cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legatus, dilectum fratrem Bernardum Salvatoris, tunc monachum monasterii Grassensis, memorati ordinis, auctoritate sue legationis prefecit ipsi prioratui in priorem, qui, prefati Jacobi regis et aliorum fidelium fultus auxilio, sic utiliter administrationem dicti prioratus exercuit et exercet quod illum a detrimentis plurimis que incurrerat et ad statum reduxit prosperum et felicem, rehedificando edificia ipsius prioratus, que fere totaliter erant diruta, et etiam recuperando nonnulla bona que obligata pignori noscebantur, propter quod ad bonum statum dicti prioratus pertinere dicatur ut dictus Bernardus prior presit ipsi prioratui quoad vixerit, et quod in eodem prioratu decens et certus sit numerus canonicorum, quodque electio prioris quotiens prioratus ipse vacabit ejusdem prioratus conventui concedatur, et quod prior de ipsorum monasterii vel prioratus dumtaxat gremio assumatur, et quod institutio, amotio et correctio monachorum prioratus ejusdem ad ipsius prioratus priorem pertineat in futurum, eadem tibi auctoritate committimus ut, si premissa inveneris veritate fulciri et secundum Deum videris expedire, auctoritate ipsa

certum, de quo tibi videbitur cum consilio et assensu prefati Bernardi prioris pensatis ipsius prioratus facultatibus, esse debere de cetero in dicto prioratu numerum monachorum; et quod eorundem monachorum omnium institutio et destitutio vel amotio, ad priorem et conventum, correctio vero, inquisitio, visitatio, reformatio et punitio ad ipsum priorem qui pro tempore fuerit pertineant, et idem prior hec exequi valeat juxta ejusdem ordinis regularia instituta; et quod electio prioris in prioratu predicto quotiens illum vacare contigerit spectet ad ipsius prioratus conventum; et quod idem conventus de ipsorum monasterii vel prioratus dumtaxat gremio possint et debeant priorem eligere, abbati predicti Rivipollensis monasterii presentandum, confirmatio vero ipsius prioris ad eundem abbatem debeat pertinere; et quod prefatus Bernardus prior quoad vixerit a prioratu ipso et officio prioratus nequeat absque licentia Sedis Apostolice amoveri, omnibus aliis juribus et laudabilibus et approbatis consuetudinibus inter prefata monasterium et prioratum et personas ipsorum in suo tamen robore duraturis, statuas et decernas, non obstantibus quibuscumque ipsorum monasterii et prioratus contrariis consuetudinibus vel statutis juramento, et cetera, contradictores, et cetera. Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

3085 (CCV) Même date.

De litteris Apostolicis super protectione beati Petri regi Aragonie concessa publicandis. (fol. 179 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Valentino et .. Thyrasonensi episcopis. Cum carissimus —.

Mandat suprascriptis, quos executores super terris regis Aragonie sub protectione beati Petri durante negotio contra Siculos rebelles assumendis deputavit, ut litteras Apostolicas super hujusmodi protectione confectas per regna, civitates, castra et loca de quibus expedire eos viderit illis terris vicina solemniter publicare faciant.

Dat. ut supra.

3086 (CCVI) Même date.

De protectione beati Petri regi Aragonie negotium Sicilie prosequenti concessa. (fol. 180.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, Aragonie, Sardinie et Corsice regi illustri. Erga Deum —.

Cum suprascriptus rex negotium regni Sicilie contra Fredericum et Siculos rebelles assumpserit, cum ejusque regna et omnia bona a data presentium usque ad unum annum postquam finita prosecutione negotii supradicti ad Aragonie vel Valentie regnum aut alias suas terras duxerit remeandum sub beati Petri protectione suscipit, episcopos Valentinum et Tyrasonensem executores deputando.

Dat. ut supra.

3087 (CCVII) Anagni, 20 juin 1299.

Pro episcopo Dolensi. (fol. 180.)

Ad perpetuam rei memoriam. Regimini universali —. Dudum siquidem inter venerabiles fratres nostros R., archiepiscopum Turonensem, et T., episcopum Dolensem, tunc ejus suffraganeum nunc vero ad vitam suam exemptum, ex eo maxime gravis dissensio suborta extitit quod, cum venerabilis fratris nostri H., episcopi tunc electi Nannetensis suffraganee ecclesie Turonensis, immineret consecratio facienda, prefatus archiepiscopus dictum episcopum Dolensem et quosdam alios suffraganeos suos per suas litteras ut in hujusmodi consecrationis munere impendendo dicto episcopo, tunc electo Nannetensi, sibi assisterent evocavit, unum ex eisdem suffraganeis taliter evocatis memorato Dolensi episcopo in predictis litteris preponendo. Sed idem Dolensis episcopus, asserens quod in signum prerogative specialis honoris ac memoriam archiepiscopalis dignitatis que olim in ecclesia Dolensi fuisse dinoscitur, ex more et consuetudine longis retro temporibus inibi observatis, cum archiepiscopus Turonensis qui est pro tempore suffraganeos suos ex aliqua causa vocat, Dolensis episcopus qui est pro tempore non cum aliis suffraganeis in eisdem litteris sed per speciales litteras debebat evocari, et, si forsan cum aliis in eisdem litteris vocaretur, expresso sue nomine dignitatis debebat omnibus aliis suffraganeis anteponi, hujusmodi evocationi taliter facte de ipso contradixit expresse tanquam in suum et ejusdem ecclesie dignitatisque predicte prejudicium attentate. Et, quia dictus archiepiscopus revocare vocationem eandem recusavit, super hoc ex parte ipsius episcopi Dolensis pluries requisitus, ex parte episcopi Dolensis pro se et ecclesia Dolensi et sibi adherentibus in hac parte fuit ad Sedem Apostolicam propter hoc appellatum sed, eodem archiepiscopo hujusmodi appellationi nullatenus deferente, primo pro hoc specialiter contra dictum episcopum ac postmodum, quia ipse archiepiscopus in Dolensi ecclesia ab ipso episcopo et capitulo Dolensibus, sicut nec debebat

ad procurationem non [fuerat] receptus, tam contra prefatum episcopum quam contra capitulum et ecclesiam Dolenses ac majores et singulares personas de ipso capitulo, post et contra appellationes legitimas per eos ab ipso archiepiscopo et ejus commissariis interpositas, diverse per archiepiscopum ipsum et alios ejus auctoritate suspensionis, interdicti et excommunicationis late sententie ac habiti sunt processus, et ex parte dicti episcopi, ecclesie et capituli Dolensium ac aliorum predictorum tum ex eis tum ex aliis certis causis ad dictam Sedem Apostolicam ab ipsius archiepiscopi audientia iterato extitit appellatum. Sane quondam frater Petrus de Murrone, tunc Celestinus papa quintus, predecessor noster primo et, eo postmodum renunciante papatui, nos ad apicem Summi Apostolatus assumpti causas hujusmodi appellationum et negotii principalis bone memorie H., episcopo Ostiensi, sine strepitu et figura judicii commisimus audiendas et, ut liberius et efficacius in hujusmodi negotio procedi valeret, predictum T., episcopum Dolensem, a juramento fidelitatis quo tenebatur eidem archiepiscopo et ejus ecclesie absolventes, episcopum Dolensem et ecclesiam suam cum omnibus et singulis eorum bonis ac civitatem et diocesim Dolenses a jurisdictione predicti archiepiscopi et ecclesie Turonensium quamdiu ipse T. episcopus vixerit duximus eximendos. Eodem quoque episcopo Ostiensi post processus aliquos habitos in causa predicta viam universe carnis ingresso, nos causam eamdem dilecto filio nostro N., tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, sub eadem forma commisimus audiendam et etiam fine debito terminandam, et, quia concordiam archiepiscopi et episcopi predictorum paternis affectibus zelabamus, cardinali predicto mandavimus ut ad tractandam concordiam inter ipsos se interponeret.

Quo id efficere nequeunte, demum ex parte ipsius episcopi Dolensis oblato coram eodem cardinali libello ac ex parte archiepiscopi exceptionibus propositis, quia dicte exceptiones que ad prorogationem negotii tendere videbantur a dicto cardinali non fuerunt admisse, ex parte dicti episcopi fuit ad dictam Sedem appellatum. Nos itaque, et cetera, statuentes volumus quod episcopi Dolenses successores dicti T. non cum aliis suffraganeis archiepiscopi Turonensis sed singulariter ac separatim ab aliis in alia littera per eundem archiepiscopum debeant evocari vel si maluerit archiepiscopus in eadem littera ipsum una cum aliis evocare ipsum ceteris suffraganeis expresso sue dignitatis nomine preponere teneatur, de expensis perpetuum partibus silentium indicentes, et cetera.

Dat. Anagnie, XII kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24847.)

3088 (CCVIII) Anagni, 8 juin 1299.

Conceditur decima trium annorum regi Aragonie. (fol. 180 v°.)

Littere decime concesse regi Aragonie. Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et cetera. Detestanda Frederici nati —.

Conceditur Jacobo, regi Aragonie, pro bello adversus Fredericum et Siculos rebelles decima omnium reddituum ecclesiasticorum in regnis Aragonie ac Valentie, comitatu Barchinonie omnibusque terris ejus ac etiam omnibus terris regis et regni Majoricarum et aliis quibuslibet terris ipsi regi Aragonie mediate vel immediate subjectis, Sardinie et Corsice regno et terris dumtaxat exceptis, per duos annos post finitum quadriennium per quod eidem regi decima concessa fuit. Hujus decime Raymundus, episcopus Valentinus, et Pontius, prepositus ecclesie Celsonensis, Urgellensis diocesis, collectores prioris, deputantur.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri Raymundo, episcopo Valentino, et dilecto filio Pontio, preposito ecclesie Celsonensis, Urgellensis diocesis.* — Dat. ut supra.

3089-3089 *bis* (CCVIIII) Anagni, 6 juin 1299.

Ut duabus personis ydoneis tabellionatus officium concedere possit. (fol. 182.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Carcassonensi. Ex parte tua —. Dat. Anagnie, VIII id. junii, anno quinto.

Anagni, 17 mai 1299.

In e. m. scribitur *Venerabili fratri Johanni, episcopo Meldensi.* Ex parte tua —. Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno quinto.

3090 (CCX) Anagni, 13 juin 1299.

Absolvuntur a citatione et comparutione coram Summo Pontifice. (fol. 182.)

Dilectis filiis .. magistro et fratribus domus beate Marie Theotonicorum in Livonia. Nuper ex parte —.

Eis, qui contra Johannem archiepiscopum Rigensem, Conradum episcopum Ossiliensem et capitulum et cives Rigenses ac subditos et bona eorum per hostiles aggressus, captionem terrarum et personarum, graves et enormes injurias exercue-

rant, pace cum archiepiscopo Rigensi inita, a citatione et comparutione coram Summo Pontifice absolvit.

Dat. Anagnie, id. junii, anno quinto.

(POTTHAST, 24842.)

3091 (CCXI) Anagni, 18 juin 1299.

Ut priorem decimam regi Aragonie concessam per censuram ecclesiasticam solvere cogant (fol. 182 v°.)

Venerabili fratri .. Dertusensi [*episcopo*] *et dilecto filio magistro Arnaldo de Turre, canonico Barchinonensi.* Assumente dudum —.

Cum decimam ecclesiasticorum reddituum ejus regni Jacobo, regi Aragonie, per quatuor annos certo ex tunc termino inchoandos sed nondum finitos, duxerit imponendam pro prosecutione negotii regni Sicilie, Raymundo episcopo Valentino et Pontio preposito ecclesie Celsonensis Urgellensis diocesis collectoribus ipsius decime deputatis et cum nonnulli clerici et persone ecclesiastice religiose et seculares dicti regni hanc decimam totaliter vel non integre solvere negligant, mandat suprascriptis ut, super hiis de plano et sine figura judicii inquirentes, illos per censuram ecclesiasticam cogant ad hanc decimam integre solvendam infra certum terminum ab eis statuendum.

Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno quinto.

3092 (CCXII) Anagni, 18 mai 1299.

De cogenda observatione compositionis inter ecclesiam Appamiarum et comitem Fuxi facte. (fol. 182 v°.)

Venerabilibus fratribus .. archiepiscopo Narbonensi et .. episcopo Magalonensi. Ad sedanda litigia et questionum materias submovendas que plerumque inter Christi fideles, hostis antiqui nequitia superseminante zizania, suscitantur opem libenter impertimur et operam, et Apostolice Sedis partes, prout expedire perpendimus, paterne sollicitudinis studio adhibemus. Oblata siquidem nobis venerabilis fratris .. episcopi et dilectorum filiorum .. capituli Appamiarum ac nobilis viri Rogerii, comitis Fuxi, Appamiarum diocesis, petitio continebat quod, cum olim inter episcopum et capitulum, ex parte una, et comitem supradictos, ex altera, super temporali jurisdictione civitatis Appamiarum et civitate ipsa ejusque pertinentiis ac aliis quibusdam diversis articulis orta fuisset materia questionis, tandem, mediante dilecto filio nobili viro Guidone de Levis, domino de Mirapice, amicabilis inter eos compositio, si ad id nostrum beneplacitum et assensus accederent, intervenit, prout in patentibus litteris inde confectis et episcopi, capituli et comitis ac nobilis eorundem sigillis munitis perspeximus plenius contineri. Nos autem, ipsorum supplicationibus inclinati, compositionem hujusmodi, per quam ecclesie Appamiarum conditio fore[1] melior effecta dinoscitur, prout eedem littere innuebant, ratam et gratam habentes, eam auctoritate Apostolica ex certa scientia duximus confirmandam, supplentes defectum si quis in ea ex quacumque causa extitit de Apostolice plenitudine potestatis, ac decernentes compositionem eandem per omnia et singula in nostris litteris super hoc confectis expressa plenum robur firmitatis habere ac ei tam in judicio quam extra fidem omnimodam adhiberi, etiamsi de ipsa supradicte seu quevis alie littere aut instrumenta vel munimenta non ostenderentur aut nullatenus apparerent, sicut in predictis nostris litteris plenius continetur. Volentes itaque compositionem predictam perpetuis futuris temporibus illibatam et integram observari, ac intendentes prout debitum nostri requirit officii paci et tranquillitati predictorum episcopi, capituli et ecclesie providere, fraternitati vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus, si prefatus comes vel ipsius heredes qui pro tempore fuerint per se vel officiales eorum aut alios contra compositionem predictam aut aliquod vel aliqua contenta in ipsa venire vel ea non servare quoquomodo presumpserint, vos vel alter vestrum, per vos vel per alium aut alios, comitem ipsum et ejus heredes, cum super hiis ex parte dictorum episcopi vel capituli fueritis requisiti, auctoritate Apostolica monere curetis ut, infra unius mensis spatium a die monitionis hujusmodi numerandum, ea que per comitem vel heredes aut officiales vel alios supradictos fuerint in hac parte presumpta studeant penitus revocare. Alioquin eos ex tunc eo ipso excommunicationis sententiam incurrere volumus, a qua non nisi per Sedem Apostolicam possint absolutionis beneficium obtinere, vosque nichilominus illos, donec super hoc nostris immo potius Apostolicis monitis efficaciter obedire curaverint, excommunicatos publice in locis de quibus expedire videritis nuntietis et faciatis nuntiari per alios et ab omnibus artius evitari. Contradictores, et cetera. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras, et cetera usque : mentionem. Dat. Anagnie, XV kal. junii, anno quinto.

1. *Ms.* : foret.

3093 (CCXIII) Anagni, 21 mai 1299.

Absolvitur a juramento prestito de visitandis singulis bienniis Apostolorum liminibus. (fol. 183.)

Venerabili fratri B[ernardo], episcopo Appiamarum. Ex parte tua —. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno quinto.

3094 (CCXIIII) Anagni, 9 juin 1299.

De decima in quibusdam terris colligenda. (fol. 183.)

Littere commissionis decime facte episcopo Anagnino in quibusdam terris in aliis litteris non contentis. Venerabili fratri .. episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime, Sabinieque provinciis necnon in Hostiensi, Velletrensi, Penestrina, Portuensi et Albanensi ac Reatina, Interamnensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus ac monasteriorum Sublacensis, Farfensis et Sancti Salvatoris Reatini abbatiis et eorum terris. Pridem in Campanie, Maritime Sabinieque provinciis necnon in Ostiensi, Tusculanensi, Penestrina, Portuensi et Albanensi ac Reatina, Interamnensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus ac monasteriorum Sublacensis, Farfensis et Sancti Salvatoris Reatini abbatiis et eorum terris decime nuper a nobis imposite per alias nostras sub certa forma litteras te deputavimus collectorem. Verum, quia de civitate et diocesi Velletrensi pro transacto nuper termino medie quadragesime minime sicut [accepimus] processisti, cumque itaque nostre intentionis extiterit et existat quod etiam in dictis Velletrensi civitate et diocesi hujusmodi decima colligatur, volumus et presentium tibi tenore mandamus quatinus ad hujusmodi exactionem et collectionem dicte decime tam in eisdem Velletrensi civitate et diocesi quam etiam a monasteriis et ecclesiis ac personis ecclesiasticis Urbis ac monasterii Cripteferrate de redditibus et proventibus possessionum quas hujusmodi monasteria, ecclesie et etiam persone, ratione tamen ecclesiarum, in decretis tibi provinciis, civitatibus et diocesibus seu abbatiis obtinent, tam pro dicto termino quam etiam pro aliis sequentibus, auctoritate nostra procedas juxta predictarum continentiam litterarum. Dat. Anagnie, V id. junii, anno quinto.

3095 (CCXV) Anagni, 1er juin 1299.

Indulgetur ad triennium ut ecclesias et cimiteria violata sue diocesis per sacerdotes ydoneos reconciliare valeat. (fol. 183.)

Venerabili fratri Antonio, episcopo Lunensi. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Anagnie, kal. junii, anno quinto.

3096 (CCXVI) Anagni, 27 mai 1299.

Indulgentia pro ecclesia de Callihue, Rothomagensis diocesis. (fol. 183.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Cum ad promerenda —.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum pro ecclesia Sancte Marie Virginis de Callihue, Rothomagensis diocesis, in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis festivitatibus.

Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno quinto.

3097 (CCXVII) Anagni, 13 juin 1299.

Assignatio cujusdam pensionis. (fol. 183.)

Dilectis filiis .. abbati et conventui monasterii Sancti Felicis de Jano, ordinis sancti Benedicti, Spoletane diocesis. Volentes personam —.

Rogat eos et hortatur ut pensionem annuam decem florenorum auri in festo Assumptionis Egidio Oratoris, canonico ecclesie Sancte Illuminate, Tudertine diocesis, quoad vixerit persolvant.

Dat. Anagnie, id. junii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Tudertino.* Ut dictos abbatem et conventum, si preces et mandata domini pape adimplere neglexerint, per censuram ecclesiasticam compellat —. Dat. ut supra.

3098 (CCXVIII) Anagni, 23 mai 1299.

Confirmatur electio abbatis Sancti Petri de Percipiano a duobus cardinalibus facta. (fol. 183.)

Dilecto filio Astulpho de Lampugnano, electo monasterii Sancti Petri de Percipiano, ordinis sancti Benedicti, Terdonensis diocesis. Licet ea que —.

Confirmat electionem quam Gerardus, episcopus Sabinensis, et Guillelmus, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconus cardinales, juxta mandatum eis in consistorio viva voce datum, fecerunt de suprascripto in abbatem hujus monasterii, vacantis apud Sedem Apostolicam per translationem Oberti ejus abbatis ad monasterium Sancti Salvatoris Papiensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, tenore litterarum dictorum cardinalium inserto incipiente : « Vacante olim monasterio »

sub : « Dat. Laterani die XXVI aprilis, anno Domini a Nativitate millesimo CCLXXXXVIII, pontificatus ejusdem domini Bonifatii pape VIII, anno quinto. »

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno quinto.

3099 (CCXVIIII) Latran, 26 avril 1299.

De fundatione cujusdam prioratus in honorem beati Ludovici. (fol. 183 v°.)

Dilecto [filio] Guillelmo de Rotis, presbytero Lexoviensis diocesis. Gerentes in terris —. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat quod tu pridem — in quodam manerio tuo in foresta de Bonavilla, Lexoviensis diocesis, constituto quod a — Philippo rege Francorum illustri tenebas in feudum, de bone memorie Guillelmi Lexoviensis episcopi et ipsius regis assensu, ad honorem Dei et titulum ac laudem beati Lodovici regis — prioratum quendam construere curavisti, volens et ordinans ut prioratus ipse prioratui Sancte Marie de Regali Prato, ordinis Vallis Caulium, supradicte diocesis, perpetuo sit subjectus, quodque in eo quatuor monachi sub beati Benedicti regula et institutionibus ordinis prelibati degentes ad institutionem sui prioris et sub ejus obedientia in prioratu beati Ludovici predicti commorentur.

Ea omnia confirmantur et indulgetur ut dictus prioratus omnibus privilegiis uti possit que jamdicto prioratui de Regali Prato a Sede Apostolica sunt concessa.

Dat. Laterani, VI kal. maii, anno quinto.

3100 (CCXX) Même date.

Indulgentia pro eadem. (fol. 184.)

Universis Christi fidelibus per Lexoviensem et Rothomagensem ac Ebroicensem civitates et dioceses constitutis. Quoniam ut ait —.

Conceditur ad quinquennium indulgentia quadraginta dierum omnibus qui manum porrexerint adjutricem constructioni prioratus quem Guillelmus de Rotis presbyter in manerio suo ad honorem beati Lodovici regis construere incepit.

Dat. ut supra.

3101 (CCXXI) Anagni, 17 mai 1299.

Absolvitur a juramento prestito de visitandis singulis bienniis Apostolorum liminibus. (fol. 184.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Meldensi. Ex parte tua. — Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno quinto.

3102 (CCXXII) Anagni, 21 mai 1299.

Eadem gratia pro episcopo Carcassonensi. (fol. 184.)

In e. m. venerabili fratri Johanni episcopo Carchasonensi [1] —. Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno quinto,

3103-3103 *bis* (CCXXIII) Anagni, 17 mai 1299.

Ut possit eligere confessorem. (fol. 184.)

Eidem. Ut per confessionis —. Dat. Anagnie, XVI kal. junii, anno quinto.

Anagni, 6 juin 1290.

In e. m. venerabili fratri episcopo Carchasonensi —. Dat. Anagnie, VIII id. junii, anno quinto.

3104 (CCXXIIII) Anagni, 30 mai 1299.

De bonis interfectorum nuntiorum Magistri Generalis Hospitalis B. Marie Theotonicorum restituendis. (fol. 184.)

Dilectis filiis .. potestati, .. capitaneo, antianis, consilio et comuni Florentinis. Nuper non absque dolore cordis et mentis anxietate percepimus quod, cum pridem quidam fratres et alii nuntii dilecti filii Magistri Generalis Hospitalis Beate Marie Theotonicorum Jerosolimitani ad Apostolicam Sedem accederent, dum per Alpes vestros et Bononienses transitum facerent, quidam maledictionis filii, satellites et latrones, in eos nequiter irruentes, ipsos preter quemdam eorum, quem eripuit fuge presidium, immaniter interfecerunt ibidem. Cum igitur equi et res seu bona predictorum interfectorum in manibus et posse vestris esse dicuntur, vestram universitatem rogamus et hortamur attente per Apostolica vobis scripta districte precipiendo mandantes quatinus, attendentes provide quod tam gravis excessus in vestram redundat infamiam et vos decet efficacibus studiis laborare ad infamiam hujusmodi abolendam, ac in hoc honoris vestri et civi-

1. Titulus non fuit rubricatus.

tatis vestre decentiam sicut viri providi prosequentes, equos, res et bona predicta conservari et custodiri fideliter studeatis, facturi equos, res et bona ipsa restitui aliis fratribus, prefati Magistri nuntiis, uni vel pluribus aut dilecto filio preceptori fratrum Hospitalis ejusdem in Romana provincia cum super hoc ab eis fueritis requisiti. Sic vos in hac parte provide ac efficaciter habere curetis quod apud Deum et homines ac prefatam Sedem possitis merito commendari. Dat. Anagnie, III kal. junii, anno quinto.

3105 (CCXXV)

Ut possit condere testamentum. (fol. 184.)

Dilecto filio Blasio de Anagnia, thesaurario ecclesie Turonensis, capellano nostro. Volentes tibi gratiam —. Dat. et cetera [1].

3106 (CCXXVI) Anagni, 1er juin 1299.

De prioratu S. Crucis de Corno ecclesie Lunensi per permutationem cedendo. (fol. 184 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Pistoriensi. Ex parte venerabilis fratris nostri A., episcopi, et dilectorum filiorum cleri civitatis et diocesis Lunensis nobis extitit intimatum quod prioratus [2] Sancte Crucis de Corno, Lunensis diocesis, ad monasterium Sancti Michaelis de Scalzis Pisanum, ordinis sancti Benedicti spectans, ac persone degentes in eo a piratis partes illas frequentantibus multas oppressiones et injurias patiuntur ac frequenter rebus propriis spoliantur. Cum autem prioratus ipse pro castro et portu inibi construendis sit ecclesie Lunensi valde accomodus, dictusque episcopus sit paratus abbati et conventui dicti monasterii pro recompensatione dicti prioratus concedere locum de Sancto Francisco, situm in pertinentiis Corvarie, dicte diocesis, ad eandem Lunensem ecclesiam pertinentem — extitit supplicatum ut concedi prioratum eundem ipsis episcopo et ecclesie de benignitate Apostolica dignaremur.

Mandat suprascripto ut inquisita super premissis veritate et omnibus conditionibus pensatis huic concessioni presideat.

Dat. Anagnie, kal. junii, anno quinto.

1. Sic legitur in codice.
2. *Ms.* : prioratum.

3107 (CCXXVII) Anagni, 12 juin 1299.

De palleo Tharsensi electo imponendo. (fol. 184 v°.)

Venerabilibus fratribus .. Paphensi, .. Nimociensi et .. Bericensi episcopis. Nuper Tharsensi —.

Mandat eis quatinus electo Tharsensi post consecrationem ejus palleum imponant quod eis per Stephanum, thesaurarium ecclesie Anteradensis, destinatur.

Dat. Anagnie, II id. junii, anno quinto.

3108 (CCXXVIII) Anagni, 9 juin 1299.

Ut unus eorum electo Tharsensi munus consecrationis impendat ascitis secum duobus vel tribus catholicis episcopis.

Eisdem. Nuper Tharsensi —. Dat. Anagnie, V id. junii, anno quinto.

3109 (CCXXVIIII) Anagni, 8 juin 1299.

Ut pecuniam pro restitutione illicitorum lucrorum cum Sarracenis factorum collectam regi Aragonie assignent. (fol. 185.)

Venerabili fratri .. episcopo Dutersensi et dilecto filio .. abbati monasterii Sanctarum Crucum, Cisterciensis ordinis, Barchinonensis diocesis. Per alias nostras —.

Cum suprascripti commissionem per alias litteras Apostolicas receperint absolvendi mares et mulieres de regno Jacobi, regis Aragonie, qui in Alexandriam prohibita mercimonia Sarracenis illarum partium detulerunt vel quovis alio modo participaverunt eisdem ab excommunicationis et quibuslibet aliis sententiis, imposita eis penitentia salutari, et liberandi eos et eorum heredes a restitutione lucrorum, dummodo quartam hujusmodi lucri partem eis darent recipientibus nomine Romane Ecclesie in pios usus convertendam, mandat eis ut totam pecuniam quam ex premissis causis recipere contigerit Jacobo, regi Aragonie, pro negotio Sicilie integraliter assignare curent.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

3110 (CCXXX) Anagni, 17 juin 1299.

Indulgetur ad biennium ut clerus terrarum regis Aragonie, Sardinia et Corsica exceptis, ei subventionem prestare valeat. (fol. 185.)

Venerabilibus fratribus patriarchis, et cetera ut supra capitulo CCVIII usque : Velensi et Calabravensi, pre-

sentes litteras inspecturis salutem, et cetera[1]. Personam carissimi —.

Ad supplicationem Jacobi, regis Aragonie, contra Siculos rebelles procedentis indulget ad biennium ut nonobstante constitutione a se nuper edita suprascripti eidem regi subsidium, subventionem vel donum moderatum prestare possint et idem rex licite recipere valeat.

Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno quinto.

3111 (CCXXXI) Anagni, 8 juin 1299.

Indulgetur ad biennium ut subjectos regis Aragonie ob illicitum cum Sarracenis commercium excommunicatos absolvere possit. (fol. 185.)

Eisdem[2]. De circumspectione vestra —.

Concedit eis ad biennium facultatem absolvendi tam mares quam mulieres de regno et terris Jacobo regi subjectis Sardinie et Corsice terris dumtaxat exceptis qui in Alexandriam prohibitas mercedes detulerunt imposita eis penitentia salutari et liberandi eos et etiam eorum heredes a restitutione lucrorum, dummodo quartam hujus lucri partem eis prestent nomine Romane Ecclesie recipientibus in pios usus convertendam.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

3112 (CCXXXII) Anagni, 8 juin 1299.

Ut quamdam venditionem a rege Aragonie Hospitali Sancti Johannis Jerosolimitano factam cassare possint. (fol. 185.)

Venerabilibus fratribus . . Valentino et . . Dertusensi episcopis. Clara merita carissimi in Christo filii nostri Jacobi, Aragonie, Sardinie et Corsice regis illustris, quibus circa divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia vacans obsequia — se reddit acceptum, digne merentur ut eum prerogativa favoris — prosequamur. Sane idem rex nuper nobis exposuit quod, cum dudum in adventu suo ad partes istas pro hujusmodi obsequiis prosequendis magna eum ratione expensarum hujusmodi adventus ipsius necessitas coartharet, ipse ad necessitatem hujusmodi sublevandam vendidit imperpetuum dilecto filio fratri Raymundo de Ripell, ordinis Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, castellano Emposte ac tenenti in Spania locum . . Magistri Generalis Hospitalis ejusdem, ementi et recipienti nomine — ejusdem ordinis atque suo merum et mixtum imperium ac jurisdictionem quamlibet in civilibus et criminalibus que idem rex habebat vel pertinebant ad ipsum in castris et villis seu locis de Onda et de Galur et de Avimone — pro pretio seu nomine pretii quindecim milium solidorum denariorum Barchinonensium —. Quare idem rex nobis humiliter supplicavit ut providere indempnitati sue super hoc de benignitate Apostolica dignaremur.

Considerans « parvitatem dicti pretii et necessitatem que dictum regem ad faciendam hujusmodi venditionem induxit » mandat suprascriptis ut, « scita ipsius negotii veritate » et facta predicto magistro restitutione pretii, dictam venditionem cassent.

Dat. Anagnie, VI id. junii, anno quinto.

3113 (CCXXXIII) Anagni, 5 juin 1299.

Provisio Tarsensis ecclesie. (fol. 185 v°.)

Dilecto filio Nicolao, electo Tharsensi. Inter cetera sollicitudinum —.

Vacante ecclesia Tarsensi per obitum bone memorie Guillelmi archiepiscopi, Gaufridus, predicte ecclesie cantor, a capitulo compromissarius electus, suprascriptum, ipsius ecclesie archidiaconum, elegit in archiepiscopum.

Cumque bone memorie O., patriarche Anthiocensi, dum adhuc viveret, sub cujus jurisdictione predicta ecclesia existeret, per procuratorem tuum — electio ipsa presentata fuisset, prefatus patriarcha, prudenter considerans quod duas ecclesias curam animarum habentes absque dispensatione Sedis Apostolice hujusmodi electionis tue tempore obtinebas, teque propter hoc ad archiepiscopalem dignitatem inhabilem reputans, electionem ipsam auctoritate propria justitia suadente cassavit.

Eodem procuratore ad Sedem Apostolicam appellante et negotio hujus appellationis Gerardo, episcopo Sabinensi, commisso, dominus papa, facta relatione sibi a dicto episcopo eam cassationem approbans, ordinationem hujus ecclesie Apostolice dispositioni duxit reservandam.

Attendentes itaque diligenter quod personarum illarum partium plenam notitiam non habemus et propterea de ipsarum aliqua juxta desiderium cordis nostri ecclesie providere non possumus prelibate nec eidem ad presens intendimu preficere alienum, considerantes etiam lauda-

1. Titulus non rubricatus fuit.

2. Hic titulus non ad precedens capitulum sed ad penultimum refertur.

bile testimonium quod tibi alias de multe probitatis meritis perhibetur — te, in quo — omnem transgressionis et inhabilitatis notam, maculam atque infamiam ex retentione dictarum ecclesiarum — abolemus, — Tarsensi ecclesie in archiepiscopum et pastorem preficimus —. Dat. Anagnie, non. junii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Tarsensis. — carissimo in Christo filio .. regi Armenie illustri.* — Dat. ut supra.

3114 (CCXXXIIII) Anagni, 11 juin 1299.

Ne testagium in regno Cypri amplius exigatur. (fol. 186.)

Ad futuram rei memoriam. Hoc habet assidue —.

Ordinat et vult quod taillia seu collecta, que vulgariter testagium nuncupatur et nonnullis annis preteritis fuerat in regno Cypri recepta per regem pro defensione regni, cesset nec amplius exigatur a personis ecclesiasticis et secularibus.

Dat. Anagnie, III id. junii, anno quinto.

(POTTHAST, 24838.)

3115 (CCXXXV) Latran, 20 avril 1299.

Facultas dispensandi cum quodam clerico super defectu natalium. (fol. 187.)

Venerabili fratri .. episcopo Suessionensi. Laudabili testimonio —.

Ut dispenset super defectu natalium cum Bertrando dicto de Compendio, clerico sue diocesis, in utroque jure licenciato.

Dat. Laterani, XII kal. maii, anno quinto.

3116 (CCXXXVI) Anagni, 29 juin 1299.

Assignantur super decima nuper imposita decem millia unciarum regi Sicilie a Spinis soluta. (f. 187 v°.)

Dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine de Spinis ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia. Per diversas nostras —.

Cum in solutione decem millium unciarum auri nuper de mandato domini pape Neapoli per eos facta Carolo regi Sicilie pro imminente negotio ipsius regni Sicilie XXXI^M et CCXLVIII florenos auri et IIII turonenses grossos de argento noscantur de sua pecunia persolvisse, conceditur ut de pecunia decime per triennium imposite in Italia excepto regno Sicilie ac in Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Ebredunensi diocesibus et in parte provincie Lugdunensis citra Rodanum constituta quam collectores ejus decime juxta litteras Apostolicas eis assignare contigerit, dictam quantitatem pecunie « videlicet undecim milia et CCXLVIII florenos auri et IIII turonenses grossos de argento de pecunia decime Italie et residua XX^M florenorum auri de pecunia decime Aquensis et aliarum diocesium predictarum » licite retinere possint; residuum vero totius pecunie teneantur in Romana Curia ad beneplacitum domini pape assignare.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno quinto.

3117 (CCXXXVII) Anagni, 24 juin 1299.

Assignatur Spinis pecunia pro secundo anno decime in quibusdam partibus colligenda. (fol. 187 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Bononiensi, collectori decime in Marchia Tervisina, Aquilegensi et Gradensi civitatibus et diocesibus, patriarchatibus atque provinciis. Cum in Marchia —.

Suprascripto, quem olim, dum erat episcopus Paduanus, fecerat dominus papa et, ad Bononiensem ecclesiam translatum, remanere voluit in dictis partibus collectorem decime per triennium imposite pro necessitatibus Romane Ecclesie, mandat quatinus totam pecuniam pro secundo anno futuro dicte solutionis in illis partibus colligendam Rogerio et Lapo Spine ac eorum sociis de societate Spinorum assignet.

Dat. Anagnie, VIIII kal. julii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime Sabinieque provinciis, nec non in Ostiensi, Velletrensi, Papali, Tusculana, Portuensi, Albanensi ac Reatina, Interanensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus ac monasteriorum Sublacensis, Farfensis et Sancti Salvatoris Reatini abbatiis et eorum terris* —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Massiliensi, collectori decime in Arelatensi et Aquensi civitatibus et diocesibus atque provinciis* —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Pistoriensi, collectori decime in provincia Tuscie.* —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Faventino, collectori decime in provincia Ravennatensi. Marchia Anconitana*

et Massa Trabaria, nec non in eadem Ravennatensi et Ferrariensi, Ariminiensi, Sancti Leonis et Urbinatensi civitatibus et diocesibus, ac Pomposiano ac Galliate monasteriis seu abbatiis et Sancte Marie de Balneo et Sancte Agathe plebibus ac eorum et etiam monasterii Farfensis terris in Marchia ipsa et partibus Romaniole consistentibus —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Nepesino, collectori decime in Patrimonio Beati Petri in Tuscia et Ducatu Spoletano ac Perusina et Tudertina civitatibus et diocesibus* —. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime in Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provinciis ac in ea parte Lugdunensis provincie que est citra Rodanum extra regnum Francie constituta* —. Dat. ut supra.

3118 (CCXXXVIII) Anagni, 23 juin 1299.

De decem octo millibus florenorum auri a societate Francesorum solutis. (fol. 188.)

Dilectis filiis Musciatto, Albizo et Nicole, militibus, fratribus de Francesis, Bonaventure Bartholomei, Teste de Testa et ceteris eorum sociis de societate Francesorum, civibus et mercatoribus Florentinis. Cum nuper de pecunia decime primi, secundi et tertii annorum, tercia vice carissimo in Christo filio nostro C[arolo], regi Sicilie illustri auctoritate Apostolica pro negotio regni Sicilie sub certis modis et forma concesse, recepta per vos seu vestrum aliquos auctoritate nostra a collectoribus ad colligendum ipsam decimam per Sedem Apostolicam deputatis in Aquilegensi et Gradensi patriarchatibus ac Mediolanensi, Januensi, Ravennatensi, Pisano, Jadrensi et Spalatino archiepiscopatibus, Ducatu Spoletano, Marchia Anconitana, tota Tuscia, Patrimonio Beati Petri, Massa Trabaria, Dalmatia et Campanie, Maritime ac Sabine terris atque provinciis, necnon in Ferrariensi, Ariminensi, Papiensi, Placentina, Ferretrana, Lunensi, Perusina, Tudertina, Interanensi, Tiburtina et Reatina civitatibus et diocesibus earum ac in abbatiis Sublacensi atque Farfensi et aliis circumadjacentibus locis infra earum fines constitutis, civitate Romana nec non et civitatibus cum diocesibus eorum quibus preesse cardinalis episcopus consuevit exceptis, facta prius particulariter de receptis per vos ex pecunia prelibata computi ratione de mandato nostro per Zionum Marzoli civem et mercatorem Florentinum et aliquos ex sociis vestris in Curia Romana morantibus, decem et octo milia florenorum auri nobis duxeritis persolvenda, nos indempnitati vestre super hoc providere volentes vos de predictis decem et octo milibus florenorum auri tenore presentium quietamus, jure calculi nobis et Romane Ecclesie atque vobis super predictis omnibus nichilominus reservato. Dat. Anagnie, VIIII kal. julii, anno quinto.

3119 (CCXXXVIIII) Anagni, 30 juin 1299.

Provisio ecclesie Moraviensis. (fol. 188.)

Venerabili fratri David, episcopo Moraviensi. Ad exercendum universalis —.

Vacante Moraviensi ecclesia per obitum bone memorie Archebaldi episcopi et decano et capitulo ad electionem procedentibus, tresdecim in suprascriptum, tunc canonicum, et quatuor in decanum ac unus in Johannem, archidiaconum, et tres de dicto capitulo in Herricum, cancellarium ejusdem ecclesie, direxerunt vota sua, et deinde idem decanus de mandato capituli suprascriptum elegit in episcopum. Dicta electio, per magistros Jacobum et Rogerium ecclesie predicte canonicos presentata et rite examinata, confirmatur, electo munere consecrationis per M., Portuensem episcopum, impenso.

Dat. Anagnie, II kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24851.)

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Moraviensis— populo* —. Dat. ut supra.

3120 (CCXL) Anagni, 30 juin 1299.

De bonis ecclesie Moraviensis David episcopo restituendis (fol. 188.)

Dilectis filiis .. nobilibus viris custodibus regni Scotie. Habet nostre fiducie —.

Eos rogat et hortatur, ut bona et jura ecclesie Moraviensis, que occupanda duxerint, David, episcopo Moraviensi, restituant.

Dat. Anagnie, II kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24852.)

3121 (CCXLI) Anagni, 15 juin 1299.

Provisio ecclesie Jadrensis. (fol. 188 v°.)

Venerabili fratri Jacobo, episcopo Jadrensi. Pastoralis officii curia —.

Suprascriptus, frater ordinis Minorum, ecclesie Jadrensi, per obitum bone memorie Henrici archiepiscopi qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum vacanti et Apostolice dispositioni reservate, preficitur in archiepiscopum, ei consecrationis munere per Mattheum, episcopum Portuensem, impenso.

Dat. Anagnie, xvii kal. junii, anno quinto.

(Potthast, 24843.)

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Jadrensis — clero — populo — vassallis — suffraganeis.* — Dat. ut supra.

3122 (ccxlii) Anagni, 1er juillet 1299.

Conceditur palleum. (fol. 189.)

Eidem. Cum palleum —.

Testatur suprascriptum recepisse palleum per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani presbyteros, Petrum, S. Marie Nove, et Richardum, S. Eustachii diaconos cardinales.

Dat. Anagnie, kal. julii, anno quinto.

3123 (ccxliii) Anagni, 2 juillet 1299.

Privatur magister Anselmus de Pergamo possessionibus Ecclesie Romane ei concessis in castro et territorio Medicine. (fol. 189.)

Ad perpetuam rei memoriam. Intendentes dudum —.

Magister Anselmus de Pergamo, artis physice professor, denuntiatur privatus possessionibus, vulgariter donicatis nuncupatis, que in castro et territorio Medicine, Bononiensis diocesis, ad Romanam spectant Ecclesiam et que ei ad vitam a domino papa concesse fuerant. Revocatur hec concessio quia censum annualem quinque solidorum Bononiensium, in quo tenebatur Camere Apostolice, « ut in predictis circa possessionem et proprietatem Ecclesie predicte in futurum memoria certior haberetur », ut debuit, tanto tempore non persolvit quod hujusmodi facta gratia sit ipso jure privatus, « et nichilominus quia etiam erga personam nostram non est veritus ingratitudinis vitio laborare cum nobis sub bone fidei assertione promiserit familiariter penes nos phisicalibus obsequiis ad beneplacitum nostrum insistere nosque sumus concepta de ipso fiducia in hac parte fraudati quin imo delusi. »

Dat. Anagnie, vi non julii, anno quinto.

(Potthast, 24,859.)

3124 (ccxliiii) Sans date.

Conceduntur eadem bona Bisdomino de Vicecomitibus. (fol. 189.)

Dilecto filio nobili viro Bisdomino de Vicecomitibus, Pisano militi. Ex parte tua —.

Possessiones, quibus in precedenti capitulo privavit magistrum Anselmum de Pergamo, concedit suprascripto, ea lege ut annis singulis infra quindenam Nativitatis Dominice quinque solidos Bononienses nomine census cum ostensione litterarum hujusmodi Camere Apostolice persolvat.

Dat. Anagnie, anno quinto [1].

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Faventino et dilectis filiis .. archidiacono Bononiensis, et Armanno Mantello. canonico Reginensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3125 (ccxlv) Anagni, 30 juin 1299.

Ut mutuum trium millium florenorum auri contrahere valeat. (fol. 189 v°.)

Dilecto filio fratri Hugoni Decimo, monasterii Sancti Saturnini de Portu, Cluniacensis ordinis, Uticensis diocesis, procuratori dilectorum filiorum abbatis et conventus monasterii Cluniacensis. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, ii kal. julii, anno quinto.

3126 (ccxlvi) Vatican, 4 juillet 1298.

Indultum pro episcopo Aversano. (fol. 189 v°).

Venerabili fratri Leonardo, episcopo Aversano. Personam tuam —.

Concedit facultatem providendi hac vice alicui persone ydonee de canonicatu et prebenda in sua ecclesia per mortem quondam Angeli Petri Henrici de Urbe vacantibus.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum, iiii non. julii, anno quarto.

3127 (ccxlvii) Anagni, 15 juillet 1299.

Ut mutuum usque ad summam mille et quingentorum florenorum auri contrahere valeat. (fol. 189 v°.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Spoletano. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, id. julii, anno quinto.

1. Desiderantur dies et mensis in codice.

3128 (CCXLVIII) Anagni, 3 juillet 1299.

Ut relaxare valeat quosdam clericos a censura propter violationem decretalis « Clericis laicos » incursa. (fol. 190.)

Venerabili fratri Jacobo, archiepiscopo Jadrensi. Exposuit nobis tua —.

Suprascripto concedit facultatem absolvendi a censuris incursis nonnullos prelatos, ecclesiasticasque personas regulares et seculares sue civitatis et diocesis, qui in reparatione murorum civitatis ejusdem de proventibus et bonis ecclesiasticis sub adjutorii vel doni nomine officialibus et aliis laicis dicte civitatis certas persolverant pecunie quantitates.

Dat. Anagnie, v non. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24860.)

3129 (CCXLVIIII) Anagni, 3 juillet 1299.

Ut ab universo clero sue diocesis, ad onera ecclesie sue relevanda, subsidium moderatum exigere possit. (fol. 190).

Eidem. Magne devotionis affectus —. Dat. Anagnie, v non. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24861.)

3130 (CCL) Anagni, 1er juin 1299.

Confirmatur sententia inter Eugubinos et Saxoferratenses de castro Dolii, lata. (fol 190.)

Ad perpetuam rei memoriam. Qui libenter —.

Cum communia civitatum Eugubii et Saxoferrati super contentione occasione castri Dolii sive Montisguardie ac aliorum quorumdam confinium inter se orta in dominum papam per syndicos suos Munaldum jurisperitum de Eugubio et Fucum Petri de Saxoferrati compromisissent, et dominus papa « aliis arduis occupati » M., episcopo Portuensi, commisisset ut inter predictos syndicos et communia sententialiter diffiniret, dictus cardinalis diffinivit et arbitratus est « castrum Dolii sive Montisguardie predictum ac fortalitia et domos ipsius tanquam radicalem materiam dissensionum et scandali predictorum funditus destruenda et complananda nullo unquam tempore relevanda », et signari et terminari debere confines, et mediam partem pecunie, videlicet septem millia librarum Ravennatum per Eugubinos communi Saxoferrati solutam, « ex condempnatione quam fecisse dinoscitur commune Perusii virtute cujusdam compromissi in eos facti », Saxoferratensibus, reliquam vero dimidiam Eugubinis debere remanere. Dictum arbitrium confirmatur.

Dat. Anagnie, kal. junii, anno quinto.

(POTTHAST, 24855.)

In. e. m. *dilecto filio magistro Bonavito de Casentino, scriptori nostro.* Si prolata —.

Ut ad loca predicta se personaliter conferens predicta fideliter exequi faciat.

Dat. ut supra.

3131 (CCLI) Anagni, 8 juillet 1299.

Provisio ecclesie Aquilegensis. (fol. 190 v°.)

Venerabili fratri Petro, patriarche Aquilegensi. Romana Ecclesia —.

Suprascriptum de Capuana ecclesia ad Aquilegensem, per obitum Raymundi patriarche vacantem, Apostolice dispositioni reservatam, transfert, palleo ei per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, et Ricchardum, Sancti Eustachii diaconos cardinales exhibito.

Dat. Anagnie, VIII id. julii, anno quinto.

In. e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Aquilegensis — suffraganeis — populo — universis vassallis — nobilibus viris Alberto et Henrico juniori ejus filio Goritie comitibus — nobili viro . . duci ac consilio et communi Venetorum — nobili viro . . potestati ac antianis, castaldionibus, consilio et communi civitatis Paduane — nobilibus viris G. de Camino et R., ejus filio, Tervisine, Feltrensis et Bellunensis civitatum capitaneis generalibus.* — Dat. ut supra.

3132 (CCLII) Anagni, 5 juin 1299.

Provisio Eliensis ecclesie (fol. 191.)

Venerabili fratri Rodulpho, episcopo Eliensi. Romani Pontificis —.

Vacante Eliensi ecclesia per obitum bone memorie Guillelmi episcopi, J. prior et conventus ipsius ecclesie, ordinis sancti Benedicti, convenerunt pro futuri substitutione pastoris et duas electiones contigit in discordia celebrari, unam videlicet de priore predicto et alteram de Johanne de Langetono, clerico et cancellario Eduardi regis Anglie. Hujusmodi electionum ne-

gotio per appellationes ad Sedem Apostolicam devoluto ipsisque accedentibus personaliter ad dictam Sedem, ambo resignarunt in manibus domini pape et sic provisio dicte ecclesie Apostolice dispositioni fuit devoluta. Suprascriptus, tunc episcopus Norwicensis, transfertur ad Eliensem ecclesiam.

Dat. Anagnie, non. junii, anno quinto.

In. e. m. *dilectis filiis clero civitatis et diocesis Eliensis — populo — universis vassallis ecclesie — . . archiepiscopo Cantuariensi — . . regi Anglie illustri.* — Dat. ut supra.

3133 (CCLIII) Latran, 21 février 1299.

Indultum pro capitulo ecclesie Lateranensis. (fol. 192.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis. Magne devotionis sinceritas —.

Indulget ut singuli eorum et alii qui ecclesie prefate Lateranensis canonici erunt pro tempore, residendo personaliter in eadem, fructus omnium beneficiorum suorum, etiamsi dignitates existant et curam habeant animarum, in absentia percipere valeant.

Dat. Laterani, VIIII kal. martii, anno quinto.

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis diocesis, ac . . priori Sancte Marie Nove de Urbe —. Dat. ut supra.

3134 (CCLIIII) Anagni, 27 juin 1299.

Conferuntur seu reservantur archidiaconatus Guadalfayarensis et canonicatus in ecclesia Toletana. (fol. 192.)

Dilecto filio magistro Guillelmo Acursi, archidiacono Guadalfayarensi in ecclesia Tholettana ac canonico in eadem, capellano nostro. Apostolice Sedis providentia —.

Dictos archidiaconatum et canonicatum per mortem quondam Rogerii Catenacii, qui nuper apud civitatem Anagninam diem clausit extremum, vacantes et Apostolice dispositioni reservatos confert suprascripto, non obstante quod secularem abbatiam de Lavanza, in Palentina, et, in Caturcensi, sacristiam ex dispensatione Apostolica et, in eadem ac Burgensi ecclesiis, canonicatus et prebendas noscatur obtinere.

Dat. Anagnie, v kal. julii, anno quinto.

Dilectis filiis . . Atrebatensi et . . Talaverensi ac . . Calatravensi in ecclesia Tholetana archidiaconis. — Dat. ut supra.

3135 (CCLV) Anagni, 5 juillet 1299.

Concessio pallei. (fol. 192 v°.)

Venerabili fratri Gualterio, archiepiscopo Tarentino. Cum palleum —.

Conceditur ei palleum, per magistrum Fredericum, cantorem, et presbyterum Gualterium dictum Mellis Spetia, canonicum Tarentinos, nuntios ejus postulatum, et assignandum ei per . . Barensem et . . Acerontinum archiepiscopos.

Dat. Anagnie, III non. julii, anno quinto.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Barensi et . . Acerontino archiepiscopis.* — Dat. ut supra.

3136 (CCLVI) Anagni, 3 août 1299.

Provisio ecclesie Aversane. (fol. 192 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Aversano. Etsi de cunctis —.

Suprascriptus, dudum episcopus Anagninus, ad ecclesiam Aversanam, Ecclesie Romane immediate subjectam, per translationem Leonardi ad Capuanam vacantem et a die vacationis Apostolice dispositioni reservatam, transfertur.

Dat. Anagnie, III non. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — universis vassallis — Carolo, regi Sicilie* —. Dat. ut supra.

3137 (CCLVII) Sans date.

Forma juramenti. (fol. 193.)

Forma juramenti. Ego Gualterius, archiepiscopus Tarentinus —.

3138 (CCLVIII) Sans date.

Forma dandi palleum. (fol. 193.)

Forma dandi palleum. Ad honorem Dei omnipotentis —.

3139 (CCLVIIII) Anagni, 27 mai 1299.

Ut inquisitionem faciant super partitione reddituum inter Tholosanum et Appamiarum episcopatus. (fol. 193.)

Venerabilibus fratribus .. Biterrensi, .. Magalonensi, et .. Elnensi episcopis. Exposita nobis venerabilis fratris nostri Petri, episcopi Tholosani, petitio continebat quod, cum omnes redditus et proventus episcopatus Tholosani retroactis temporibus, dum adhuc episcopatus ipse in sui status integritate consisteret, juxta communem assisiam usque ad quindecim milium librarum que tunc habebantur in usu et non multo majorem summam ascenderent annuatim, et de hujusmodi quantitate dumtaxat decima solveretur cum illam imponi vel indici per Sedem Apostolicam contingebat, nos, suggerente nobis venerabili fratre nostro B., Appamiarum episcopo, quod redditus et proventus predicti longe majorem annis excedant singulis quantitatem, venerabili fratri nostro .. archiepiscopo Narbonensi et ejus certis in hac parte collegis, per nostras certi tenoris litteras duximus injungendum ut ipsi, ad partes illas se personaliter conferentes, de redditibus et proventibus supradictis septem milia librarum ejusdem monete Appamiarum episcopatui auctoritate nostra infra certa loca Tholosane diocesis in eisdem expressa litteris assignare ac ipsius Tholosani dictique Appamiarum episcopatus diocesum limitare confinia procurarent. Verum prefati archiepiscopus et college, hujusmodi mandato nostro recepto, ad assignationem quantitatis ejus ac faciendam limitationem hujusmodi procedentes et sequentes proprie voluntatis arbitrium, sic excessive in hac parte se gerere curaverunt quod medietatem vel quasi episcopatus Tholosani predicti, que fore dinoscitur in planiori et pinguiori terra civitatique Tholosane propinqua et in qua plura monasteria seu abbatie ac etiam loca honorabiliora quam eidem remanserunt episcopatui Tholosano consistunt, in assignationem ac limitationem predictas, prout ex evidentia facti colligitur, incluserunt; eaque omnia, non computatis in predictorum septem milium librarum summa redditibus et proventibus, quos eadem Appamiarum ecclesia, tunc monasterium, obtinebat et adhuc noscitur obtinere, quique sex vel quinque milium fere librarum ejusdem monete annuam quantitatem attingunt, ac etiam emolumenta, que Appamiarum episcopo supradicto ex procurationibus suis numero pene trecentis, et que ex temporali vel spirituali curia et in jurisdictione ipsius, ac ex synodatico seu cathedratico, et que insuper ex decima cannalegiorum comitatus Fuxensis ac ex nonnullis aliis juribus episcopalibus proveniunt annuatim, nec non et quedam feuda, retro feuda, baronias, dominia, villas, castra, maneria cum suis pertinentiis, in quibus magna pars honoris temporalisque presidii episcopatus Tholosani consistebat ejusdem in ipsum episcopatum Appamiarum pro suo libito transtulerunt, emolumentis ipsis, aliisque predictis in eisdem septem milibus non inclusis: propter quod Tholosana ecclesia gravem et enormem substinuit hactenus, et adhuc substinere dinoscitur lesionem. Quare prefatus Tholosanus episcopus nobis humiliter supplicavit ut super hiis opportunum adhibere remedium dignaremur. Nos itaque, volentes in hac parte scire plenius veritatem et de vestre circumspectionis industria et fidelitate probata plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus, ad partes illas personaliter accedentes et habentes Deum pre oculis, diligenter, celeriter et solerter de plano, sine strepitu et figura judicii, submoto cujuslibet diffugii et tergiversationis objectu, inquirere studeatis ad quam summam annui redditus et proventus ejusdem Appamiarum ecclesie tunc monasterii ubilibet consistentes et partis decise de Tholosano episcopatu predicto et eidem Appamiarum episcopatui assignate ac partis etiam que remansisse conspicitur Tholosano episcopatui memorato ascendere dinoscuntur; queve insuper monasteria et conventuales seu collegiate ac parochiales et rurales ecclesie ac quęvis alie administrationes ecclesiastice in Tholosano et Appamiarum episcopatibus supradictis existunt; et quot procurationes uterque obtineat eorumdem; et que sint illa et qualia, quorum nondum est extimatio neque computatio subsecuta, sed [que] ultra predictam summam septem milium librarum sunt eidem episcopatui Tholosano subtracta et in prefatum episcopatum Appamiarum translata; et in quibus etiam omnia predicta consistunt, ac nichilominus de omnibus aliis hujusmodi negotium contingentibus de quibus vestra discrettio duxerit inquirendum. In extimandis autem redditibus et proventibus cujuslibet episcopatuum predictorum eandem equalitatem eumdemque modum tenere ac servare sollicite studeatis ut ubique videlicet reddituum, proventuum, jurium et obventionum valorem diligenter extimare curetis juxta communem terre illius assisiam, in qua sunt situata seu posita ea que in hac parte fuerint extimanda, et quicquid super premissis omnibus et singulis contigerit inveniri nobis per vestras communes et patentes litteras vestris sigillis munitas, quas per vestros speciales et fideles nuntios Apostolatui nostro volumus destinari, plene, seriose, clare ac distincte quantotius intimetis, processus vestri copiam prefatis exhibituri episcopis si eam a vobis duxerint postulandam. Sic vos in hujusmodi negotio, quod vobis ex fiducia speciali committitur, cum omni acceleratione ac diligentia et sollicitudine processuri ut proinde a Domino premium et a nobis commendationis titulum possitis non immerito promereri. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis

interesse duo vestrum ea nichilominus exequantur. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno quinto.

3140 (CCLX) Même date.

Ut testamentum condere valeat. (fol. 193 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Tholosano. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

3141 (CCLXI) Même date.

Ut tribus personis ydoneis tabellionatus officium concedere valeat. (fol. 194.)

Eidem. Ex parte tua —. Dat. ut supra.

3142 (CCLXII) Même date.

Ut nullus delegatus vel subdelegatus etc. (fol. 194.)

Eidem. Ingens et sincera —. Dat. ut supra.

3143 (CCLXIII) Même date.

Alia gratia pro eodem. (fol. 194.)

Eidem. Agere credimus —.

Datur ei facultas recipiendi et faciendi recipi quatuor personas ydoneas in sua Tholosana ecclesia ubi certus canonicorum numerus et distributio prebendarum non habentur.

Dat. ut supra.

3144 (CCLXIIII) Anagni, 27 juillet 1299.

Ut mutuum usque ad summam octo millium florenorum auri contrahere valeat. (fol. 194.)

Eidem. Cum sicut in nostra —. Dat. Anagnie, VI kal. augusti, anno quinto.

3145 (CCLXV) Anagni, 23 juin 1299.

Collatio quorumdam beneficiorum vacantium in Curia Romana et dispensatio super pluralitate. (fol. 194.)

Dilecto filio Riccardo de Ferentino, capellano nostro, canonico et archidiacono Suessionensi. Probitatis tue merita —.

Cum Petrus de Condeto, ordinis Fratrum Predicatorum novitius, infra annum probationis existens, canonicatum et archidiaconatum quos in dicta ecclesia obtinebat per procuratorem suum in manibus magistri Petri Roderici, archidiaconi Carnotensis, referendarii domini pape, de mandato ejus eam resignationem recipientis, resignaverit, ea beneficia, apud Sedem Apostolicam sic vacantia confert suprascripto, non obstante quod in Tornacensi et Ferentinensi ac Sorana et in Sancti Audomari, Morinensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas ac abbatiam secularis ecclesie Sancti Johannis Evangeliste de Ferentino curatam et ecclesiam Sancti Germani de Cesprat, Narbonensis diocesis, noscatur obtinere. Canonicatus vero et archidiaconatus in ecclesia Lexoviensi vacantes per resignationem Deodati de Urbe, capellani domini pape, de quibus provisus fuit, reservantur ei quousque dicta beneficia assecutus fuerit, sed postea Apostolice dispositioni reservati erunt.

Dat. Anagnie, VIIII kal. julii, anno quinto.

In. e. m. *judicibus.* — Dat. ut supra.

3146 (CCLXVI) Anagni, 8 juillet 1299.

De capitulo Parisiensi protegendo adversus pravam pignorationis consuetudinem. (fol. 194 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Carnothensi. Intimantibus nobis dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Parisiensis accepimus quod, cum olim ex parte ipsorum coram felicis recordationis Honorio pape IIII predecessore nostro fuisset expositum quod nonnulli clerici et laici, asserentes se in eos aliquid questionis habere, aliquando canonicos, interdum clericos ipsius ecclesie et nonnunquam animalia et alia bona ejusdem ecclesie pretextu cujusdam prave consuetudinis, temeritate propria, vadiare, invadere ac tamdiu detinere presumebant donec esset eis de hujusmodi questionibus juxta ipsorum beneplacitum satisfactum, quamquam jurisdictionem, qua hoc facere possent, in ipsos decanum et capitulum non haberent ordinariam vel etiam delegatam [1], predecessor ipse, diligenter attendens quod judicialis vigor ideo in medio constitutus [est] ut nemo sibi audeat sumere ultionem et ob hoc id tanquam nullo jure submissum non esse aliquatenus tolerandum, volensque quieti ipsorum decani et capituli consulere ac predictorum malitiis ob-

1. *Ms.* : delegatum

viare, per suas duxit litteras districtius inhibendum ne quis occasione dicte consuetudinis ipsis decano et capitulo memoratas inferre molestias aut bona ecclesie memorate absque juris ordine occupare, vadiare presumerent seu quomodolibet detinere. Verum, quia non sufficit decano et capitulo memoratis inhibitionem obtinuisse hujusmodi nisi qui eos in premissis tueatur existat, nos, eorum supplicationibus inclinati fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, ipsis decano et capitulo supradictis oportuni presidio favoris assistens, non permittas eos contra inhibitionis predicte tenorem ab aliquibus indebite molestari, molestatores hujusmodi sive clerici fuerint sive laici per censuram, et cetera usque : compescendo. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod excommunicari, suspendi vel interdici non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Anagnie, VIII id. julii, anno quinto.

3147 (CCLXVII) Vatican, 25 juillet 1298.

Conceditur Rogerio de Lauria decimarum perceptio in terris suis regni Valentie sub annua pensione episcopo Valentino solvenda. (fol. 194 v°.)

Dilecto filio nobili viro Rogerio de Lauria, Sicilie et Aragonie admirato. Monet nos devotionis —. Hinc est quod nos, volentes tibi gratiam facere specialem, decimas, que de castris et terris tuis que in regno Valentie obtines ac omnibus bonis, juribus et pertinentiis eorumdem per te vel per vassallos tuos qui in eisdem castris et terris degunt de possessionibus, fructibus, animalibus vel quibuslibet bonis eorum venerabili fratri nostro . . episcopo Valentino — consueverunt exhiberi, que trecentarum librarum denariorum Barchinonensium seu centum unciarum auri valorem annuum non excedunt, tibi tuisque filiis ex te legitime descendentibus auctoritate Apostolica concedimus —. [Volumus autem quod dicto episcopo] ejusque successoribus qui fuerunt pro tempore, donec decimas percipietis predictas, decem uncias auri anno quolibet teneamini solvere nomine pensionis ac hujusmodi nostra concessio ad nepotes vel ulterioris gradus tui posteros minime extendatur —. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. augusti, anno quarto.

3148 (CCLXVIII) Anagni, 27 mai 1299.

Ut dignitates et beneficia que tanto tempore vacarunt etc. conferre valeat.

Venerabili fratri Petro, episcopo Tholosano. Ut benivolentiam —. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno quinto.

3149 (CCLXVIIII) Anagni, 3 août 1299.

Provisio ecclesie Anagnine. (fol. 195.)

Dilecto filio Leonardo, electo Anagnino. Licet ad universas orbis ecclesias juxta pastoralis officii debitum Apostolice dirigamus considerationis intuitum ac illis que vacationis incomodis exponuntur propensius affectamus de celeri et salubri provisionis remedio providere, Anagninam tamen ecclesiam, in qua, dum minoribus ageremus, adhuc infra etatem adolescentie constituti canonicatum obtinuimus et prebendam, nostraque promotionis initia recolimus recepisse, ac ejus populum, nobis et Ecclesie Romane devotum, ut de benivolentia natali soli omittamus, quadam nimirum affectionis prerogativa prosequimur et que ad honorem et comodum ejusdem ecclesie Anagnine cedere valeant solerti studio quantum nobis ex alto permittitur procuramus. Eadem siquidem Anagnina ecclesia per translationem venerabilis fratris nostri Petri, Aversani, tunc Anagnini episcopi, per nos factam ad ecclesiam Aversanam regimine destituta pastoris, nos eidem Anagnine ecclesie, ne ob proprii sponsi carentiam viduitatis amaritudinem degustaret, intendentes premissorum consideratione de salubris et utilis solatio pastoris celeriter providere, post deliberationem quam super hoc cum fratribus nostris habuimus diligentem, ad te, ecclesie predicte Anagnine canonicum, virum utique morum elegantia redimitum, vita et fama preclarum, litterarum scientia preditum, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, prout hec et alia tua sunt nobis a longis retro temporibus laudabilia merita et grata per te nobis et nostris impensa obsequia non ignota, nostre considerationis aciem retorquemus ac, hiis diligenti meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob hujusmodi exigentiam meritorum accepta prefate Anagnine ecclesie providemus, teque illi preficimus de ipsorum fratrum consilio in episcopum et pastorem, curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus tibi plenarie committendo, firma spe fiduciaque tenentes quod ipsius Anagnine ecclesie regimen tanto studebis horum intuitu salubrius et sollicitius, dante Domino, exercere quanto illi que te olim educavit ut mater te fore conspexeris efficacius obligatum. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, impositum tibi onus a Domino suscipiens reverenter et suavi ejus oneri humiliter collum submit-

tens, sic ejusdem Anagnine ecclesie tue gubernationi commisse curam et administrationem studeas exercere sollicite, fideliter et prudenter quod ipsa Anagnina ecclesia, gratia tibi suffragante divina, votivis jugiter amplietur comodis et salutaribus proficiat incrementes, tuqui apud Pastorem Celestem felicitatis eterne premium et apud nos, qui personam tuam affectione paterna prosequimur, exinde favorem et gratiam uberius consequi merearis. Dat. Anagnie, III non. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Anagnine — clero — populo — universis vassallis* —. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24872.)

3150 (CCLXX) Même date.

Ut testamentum condere valeat. (fol. 195 v°.)

Venerabili fratri Martino, archiepiscopo Bracharensi. Quia presentis vite —. Dat. ut supra.

3151 (CCLXX *bis*) Anagni, 1er juillet 1299.

Provisio ecclesie Dublinensis. (fol. 195 v°.)

Venerabili fratri Riccardo, archiepiscopo Dublinensi. Dum sollicite considerationis —.

Vacante Dublinensi ecclesia per obitum bone memorie Guillelmi archiepiscopi, canonici Sancte Trinitatis et Sancti Patricii Dublinensium ecclesiarum, ad quos archiepiscopi Dublinensis electio communiter pertinere dinoscitur, convenerunt et per viam scrutinii procedentes Adam de Balsaham, priorem Sancte Trinitatis, et Thomam de Chedelwerch, decanum Sancti Patricii ecclesiarum predictarum, in archiepiscopum in discordia elegerunt. Prefati vero electi ad Sedem Apostolicam accedentes cum nonnullis ex dictis canonicis sponte resignarunt et sic provisio dicte ecclesie Apostolice dispositioni fuit reservata. Cum autem prefatis Ade ac Thome atque canonicis, cum adhuc in Romana Curia morarentur, nominandi aliquam personam ydoneam de se ipsis aut etiam aliunde ad ejusdem ecclesie regimen dominus papa licentiam duxisset committendam, suprascriptum, tunc archidiaconum Cantuariensis ecclesie, nominarunt. Preficitur in archiepiscopum Dublinensem, munere consecrationis ei per Mattheum, episcopum Portuensem, impenso.

Dat. Anagnie, kal. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis Sancte Trinitatis et Sancti Patricii Dublinensium ecclesiarum capitulis — clero — populo — universis vassallis — suffraganeis — E., regi Anglie* —. Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24856.)

3152 (CCLXXI) Même date.

Concessio pallei. (fol. 196.)

Eidem. Cum palleum —.

Testatur eum palleum recepisse per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Petrum, Sancte Marie Nove, et Rizardum, Sancti Eustachii diaconos cardinales.

Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24857.)

3153 (CCLXXII) Vatican, 1er juin 1298.

Privilegium jurisdictionis pro communi Esino. (fol. 196.)

Dilectis filiis consilio et comuni Esinis, Ecclesie Romane fidelibus. Sincera devotio quam —.

Eis, ob accepta servitia que contra Columpnenses prebuerunt et exhibere proponunt, ad preces eorum atque nobilis viri Manentis quondam Nicolutii Baligani civis eorum, indulget usque ad beneplacitum suum ne ullus eorum civium vel alius quis de districtu eorum extra civitatem vel districtum super principalibus causis et etiam super primis causis appellationum tam in civilibus quam in criminalibus ad examen rectoris Anconitane Marchie vel ejus officialium accedere teneatur.

Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, kal. junii, anno quarto.

3154 (CCLXXIII) Anagni, 18 août 1299.

Ut reservationem Apostolicam de quodam prioratu in Perusina diocesi servare faciant. (fol. 196.)

Dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Petri Perusini, et .. priori Sancti Clerici de Bittonio, Asisinatis diocesis, ac Jacobo Mathei de filiis Ursi, thesaurario ecclesie Salamantine. Dudum volentes personam —.

Suprascripti deputati fuerant executores litterarum Apostolicarum quibus Raynerius natus quondam Hugolinutii civis Perusini, tunc scolaris cupiens militie clericali ascribi, provisus fuerat de aliquo personatu vel alio beneficio in civitate vel

diocesi Perusina, cum vacaret, infra quindecim dierum spatium acceptando. Cum autem prioratus secularis ecclesie Sancti Viti de Castro Montali, ejusdem diocesis, vacavisset et infra legitimum tempus a dicto Raynerio clericali caractere insignito acceptatus fuisset, nichilominus capitulum prioratus ejusdem Octavianum Berardini de Marsciano, clericum ejusdem diocesis, de facto elegerunt. Mandatur suprascriptis ut dictum prioratum dicto Raynerio conferre curent non obstante dicta electione de facto presumpta.

Dat. Anagnie, xv kal. septembris, anno quinto.

3155 (CCLXXIII *bis*) Anagni, 1er juillet 1299.

Provisio ecclesie Spoletane. (fol. 196 v°.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Spoletano. Licet continuata —.

Olim Spoletana ecclesia per obitum bone memorie fratris Francisci episcopi, qui apud Sedem Apostolicam viam fuit universe carnis ingressus, vacante et Apostolice dispositioni reservata, nonnulli ejusdem ecclesie canonici Henricum Manentis, ejusdem ecclesie canonicum, in minoribus ordinibus constitutum in episcopum postularunt; sed dicta postulatio utpote contra reservationem Apostolicam presumpta non fuit admissa. Suprascriptus, tunc prior provincialis Romane provincie, ordinis Predicatorum, preficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, kal. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Spoletane — clero — populo — universis vassallis* —. Dat. ut supra.

3156 (CCLXXIIII) Anagni, 29 juin 1299.

Confertur magistro de Langetono archidiaconatus Cantuariensis. (fol. 197.)

Dilecto filio magistro de Langetono subdiacono, archidiacono Cantuariensi. Attendentes laudanda —.

Ei, obtentu Eduardi, regis Anglie, cujus cancellarius existit, archidiaconatum Cantuariensem, per promotionem Riccardi, qui eum possidebat, in archiepiscopum Dublinensem apud Sedem Apostolicam vacantem, confert et ei de illo providet, non obstante quod in Wellensi, thesaurariam et in ea et Saresbiriensi, Cicestrensi, Lichefeldensi, Dublinensi et de Langecestre, Dublinensis diocesis, ecclesiis canonicatus et prebendas et de Lodeswell, de Burgo subtus Stemor et de Breydesale, de Hornecasten, de Wallepole, de Burdewel et de Racolure, Exoniensis, Carleolensis, Conventrensis et Lichefeldensis, Lincolniensis, Norwicensis et Cantuariensis diocesium, ecclesias curatas noscatur obtinere.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. Sancti Augustini Cantuariensis, et .. Sancti Vedasti Vestmonasterii Londoniensis monasteriorum abbatibus, ac .. archidiacono Drocensi in ecclesia Carnotensi* —. Dat. ut supra.

3157 (CCLXXV) Anagni, 20 juillet 1299.

Provisio ecclesie Capuane. (fol. 197 v°.)

Venerabili fratri Leonardo, archiepiscopo Capuano. Angit nos cura —.

Suprascriptus de Aversana ecclesia ad Capuanam transfertur per translationem Petri ad Aquilegensem patriarchatum vacantem et Apostolice dispositioni reservatam.

Dat. Anagnie, XIII kal. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Capuane — clero — populo — universis vassallis — suffraganeis — C., regi Sicilie* —. Dat. ut supra.

3158 (CCLXXVI) Même date.

Concessio pallei. (fol. 198.)

Eidem. Cum palleum —.

Testatur eum recepisse palleum per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Petrum, Sancte Marie Nove, et Rizardum, Sancti Eustachii diaconos cardinales.

Dat. ut supra.

3159 (CCLXXVII) Anagni, 21 août 1299.

De contentionibus inter archiepiscopum Turonensem et episcopum Dolensem. (fol. 198.)

Ad perpetuam rei memoriam. Dudum inter venerabiles fratres nostros Reginaldum, archiepiscopum Turonensem, et Theobaldum, episcopum Dolensem, tunc ejus suffraganeum nunc vero ad vitam suam exemptum, ex eo maxime gravis dissensio exorta extitit quod, cum venerabilis fratris nostri[1] H., episcopi, tunc electi ecclesie

1. *Ms.* : nostri

Nanettensis suffraganee ecclesie Turonensis, imineret consecratio facienda, prefatus archiepiscopus dictum episcopum Dolensem et quosdam alios suffraganeos suos per suas litteras [ut] in hujusmodi consecrationis munere impendendo dicto episcopo tunc electo Nanettensi sibi assisterent evocavit, unum ex eisdem suffraganeis taliter evocatis memorato Dolensi episcopo in eisdem litteris preponendo. Sed idem Dolensis episcopus, asserens quod in signum prerogative specialis honoris ac memoriam archiepiscopalis dignitatis que olim in ecclesia Dolensi fuisse dinoscitur, ex more et consuetudine longis retro temporibus inibi observatis, cum archiepiscopus Turonensis qui est pro tempore suffraganeos suos ex aliqua causa vocat, Dolensis episcopus qui est pro tempore non cum aliis suffraganeis in eisdem litteris sed per speciales debebat litteras evocari, et, si forsan cum aliis in eisdem litteris vocaretur, expresso suo nomine dignitatis debebat omnibus aliis suffraganeis anteponi, hujusmodi vocationi taliter facte de ipso contradixit expresse, tanquam in suum et ecclesie sue Dolensis predicte grave prejudicium attemptate, et, quia dictus archiepiscopus revocare vocationem eandem pro sue voluntatis libito recusavit, super hoc ex parte ipsius episcopi Dolensis pluries cum instantia requisitus, ex parte ipsius episcopi pro se et ecclesia Dolensi et sibi adherentibus in hac parte fuit ad Sedem propter hoc Apostolicam appellatum. Sed, eodem archiepiscopo hujusmodi appellationi nullatenus deferente, primo ob hoc specialiter contra dictum episcopum, ac postmodum, quia ipse archiepiscopus non fuit in Dolensi ecclesia ab ipso episcopo et capitulo Dolensi, sicut nec debebat, ad procurationem receptus, tam contra prefatum episcopum et ejus officialem quam contra capitulum et ecclesiam Dolensem ac majores et singulares personas de ipso capitulo, post et contra appellationes legitimas per eos ab ipso archiepiscopo et ejus commissariis interpositas, diverse et per archiepiscopum ipsum et alios ejus auctoritate suspensionis, interdicti et excommunicationis late sententie ac habiti sunt processus, et ex parte dicti episcopi, ecclesie et capituli Dolensis ac aliorum predictorum, tum ex hiis, tum ex aliis certis causis, ad dictam Sedem ab ipsius archiepiscopi audientia iterato extitit appellatum. Sane, post processus aliquos habitos in causis hujusmodi appellationum et negotii principalis coram certis auditoribus per nos datis in causis eisdem, diligentius attendentes quod ex prorogatione causarum hujusmodi archiepiscopus et episcopus Dolensis prefati multis laboribus et tam ipsi quam eorum ecclesie magnis expensarum oneribus gravabantur, insurgebant inter eos fomites odiorum, nutriebantur hinc inde rancores et tam in clero quam in populo illis subjectis scandala pullulabant, ac volentes tam archiepiscopi et episcopi Dolensis quam ecclesiarum predictarum dispendiis precavere eorumque quieti consulere in hac parte, cupientes insuper hujusmodi jurgiorum materiam per salubris ordinationis remedium taliter amputare quod in recidive contemptionis scrupulum nullatenus imposterum laberentur, certam ordinationem super hujusmodi evocatione dicti T., episcopi Dolensis, et successorum suorum per eundem archiepiscopum faciendi, necnon et super dictis procurationibus et expensis quas in hujusmodi lite dictus archiepiscopus se fecisse dicebat quasque ab eodem episcopo Dolensi, super injuriis quas idem episcopus Dolensis sibi illatas ab eodem archiepiscopo et expensis quas in eadem lite se subiisse asserebat, quasque et injuriarum dictarum extimationem ab eodem archiepiscopo petebant, ac aliis articulis, auctoritate Apostolica duximus faciendam, prout in nostris litteris super hiis confectis plenius continetur. Verum, quia de injuriis dicto archiepiscopo occasione premissarum dissensionum, causarum, litium ab eisdem episcopo et capitulo Dolensi ac singulis de dicto capitulo et predicto officiali ac subditis ejusdem episcopi et aliis quibuslibet sibi adherentibus in hac parte irrogatis, necnon et de injuriis eidem episcopo Dolensi eadem occasione illatis a capitulo Turonensi ac singulis de ipso capitulo et a subditis ejusdem archiepiscopi ac aliis quibuslibet sibi adherentibus in hac parte in eisdem nostris litteris aliqua mentio non habetur, nos, nolentes quod tali pretextu aliqua possit exoriri vel remanere materia [dissensionis] inter partes, cum nostre intentionis fuerit et existat per hujusmodi ordinationem nostram hujusmodi dissensionis materiam et quaslibet alias dissensiones que inter partes easdem occasione dissensionum, causarum et litium premissarum suscitari valerent, penitus amputare, ac omnimode pacis et quietis comoda ipsis partibus salubriter procurare, prefatis archiepiscopo et successoribus suis super eisdem injuriis sibi a predictis personis ut premittitur irrogatis, et etiam dicto episcopo Dolensi ac ejus successoribus super hujusmodi injuriis, ut dictum est, a capitulo Turonensi et singulis de ipso capitulo ac subditis ejusdem archiepiscopi et aliis quibuslibet sibi in hac parte adherentibus ipsi Dolensi episcopo irrogatis, et ipsarum injuriarum omnium extimatione perpetuum silentium auctoritate premissa imponimus, ac nichilominus decernimus irritum et inane si secus super hiis contigerit attemptari. Non obstantibus processibus et sententiis quibuscumque latis et habitis occasione premissa per quoscumque judices ordinarios vel delegatos aut subdelegatos ab eis, officiales vel auditores de quibus expressam oporteret

fieri presentibus mentionem. Nulli ergo, et cetera, nostre impositionis, voluntatis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, xii kal. septembris, anno quinto.

3160 (CCLXXVII *bis*) Anagni, 3 août 1299.

Provisio monasterii S. Michaelis de Clusa, Taurinensis diocesis. (fol. 198 v°.)

Dilecto filio Andree, abbati monasterii Sancti Michaelis de Clusa, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis ordinis sancti Benedicti, Taurinensis diocesis. Debitum officii nostri —.

Vacante dicto monasterio per obitum quondam Rizardi abbatis, prior et conventus in Odonem, Sancti Mauritii Diensis, Guidonem de Salviaco, Claromontensis, et Amedeum de Megena, Gebennensis diocesium, prioratuum priores, et Albertum de Grandivalle, monachum et cantorem monasterii supradicti, compromiserunt. Qui quidem compromissarii suprascriptum, tunc priorem prioratus de Cumiliaco de membris ejusdem monasterii existentis, ejusdem ordinis, Claromontensis diocesis, elegerunt. Accedens electus pro confirmatione ad Sedem Apostolicam, cum Guillelmus de Planis, monachus ejusdem monasterii Sancti Michaelis, se opponeret, omne jus quod sibi competere poterat in manibus Nicolai, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, de mandato domini pape hanc resignationem recipientis, resignavit, non timore tamen dicti Guillelmi qui post hujusmodi resignationem ad eandem oppositionem admissus in objectorum probatione defecit. Preficitur in abbatem.

Dat. Anagnie, iii non. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui monasterii Sancti Michaelis — vassalis.* — Dat. ut supra.

3161 (CCLXXVIII) Latran, 23 mars 1299.

Ut personas et bona Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani adversus molestatores defendat. (fol. 199.)

Venerabili fratri .. episcopo Agathensi. Etsi cunctos sub —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. scribitur pro eisdem dilecto filio .. decano ecclesie Tullensis.

In e. m. scribitur .. decano ecclesie Bisuntine — decano ecclesie Eduensis — decano ecclesie Autisiodorensis.

3162 (CCLXXVIIII) Anagni, 1er août 1299.

Ut procurationes in pecunia per biennium recipere valeat. (fol. 199.)

Venerabili fratri Egidio, archiepiscopo Biturricensi. Personam tuam —.

Dudum suprascripto per Apostolicas litteras fuit indultum ut, quamdiu apud Sedem Apostolicam morari contingeret, procurationes a personis per ydoneum vicarium visitatis et per alias litteras a quibuscumque quocumque modo debitas in pecunia numerata recipere posset. Cum autem nunc, sicut proposuit in presentia domini pape constitutus, post moram quam apud dictam Sedem de mandato Apostolico aliquamdiu contraxit, ad ecclesiam suam reverti cupiat, indulgetur ei ut, postquam ad eam pervenerit, ad biennium eadem gratia uti valeat.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno quinto.

In e. m. *.. Sigalonie et .. de Sancero archidiaconis, Bituricensis, et Jacobo Mathei Ursi, capellano nostro, thesaurario Salamantine ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3163 (CCLXXX) Anagni, 24 juillet 1299.

Confertur prioratus ecclesie S. Jacobi Florentine in Curia vacans. (fol. 199 v°.)

Dilecto filio Jacobo nato dilecti filii Bardi de Frescobaldis. Generis et morum —.

Cum nuper Thomasius quondam Ghini de Frescobaldis, olim prior secularis ecclesie S. Jacobi ultra Arnum Florentine, curam animarum habentis, suis culpis et demeritis exigentibus, omnibus beneficiis ecclesiasticis que in quibuscumque obtineret ecclesiis certis et rationalibus causis privatus fuerit, prioratus dicte ecclesie S. Jacobi, qui per privationem hujusmodi apud Sedem Apostolicam vacare noscitur, suprascripto confertur non obstante quod nondum vigesimum tertium sue etatis annum, cui proximus jam putatur, exegerit.

Dat. Anagnie, viiii kal. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii S. Marie Placentini et .. archidiacono Alnitiensi in ecclesia Xanctonensi et Johanni de Tuderto, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe.* — Dat. ut supra.

3164 (CCLXXXI) Anagni, 11 août 1299.

Executoria mutui. (fol. 200.)

Venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. abbati

monasterii Sancti Petri Perusinis, ac Raynerio archidiacono Sennensi. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum mille et quingentorum florenorum auri quos Nicolaus, episcopus Spoletanus, a Michele et Putio fratribus et filiis Benamati de Prato, mercatoribus Pistoriensis diocesis, recepit.

Dat. Anagnie, III id. augusti, anno quinto.

3165 (CCLXXXII) Anagni, 11 juillet 1299.

De decima ecclesiastica Hibernie, regi Anglie concessa societati Spinorum nomine Romane Ecclesie assignanda. (fol. 200.)

Venerabili fratri .. episcopo Midensi et .. decano ecclesie Dublinensis. Cum olim felicis —.

Suprascriptis, quibus Nicolaus papa quartus collectionem decime omnium ecclesiasticorum proventuum et reddituum Armachane, Dublinensis, Cassellensis et Tuamensis provinciarum, quam pro sex annis concesserat Eduardo, regi Anglie, ad prosecutionem efficaciorem negotii Terre Sancte quod idem personaliter prosequendum assumpserat commiserat, mandat ut Rogerio et Lapo Spine et ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, Camere Apostolice mercatoribus, quicquid est de dicta decima collectum infra duos menses Ecclesie Romane nomine assignent.

Dat. Anagnie, V id. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24844.)

3166 (CCLXXXIII) Anagni, 27 juin 1299.

Privilegiantur ad quinquennium debita per abbatem S. Antonii Viennensis apud Sedem Apostolicam contracta (fol. 100.)

Dilecto filio .. abbati Sancti Antonii ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis. Caritatis fecunde sinceritas —.

Indulgetur suprascripto ut ad solutionem quorumcumque suorum debitorum, illis dumtaxat exceptis in quibus mercatoribus de societatibus Spinorum et Mozorum pro negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis teneri noscitur, usque ad quinquennium minime teneatur.

Dat. Anagnie, V kal. julii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi.*

Ut, ad ejus presentiam evocatis tam ipsis abbate et conventu quam preceptoribus et fratribus balivarum et obedientiarum eis subjectarum et inquisita super redditibus eorum diligentius veritate, dictos redditus colligat et, reservata de ipsis pro substentatione eorum nec non pro exercenda hospitalitate solita in eis congrua portione, totum residuum in solutionem debitorum primo Spinorum et Mozorum deinde aliorum convertat nec infra quinquennium ipsum super solutione aliorum debitorum eos molestari permittat.

Dat. ut supra.

3167 (CCLXXXIIII) Anagni, 8 août 1299.

Executoria mutui (fol. 200 v°.)

Dilectis filiis .. priori Sancti Jacobi Florentine, ac Thome, archidiacono Atrebatensis, et magistro Johanni de Luco, canonico Londoniensis ecclesiarum. Cum pridem —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum duodecim millium florenorum auri quos Johannes pro ecclesia Norwicensi recepit a Simone Gerardi, cive et mercatore Florentino, de societate Spinorum de Florentia, mutuante pro se ipso et Rogerio et Lapo Spine de Spinis, Nigro Cambii, Andrea Gualterotti, Cinto Cambii, Guarente Jacobi, Guidone Bertaldi, Cino Bofi, Phylippo Girardini, Andrea Bonaventure, Masseo Clarissimi et Gerardo Rustici ac ceteris de societate predicta.

Dat. Anagnie, VI id. augusti, anno quinto.

3168 (CCLXXXV) Anagni, 7 août 1299.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam mille marcharum argenti. (fol. 200 v°.)

Venerabili fratri Petro, patriarche Aquilegensi. Cum sicut in nostra —. Dat Anagnie, VII id. augusti, anno quinto.

3169 (CCLXXVI) Anagni, 15 juillet 1299.

Provisio ecclesie Grassensis. (fol. 200 v°.)

Venerabili fratri Gaufrido, episcopo Grassensi. Ex suscepte servitutis —.

Dudum Lantelmo, olim Grassensi episcopo, asserente se non posse ex certis causis officium pastorale prosequi juxta votum, per procuratorem ydoneum, reservato sibi pontificali honore, in manibus domini pape cedente, magister Guillelmus Agarini prepositus Aptensis fuit huic ecclesie Apostolica auc-

toritate prefectus in episcopum; sed postmodum, eodem resignante, eadem ecclesia reservata fuit Apostolice dispositione. Suprascriptus, tunc monasterii Sancti Germani Autisiodorensis, ordinis sancti Benedicti, capellanus domini pape, preficitur in episcopum, consecrationis munere ei per Mattheum episcopum Portuensem impenso.

Dat. Anagnie, id. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — universis vassalis.* — Dat. ut supra.

3170 (CCLXXXVII) Anagni, 15 juillet 1299.

Provisio ecclesie Eliensis. (fol. 201.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Cantuariensi. In supreme dignitatis —.

Vacante ecclesia Eliensi, ordinis sancti Benedicti, per obitum Guillelmi episcopi, due electiones, una videlicet de Johanne priore ejusdem, alia vero de Johanne cancellario Eduardi regis Anglie, fuerunt inibi in discordia celebrate. Hujusmodi electionum negotio ad Sedem Apostolicam per appellationem devoluto, licet crimina et defectus dicto priori a parte altera objecta probari utpote veritate carentia nequiverint, dicti electi resignaverunt. Transfertur Rodulfus de Norwicensi ad Eliensem ecclesiam et mandatur suprascripto ut prefatum priorem preficiat in Norwicensem episcopum et postmodum hortetur Eduardum regem Anglie ut temporalia ejusdem ecclesie « que per regem ipsum tempore vacationis ejusdem ecclesie teneri dicuntur » restituat.

Dat. Anagnie, id. julii, anno quinto.

In. e. m. *carissimo in Christo filio E[duardo], regi Anglie illustri.*

Dat. Anagnie, I idibus julii, anno quinto.

3171 (CCLXXXVIII) Anagni, 11 août 1299.

Ut duabus personis ydoneis quas Carolus rex Sicilie duxerit ei nominandas tabellionatus officium concedere valeat. (fol. 201 v°.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Neapolitano. Sincere devotionis —. Dat Anagnie, III id. augusti, anno quinto.

3172 (CCLXXXVIIII) Anagni, 14 août 1299.

Executoria mutui. (fol. 201 v°.)

Dilectis filiis.. Sancti Jacobi ultra Arnum, et .. Sancti Petri Skaragii Florentinarum secularium ecclesiarum prioribus ac.. archidiacono Suessionensi. Exponente nuper nobis —

Notificatur eis executorio nomine mutuum mille marcharum argenti quas Petrus, patriarcha Aquilegensis, recepit a Borgo Deutesalve mutuante pro se ac Thoma Spilliati et Vanne de Mozis, Ricardo, Andrea fratribus, filiis dicti Thome, Borchino Loterri, Johanne Bentivenni, Girardo de Boscolis, Nicholao Borchi et Catino Spiliati ac ceteris de societate Mozorum.

Dat. Anagnie, XIX kal. septembris, anno quinto.

3173 (CCLXXXX) Anagni, 22 juin 1299.

Provisio ecclesie Tarentine. (fol. 201 v°.)

Venerabili fratri Gualterio, dudum episcopo Anglonensi, in Tharentinum archiepiscopum electo. Angit nos cura —.

Decretum postulationis, quam de suprascripto tunc episcopo Anglonensi cantor et canonici ecclesie Tarentine, per viam scrutinii procedentes post obitum bone memorie Henrici archiepiscopi fecerunt, per eundem cantorem et Gualterium dictum Mellis Pezia concanonicum ejus presentatum, admittitur et postulatus preficitur in archiepiscopum.

Dat. Anagnie, X kal. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Tarentine — clero — populo — universis vassalis — carissimo in Christo filio C., regi Sicilie.* — Dat. ut supra.

3174 (CCC [1]) Anagni, 3 août 1299.

Confertur vel reservatur quedam dignitas in ecclesia Elborensi cum dispensatione super pluralitate. (fol. 202 v°).

Dilecto filio Roderico Suggerii, archidiacono de Barroso in ecclesia Bracharensi. Nobilitatem generis —.

Suprascripto, obtentu M. archiepiscopi Bracharensis, cujus nepos existit, reservatur personatus vel dignitas ad collationem episcopi et capituli spectans in civitate vel diocesi Elborensi, si vacat ad presens vel cum vacaverit, non obstante quod in ecclesia Bracharensi archidiaconatum de Barroso et in ea et dicta Elborensi canonicatus et prebendas cum prestimoniis et in Sancte Marie de Viminario ecclesiis, Elborensis diocesis, quoddam prestimonium noscatur obtinere.

1. Omissi fuerunt decem numeri in serie; precedens enim capitulum sub n° CCLXXXX inscribitur.

Dat. Anagnie, III non. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis.. decano Tholetane, ac.. cantori, et.. thesaurario Elborensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3175 (CCCI) Anagni, 9 août 1299.

Dilecto filio nobili viro Guidoni de Rocca, duci Athenarum, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Mahaut nate quondam Florentii principis Achaye. Cum Summus Pontifex —.

Indulget suprascriptis pro bono pacis ut invicem matrimonium contrahere valeant non obstante quod tertio ex parte matrum eorum et quarto ex parte patris Guidonis et matris Mahaut consanguinitatis gradu sint conjuncti.

Dat. Anagnie, V id. augusti, anno quinto.

3176 (CCCII) Anagni, 27 mai 1299.

Ut beneficia que in civitate vel diocesi Tholosano tanto tempore etc. auctoritate Apostolica conferre possit. (fol. 203.)

Venerabili fratri P[etro], episcopo Tholosano. Ut benivolentiam specialem —. Dat. Anagnie, VI kal. junii, anno quinto.

3177 (CCCIII) Anagni, 18 août 1299.

Ut quedam inquirant et reforment in monasterio Sancti Medardi Suessionensi. (fol. 203.)

Dilectis filiis .. Sancti Cornelii Compendiensis, et .. Premonstratensis monasteriorum abbatibus, ac .. preposito de Tyngleyo in ecclesia Sancti Aniani Aurelianensi. Inter alia desiderabilia nostri cordis que nobis ex officio apostolatus incumbunt ecclesias et monasteria statu salubri dirigi specialiter affectamus. Unde, si eorum aliqua interdum collapsa sentimus, solertis diligentie laboramus studio ut laudabili reformatione resurgant. Sane dudum ad nostram perducto notitiam quod monasterium Sancti Medardi Suessionense, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens [1], ordinis sancti Benedicti, adeo in spiritualibus et temporalibus per negligentiam vel malitiam tam abbatis ipsius monasterii quam aliarum personarum degentium in eodem dicebatur esse collapsum quod nisi celeriter succurreretur eidem vix posset adicere ut resurgeret, nos, volentes inde scire plenius veritatem, dilectis filiis .. de Longoponte, Cisterciensis ordinis, Suessionensis diocesis, et .. Sancti Johannis Laudunensis, dicti ordinis sancti Benedicti, monasteriorum abbatibus inquisitionem super hiis duximus per nostras sub certa forma litteras committendam. Verum, licet iidem abbates inquisitionem quamdam fecerint in premissis eamque nobis duxerint remittendam, quia tamen propter diversa et varia que ambiguitatem ingerunt in predictis vix posset de negotii veritate per inquisitionem eandem plene liquere, nos, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, ad dictum monasterium personaliter accedentes, ea que per abbatem predictum tam contra fratrem Nicolaum, prepositum de Moriziaco, et alios monachos dicti monasterii qui contra eundem abbatem ad Apostolicam Sedem vocem appellationis emiserunt et in hac parte adherentes eisdem quam eorum administrationes et bona post appellationem ipsorum ad eandem Sedem interpositam inveneritis attemptata, in statum pristinum reducentes, nobilem virum Herveium de Murreto vexillarium ejusque familiam amoveatis a monasterio memorato, attentius provisuri quod per personas ipsius monasterii seu aliunde vel ipsius abbatis debitum officium et dicti negotii prosecutio non valeant impediri, etiam venientes ad illud (*sic*), nichil scandali seu violentie, dissensionis vel novitatis emergat, et deinde, habentes, pre oculis solum Deum, infra sex menses a receptione presentium computandos, inquiratis super premissis tam in capite quam in membris diligentius veritatem, per vos prius eidem abbati interdicta alienatione bonorum immobilium et eorum que servando servari possunt dicti monasterii et districtius inhibito ne hujusmodi vestris processibus et inquisitione durantibus aliquid in gravamen appellantium et adherentium predictorum attentet. Nobis insuper, infra trium mensium spatium predictos sex menses immediate sequentium, inquisitionem eandem in scriptis publica manu redactam vestrisque sigillis clausam fideliter remittatis ut instructi et informati per eam possimus super hoc de salubri remedio providere. Contradictores, et cetera, quod si non omnes, et cetera. Dat. Anagnie, XV kal. septembris, anno quinto.

3178 (CCCIIII) Anagni, 17 août 1299.

Confirmatur electio abbatis monasterii S. Juliani Ariminensis. (fol. 203 v°.)

Dilecto filio Arduino, abbati monasterii Sancti Juliani

1. *Ms*: pertinentis.

Ariminensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Licet continuata —.

Vacante suprascripto monasterio, conventus ejusdem quondam Albericum, tunc abbatem monasterii de Sancto Salvatore, ejusdem ordinis, Ferentine diocesis, in abbatem elegerunt; sed, eodem Alberico decedente ante ejus confirmationem, iidem compromiserunt in Johannem, abbatem monasterii Sancti Gaudentii Ariminensis, predicti ordinis. Qui quidem compromissarius suprascriptum, tunc ejusdem monasterii Sancti Gaudentii monachum, elegit. Hec electio, per J[ohannem], Tusculanum episcopum, et Robertum, tituli Sancte Pudentiane presbyterum, et Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinales, examinata, confirmatur, munere benedictionis eidem per M[attheum], episcopum Portuensem, impenso.

Dat. Anagnie, XVI kal. septembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Juliani.* — Dat. ut supra.

3179 (CCCV) Latran, 6 février 1299.

Ut beneficia que tempore promotionis sue obtinebat retinere valeat usque ad beneplacitum Apostolicum. (fol. 203 v°.)

Dilecto filio magistro Guillelmo, electo Salernitano. Cum sicut ex parte —.

Ad sublevanda onera ejus ecclesie, reservantur suprascripto usque ad beneplacitum domini pape prioratus de Berengis, ecclesia de Cucco, Caturcensis et Tholosane diocesium, ac canonicatus et prebende quos in Caturcensi, Colimbriensi et Sancti Severini, Burdegalensis diocesis, ecclesiis asserit se adeptum et omnia alia ecclesiastica beneficia que tempore promotionis sue ad sedem Salernitanam obtinebat.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno quinto.

3180 (CCCVI) Anagni, 9 août 1299.

Provisio monasterii Sancti Ambrosii Mediolanensis. (fol. 204.)

Dilecto filio Astulpho, abbati monasterii Sancti Ambrosii Mediolanensis, ordinis sancti Benedicti. Licet ea que —.

Vacante dicto monasterio per mortem quondam fratris Riccardi et in eodem monasterio duabus electionibus, una videlicet de suprascripto ac alia de quondam fratre Mattheo, ipsius monasterii monachis, in discordia celebratis, negotium dictarum electionum per appellationes ad Sedem Apostolicam interjectas ad eandem Sedem extitit devolutum, ubi frater Mattheus diem clausit extremum et suprascriptus resignavit. Provisio dicti monasterii fuit Apostolice dispositioni reservata et, post commissiones varias super hac provisione factas, demum M[attheo], episcopo Portuensi, et N[icolao], tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero, et R[oberto], Sancti Eustachii diacono cardinalibus, in consistorio commissum fuit ut providerent ea vice dicto monasterio de persona ydonea. Provisio, quam de suprascripto, tunc abbate monasterii Sancti Petri de Percipiano, predicti ordinis, Terdonensis diocesis, fecerunt, ratificatur, tenore eorum instrumenti inserto incipientis : « Vacante dudum ».

Dat. Anagnie, V id. augusti, anno quinto.

3181 (CCCVII) Anagni, 18 août 1299.

Licentia condendi testamentum (fol. 204 v°.)

Venerabili fratri Alamanno, archiepiscopo Arborensi. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, XV kal. septembris, anno quinto.

3182 (CCCVIII) Anagni, 8 août 1299.

Licentia condendi testamentum. (fol. 204 v°.)

Venerabili fratri Pandulpho, episcopo Pattensi, administratori ecclesie Anconitane. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, VI id. augusti, anno quinto.

3183 (CCCVIIII) Anagni, 26 août 1299.

Provisio ecclesie Reatine. (fol. 204 v°.)

Dilecto filio Jacobo, electo Reatino. Inter cetera sollicitudinum —.

Suprascriptus, canonicus Tullensis, ecclesie Reatine per obitum bone memorie Berardi episcopi vacanti et Apostolice dispositioni reservate preficitur in episcopum.

Dat. Anagnie, VII kal. septembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo.* — Dat. ut supra.

3184 (CCCX) Trevi, 31 août 1299.

De receptione decem personarum ydonearum in monachos S. Medardi Suessionensis. (fol. 204 v°.)

Dilecto filio Phylippo, abbati monasterii Sancti Medardi

Suessionensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Illum ad monasterium —. Exposuisti siquidem coram nobis quod conventus monachorum ipsius monasterii — ad tam exiguum numerum jam devenit quod predictum monasterium magnum patitur ministrorum defectum—, nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, recipiendi et faciendi recipi hac vice de consilio dilectorum filiorum .. Sancti Cornelii Compendiensis, Suessionensis, et Premonstratensis, Laudunensis diocesium, monasteriorum abbatum, ac .. prepositi de Tigneyo in ecclesia Sancti Aniani Aurelianensi, quibus inquisitionem in eodem monasterio faciendam tam in capite quam in membris per alias nostras litteras duximus committendam, vel saltem duorum ex eis, decem personas ydoneas, super quarum receptione tuam et ipsorum conscientiam intendimus onerare, in dicti monasterii Sancti Medardi monachos atque fratres, non obstantibus — quibuscumque statutis — et specialiter statuto illo vel consuetudine quo vel qua dicitur in predicto monasterio observatum ut nullus — recipiatur ibidem nisi ad hoc abbatis qui est ibi pro tempore et omnium monachorum conventus ipsius monasterii habeatur assensus. Dat. Trebis, II kal. septembris, anno quinto.

3185 (CCCXI) Anagni, 9 août 1299.

Ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu. (fol. 205.)

Dilecto filio nobili viro Godefrido de Brabantia, de Arsçot et de Urson castrorum domino, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Ysabelle nate dilecti filii nobilis viri Ranaldi comitis Gelrie. Etsi conjunctio copule —. Dat. Anagnie, V id. augusti, anno quinto.

3186 (CCCXII) Anagni, 5 août 1299.

De repetitione quarumdam pecunie summarum adversus Tholosanum episcopum. (fol. 205.)

Dilectis filiis Rogerio, Pietro et Vanne fratribus, et Lapo, Phylippo et Spine fratribus de Spinis ac Symoni Gerardi, Nero Cambii, Gerardo et Ranutio Huchi, Advocato Gerardi, Guarentio Jacobi, Masseo Clarissimi et Manetto Jacobi ac ceteris eorum sociis de societate dictorum Rogerii et Lapi de Spinis, civibus et mercatoribus Florentinis. Nuper volentes —.

Nuper per Apostolicas litteras Petro, episcopo Tholosano concessum fuit ad triennium ut nullus delegatus in eum sententiam excommunicationis vel interdicti valeret promulgare Cum autem prefatus episcopus suprascriptis in viginti millibus florenorum auri, ratione mutui per bone memorie Arnaldum predecessorem suum contracti, et in nonnullis aliis pecuniarium summis teneatur; indulgetur eis ut, prefata indulgentia nequaquam obstante, libere ab eodem episcopo predictas summas possint repetere sicut prius ac iidem executores et quilibet judices competentes libere contra eum et successores ejus procedere valeant.

Dat. Anagnie, non. augusti, anno quinto.

3187 (CCCXIII) Anagni, 6 juillet 1299.

Ut pecuniam ejus predecessori mutuatam societati Spinorum solvere curet. (fol. 205.)

Venerabili fratri Henrico, archiepiscopo Lugdunensi. Faciente ut plurimum —.

Cum Rogerius Spine seu ejus socii bone memorie Beraldo, episcopo Albanensi, tum archiepiscopo Lugdunensi, ejus predecessori, pro negotiis apud Sedem Apostolicam expediendis, non modicam summam duxerit mutuandam nec fuerit de ea satisfactum, monet suprascriptum quatinus de ea satisfaciat ita quod iidem mercatores non cogantur pro alio super hoc adhibendo remedio ad dominum papam habere recursum.

Dat. Anagnie, II non. julii, anno quinto.

3188 (CCCXIIII) Anagni, 1er juillet 1299.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 205 v°.)

Dilecto filio magistro Bernardo, scolastico ecclesie Salamantine. Attributa tibi morum —.

Indulgetur suprascripto ut preter hanc scolastriam curam animarum habentem unicum aliud beneficium, etiamsi sit dignitas vel curam animarum habeat, recipere et retinere valeat.

Dat. Anagnie, kal. julii, anno quinto.

3189 (CCCXV) Anagni, 1er août 1299.

Committitur infrascripto audiendum et terminandum negotium monasterii Regule Silvestris, Lascurrensis diocesis. (fol. v. 205.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Auxitano. Habet nostre fiducie plenitudo quod erga nos et Romanam Ecclesiam illius devotionis affectu pollere dinosceris quod ea

que tibi committimus exequenda prompta devotione suscipias et efficacibus ac sollicitis [1] studiis prosequaris. Sane cum pridem querela gravis dilectorum filiorum Petri de Lonsono, Bernardi de Lobmer et Raymundi de Lant ac quondam Raymundi Guillelmi de Marciano, monachorum monasterii de Reula Silvestrensi, ordinis sancti Benedicti, Lascurrensis diocesis, ad nostram audientiam perduxisset, quod Arnaldus de Meriten, ipsius monasterii abbas, tanquam sue fame prodigus et salutis et ad dilapidationem ipsius monasterii omnino dispositus, de Mazeroliis et de Usano castra et villam predicti loci de Reula, necnon et territorium de Turrone, ejusdem diocesis, in quibus prefati monasterii abbas qui extitit pro tempore spiritualem et temporalem jurisdictionem noscitur obtinere, ac etiam medietatem censuum predictorum locorum, qui sirimanagia in illis partibus vulgariter nuncupantur quique vestiario monachorum prefati monasterii sunt specialiter deputati, nobili viro vicecomiti de Bearnio, ei ut vicecomiti suisque heredibus, inrequisito conventu prefati monasterii, propria auctoritate concedere ac donare presumpserat, et ipsum, quantum in eo fuerat, in corporalem possessionem castrorum, ville ac territorii induxerat predictorum, ad faciendum homagium bajulo vicecomitis supradicti et ad prestandum eidem vicecomiti fidelitatis etiam juramentum homines locorum predictorum nichilominus compellendo, aliaque bona ipsius monasterii distrahendo indebite ac in usus illicitos convertendo ; quodque dictus abbas, pro eo quod prelibati monasterii monachi hujusmodi alienationibus consentire noluerant, prout nec etiam tenebantur, nonnullos ex eis, non absque manuum injectione in eis usque ad effusionem sanguinis temere violenta, presumptione nepharia capi fecerat et in quodam ipsius vicecomitis castro carcerali custodie mancipari : propter quod monasterium ipsum quod anteactis temporibus florere in spiritualibus et habundare in temporalibus consueverat adeo noscebatur in utrisque collapsum quod nisi per Apostolice Sedis providentiam celeriter succurreretur eidem vix adici poterat ut monasterium resurgeret prelibatum. Nos, predictorum monachorum devotis supplicationibus inclinati, nolentes tam graves ejusdem abbatis excessus, si veritatis aminiculo foverentur, aliquatenus tolerare, ne cederent aliis in exemplum, venerabili fratri nostro . . episcopo Convenarum per nostras sub certa forma litteras districte dedimus in mandatis ut, per se vel per alium seu alios, abbatem et vicecomitem supradictos ex parte nostra peremptorie citare curaret, ut, infra duorum mensium spatium post citationem suam predictus abbas, personaliter, prefatus vero vicecomes, per procuratorem idoneum ad hoc specialiter constitutum, si sua crederet interesse, coram nobis comparere curarent nostris super premissis beneplacitis et mandatis humiliter parituri. Cumque prefatus episcopus, tunc multis et arduis ecclesie sue negotiis occupatus ac etiam propter gravia viarum discrimina, secure ad partes illas accedere non valeret pro citatione hujusmodi facienda, ipse venerabili fratri nostro . . episcopo Tarviensi auctoritate nostra per suas litteras speciales injunxit ut ad faciendam citationem hujusmodi sublato dilationis objectu procederet juxta litterarum nostrarum continentiam earumdem. Et tandem, abbate ac vicecomite supradictis per eumdem episcopum Tarviensem citatis, dictus abbas, per quemdam quem procuratorem suum esse dicebat, se coram nobis excusare curavit quod, senectutis et egretudinis mole pressus, se personaliter ad nostram conferre presentiam non valebat, eodem vicecomite coram nobis nec per se neque per alios comparente. Nos autem predictum negotium dilecto filio Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, vive vocis oraculo commisimus audiendum. Et demum super eodem negotio ab eodem cardinali, juxta commissionem hujusmodi sibi factam, nobis relatione facta fideli, nos, diligentius advertentes quod super premissis facienda discussio nonnullam [1] dilationis moram habebat, et de tue circumspectionis industria et circumspecta prudentia specialem in Domino fiduciam obtinentes, sperantes quoque quod ea que tibi a Sede Apostolica committuntur diligenter ac fideliter exequaris, prefatum negotium tibi auctoritate presentium audiendum committimus et fine debito terminandum. Ideoque fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, habens Deum pre oculis, in hujusmodi negotio per te vel alium aut alios diligenter procedere studeas et fine illud debito terminare, corrigendo enim et reformando tam in capite quam in membris que correctionis et reformationis officio noveris indigere; contradictores, et cetera usque : compescendo ac invocando ad hoc auxilium bracchii [2] secularis si opus fuerit oportunum; non obstante si personis aliquibus, cujuscumque preminentie, dignitatis, ordinis, conditionis ac status, a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras, et cetera usque : mentionem, qualibet alia, et cetera usque : expressa mentio sit habenda. Dat. Anagnie, kal. augusti, anno quinto.

1. *Ms :* sollicis.

1. *Ms :* nonnullas.
2. *Ms :* bragii.

3190 (CCCXVI) Anagni, 25 juillet 1299.

De debitis bone memorie Arnaldi, episcopi Tholosani. (fol. 206.)

Dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre Camere mercatoribus. Significavit nobis —.

Olim bone memorie Arnaldus, episcopus Tholosanus, mutuum undecim millium florenorum auri apud Sedem Apostolicam a Symone Gerardi et quondam Albizo Martini de eorum societate contraxit. Postmodum vero eodem episcopo per procuratorem suum in judicio coram magistro Johanne de Civitate Papali tunc, de quondam civitate Penestrina, thesaurario ecclesie Cameracensis, Camere Apostolice clerico, vices gerente Theoderici, in episcopum ipsius civitatis electi, tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis et camerarii domini pape, ad instantiam Benricevuti Cambii mercatoris de societate predicta recognoscente dictum mutuum, predictus magister Johannes eum condempnavit sententialiter ad restitutionem. Cumque Petrus successor prefati episcopi impeteretur ad restituendum sex millia et quingentos florenos auri in quibus restat debitor, suprascripti deliberaverunt ei per prorogationem termini ad hujusmodi satisfactionem prestandam agere mitius et liberalius. Ut igitur eo liberalius agant quo majore auctoritate debitum eorum fuerit vallatum, hujusmodi mutuum, obligatio, recognitio et condempnatio confirmantur ita quod eamdem vim habeant ac si de speciali licentia et auctoritate Sedis Apostolice processissent.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno quinto.

3191 (CCCXVII) Anagni, 9 août 1299.

Ut possit habere altare portatile. (fol. 206.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Tholosano. Devotionis tue precibus —. Dat. Anagnie, V id. augusti, anno quinto.

3192 (CCCXVIII) Anagni, 27 juin 1299.

De ratione administrationis sue a rectore Patrimonii B. Petri in Tuscia posita. (fol. 206.)

Venerabili fratri R., episcopo Senensi. Cum in Patrimonio Beati Petri in Tuscia in spiritualibus et temporalibus rectorie officium dudum tibi duxerimus committendum tuque illud per certi temporis spatium fideliter exercuisse noscaris, quia demum, reddita per te de mandato nostro mercatoribus Camere nostre de omnibus introitibus et exitibus ac receptis et expensis per te habitis atque factis, ratione eorum que ad tuum spectabant officium [quod] exercuisse dinosceris plenaria ratione, assignasti atque solvisti nobis decem milia librarum paparinorum pro totali residuo introituum et receptorum predictorum quod restabat prefatis deductis exitibus et expensis, te ab omnibus introitibus et exitibus, receptis et expensis predictis et a qualibet administratione officii prelibati[1] sic duximus auctoritate presentium absolvendum, ita quod ad aliam reddendam rationem seu restitutionem vel solutionem etiam faciendam super predictis minime tenearis neque ad id ulterius debeas coartari. Dat. Anagnie, V kal. julii, anno quinto.

3193 (CCCXVIIII) Anagni, 25 juillet 1299.

Executoria mutui. (fol. 206 v°.)

Dilecto filio Nello Johannis, civi et mercatori Pisano, de societate quondam Oddonis Gaitani. Significavit nobis —.

Datur littera eisdem verbis concepta quam capitulo CCCXVI suprascriptis mercatoribus pro restitutione duorum millium sexcentorum et octuaginta trium florenorum auri de residuo mutui quatuor millium florenorem auri quos Arnaldus predecessor Petri episcopi Tholosani recepit a suprascripto et a quondam Odone tunc vivente.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno quinto.

3194 (CCCXX) Anagni, 5 août 1299.

Citatio in causa magistri Guillelmi Vallispirii, clerici castri Perpiniani.

Dilectis filiis .. abbati Sancti Pauli Narbonensis, ac .. archidiacono Fenoleti, Narbonensis diocesis, ecclesiarum. Si subditorum temeritas in se sumit audaciam malignandi, superioris debet adesse correctio ne de sua malitia glorientur. Gravum siquidem nuper magister Guillelmus Vallispirii, de castro Perpiniano clericus, Elnensis diocesis, nobis querimoniam destinavit quod Hugo Sambors, laicus dicte diocesis, tunc bajulus ejusdem castri, non adtendens quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas nulla est attributa potestas, prefatum clericum ad contribuendum in talliis et collectis que ipsius castri laicis imponuntur compellere temeritate propria nitebatur, et, quia clericus ipse, penam constitututionis nostre super hoc promulgate formidans, in eisdem talliis

1. *Ms* : prebati.

contribuere recusabat, prefatus bajulus, asserens quod idem magister Guillelmus aliis clericis dicti castri de non contribuendo talliis et collectis predictis materiam exhibebat ac per hoc contra ipsum graviter provocatus, eum occasione hujusmodi ausu sacrilego capi fecit et carceri mancipari, et licet Guillelmus Goffredi, officialis venerabilis fratris nostri Raymundi, episcopi Elnensis, cui legitime constitit eum fore clericum et in possessione vel quasi clericatus existere et per longa tempora extitisse, fecisset eundem a predicto carcere liberari, dictus tamen bajulus et Jacobus Catelli, qui tunc pro ejusdem castri judice se gerebat, eundem Guillelmum gravi odio prosequentes, ac ad bona vehementer anelantes illius, ei mendaciter imponere curaverunt quod ipse in causis, in quibus ad penam intendebatur sanguinis, patrocinium prestiterat, dictarat sententias, ex quibus capitales pene fuerant subsecute, ac aliis nephariis se imiscuerat actibus per que ipsum dicebant non debere gaudere privilegio clericali, eumque tali pretextu iterato fecerunt predicto carceri mancipari, quamvis ipse paratus esset super hiis legitime se defendere, seque remitti ad prefatos episcopum et officialem cum instantia postularet, ac deinde bona ipsius tam mobilia quam immobilia usque ad valorem quinque millium librarum turonensium parvorum temeritate propria occupantes, plura ex eis pro sue voluntatis libito distraxerunt. Cumque pro parte dicti magistri Guillelmi ad episcopum et officialem predictos super hiis habitus esset recursus, ac petitum humiliter ut eum restitui facerent libertati, ipsi tamen episcopus et officialis, bajulo et judici prelibatis contra Deum et justitiam deferentes, id efficere recusarunt, quin potius idem episcopus, ut ipsi magistro Guillelmo sic afflicto afflictionem superadderet, negotium hujusmodi diversis personis successive septem vicibus, ut eum laboribus et expensis intolerabilibus fatigaret et ne idem magister Guillelmus posset in hoc justitiam obtinere, commisit. Sane cum ab eodem episcopo fuisset ex parte ipsius magistri Guillelmi ex certis sufficientibus per eum gravaminibus sibi illatis ad Narbonensem curiam, loci metropoliticam, appellatum, .. abbas secularis ecclesie Narbonensis, judex causarum que per appellationes ad dictam curiam deferuntur, appellatione hujusmodi legitima nuntiata, legitime in negotio principali procedens, pronuntiavit eundem magistrum Guillelmum in possessione vel quasi clericatus existere, ac gaudere debere privilegio clericali; episcopo vero, suam nequeunte malitiam continere, ac bajulo predictis ab hujusmodi pronuntiatione ad Sedem Apostolicam appellantibus, nos in causa hujusmodi appellationis et negotii principalis dilectum filium magistrum Bartolinum de Cornazano, canonicum Tornacensem, cappellanum nostrum, deputavimus auditorem; qui de mandato nostro prefato episcopo per suas injunxit litteras ut infra certum terminum prefatum bajulum vel alium, si quis esset qui prefatum magistrum Guillelmum detineret taliter captivatum, monere ac inducere procuraret ut infra duorum mensium spatium prefatum magistrum Guillelmum restituerent pristine libertati, sibique bona taliter occupata restituerent, ac de dapnis et injuriis ei super hoc illatis satisfactionem congruam exhiberent, dictum quoque magistrum Guillelmum cum omnibus actis, juribus et munimentis suis una cum Primerano de Fabriano, clerico et notario dicti auditoris, quem illuc auditor ipse una cum predictis suis litteris transmittebat, ad Romanam Curiam destinaret, ac nichilominus excommunicationis, quam in eundem bajulum, et interdicti sententias, quam in castrum predictum, si idem bajulus monitioni hujusmodi non pareret, auditor predictus in eisdem litteris promulgarat, solempniter publicaret: alioquin extunc eidem episcopo ingressum interdicebat ecclesie et, si interdictum hujusmodi quindecim dierum spatium substineret, excommunicationis in eum ex tunc sententiam proferebat. Porro dictus episcopus non solum predicta que sibi mandabantur exequi non curavit; sed, in reprobum sensum datus, non est veritus dicere quod prefatus magister Bartholinus noster non erat auditor et quod predicta mandandi potestatem aliquam non habebat. Nec hiis contentus sed nostra et dicte Sedis reverentia retrojecta, prefatum Primeranum et Petrum Vallispirii, clericum dicte diocesis, ipsius magistri Guillelmi procuratorem, per familiares Petri de Bardolio, tunc bajuli dicti castri, capi et tamdiu detineri captivos donec pro liberatione sua coacti sunt solvere quasdam non modicas pecunie quantitates non sine magne presumptionis audacia procuravit. Idem insuper episcopus, cui propter hujusmodi inobedientiam fuerat ingressus ecclesie ut predicitur interdictus, ac [qui] sententiam excommunicationis incurrerat interdictum ipsum dicto dierum spatio substinendo, tam interdictum quam excommunicationem hujusmodi dapnabiliter in sue dampnationis cumulum vilipendens, divina officia sic legatus celebrare, immo verius, quantum in eo est, prophanare presumit. Quare ex parte dicti magistri Guillelmi, qui multis lacessitus erupnis adhuc ejusdem carceris squalore conteritur, nobis extitit appellatum, ut providere ipsi super premissis de oportuno remedio, ne ipse in dicto carcere, in quo languit biennio et amplius jam elapso, sic miserabiliter pereat [1], paterna sollecitudine dignaremur. Nos autem predicta, que non tam in

1. *Ms* : pareat.

ipsius grave periculum quam in dicte Sedis contemptum redundare noscuntur, nolentes, prout etiam nec debemus, sub silentio preterire, ne alii exinde assumant materiam similia presumendi, discretioni vestre in virtute obedientie per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, predictos episcopum, officialem, Hugonem et Petrum tunc bajulos et Jacobum Catelli nec non alium, si quis forte fuerit in ejusdem bajulatus officio eidem Petro postmodum substitutus qui magistrum G[uillelmum] taliter detineat supradictum, presentibus citare ac injungere ipsis districtius sub excommunicationis pena, quam si secus egerint eo ipso incurrant, auctoritate nostra curetis ut ipsi episcopus, officialis, Hugo, Petrus et Jacobus Catelli ac substitutus prefatus, si quis fuerit, infra duorum mensium spatium post citationem et mandatum hujusmodi, una cum dicto magistro Guillelmo, quem, libertati et possessioni bonorum suorum ut premittitur occupatorum, cui tempore quo ut predicitur secundo captus extitit incumbebat, plenarie restitutum, secum in eorum expensis decenter adducant, et cum omnibus actis, juribus et munimentis, tam coram eodem episcopo in hujusmodi negotio habitis quam alias negotium ipsum contingentibus, Apostolico se conspectui representent, recepturi pro meritis et mandatis nostris plenarie parituri, facturi etiam et recepturi quod ordo exegerit rationis ; diem vero citationis, et cetera usque : intimare. Dat. Anagnie, non. augusti, anno quinto.

3195 (CCCXXI) Anagni, 1er août 1299.

Gratia pro Benedicto nato quondam Oddonis Gaitani de Pisis. (fol. 207.)

Dilecto filio Benedicto nato quondam Oddonis Gaitani de Pisis, capellano nostro, canonico Laudunensi. Laudabilia tue merita —.

Liberatur prebenda quam in Laudunensi ecclesia obtinet suprascriptus ab onere sacerdotii, cui subjacebit prebenda non sacerdotalis proximo vacatura.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno quinto.

3196 (CCCXXXII) Anagni, 30 juin 1299.

Committuntur Theodorico, tituli S. Crucis in Jerusalem presbytero cardinali, quedam ecclesie. (fol. 207.)

Dilecto filio Theoderico, tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbitero cardinali, in episcopum Civitatis Papalis electo ac rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia. Inter sollicitudines varias —.

Ei ecclesie Sancti Benedicti de Piliano, Balneoregensis diocesis, et Sancte Marie de Petrolio prope Urbemveterem, spectantes ad collationem episcopi Bethleemitani, propriis rectoribus carentes ad presens, in spiritualibus et temporalibus usque ad beneplacitum Sedis Apostolice committuntur.

Dat. Anagnie, II kal. julii, anno quinto.

In e. m. *Eidem.* — Ecclesia seu monasterium de Alberisio, Suanensis diocesis, similiter ei committitur —. Dat. ut supra.

3197 (CCCXXIII) Même date.

Similis gratia pro eodem. (fol. 207 v°.)

Eidem. Cum ex injuncto —.

Ei monasterium seu domus Sancti Sepulchri de Aquapendente, Urbevetane diocesis, usque ad beneplacitum Apostolice Sedis committitur.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis fratribus monasterii seu domus Sancti Sepulchri de Aquapendente, Urbevetane diocesis.* — Dat. ut supra.

3198 (CCCXXIIII) Anagni, 3 juin 1299.

Hominibus castri Bittonii quidam proventus Ecclesie Roman in eorum terra sub annuo censu conceduntur. (fol. 207 v°.)

Dilectis filiis hominibus castri Bittonii, fidelibus nostris, Asisinatis diocesis. Cognita devotionis vestre —.

Suprascriptis petentibus ut « redditus et proventus in tertia parte bannorum et salariorum bance, ut patrie verbis utamur, ac focatico, passagio et certis, que in Nativitatis et Ressurectionis Dominice festis . . rectori Ducatus Spoletani qui est pro tempore debentur, servitiis consistentes », quos Romana Ecclesia percipit annuatim in eorum terra, et occasione quorum inter se et predictum rectorem plerumque contingit controversiam suscitari, sub annuo censu sibi concedantur, annuit petitioni dominus papa, eis concedendo predictos redditus pro centum libris Cortonensium in festo B. Lucie Camere Apostolice persolvendis usque ad Apostolice Sedis beneplacitum, ea lege tamen ut a jurisdictione rectoris supradicti non eximan-

tur sed ei in omnibus aliis pareatis devote ac intendatis humiliter sicut prius. »

Dat. Anagnie, III non. junii, anno quinto.

(POTTHAST, 24825.)

3199 (CCCXXV) Anagni, 26 août 1299.

Rectoria civitatis Beneventane et ejus territorii committitur infrascripto usque ad beneplacitum Apostolice Sedis exercenda. (fol. 107 v°.)

Dilecto filio Zono Marzoli de Florentia, familiari nostro, rectori Beneventano. Quanto specialius civitas —. Dat. Anagnie, VII kal. septembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis populo Beneventano, Ecclesie Romane fidelibus.* — Dat. ut supra.

3200 (CCCXXVI) Anagni, 22 août 1299.

Confertur cum dispensatione quoddam beneficium vacans in Curia. (fol. 208.)

Dilecto filio magistro Bernardo Johannis de Compostella, canonico Salamantino. Matris Ecclesie gratiosa —.

Canonicatus et prebenda cum prestimoniis in dicta ecclesia per mortem quondam magistri Andree de Salamanca, qui dudum apud Sedem Apostolicam, dum Curia residebat in Urbe, diem clausit extremum, vacantes suprascripto conferuntur, non obstante quod in Compostellana judicatum de Luou, quod pro personatu habetur in ipsa, et in eadem ac in Palentina ecclesiis canonicatus et prebendas cum prestimoniis noscatur obtinere, ea lege tamen ut medietatem ecclesie Sancti Stephani de Campo, Compostellane diocesis, omnino dimittat.

Dat. Anagnie, XI kal. septembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano Tholetane, et .. cantori, ac Johanni Fernandi, canonico Salamantine ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3201 (CCCXXVIII) Anagni, 4 juillet 1299.

Citatur archiepiscopus Cantuariensis in causa inter eum et monasterium S. Augustini vertente. (fol. 208 v°.)

Dilectis filiis .. Sancti Edmundi, et .. de Waltham, Norvicensis et Londoniensis diocesium, ac .. Westmonasterii juxta Londonias monasteriorum abbatibus. In causa seu causis —.

Cum in causa vertente inter .. archiepiscopum Cantuariensem et .. abbatem ac conventum monasterii Sancti Augustini Cantuariensis super exemptionibus et libertatibus dicti monasterii J[ohannes], tituli S. S. Marcellini et Petri presbyter cardinalis, auditor deputatus pluries et peremptorie citare fecerit ex parte dictorum abbatis et conventus in audientia publica dictum archiepiscopum, nec ullus procurator pro eo comparuerit, mandatur suprascriptis quatinus eundem archiepiscopum peremptorie citare curent, ut infra tres menses post citationem per se vel procuratorem compareat, et quia, sicut accipitur, post et contra appellationes dictorum abbatis et conventus ad Sedem Apostolicam interjectas, multa in eorum prejudicium attemptavit, ei inhibere curent ne hujusmodi causis pendentibus quicquam indebite attemptare presumat.

Dat. Anagnie, IIII non. julii, anno quinto.

3202 (CCCXXVIII) Anagni, 10 juillet 1299.

Liberatur societas Francesorum a repetitione quorumdam pignorum que Romana Ecclesia ab eis accipi fecit. (fol. 208 v°.)

Dilectis filiis Albizo Musciatto et Nicole, militibus, fratribus de Francesis, Bonaventure Bartholomei, Teste de Testa et ceteris eorum sociis de societate Francesorum, civibus et mercatoribus Florentinis. Pridem ad nostram perducto notitiam quod apud illos ex vobis qui tunc in nostra Curia morabantur quedam paramenta manebant que ad nos ex certis causis et Romanam pertinebant Ecclesiam, nos paramenta hujusmodi — accipi fecimus ab eisdem. Cum autem sicut ex parte vestra facta nobis habet assertio vos — eadem a mercatoribus de societate Rizardorum de Luca pro septingentis florenis auri per vos mutuatis eisdem teneretis titulo pignoris obligata, nos — vos a qualibet actione, repetitione — Romane Ecclesie ac dictorum mercatorum — liberamus — et insuper plenum jus et plenariam actionem super repetitione ac exactione predictorum septingentorum florenorum auri taliter mutuatorum per vos ut asseritis prelibatis mercatoribus de societate Rizardorum — vobis reservamus et concedimus contra eos —. Dat. Anagnie, VI id. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. Atrebatensis, et .. Senensis archidiaconis, ac Tittio, archipresbytero de Colle, Vulterrane diocesis, ecclesiarum, in Romana Curia commorantibus.* Ut mercatores de societate Rizardorum mercatoribus de societate Francesis de predictis septingentis florinis auri,

mutuatis eisdem infra certum terminum ab eis statuendum satisfactionem impendere cogant. — Dat. ut supra.

3203 (CCCXXVIIII) Anagni, 3 août 1299.

Indulgentia pro ecclesia S. Jacobi de Plumbarola. (fol. 209.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Cum ad promerenda —.

Indulgentia centum dierum pro ecclesia Sancti Jacobi Apostoli quam nobilis vir Jacobus de Plumbarola, terra monasterii Cassinensis, in dicto loco edificare fecit et quam intendit proxime facere dedicari, in die dedicationis et ejus anniversariis.

Dat. Anagnie, III non. augusti, anno quinto.

3204 (CCCXXX) Roccapriora, 1er mai 1299.

Indulgentia pro ecclesia B. Marie de Rocca Priori. (fol. 209.)

Eidem. Vite perempnis gloria —.

Indulgentia unius anni et XL dierum pro ecclesia Beate Marie de Rocca Priori, Tusculane diocesis, in festo Assumptionis.

Dat. apud Roccam Priorem, kal. maii, anno quinto.

3205 (CCCXXXI) Anagni, 23 juillet 1299.

Gratia pro Guillelmo Agarni, preposito ecclesie Aptensis. (fol. 209.)

Dilecto filio magistro Guillelmo Agarni, preposito ecclesie Aptensis. Olim Grassensi ecclesia —.

Vacante Grassensi ecclesia per liberam resignationem Lantelmi episcopi, suprascriptus, preposituram Aptensem et nonnulla alia beneficia obtinens vel exspectans ex provisionibus Apostolicis, prefectus fuit in episcopum et ejus administrationem exercuit. Sed postmodum idem cessit cum tempus de consecrandis episcopis definitum jam elapsisset. Ei, obtentu Caroli regis Sicilie pro eo procuratore suo apud Sedem Apostolicam supplicantis, prepositura et omnia beneficia que habuerat vel que exspectabat tempore promotionis sue ad Grassensem sedem, si ea etiam ob premissa vacare noscantur, ad cautelam de novo conferuntur et de illis providetur.

Dat. Anagnie, x kal. augusti, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. majoris, et .. de Insula, Cavalicensis diocesis, sacristis, ac Berterando Rogerii, canonico Carpentoracensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3206 (CCCXXXII) Anagni, 18 août 1299.

Ut canonicis non residentibus restituantur prebende in ecclesia Furnensi. (fol. 209 v°.)

Dilectis filiis .. camerario, et .. vicancellario Sedis Apostolice, ac .. abbati monasterii de Dunis, Morinensis diocesis. Porrecta nobis ex parte dilecti filii magistri Benedicti de Aquino, notarii, Huguitionis de Vercello, Deodati de Urbe, Henrici de Labro, Neapoleonis de Romania, capellanorum nostrorum, Johannis dicti Ardi, cantoris, Gerardi de Peccoraria et Abbajamontis de Sublaco, canonicorum ecclesie Furnensis, Morinensis [1] diocesis, apud Sedem Apostolicam consistentium, petitio continebat quod .. prepositus, .. decanus, .. thesaurarius et nonnulli ecclesie predicte canonici residentes in illa, propriis comodis inhiantes ac satagentes non sine magne cupiditatis nota cum aliorum jactura suos augmentare proventus, temeritate propria statuerunt quod ipsi fructus, redditus et proventus prebendarum absentium canonicorum ejusdem ecclesie per septennium ad manus suas percipiant, ex quibus, cuilibet eorumdem canonicorum absentium certa singulis annis quantitate pecunie persoluta, residuum in ipsius ecclesie reparationem quam asserunt pridem fuisse combustam totaliter convertatur. Et licet prepositus, decanus, thesaurarius et alii predicti canonici ejusdem ecclesie residentes in ea fructus decimarum, reddituum et proventuum ejusdem ecclesie pro annis quatuor, quos carissimus in Christo filius noster rex Francorum illustris ex certis concessionibus sibi debitos dicte ecclesie pro reparatione hujusmodi pia liberalitate concessit, nec non fructus, redditus et proventus unius anni novem prebendarum que in eadem ecclesia vacaverunt pro fabrica ecclesie predicte receperint, dictique notarius, capellani, cantor, Gerardus et Abbajamons in residuis expensarum, si quas fieri pro eadem reparatione contigerit, contribuere sint parati, ipsi tamen prepositus, decanus, thesaurarius et alii ecclesie predicte canonici residentes ut predicitur in eadem prebendas dictorum notarii, capellanorum, cantoris, Gerardi et Abbajamontis, hujusmodi statuti pretextu temeritate propria occupantes, percipiunt fructus et redditus ex eisdem, de quibus ipsis notario, capellanis, cantori, Gerardo et Abbajamonti ultra quantitatem predictam aliquatenus non respondent, nec permittunt quod ipsorum notarii, capellanorum, cantoris, Gerardi et Abbajamontis procuratores de hujusmodi suarum retentione prebendarum vel fructibus percipiendis ex eis se quomodolibet intromittant. Iidem quoque prepositus, decanus, thesaurarius

1. *Ms :* Mironensis.

et alii ecclesie predicte canonici residentes in ea fructus, redditus et proventus, quos notarius, capellani, cantor, Gerardus et Abbajamons predicti in anno Domini MCCLXXXVII de predictis eorum prebendis percipere debuerunt, eis absque aliqua causa rationabili subtrahentes, ipsis de illis satisfacere indebite contradicunt. Cum autem super hiis pro parte notarii, capellanorum, cantoris, Gerardi et Abbajamontis predictorum ad nos habitus sit recursus, nos diligentius attendentes statutum ipsum de cupiditatis radice procedere, cum absque illo prefati notarius, capellani, cantor, Gerardus et Abbajamons parati sint ut premittitur una cum ipsis residentibus pro hujusmodi ipsius ecclesie reparatione onera oportuna subire, ac propterea super premissis de oportuno remedio providere volentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, eosdem prepositum, decanum, thesaurarium et canonicos ipsius ecclesie residentes in ea quod ipsis notario, capellanis, cantori, Gerardo et Abbajamonti vel eorum procuratoribus predictas eorum prebendas eodem non obstante statuto restituant, per ipsos et procuratores eosdem libere retinendas, ac tam de ipsorum fructibus quos ejusdem pretextu statuti hactenus perceperint quam de aliis taliter predicto anno subtractis plenam ipsis et debitam satisfactionem exhibeant, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione [remota], ratione previa compellatis. Non obstante si aliquibus ab eadem sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, et cetera usque : mentionem. Dat. Anagnie, xv kal. septembris, anno quinto.

3207 (CCCXXXIII) Anagni, 23 août 1299.

Ut restituantur monasterio Vallis Castri monasterium de Aquapagana et alia ejus bona in diocesibus Fulginati et Spoletana usurpata. (fol. 209 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo, et dilectis filiis .. archidiacono, ac Francisco Zafini, canonico Camerinensibus. Significarunt nobis —.

Dudum Benentendi de Veruclano, Jacobus Pretoni, Raynaldus de Mazolinis, Raynaldus de Forcella, Buscus Berardutii presbyteri et Johannes Albricocii, Jontarellus Bondemanni, Boccotius Salvetti, Lello de Vixio, Fortia de Pepulo clerici et Zinthius de Rochetta laycus, Fulginatis et Spoletane diocesium, monasterium de Aquapagana et alia bona ad abbatem et conventum monasterii Vallis Castri, ordinis sancti Benedicti, Camerinensis diocesis, in dictis diocesibus spectantia per violentiam occuparunt; sed, post sententiam in hac causa latam per episcopum Eduensem, tunc decanum Pictavensem, domini pape capellanum, palatii causarum auditorem, eorum possessionem reliquerunt F. Gualterio, elemosinario domini pape, cui administratio ipsius monasterii de Aquapagana per eosdem abbatem et conventum Vallis Castri commissa fuerat. Eodem vero elemosinario decedente, prenominati cum ceteris clericis predictarum diocesium hec bona rursus occuparunt et, ad eorum instantiam, capitulum Spoletanum in dicto monasterio de Aquapagana et ejus membris clericos seculares intrusit et episcopus Fulginas medietatem ecclesie S. Angeli de Cripta, Fulginatis diocesis, ad hoc monasterium spectantis, Lello de Monteregali nepoti suo, clerico Fulgini commoranti, et aliam medietatem Armanno Anastasii, priori majoris ecclesie Fulginatis, minus juste in beneficium assignavit. Mandatur suprascriptis quatinus usurpatores moneant ut infra decem dies restituant hec bona, alioquin eos citent infra quindecim dies comparituros coram domino papa.

Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24875.)

3208 (CCCXXXIIII) Anagni, 11 mai 1299.

Confirmatur collatio ecclesie S. Albini de Bonavalle in Curia vacantis. (fol. 210.)

Dilecto filio .. magistro Reginaldo dicto Caradaz, rectori ecclesie Sancti Albini de Bonavalle, Lexoviensis diocesis. Digna reddimur attentione —.

Nuper magistro Petro de Longavilla, tunc rectore ecclesie S. Albini de Bonavalle, Lexoviensis diocesis, curam animarum habentis, intendente dictam ecclesiam resignare, Nicolao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero cardinali, oraculo vive vocis potestatem commisit dominus papa recipiendi hanc resignationem et eam ecclesiam conferendi persone ydonee. Ratificat collationem quam idem cardinalis suprascripto, tunc ecclesiam Sancti Germani de Heuguevilla, Rothomagensis diocesis obtinenti, fecit, tenore litterarum dicti cardinalis inserto incipientium : « Nuper sanctissimus pater » sub : « Dat. Anagnie, VII id. maii, anno Domini, MCCLXXXXVIIII Indictione XII, pontificatus ejusdem domini pape Bonifatii anno quinto. »

Dat. Anagnie, v id. maii, anno quinto.

In e. m. *dilecto filio .. archidiacono de Gaceio, Lexoviensis, et .. thesaurario, ac Gervasio de Tirone, canonico Ebroicensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3209 (CCCXXXV) Anagni, 13 juillet 1299.

De reformatione monasterii Yprensis ordinis sancte Clare. (fol. 210 b.)

Dilectis filiis .. generali, et .. provinciali in provincia Francie ministris ordinis Fratrum Minorum. Ad audientiam nostram —.

Cum Margarita dicta Coos que pro abbatissa et sorores que pro conventu se gerunt monasterii Iprensis, ordinis sancte Clare, Morinensis diocesis, nec non servitiales, conversi et familia ejusdem monasterii adherentes eidem, licet dictum monasterium receperit regulam ab Urbano IV editam, Mattheo S. Marie in Porticu diacono cardinali, a Sede Apostolica tam ordinis Minorum quam monasteriorum hanc regulam profitentium gubernatori et protectori deputato, et visitatoribus constitutis ab eo obedientiam denegando, excommunicationis in personas et interdicti in monasterium sententias incurrissent, a quibus ad Sedem Apostolicam fuit appellatum, mandatur suprascriptis quatinus, ad dictum monasterium per se vel alium accedentes, a prefatis rebellibus juramentis receptis de parendo Ecclesie ac dicti cardinalis mandatis, has sententias relaxent, imposita eis pro qualitate delicti penitentia, ac, in eodem visitationis et inquisitionis officium exercentes, corrigant et reforment que disciplina et correctione viderint indigere. Amoveant amovendos tam de dictis sororibus et servitialibus quam etiam de capellanis, conversis et familia; inducant ad cessionem vel amoveant prefatam Margaretam Coos ac sororem Margaretam dictam Witte « que dicto monasterio prefuit aliquando et extra ipsum monasterium nunc moratur seu pro abbatissa se gerit; » preficiant in abbatissam personam ydoneam de eodem ordine; sorores vero, servitiales, capellanos et conversos extra monasterium morantes, pro eo quod noluerunt rebellibus consentire, reducant ad loca sua et restituant ad sua officia.

Dat. Anagnie, III id. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24866.)

3210 (CCCXXXVI) Anagni, 13 juin 1299.

Collatio prioratus domus Leprosorum S. Jacobi de S. Kiriale juxta Tervisium. (fol. 211.)

Dilecto filio Galvano, priori domus Leprosorum Sancti Jacobi de Skiriale juxta Tervisium. Oblata nobis ex parte tua petitio continebat quod venerabilis frater noster .. episcopus Tervisinus, asserens quod institutio prioris in domo Leprosorum Sancti Jacobi de Skiriale juxta Tervisium, quam sibi dicebat diocesano jure subjectam, cum jam vacare contingebat priore, ad eundem episcopum contingebat, te in priorem ipsius tunc priore carentis instituit, tuque pretextu institutionis hujusmodi, quam canonicam fore putabas, prioratum dicte domus adeptus, illum per quinquiennium et amplius tenuisti percipiendo fructus et redditus ex eodem. Verum, quia postmodum, recuperatis per te quibusdam ipsius domus privilegiis et instrumentis publicis quibus eadem domus fuerat spoliata, tibi ex inspectione innotuit eorundem quod ipsa domus ab omni jurisdictione et potestate dicti episcopi et cujuslibet alterius judicis ordinarii est et erat tempore dicte institutionis exempta et Ecclesie Romane immediate subjecta et per hoc institutionem eandem minus canonicam extitisse, ad Apostolice Sedis propter hoc recurrens clementiam, nobis humiliter supplicasti ut, cum tu prioratum jamdictum adhuc pacifice possideas et quiete, nec sit in eo jus alicui alteri acquisitum, providere tibi super premissis paterna sollecitudine dignaremur. Nos igitur, attendentes laudabilia testimonia que tibi tam super eo quod eidem domui diceris utiliter prefuisse quam super aliis probitatis meritis suffragantur, ac volentes, horum consideratione et obtentu dilecti filii nostri Nicolai, tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, super hoc nobis pro te supplicantis, gratiam facere specialem, cardinalis ejusdem supplicationibus inclinati, omnem inhabilitatem, infamiam, maculam sive notam occasione premissorum obortas in te penitus abolemus de Apostolice plenitudine potestatis, donantes tibi fructus taliter ex eodem prioratu perceptos ut ad restitutionem eorum nullatenus tenearis, dictumque prioratum, predictis veris existentibus, cum juribus et pertinentiis suis Apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus, decernentes ex nunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam contigerit attemptari. Non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus contrariis domus ipsius, juramento, confirmatione dicte Sedis vel quacumque firmitate alia roboratis, seu si aliqui super provisione sibi facienda de personatibus, dignitatibus aliisque beneficiis ecclesiasticis dicte Sedis, quibus per hoc nullum prejudicium generetur, vel legatorum ejus generales aut speciales litteras impetrarint, seu si aliquibus sit ab eadem Sede concessum quod de personatibus, dignitatibus et beneficiis ad eorum collationem, electionem vel aliam dispositionem comuniter vel divisim spectantibus non possit alicui provideri per litteras, et cetera usque : mentionem, et qualibet alia, et cetera usque : mentio specialis, seu quod in ecclesia de Villorba, Tervisine diocesis, quoddam perpetuum beneficium cui cura non imminet animarum nosceris obtinere. Per hoc autem exemptionem hujusmodi probari nolumus vel diocesani juri prejudicium aliquod generari. Nulli ergo,

et cetera, nostre collationis, provisionis, constitutionis et abolitionis, et cetera. Dat. Anagnie, id. junii, anno quinto.

3211 (CCCXXXVII) Anagni, 13 août 1299.

Indulgentia pro capella hospitalis Caritatis B. Marie. (fol. 211.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vita perempnis —.

Indulgentia centum dierum pro capella hospitalis, « quod Caritas Beate Marie vulgariter nuncupatur, Cathalaunensis diocesis », in singulis B. Marie Virginis ac S. Georgii martiris festivitatibus, in quorum honorem est constructa, ac in die Veneris Sancti.

Dat. Anagnie, id. augusti, anno quinto.

3212 (CCCXXXVIII) Anagni, 18 août 1299.

Ut insistens scolasticis disciplinis in studio generali fructus canonicatus sui percipere valeat. (fol. 211 v°.)

Dilecto filio Lamberto, nato dilecti filii Nigri Cambii de Florentia, canonico ecclesie Suwellensis, Eboracensis diocesis. Ut tua et tuorum —. Dat. Anagnie, xv kal. septembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori secularis ecclesie Sancti Jacobi Florentine et magistris Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis, ac Johanni de Luco, canonico Londoniensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3213 (CCCXXXVIIII) Anagni, 3 août 1299.

Confirmatur electio abbatis monasterii Morbacensis. (fol. 211 v°.)

Dilecto filio Alberto, abbati monasterii Morbacensis ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Basiliensis diocesis. Sedula nos cura —.

Monasterio Morbacensi per mortem quondam Bertholdi abbatis vacante, custos et conventus ejusdem per viam procedentes compromissi Luttoldo de Rothellem, preposito, et Herrico de Bethburc, decano Basiliensis ecclesie, eligendi seu postulandi abbatem potestatem concesserunt plenariam. Qui quidem compromissarii in suprascriptum, tunc ejusdem monasterii monachum, vota sua unanimiter direxerunt. Hec electio, cujus decretum extitit per testes ydoneos probatum cum ejusdem originale casu fortuito fuisset amissum, confirmatur.

Dat. Anagnie, III non. augusti, anno quinto.

(POTTHAST, 24871.)

In e. m. *dilectis filiis .. custodi et conventui — universis vassalis* —. Dat. ut supra.

3214 (CCCXXXL) Trevi, 31 août 1299.

Ut uni persone ydonee per magistrum Domus Templi Jerosolimitani nominande tabellionatus officium concedere possit. (fol. 212.)

Venerabili fratri .. episcopo Famagustano. Sincere devotionis affectum —. Dat. Trevis, II kal. septembris, anno quinto.

3215 (CCCXLI) Anagni, 7 juillet 1299.

Conceditur Judeis de comitatu Venaisini gratia Judeis Urbis concessa in capitulo CLXXXIII. (fol. 212.)

Universis Judeis et singulis de comitatu Venaisini ubilibet constitutis catholice fidei agnoscere veritatem. Exhibita nobis —. Dat. Anagnie, non. julii, anno quinto.

3216 (CCCXLII) Anagni, 1er août 1299.

Ne littere generales reservationis quibusdam clericis in diocesi Lucana concesse extendantur ad hospitalia pauperum. (fol. 212.)

Dilectis filiis .. Sancti Alexandri, et .. Sancti Fridiani, .. Sancti Johannis Capitis Burgi, .. Sancte Marie de Ruchi, .. Sancti Pontiani, .. Sancti Michaelis ad Forum, .. Sancti Bartholomei in Silice, .. Sancti Johannis et Reparate et aliorum hospitalium pauperum rectoribus. Dudum ad provisionem aliquorum clericorum — intendentes, — beneficia ecclesiastica —, si qua tunc vacabant vel cum ea vacare contingeret, generaliter in civitate vel diocesi Lucana conferenda ipsis clericis — duximus per Apostolicas litteras donationi Apostolice reservanda, sive de ipsis — eisdem clericis providimus aut mandavimus provideri, cujus reservationis vel provisionis pretextu, nuper sicut ad nostram notitiam deduxistis executores eisdem clericis — deputati, ad ipsorum clericorum instantiam quamvis de vobis et hospitalibus vestris in predictis lit-

teris nulla specialis mentio fiat per quam habeant potestatem de ipsis hospitalibus vel eorum aliquo disponendi, de illis tamen, cum illa vel illud vacare contingit, eisdem clericis vel eorum alicui provident sive illa pro hujusmodi provisionibus per ipsos faciendis eorum dispositioni reservant ac in vos et personas alias ipsorum hospitalium, videlicet in impedientes in dictis hospitalibus hujusmodi provisiones et reservationes eorum, excommunicationis, suspensionis vel interdicti sententias proferunt —. Cum igitur nos non intendamus ut hujusmodi generales littere a Sede Apostolica impetrate vel etiam impetrande ad hospitalia pauperum aliquatenus se extendant, prefatis clericis vel eorum executoribus super predictis litteris silentium quoad hospitalia vestra duximus imponendum. Dat. Anagnie, kal. augusti, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Pistoriensi et dilectis filiis Brunetto, priori Sancti Martini in Strata, Florentine diocesis, ac magistro Raynerio de Vichio, capellano nostro, canonico Lichefeldensi.* — Dat. ut supra.

3217 (CCCXLIII) Anagni, 17 juin 1299.

Ratificatur collatio ecclesie S. Germani de Heuguevilla in Curia vacans. (fol. 212 v°.)

Dilecto filio .. Nicolao Johanne, rectori ecclesie Sancti Germani de Heuguevilla, Rhotomagensis diocesis. Digna reddimur —.

Ratificatur collatio quam fecit suprascripto, tunc rectori ecclesie curate de Serans, Sagiensis diocesis, de hac ecclesia, vacante per acceptationem magistri Reginaldi dicti Caradas rectorie ecclesie Sancti Albini de Bonavalle, Lexoviensis diocesis, Nicolaus, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, juxta facultatem sibi datam a domino papa, litterarum tenore dicti cardinalis inserto incipientium : « Nuper sanctissimus pater » sub : « Dat. Anagnie, id. junii, anno Domini MCC nonagesimo nono, Indiction XII, Pontificatus ejusdem domini pape Bonifatii anno quinto. »

Dat. Anagnie, XV kal. julii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. archidiacono de Gaceyo, Lexoviensis diocesis, et .. thesaurario, ac Nicolao de Chicon, canonico Ebroicensis ecclesie.* — Dat. ut supra.

3218 (CCCXLIIII) Même date.

Ratificatur collatio ecclesie S. Sulpicii de Serans in Curia vacans. (fol. 213.)

Dilecto filio Guillelmo dicto Estore, rectori ecclesie Sancti Sulpicii de Serans, Sagiensis diocesis. Digna reddimur —.

Ratificatur collatio quam fecit suprascripto de dicta ecclesia, per acceptationem Nicolai Johanne rectorie ecclesie Sancti Germani de Heuguevilla, Rhotomagensis diocesis, vacante, Nicolaus, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyter cardinalis, juxta facultatem a domino papa sibi concessam, litterarum ejus tenore inserto incipientium : « Nuper sanctissimus ».

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis .. priori Sagiensis, et .. archidiacono de Gaceyo, Lexoviensis diocesis, ac magistro Petro Beraudi, canonico Eboracensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3219 (CCCXLV) Anagni, 29 juin 1299.

Assignantur super decima nuper imposita quedam summe Carolo regi Sicilie a societate Spinorum solute. (fol. 213.)

Dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, mercatoribus Camere nostre. Per diversas nostras —.

Ut de pecunia decime in Italia, excepto regno Sicilie, ac in Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina, Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque ea parte Lugdunensis provincie que est extra regnum Francie nuper imposite, eis pro presenti primo anno assignanda, triginta unum millia et CCXLVIII florenos auri et quatuor turonenses grossos de argento quos Carolo, regi Sicilie, in solutionem decem millium unciarum auri de mandato domini pape Neapoli nuper solverunt, retinere possint videlicet : undecim millia et CCXLVIII florenos auri et quatuor turonenses grossos de argento de pecunia decime Italice et residua viginti millia florenorum auri de pecunia decime Aquensis et aliarum civitatum.

Dat. Anagnie, III kal. julii, anno quinto.

3220 (CCCXLVI) Anagni, 25 août 1299.

Assignatur similiter alia summa pro negotio occupationis insule Sicilie soluta. (fol. 213 v°.)

Eisdem. Per diversas —.

Ut de pecunia decime pro primo et secundo anno eis per collectores assignanda quindecim millia florenorum aurique nuper Anagnie nobili viro Bartholomeo de Capua, regni Sicilie logothete, pro negotio occupationis insule Sicilie de mandato domini pape solverunt, retinere valeant.

Dat. Anagnie, VIII kal. septembris, anno quinto.

3221 (CCCXLVII) Trevi, 7 septembre 1299.

Pro pacifico statu civitatis Januensis dispensatur cum infrascriptis super matrimonio non obstante quarto consanguinitatis gradu. (fol. 213 v°.)

Dilecto filio Francisco, nato dilecti filii Rizardi Spinule, et dilecte in Christo filie Isabelle, nate quondam Israhelis de Mari, civibus Januensibus. Cum Summus Pontifex —. Dat. Trebis, VII id. septembris, anno quinto.

3222 (CCCXLVIII) Même date.

Ut in precedenti. (fol. 213 v°.)

Dilecto filio Lodoyco, nato quondam Jacobi Squarzicifici, et dilecte in Christo filie Catherine, nate quondam Giffredi dicti Lercarii, civibus Januensibus. Etsi conjunctio copule —. Dat. ut supra.

3223 (CCCLVIII) Anagni, 28 septembre 1299.

Provisio ecclesie Aneonitane. (fol. 214.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Anconitano. Officii cura —.

Huic ecclesie Sedi Apostolice immediate subjecte, per translationem bone memorie Berardi ad Reatinam vacanti et Apostolice dispositioni reservate, suprascriptus, tunc penitentiarius domini pape, preficitur in episcopum, consecrationis munere ei per Mattheum, Portuensem episcopum, impenso.

Dat. Anagnie, IIII kal. octobris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Anconitane — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis* —. Dat. ut supra.

3224 (CCCL) Anagni, 11 octobre 1299.

Citatur episcopus Fesulanus propter graves excessus. (fol. 214.)

Dilecto filio ..priori Sancti Felicis ad Ciniam, Florentine diocesis. Intimantibus nobis dilectis filiis M. abbate et conventu monasterii Sancti Bartolomei Fesulani ac Napoleone, plebano plebis Sancti Pancratii de Vallearni, Fesulane diocesis, nuper accepimus quod venerabilis frater noster Angelus, episcopus Fesulanus, multa commisit et committere non cessat enormia que limam Apostolice correctionis exposcunt. Ipse namque episcopus, temporalibus inhians commodis ac non sine detestabili cupiditate pretendens quod occasione promotionis sue ad ecclesiam Fesulanam ac consecrationis, quam apud Apostolicam Sedem susceperat, gravia oportarat eum subire onera expensarum, subveniri sibi a clero Fesulane civitatis et diocesis in mille et octingentis libris usualis monete pretextu expensarum hujusmodi postulavit. Cumque Nerius, prior secularis ecclesie Sancti Michaelis de Rentino, ac Pepo, plebanus plebis de Panzano, et nonnulli alii clerici dictorum cleri procuratores coram episcopo proponerent supradicto quod ipsi clerus in hujusmodi quantitate nimium et importabiliter gravarentur, idem episcopus prefatos procuratores in ecclesia Sancte Marie in Campo Florentina, in qua morabatur, includi faciens, coegit eosdem ut quantitatem predictam distribuerent inter personas ecclesiasticas dicte civitatis et diocesis, quam a personis extorsit non sine magno scandalo postmodum prelibatis. Dictus quoque episcopus ex eo contra plebanum provocatus eundem quod plebanus ipse, procuratorio nomine dicti cleri, in ejus presentia constitutus protestabatur eo non teneri ad observantiam quarundam constitutionum quas episcopus predictus ediderat in ipsorum grave prejudicium, contra canonicas sanctiones, propter quod eorum nomine ad Sedem intendebat appellare predictam, mandavit Cinttio et Salimbene et quibusdam aliis familiaribus suis ut plebanum caperent et percuterent supradictum : qui quidem familiares, evaginatis gladiis [1] irruentes ac manus sacrilegas mittentes in eum, vestimenta ipsius eisdem gladiis laniarunt ac presbyterum Lapum, rectorem ecclesie de Perriolo, dicte diocesis, una cum pluribus aliis accedentem occasione hujusmodi rumoris ad locum, usque ad multi sanguinis effusionem gladio vulnerarunt in manu, eandem ecclesiam Sancte Marie aspersione sanguinis violando. Ad hec cum Ubaldinus notarius, procurator dictorum abbatis et conventus, procuratorio nomine pro eis, in presentia vicarii predicti episcopi constitutus in eadem ecclesia Sancte Marie, a quibusdam gravaminibus per vicarium predictum illatis ipsis abbati et conventui ad Sedem appellaret eandem essentque cum eo Ricchus et Tancredus presbyteri, monachi dicti monasterii, ut super hujusmodi appellatione quam faciebat possent testimonium perhibere, prefatus episcopus, existens in camera sua ipsi ecclesie Sancte Marie contigua, audito verbo hujus appellationis, pro qua dicti procurator Ubaldinus et monachi venerant, furore repletus, abjecta clamide, festinanter in eandem ecclesiam Sancte Marie descendit ac a se pontificali repulsa modestia, loco apostolorum quos predictus procu-

[1] *Ms.* gradiis.

rator Ubaldinus coram eodem vicario postulabat, in eum et dictos monachos manus violentas injiciens, monachalem habitum, quem prefati gerebant monachi, laceravit, tam ipsos monachos quam procuratorem ipsum Ubaldinum viliter ad terram prostratos pedibus conculcando, moxque Guicciolus et Pucciarellus predicti familiares episcopi, ad clamorem hujusmodi concurrentes, tam in Ubaldinum procuratorem quam in monachos supradictes manus sacrilegas extenderunt, dictusque Guicciolus evaginato gladio prefatum procuratorem Ubaldinum in facie graviter vulneravit. Et, licet idem episcopus propter premissa foret, sicut et adhuc est, majoris excommunicationis sententia innodatus a canone promulgata, ipse tamen, in contemptum clavium, sue salutis oblitus, publice ac sollempniter divina officia et ordines celebravit, multa etiam alia enormia, feda et detestanda que solummodo narrare nos pudet commisit et committit prefatus episcopus, super quibus oportet Apostolice provisionis remedium adhiberi. Cum autem abbas et plebanus predicti se proponant eundem episcopum super hiis coram nobis legitime accusare, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus prelibatum episcopum ex parte nostra perentorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi Apostolico se conspectui personaliter representet, facturus et recepturus super premissis quod justitia suadebit. Diem vero citationis et cetera usque : intimare. Dat. Anagnie, v id. octobris, anno quinto.

3225 (CCCLI) Anagni, 6 octobre 1299.

Confirmatur resignatio cujusdam canonicatus in ecclesia S. Stephani Pratensi. (fol. 214 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Cum nuper dilectus —.

Confirmatur resignatio quam Stoldus, natus nobilis viri Raynerii de Bondelmontibus militis de Florentia tunc canonicus ecclesie Sancti Stephani Pratensis, Pistoriensis diocesis, minor quatuordecim annis, de dicto canonicatu per Johannem Angiolini, thesaurarium ecclesie Florentine, fecit in manibus magistri Petri Roderici Camere Apostolice clerico, archidiacono Drocensi, inserto resignationis instrumento incipiente : « In nomine Domini Amen. Anno Domini MCCLXXXIX, indictione XII, die XXIX, mensis Julii pontificatus Domini Bonifatii pape VIII anno quinto. Constitutus dominus » et finiente: « Actum Anagnie in papali palatio presentibus viris venerabilibus et discretis domino Nicolao, Dei gratia episcopo Theanensi, et magistro Petro de Eugubio, Camere domini pape clerico, testibus inde rogatis. Ego Benedictus Bartholomei de Vico clericus Alatrine diocesis publicus — notarius — signavi ».

Dat Anagnie, II non. octobris, anno quinto.

3226 (CCCLII) Latran, 23 mars 1299.

Ut magistrum et fratres Hospitalis S. Johannis Jerosolimitani adversus molestatores defendat. (fol. 215.)

Venerabili fratri.. episcopo Segobiensi. Etsi cunctos —. Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno quinto.

In e. m. pro eisdem.. *abbati monasterii de Sancto Papulo, Apamiarum diocesis.* — Dat. ut supra.

In e. m. pro eisdem *dilecto filio.. abbati monasterii sancti Albani extra muros Maguntinos.* — Dat. ut supra.

In e. m. pro eisdem .. *decano ecclesie Sancte Crucis, Wratislaviensis dioeceses.*— Dat. ut supra.

In e. m. pro eisdem .. *abbati monasterii Sancti Burchardi extra muros Herbipolensis.* — Dat. ut supra.

In e. m. pro eisdem.. *abbati monasterii Sancte Marie Scotorum in Vienna, Pataviensis diocesis.* — Dat. ut supra.

In e. m. pro eisdem. . *abbati monasterii de Stratonia, Pragensis diocesis.* — Dat. ut supra.

In e. m. pro eisdem. . *abbati monasterii de Zaberdowiz, Olomucensis diocesis.* — Dat. ut supra.

3227 (CCCLIII) Latran, 9 novembre 1299.

Ut ecclesias et cimiteria violata sue diocesis per personas ydoneas reconciliare valeat. (fol. 215.)

Venerabili fratri.. Guillelmo, episcopo Uticensi. Exigentibus tue devotionis —. Dat. Laterani, v id. novembris, anno quinto.

3228 (CCCLIIII) Sans date.

Conceditur procuratori Johannis, Lexoviensis episcopi, licentia contrahendi mutuum usque ad summam decem millium florenorum auri. (fol. 215.)

Magistro Johanni de Cetesiis, officiali Lexoviensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani [1].

1. Data hujus mutui, cujus executoria sub « Dat. Laterani, III. id. novembris, anno quinto » in sequenti capitulo inserta fuit, omissa fuit in Ms.

3229 (CCCLV) Latran, 11 novembre 1299.

Executoria precedentis mutui. (fol. 215)

Dilectis filiis .. preposito Pistoriensis, et .. thesaurario Cathalaunensis, ac .. officiali Parisiensis ecclesiarum. Exposuit pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine precedens mutuum acceptum a Nello Andree et Francisco Vulterani, mutuantibus pro se ipsis et Clarentino Anselmi, Mergulieso et Johanne Brachii, Puccio et Baldo Ranerii, Marsupino et Anselmo Melliorati, Symone et Letto Anselmi ac Phylippo Floravantis ac ceteris de societate Clarentum de Pistorio.

Dat. Laterani, III id. novembris, anno quinto.

3230 (CCCLVI) Anagni, 8 juillet 1299.

Provisio prioratus secularis ecclesie S. Nicolai in Silva Palatina de Millarino. (fol. 215 v°.)

Venerabili fratri .. patriarche Gradensi et dilectis filiis .. priori de Nicosia ac .. plebano plebis Sancti Laurentii in Piasa, Pisane diocesis. Cum sicut accepimus —.

Cum Ubaldus de Pisis presbyter prioratum secularis ecclesie Sancti Nicolai in Silva Palatina, de Millarino, Pisane diocesis, curam animarum habentis, priore vacantem, cujus confirmatio ad Romanum Pontificem dumtaxat dicitur pertinere, occupaverit asserens se ad eum per patronos ejusdem ecclesie electum et per bone memorie Rogerium, Pisanum archiepiscopum, confirmatum fuisse et detineat nulla confirmatione Romani Pontificis obtenta, licet etiam ecclesiam Sancti Philippi Pisanam similiter curatam postea adeptus fuerit, dominus papa, cupiens dictum prioratum conferre Gano clerico, nato nobilis viri Pannochia quondam Sigerii de Saxetta civis Pisani, mandat suprascriptis ut amoto Ubaldo a dicta ecclesia dictum Ganum in ejus possessionem inducant, non obstante defectu quem patitur in ordinibus et etate.

Dat. Anagnie, VIII id. julii, anno quinto.

3231 (CCCLVII) Latran, 12 novembre 1299.

Dispensatur super matrimoniis contrahendis in gradu prohibito. (fol. 215 v.)

Dilectis in Christo filiabus nobilibus mulieribus Marie et Ysabelle sororibus, natis dilecti filii nobilis viri Baliani de Ybelino carissimi in Christo filii nostri regis Cypri illustris avunculi et regni Cypri senescalci. Magne devotionis affectum—.

Cum pater earum per Henricum de Biblio, archidiaconum Nicosiensem, capellanum domini pape, exposuerit quod eas jam nubiles legitimo uti consortio desideret et tamen nobiles in regno Cypri non inveniri possint quibus non sint conjuncte, indulgetur ut matrimonium contrahere valeant non obstante quarto vel tertio consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, II id. novembris, anno quinto.

3232 (CCCLVIII) Anagni, 26 mai 1299.

De officio tabellionatus Albino Barulla conferendo. (fol. 216.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Neapolitano. Ex parte dilecti —.

Ad supplicationem nobilis viri Raynaldi Galardi de Pyes, mandatur ei quatinus officium tabellionatus post examinationem conferat Albino Barulla, clerico Neritonensis diocesis in minoribus ordinibus constituto, familiari dicti nobilis.

Dat. Anagnie, VII kal. junii, anno quinto.

3233 (CCCLVIIII) Latran, 10 novembre 1299.

De officio tabellionatus Salvo Phylippi conferendo. (fol. 216.)

Venerabili fratri .. episcopo Senensi. Ex parte dilectorum —.

Ad supplicationem .. prioris Novem et ipsorum Novem gubernatorum populi et communis Senarum mandatur ei quatinus tabellionatus officium Salvo Phylippi, civi Senensi, post examinationem conferat.

Dat. Laterani, IIII id. novembris, anno quinto.

3234 (CCCLX) Latran, 15 novembre 1299.

Eximitur a jurisdictione episcopi Castellani palatium in quo patriarcha Gradensis residet in Venetiis. (fol. 216.)

Venerabili fratri .. patriarche Gradensi. Dignum arbitramur et —.

Cum « Gradensis civitas non est locus adeo ydoneus vel insignis quod patriarche Gradenses qui sunt pro tempore ibi residere valeant condecenter et ea que ad ipsorum spectare noscuntur officium exercere, propter quod in palatio, quod eadem ecclesia in Venetiis, Castellane diocesis, tue provincie, obtinet ut plurimum commorantur », hoc palatium cum omnibus pertinentiis suis ab omni jurisdictione et potestate episcopi Castellani eximitur.

Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24.887).

3235 (CCCLXI) Même date.

Indultum pro patriarcha Gradensi. (fol. 216.)

Eidem. Tue fraternitatis inducimur —.

Indulget ut aliquos fratres de ordine Fratrum Predicatorum quem ante promotionem suam fuit professus ad familiaritatem suam vocare et secum retinere valeat.

Dat. ut supra.

3236 (CCCLXII) Anagni, 1er octobre 1299.

Confertur Guillelmo Agarni sacristia ecclesie Aquensis vacans in Curia. (fol. 216.)

Magistro Guillelmo Agarni, sacriste ecclesie Aquensis, Apostolice Sedis providentia —.

Ei, consideratione Caroli regis Sicilie, cujus procurator in Romana Curia existit, sacristia dicte ecclesie per mortem quondam Amelii dicti Bottella, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, confertur non obstante quod in Aptensi, preposituram et in Forojuliensi, sacristiam et in ipsis et Cavallicensi ecclesiis canonicatus et prebendas ac de Roccabruna cum cura et Beate Marie de Vallauria sine cura, Forojuliensis diocesis, ecclesias noscatur obtinere.

Dat. Anagnie, kal. octobris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Arelatensis, et . . sacriste Cavallicensis, ac Bertrando Rogerii, canonico Carpentoratensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3237 (CCCLXIII) Anagni, 12 octobre 1299.

Facultas conferendi beneficia quondam Raymundi Ottoboni, physici regis Sicilie. (fol. 216 v°.)

Magistro Petro de Ferreriis, cancellario carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris, decano ecclesie Aniciensis. Pridem ad nostram —.

Cum beneficia que quondam magister Raymundus Ottoboni, clericus et physicus Caroli regis Sicilie, qui nuper in regni Sicilie partibus debitum nature persolvit, Apostolice dispositioni reservata fuerint, datur suprascripto facultas eadem conferendi clericis ejusdem regis quos idem duxerit ei nominandos, etiamsi clerici ipsi in una vel pluribus ecclesiis alias beneficiati existant.

Dat. Anagnie, IIII id. octobris, anno quinto.

3238 (CCCLXIIII) Anagni, 10 octobre 1299.

Restituitur usibus et gubernationi monachorum monasterii Cassinensis prepositura S. Magni Fundana per quondam Riccardum de Ceccano illicite occupata. (fol. 216 v°.)

Dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii Cassinensis, Romane Ecclesie immediate subjecti. Excitat nostre mentis —.

Olim Riccardo de Ceccano clerico falsa insinuatione suggerente quod prepositura seu monasterium Sancti Magni Fundana, ordinis sancti Benedicti, monasterio Cassinensi predicto subjecta, consueverat hactenus secularibus clericis in beneficium assignari, et quod tanto tempore vacarat ut ejus collatio Apostolice Sedi fuisset devoluta, Nicolaus papa quartus aliquibus per suas dedit litteras in mandatis ut, si rem ita se habere contingeret, dictum Riccardum in ejusdem possessionem inducerent. Qui, nulla super hoc inquisitione facta, ad predictam preposituram accedentes, procurante dicto Riccardo cum non modica armatorum multitudine, dictarum litterarum pretextu ejectis non absque violentia preposito et monachis ibidem inventis, eam occuparunt et eumdem Riccardum in illius possessionem inducere presumpserunt. Cum itaque redditus dicte prepositure fuerint conventus monasterii Cassinensis usibus hactenus deputati dictusque Riccardus debitum nature persolverit, predicta prepositura in perpetuum usibus predictis conceditur et statuitur quod illa non nisi per ipsius Cassinensis monasterii monachos gubernetur.

Dat. Anagnie, VI id. octobris, anno quinto.

3239 (CCCLXV) Latran, 13 novembre 1299.

Confirmatur provisio monasterii S. Petri de Percipiano. (fol. 217.)

Dilecto filio Johanni de Ratis de Opizonibus, abbati monasterii Sancti Petri de Percipiano, ordinis sancti Benedicti, Terdonensis diocesis. Licet ea que —.

Vacante predicto monasterio per translationem fratris Astulfi ejusdem abbatis auctoritate Sedis Apostolice factam ad monasterium Sancti Ambrosii Mediolanense et Apostolice dispositioni reservato, Robertus, Sancte Pudentiane, et N., Sancte Sabine presbyteri cardinales, quibus dominus papa in consistorio illius provisionem commiserat, suprascriptum, tunc monachum monasterii Sancti Martini Terdonensis, ejusdem ordinis, prefecerunt in abbatem. Confirmatur dicta provisio litteris cardinalium insertis incipientibus : « Vacante olim monasterio » finientibus : « Dat. Laterani, die decima mensis novembris, pontificatus domini Bonifatii pape VIII, anno quinto ».

Dat. Laterani, id. novembris, anno quinto.

3240 (CCCLXVI) Latran, 5 novembre 1299.

Ut possit conferre episcopus Conchensis beneficia sua per promotionem suam vacantia. (fol. 217 v°.)

Venerabili fratri Pascasio, episcopo Conchensi. Habet in nobis —.

Cum archidiaconatus Ulmetensis ae canonicatus et prebenda cum prestimoniis que in Abulensi ecclesia tempore promotionis sue suprascriptus obtinebat vacavisse noscantur et Apostolice dispositioni a die consecrationis ejus fuerint reservata, datur ei facultas eadem conferendi uni vel pluribus personis ydoneis, etiamsi alias beneficium obtineant.

Dat. Laterani, non. novembris, anno quinto.

3241 (CCCLXVII) Anagni, 11 octobre 1299.

Conferuntur archipresbyteratus et canonicatus Claromontensis ecclesie in Curia resignati. (fol. 217 v°.)

Dilecto filio Ademario Jotii, canonico et archipresbystero ecclesie Claromontensis. Apostolice Sedis providentia —.

Cum magister Vasallus de Sancto Georgio, juris civilis professor, prepositus ecclesie Bariolensis, Forojuliensis diocesis, canonicatum et archipresbyteratum quos in Claromontensi ecclesia obtinebat libere resignaverit in manibus Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, ea beneficia, quorum resignatio admissa fuit, suprascripto consideratione ejusdem cardinalis, cujus capellanus existit, conferuntur, non obstante quod parochialem ecclesiam Sancti Martini de Brocia et a Conchensis et Castrensis monasteriorum abbatibus et conventibus et a priore Sancti Amantii, Ruthenensis et Albiensis diocesium, provisiones annuas noscatur obtinere, seu quod hactenus inter quondam magistrum Guillelmum Pagani, per cujus mortem predictus Vassallus ea beneficia obtinuit, et Johannem de Tria super eisdem questio mota et agitata diu in Romana Curia extiterit, super qua dictus magister Guillelmus duas sententias reportavit, licet dictus Johannes qui ea occupata detinet appellaverit ab eisdem.

Dat. Anagnie, v id. octobris, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri.. episcopo Ruthenensi et dilectis filiis .. abbati monasterii Castrensis, Albiensis diocesis, ac .. preposito ecclesie Massiliensis.* — Dat. ut supra.

3242 (CCCLXVIII) Latran, 9 novembre 1299.

De tabellionatus officio Symoni Dulcis conferendo. (fol. 218.)

Venerabili fratri .. episcopo Florentino. Ex parte dilecti —.

Ad supplicationem Landulfi, Sancti Angeli diaconi cardinalis, mandatur suprascripto quatinus tabellionatus officium post examinationem et juramenti prestationem Symoni Dulcis, civi Florentino, conferat.

Dat. Laterani, v id. novembris, anno quinto.

3243 (CCCLXVIII) Trevi, 8 septembre 1299.

Pro mercatoribus societatis Spinorum Parisius commorantibus. (fol. 218.)

Venerabili fratri .. episcopo Wintoniensi. Exposuerunt nobis dilecti filii Symon Gerardi et alii de societate Spinorum de Florentia in Romana Curia constituti, nostre Camere mercatores, quod, te pridem apud Sedem Apostolicam existente, procuratores tui moram in partibus Anglie contrahentes sociis mercatorum ipsorum in partibus ipsis morantibus duo milia marcharum sterlingorum nomine tuo deponere curaverunt, tibi apud Sedem predictam per eorum socios integre assignanda, recipientes de hoc speciales litteras ab eisdem. Cumque postmodum ad notitiam carissimi in Christo filii nostri E[duardi], regis Anglorum illustris, hujusmodi depositum pervenisset, idem rex predictam quantitatem pecunie a sociis ipsis per vim et metum qui cadere poterat in constantem fecit auferri, eos propterea carceralibus vinculis mancipando. Tu vero predictam pecuniam a mercatoribus societatis ejusdem Parisius constitutis cum multa instantia repetere niteris, ipsos ad id pergentem seu officiales carissimi in Christo filii nostri Philippi, regis Francorum illustris, cogi multipliciter faciendo. Cum itaque super hoc ad nos a mercatoribus ipsis habitus sit recursus eosque, obsequiorum suorum intuitu quos nobis et Romane Ecclesie fideliter impenderunt hactenus et impendere non desistunt, favorabili prosequamur affectu, et propterea ipsorum gravamina sint molesta non modicum votis nostris, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia circa predictos mercatores affectum benignitatis observans, ipsos, etiamsi de rigore juris pecuniam ab eis repetere valeas supradictam, occasione hujusmodi non molestes ad presens neque facias molestari donec super hoc aliter duxerimus providendum. Sic te in hac parte prompte et efficaciter habiturus ut devotionem tuam, quam semper invenimus ad beneplacita nostra paratam, condignis laudibus attollamus dictique mercatores ad tua et ecclesie tue servitia reddantur proinde non immerito promptiores. Dat. Trebis, vi id. septembris, anno quinto.

3244 (CCCLXX) Trevi, 7 septembre 1299.

De substitutione rectoris hospitalis S. Bartholomei de Florentia. (fol. 218 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Florentino. Exposita nobis dilecti filii Bonuzuli Serini, civis Florentini, petitio continebat quod dilectus filius Michael dictus de Florentia, presbyter, rector hospitalis sancti Bartholomei Apostoli consistentis infra parrochiam sancte Lucie juxta Portam Novam civitatis Florentine, ad Romanam Ecclesiam immediate spectantis, quod idem civis de bonis construxit propriis et dotavit, in regendo et gubernando hospitale predictum, nimis fore dinoscitur negligens et remissus : propter quod pauperes et infirmi degentes in hospitali predicto dampna gravia et defectus non modicos patiuntur. Quare prefatus civis nobis humiliter supplicavit ut providere super hoc de Apostolice benignitate clementie dignaremur. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, si de hujusmodi negligentia et remissione memorati presbyteri tibi constiterit, ipsum a rectoria hospitalis ejusdem penitus amovere procures et aliam personam ydoneam quam dictus cives tibi duxerit presentandam in ipsius hospitalis rectorem hac vice auctoritate nostra instituere non postponas ; contradictores, et cetera ; non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Trebis, VII id. septembris, anno quinto.

3245 (CCCLXXI) Villamagna, 14 octobre 1299.

Applicatur mense episcopali Ferentinati ecclesia S. Clementis in territorio Ceccani. (fol. 218 v°.)

Venerabili fratri Landulpho, episcopo Ferentinati. Merita tue devotionis —.

Decedente pridem apud castrum Ceccani, Ferentinatis diocesis, quondam Riccardo de Ceccano, capellano domini pape, rectore ecclesie Sancti Clementis site in territorio dicti castri, ecclesia ipsa et cetera ejus beneficia Apostolice dispositioni reservata fuerunt. Applicatur dicta ecclesia mense episcopali Ferentinati, non obstante quod ecclesia Sancte Marie de Corniano, sita in territorio memorato, cedente vel decedente ipsius rectore qui nunc est, eidem mense applicata fuerit per alias litteras Apostolicas.

Dat. apud Villammagnam, II id. octobris, anno quinto.

3246 (CCCLXXII) Même date.

Eidem mense conceditur ecclesia S. Marie de Corniano in eodem territorio. (fol. 218 v°.)

Eidem. Merita tue devotionis —.

Conceditur usibus mense episcopalis applicanda ecclesia Sancte Marie de Corniano, sita in territorio castri Ceccani, que ad collationem ejus, ut asserit, dicitur pertinere, ita ut, cedente vel decedente rectore ipsius ecclesie qui nunc est vel ea quocumque alio modo vacante, possessionem ejus ingredi valeat.

Dat. ut supra.

3247 (CCCLXXIII) Latran, 2 novembre 1299.

Collatio vel reservatio canonicatus in ecclesia Biterrensi. (fol. 219.)

Dilecto filio Johanni nato dilecti filii nobilis viri Sycardi vicecomitis Lautricensis, canonico Biterrensi. Tui nobilitas generis —.

Ei, consideratione nobilis viri Johannis de Monteforti, Squillaci et Montis Caveosi comitis, regni Sicilie camerarii, cujus consanguineus existit, canonicatus in ecclesia Biterrensi confertur, si quis vacat ad presens, vel reservatur, cum proxime vacaverit.

Dat. Laterani, IIII non. novembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati secularis Sancti Pauli, et .. archidiacono Fenolleti, Narbonensis, ac preposito Bariolensis, Forojuliensis diocesium ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3248 (CCCXXIIII) Anagni, 9 octobre 1299.

De subsidio annuatim communi Tyburtino a clero prestando usque ad Apostolice Sedis beneplacitum, non obstante constitutione : « Clericis laicos. » (fol. 219 v°.)

Dilectis filiis clero civitatis tam religiosorum quam secularium Tyburtinorum (*sic*). Pro parte dilectorum filiorum consilii et communis civitatis Tiburtine fuit expositum coram nobis quod vos et predecessores vestri qui fuerunt pro tempore in summa mille librarum provisinorum, quam predictum commune seu prefata civitas communi vel camere Urbis annuatim in festo Sanctorum Omnium ex certa causa dare ac solvere consuevit vel debet, pro rata possessionum ecclesiarum vestrarum secundum libratam ejusdem Tibur-

tine civitatis, ut alii cives civitatis ejusdem pro ipsorum possessionibus exsolvebant, contribuere consuevistis hactenus ab antiquo; sed, post nostre constitutionis edictum que hujusmodi contributionum seu etiam subsidiorum vel donorum prestationem inhibet, contribuere cum eis in hujusmodi summa cessatis. Quare fuit nobis humiliter supplicatum ut, prefati communis Tiburtini gravibus in hac parte oneribus consulentes, prestandi eis super hoc de bonis earumdem ecclesiarum vestrarum subsidium aliquod, sine metu constitutionis ejusdem licentiam vobis concedere dignaremur. Nos itaque, predictorum consilii et communis supplicationibus inclinati, vobis quod ipsi communi pro subventione solutionis predicte summe pecunie predictis comuni seu camere Urbis ut premittitur faciende subsidium centum quinquaginta florenorum auri, imponendum et exigendum per vos pro rata bonorum ecclesiarum ipsarum que consueverunt in data ipsa persolvere annuatim, dare ac prestare possitis, et eidem comuni Tiburtine quod subsidium ipsum per se vel officiales suos licite recipere valeat usque ad Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis, dummodo id faciatis voluntarii non coacti nec ullus pro parte dicti communis super hoc modus coactionis directe vel indirecte interveniat vel servetur, prefata constitutione nostra que hujusmodi subsidiorum prestationem inhibet seu quavis alia contraria non obstante, auctoritate presentium licentiam impertimur. Dat. Anagnie, VII id. octobris, anno quinto.

3249 (CCCLXXV) Latran, 13 novembre 1299.

Provisio ecclesie Parmensis. (fol. 219.)

Venerabili fratri Giffredo, episcopo Parmensi. Ad universalis ecclesie —.

Suprascriptus, tunc Cameracensis canonicus, Parmensi ecclesie per obitum bone memorie Johannis episcopi vacanti et Apostolice dispositioni reservate preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, id. novembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — vassallis* —. Dat. ut supra.

3250 (CCCLXXVI) Latran, 21 novembre 1299.

Provisio archiepiscopatus Tyrensis et Arborensis. (fol. 220.)

Venerabili fratri Consilio, archiepiscopo Tyrensi et Arborensi. Pastoralis officii debitum —.

Dictis ecclesiis, que per Sedem Apostolicam sunt unite, per obitum bone memorie fratris Alamanni archiepiscopi vacantibus et Apostolice dispositioni reservatis, suprascriptus, capellanus et penitentiarius domini pape, ordinis Predicatorum, preficitur in episcopum, eidem consecrationis munere per Johannem, episcopum Tusculanum, impenso et palleo per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, et Landulphum, Sancti Angeli, ac Franciscum, Sancte Marie in Cosmedin diaconos cardinales, exhibito.

Dat. Laterani, XI kal. decembris, anno quinto.

In. e. m. *dilectis filiis.. archipresbytero et capitulo ecclesie Arborensis — suffraganeis — nobili viro Johanni, vicecomiti de Basso, judici Arborensi.* — Dat. ut supra.

3251 (CCCLXXVII) Anagni, 25 août 1299.

Ut, tam ante consecrationem suam quam post, invasores bonorum et jurium sue ecclesie per censuram ecclesiasticam valeat coercere. (fol. 220.)

Dilecto filio Leonardo, electo Anagnino. Ut favorem quo —. Dat. Anagnie, VIII kal. septembris, anno quinto.

3252 (CCCLXXVIII) Anagni, même date.

Adversus clericos Anagnine diocesis concubinas retinentes. (fol. 220 v°.)

Eidem. Ut eo commodius —.

Ut clericos sue civitatis et diocesis, quos per inquisitionem vel alio legitimo modo ei constiterit concubinas sive focarias publice retinere, quod ipsas dimittant spiritualiter et temporaliter coercere valeat.

Dat. Anagnie, ut supra.

3253 (CCCLXXVIIII) Villamagna, 14 octobre 1299.

Indultum pro episcopo Anagnino. (fol. 220 v°.)

Venerabili fratri Leonardo, episcopo Anagnino. Ut circumspectionis —.

Conceditur suprascripto facultas conferendi ea vice persone ydonee archipresbyteratum parochialis ecclesie Sancti Johannis de Dulce de Anagnia que tanto tempore jam vacavit quod ejus collatio sit ad Sedem Apostolicam devoluta.

Dat. apud Villammagnam, II id. octobris, anno quinto.

3254 (CCCLXXX) Anagni, 25 septembre 1299.

Alia gratia pro eodem. (fol. 220 v°.)

Eidem. Personam tuam precipue —.

Ei reservatur usque ad Apostolice Sedis beneplacitum prioratus de Cuquomonte, Tholosane diocesis, sine cura, consuetus ab olim secularibus clericis assignari, quem promotionis et consecrationis sue tempore legitime obtinebat.

Dat. Anagnie, VII kal. octobris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Saturnini Tholosani, et .. archipresbytero Sancti Cosme, ac Nicolao dicto Malerme, canonico majoris Anagnine ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3255 (CCCLXXXI) Latran, 13 novembre 1299.

Dispensatio super pluralitate. (fol. 220 v°.)

Rogerio de Drokeneford, rectori ecclesie de Ferschwatore, Wintoniensis diocesis. Probitatis tue merita.

Ei, consideratione Johannis de Drokenefford, diaconi, capellani domini pape, canonici Eboracensis, cujus frater existit, indulgetur ut, preter ecclesiam de Ferschewatore, quam ex dispensatione Johannis, episcopi Wintoniensis, qui auctoritate Apostolica potestatem dispensandi super hoc habuit, obtinet, unicum aliud beneficium similiter curatum recipere valeat.

Dat. Laterani, id. novembris, anno quinto.

3256 (CCCLXXXII) Latran, 6 novembre 1299.

Collatio canonicatus in ecclesia S. Martini Turonensis. (fol. 221.)

Venerabili fratri .. episcopo Carcassonensi. Cum dilectus filius —.

Ei mandatur quatinus, resignatione recepta canonicatus et prebende quos magister Milo de Castelleto in ecclesia Sancti Martini Turonensis obtinet, eosdem magistro Stephano de Housseya, canonico ecclesie Silvanectensis, conferat, non obstante quod canonicatum et prebendam in Silvanectensi ecclesia noscatur obtinere.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno quinto.

3257 (CCCLXXXIII) Latran, 28 octobre 1299.

Reservatur beneficium ecclesiasticum in cathedrali seu quavis alia ecclesia Balneoregensis diocesis. (fol. 221.)

Benedicto nato dilecti filii nobilis viri Raynerii militis Urbevetani, priori secularis ecclesie de Cipiciano, Balneoregensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Ei reservatur beneficium ecclesiasticum, etiamsi curam animarum habeat vel dignitas existat, in cathedrali Balneoregensi seu quavis alia ecclesia dicte civitatis et diocesis cum vacaverit, infra unius mensis spatium acceptandum, non obstante quod prioratum secularis ecclesie suprascripte noscatur obtinere et in Urbevatana ecclesia sub exspectatione prebende in canonicum sit receptus seu quod patiatur in etate vel ordinibus defectum.

Dat. Laterani, V kal. novembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis.. plebano plebis de Sancto Cassiano, Clusine diocesis, et Nerio Ugolini Boncontis ac Adenulpho Raynaldi Petri Gam, canonicis Urbevetanis.* — Dat. ut supra.

3258 (CCCLXXXIIII) Latran, 21 novembre 1299.

Facultas absolvendi Palentinos cives ob plures excessus excommunicatos. (fol. 221 v°.)

Venerabili fratri .. episcopo Palentino. Oblate nobis petitionis tue series continebat quod cives Palentini, in quos jurisdictionem obtinere dinosceris temporalem, quasdam domos et capellam ad te tuamque Palentinam ecclesiam pertinentes ausu nephario combuxerunt et se a tuo dominio non sine multa temeritate subtrahere, ac nonnullis clericis et personis ecclesiasticis collectas imponere ac exigere ab eisdem, et alias etiam jurisdictionem et bona juraque tua et ecclesie supradicte invadere presumpserunt, propter quod excommunicationis noscuntur sententiam incurrisse. Cum autem prefati cives, ut asseris, ad penitentiam redeuntes de hujusmodi dampnis et injuriis debitam satisfactionem impendere sint parati — fraternitati tue ut eisdem — possis hac vice auctoritate nostra beneficium absolutionis impendere — concedimus facultatem. Dat. Laterani, XI kal. decembris, anno quinto.

3259 (CCCLXXXV) Latran, 16 novembre 1299.

Ut matrimonium pro bono pacis contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu. (fol. 221 v°.)

Dilecto filio nobili viro Contutio quondam Conradi et di-

lecte in Christo filie nobili mulieri Elene nate Ufredutii de Alinario, Ameliensis diocesis. Romani Pontificis —. Dat. Laterani, XVI kal. decembris, anno quinto.

3260 (CCCLXXXVI) Anagni, 1er août 1299.

De annua pensione Paulo Jacobi Rubei Vitrearii a monasterio S. Pauli de Urbe promissa. (fol. 222.)

Dilectis filiis .. priori basilice Lateranensis .. archipresbytero Sancti Eustachii, ac Bonagure Petri Aversi, canonico Sancti Nicolai in Carcere Tulliano ecclesiarum de Urbe. Petitio dilecti filii Pauli nati Jacobi Rubei Vitrearii, clerici ecclesie Sancti Angeli de Foro piscium de Urbe, nobis exposita continebat quod fratres Nicolaus de Nazano, Salimbene de Urbe, monachi monasterii Sancti Pauli de Urbe eadem, ac magister Bernardus de Belloloco, procuratores dilectorum filiorum .. abbatis et conventus dicti monasterii, recognoscentes in presentia dilecti filii nostri F., Sancte Lucie in Silice diaconi cardinalis, quod dictus clericus tam abbati et conventui supradictis quam eorum predecessoribus ac monachis dicti monasterii grata servitia impenderat temporibus retroactis, ac volentes pro illis debitam sibi remunerationem facere, ut alii ejus exemplo inducerentur ad similia exhibendum, de licentia nostra super hoc habita et obtenta procuratorio nomine dictorum abbatis et conventus, a quibus super hiis habebant sufficiens et speciale mandatum, eidem clerico solemniter stipulanti dare et solvere annis singulis quoad viveret de proventibus dicti monasterii, nomine pensionis, in civitate Romana quinquaginta florenos auri, viginti quinque videlicet eorumdem in kalendis septembris et residuos vigintiquinque in kalendis januarii, promiserunt, prout in patentibus litteris inde confectis dicti cardinalis sigillo munitis plenius dicitur contineri.

Quod factum est per abbatem, conventum et eorum procuratores ratum habet dominus papa et suprascriptos dat eidem clerico in executores.

Dat. Anagnie, kal. augusti, anno quinto.

3261 (CCCLXXXVII) Latran, 30 octobre 1299.

Ratificatur concessio in perpetuam emphiteosim quarumdem possessionum Romane Ecclesie in civitate Beneventana. (fol. 222)

Nobili viro Catenatio nato quondam Theobaldi, militi Anagnino. Exhibita nobis tua petitio continebat quod dilectus filius Cionus Marsoli de Florentia, civitatis Beneventane rector, nostro facto sibi pridem per dilectum filium Petrum Roderici, archidiaconum Drocensem in ecclesia Carnotensi, Camere nostre clericum, referendarium nostrum, super concedendis tibi per eum aliquibus possessionibus seu redditibus precedente mandato, concessit et locavit, nomine ac vice Romane Ecclesie, in emphiteosim perpetuam tibi, recipienti pro te ac heredibus et successoribus tuis, molendina ipsius Ecclesie Romane sita in ipsius territorio civitatis in fluvio Sabati a capite pontis Leprosi prope ecclesiam Sancti Thome ac juxta viam publicam et juxta res ejusdem ecclesie aliosque confines, cum alveis, canalibus, rotis, molis, juribus et pertinentiis eorundem, nec non et salcetum ejusdem Ecclesie situm ibidem juxta molendina predicta et juxta flumen Caloris ac juxta isclam Curie, que quidem molendina et salcetum fuerant ad eandem Ecclesiam per excadentiam devoluta et alias privatis personis assignari consueverant et locari, a te ac ipsis tuis heredibus tenenda et possidenda libere ac habenda sub annuo redditu unius augustalis auri, prefato rectori ac ejus in rectorie officio successoribus in festo Assumptionis beate Virginis annis singulis persolvendo, proprietate ipsorum molendinorum et salceti predicte Romane Ecclesie semper salva, prout in instrumento publico inde confecto plenius et seriosius continetur. Quare nobis humiliter supplicasti ut locationem et concessionem hujusmodi ratificare, confirmare et approbare ac decernere plenam habere roboris firmitatem ac supplere omnem defectum, si quis in eis extitit, de benignitate Apostolica dignaremur.

Confirmantur dicte locatio et concessio tenore instrumenti inserto incipiente : « In nomine Domini Amen, anno a Nativitate ejusdem M° CC° LXXXXIX die XVIIII mensis octobris, tertie decime indictionis, tempore domini Bonifatii pape VIII. Nos Rolandinus de Parma judex curie civitatis Beneventane ».

Dat. Laterani, III kal. novembris, anno quinto.

3262 (CCCLXXXVIII) Latran, 30 novembre 1299.

Nullum prejudicium fiat infrascripto per quasdam litteras abbati Morbacensi directas. (fol. 222 v°)

Venerabili fratri .. episcopo Massiliensi[1]. Cum dilectus filius Albertus, abbas monasterii Morbacensis, tue diocesis, nuper ad regimen monasterii tunc vacantis a conventu ejusdem ipsius monasterii, cujus ipse monachus existebat, per viam compromissi fuisset electus, ac tam ipse quam procuratores dicti conventus ad Sedem Apos-

1. Sic legitur in Ms. sed legerim : *Basiliensi.*

tolicam accessissent pro confirmatione electionis hujusmodi obtinenda, proponendo monasterium ipsum dicte Sedi fore immediate subjectum, nos electionem eamdem, quam invenimus de persona ideona canonice celebratam, duximus confirmandam. Tu vero postmodum, monasterium ipsum tibi asserens jure diocesano subesse, ac ex eo dubitans tibi et ecclesie tue prejudicium imminere quod monasterium ipsum in litteris nostris que sibi, conventui et vassalis ipsius monasterii ut moris est in similibus diriguntur dicitur ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinere, idemque abbas, tanquam monasterium ipsum foret exemptum, confirmationem predictam recepit a nobis, provideri tibi super hoc et eidem ecclesie de oportuno remedio suppliciter postulasti. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati presentium auctoritate decernimus quod per premissa juri tuo vel dicte ecclesie, si quod tibi aut eidem ecclesie in dicto monasterio vel personis ipsius quoad jurisdictionem, subjectionem, visitationem, correctionem vel alias quomodolibet competeret, nullum prejudicium generetur. Dat. Laterani, II kal. decembris, anno quinto.

3263 (CCCLXXXVIIII) Anagni, 25 août 1299.

Confirmatur statutum capituli Anagnini tempore bone memorie Petri episcopi conditum. (fol. 222 v°.)

Dilecto filio L., electo Anagnino. Statum ecclesie Anagnine —.

Confirmatur statutum quod bone memorie Petrus episcopus et capitulum Anagnine ecclesie ad canonicos probis excolendos moribus atque ad pietatem et divina officia frequentanda incitandos condiderunt, tenore instrumenti inserto incipientis : « Nos Petrus » sub data : « Actum Anagnie, sub anno Domini MCCLXVII, kalendis Augusti, Apostolica Sede vacante per mortem felicis recordationis domini Johannis XXI pape. »

Dat. Anagnie, VIII kal. septembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24877.)

3264 (CCCLXXXX) Latran, 6 novembre 1299.

Provisio ecclesie Tranensis. (fol. 223 v°.)

Dilecto filio Oddoni Archionis de Urbe, electo Tranensi, capellano nostro. Dum sollicite considerationis —.

Suprascriptus, capellanus domini pape, ecclesie Tranensi, per obitum bone memorie Johannis archiepiscopi vacanti et Apostolice dispositioni reservate, preficitur in archiepiscopum.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Tranensis — populo — universis vassallis suffraganeis — Carolo, regi Sicilie.* — Dat. ut supra.

3265 (CCCLXXXXI) Latran, 8 novembre 1299.

Provisio ecclesie Calaritane. (fol. 223 v°.)

Venerabili fratri Ranutio, archiepiscopo Calaritano Sedula nos cura —.

Vacante ecclesia Calaritana per obitum bone memorie Jacobi archiepiscopi et capitulo per viam compromissi ad electionem procedente, Franciscus Luppini et Bandinus ac Symo Cencii ejusdem ecclesie canonici compromissarii electi in fratrem Bettum de Pisis, ordinis Minorum, direxerunt vota sua. Hanc postulationem « propter etatis defectum non modicum quem dictus frater Bettus adhuc substinere dinoscitur » non duxit admittendam dominus papa et suprascriptum eidem ecclesie, dispositioni Apostolice reservate, preficit in archiepiscopum, ei consecrationis munere per Tusculanum episcopum impenso.

Dat. Laterani, VI id. novembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24884)

In e. m. *dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo — clero — castellanis, anzianis, capitaneis et populo castelli, castri et diocesis Calaritani — suffraganeis ecclesie Calaritane — nobili viro Johanni, vicecomiti de Basso, judici Arboree — . . potestati, . . capitaneo, anzianis, consilio et comuni Pisanis.* — Dat. ut supra.

3266 (CCCLXXXXII) Même date.

De palleo ab archiepiscopo Calaritano recepto. (fol. 224 v°).

Venerabili fratri Ranutio, archiepiscopo Calaritano. Cum palleum —.

Testatur eum recepisse palleum per Mattheum, Sancte Marie in Porticu, et Landulfum, Sancti Angeli, ac Franciscum, Sancte Marie in Cosmedin diaconos cardinales.

Dat. ut supra.

3267 (CCCLXXXXIII) Latran, 6 novembre 1299.

Provisio ecclesie Neocastrensis. (fol. 224) v°.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Neocastrensi. Supreme dignitatis —.

Cum dudum Sedes Apostolica fratrem Tancredum, ordinis Minorum, propter gravia ejus demerita et culpas multiplices, episcopum Neocastrensem, dicte ecclesie regimine privaverit et provisionem ejusdem sue dispositioni reservaverit, suprascriptus, tunc abbas monasterii Sancte Trinitatis Militensis, preficitur in episcopum Neocastrensem, consecrationis munere ei per episcopum Tusculanum impenso.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24883.)

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Neocastrensis — universis vassallis* —. Dat. ut supra.

3268 (CCCLXXXXIIII) Latran, 23 mars 1299.

« Conservatoria pro magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani ut in capitulo CCCLII. » (fol. 224 v°.)

Dilecto filio.. decano ecclesie Andegavensis. Etsi cunctos, ut supra cap. CCCLII usque in finem.

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. archidiacono Nannetensi.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. archidiacono ecclesie Dolensis.*

In e. m. pro eisdem *venerabili fratri .. episcopo Fuliginati.*

In e. m. pro eisdem *venerabili fratri .. episcopo Paduano.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. abbati monasterii S. Burcardi Erbipolensis.*

In e. m. pro eisdem *venerabili fratri.. episcopo Spoletano.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. abbati monasterii de S. Albano, Moguntine diocesis.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio.. archidiacono ecclesie Firmane.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio.. abbati monasterii de Marppach, Basiliensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. abbati monasterii de S. Albano, Lincolniensis diocesis.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. abbati monasterii S. Andree Vercellensis.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. archipresbytero ecclesie Regine.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio.. archidiacono ecclesie Spoletane.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. decano ecclesie Turonensis.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio .. abbati monasterii B. Marie in Cagia Meldensis.*

In e. m. pro eisdem *dilecto filio.. abbati monasterii S. Genovefe Parisiensis.*

3269 (CCCLXXXXV) Latran, 17 décembre 1299.

De dissidio inter comitem Atrebatensem et Cameracensem ecclesiam suborto super possessione partis Cameracensis civitatis. (fol. 225.)

.. comiti Atrebatensi. Querelam gravem Cameracensis ecclesie dolore non vacuam sed suspiriis plenam et onustam dispendiis non sine amaritudine cordis recepimus continentem quod tu, propriis limitibus non contentus et finium tuorum predecessorum transgressor, partem Cameracensis civitatis ad ipsam ecclesiam procul dubio non solum spiritualiter sed pleno jure etiam temporaliter pertinentis, quam tunc ipsa, prout est notorium, possidebat ecclesia, sicut et ante possederat a tempore cujus non existit memoria, invasisti, occupasti violenter et detines occupatam : propter quod ecclesia sepefata a nobis suppliciter petiit ut oportunum contra hoc adhibere remedium dignaremur. Nos igitur, qui quanto te sinceriori diligimus charitate et amore intimiori prosequimur tanto affectione desideramus majori quod erga Ecclesiam efficiaris devotior, crescas virtutibus et piis actionibus amplieris, ut Deo gratior reddaris et nobis, volentes sic benigni patris morem tenere quod justi judicis non deseramus officium, nobilitatem tuam rogamus, hortamur in Domino et paterne monemus quatinus, partem eandem liberam memorate dimittens ecclesie, ipsam ulterius non molestes vel turbes aut quoquo modo impedias quominus quiete et pacifice illam possideat sicut prius ; ac deinde, si quod jus in ea te forte pretendis habere, illud contra eandem ecclesiam coram nobis, tibi paratis justitiam reddere, prosequaris, non tua auctoritate id facias quod recti vigore judicii consequi te oportet. Quod si hujusmodi rogaminibus, exhortationibus et monitis nostris salubribus exauditionis forsitan aures, charissime fili,

quod absit, te non prebere contigerit, damus, quia sine Dei offensa hoc preterire non possumus, dilectis filiis .. Sancti Martini Tornacensis, et.. Sancti Sepulchri Cameracensis, ac .. de Sancto Amando in Pabula, Tornacensis diocesis, monasteriorum abbatibus per nostras litteras in mandatis quod te peremptorie citare procurent ut per te vel procuratorem idoneum sufficienter instructum cum omnibus juribus et munimentis tuis hujusmodi negotium contingentibus, compareas coram nobis, facturus et recepturus super iis quod jus dictaverit et ratio suadebit. Dat. Laterani, XVI kal. januarii, anno quinto.

(Potthast, 24892.)

In e. m. *dilectis filiis .. Sancti Martini Tornacensis, et .. Sancti Sepulchri Cameracensis, ac .. de Sancto Amando in Pabula, Tornacensis diocesis, monasteriorum abbatibus.* — Dat. ut supra.

3270 (CCCLXXXXVI) Latran, 1er décembre 1299.

De perceptione decime nuper imposite in partibus Urbi circumvicinis. (fol. 225.)

Littera decime. Bonifatius — venerabili fratri L., episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime Sabinieque provinciis nec non in Ostiensi, Velletrensi, Civitatis Papalis, Portuensi et Albanensi ac Reatina, Interannensi et Tyburtina civitatibus et diocesibus, monasteriorum quoque Sublacensis, Farfensis ac Sancti Salvatoris Reatini abbatiis et earum terris salutem et cetera. Pridem venerabili fratri nostro P., Aversano tunc Anagnino episcopo, predecessori tuo, dedimus — in mandatis ut a monasteriis, ecclesiis et personis ecclesiasticis Urbis ac a monasterio Cripteferrate de redditibus — possessionum quas hujusmodi monasteria et ecclesie ac etiam persone, ratione tantum ecclesiarum, in decretis tibi provinciis, civitatibus et diocesibus seu abbatiis obtinent, tam pro transacto tunc termino medie quadragesime quam etiam pro aliis sequentibus terminis, decimam quam dudum apud Reatinam civitatem duximus imponendam exigere procuraret. Cum autem pro parte cleri secularium et religiosorum Urbis ejusdem nuper sit nobis humiliter supplicatum ut, cum eis difficile plurimum et onerosum existat decimam persolvere prelibatam, providere ipsis in hac parte de benignitate Apostolica dignaremur.

Eos ac monasteria et ecclesias eorumdem tam infra Urbis ambitum quam infra hortos seu continentia edificia constituta a prestatione dicte decime pro toto tempore tam preterito quam futuro eximit. Mandat insuper suprascripto ut omnes processus per eum vel predecessorem aut subcollectores habitos contra eos revocare procuret eosque absolvere ab eisdem ac dispensare super irregularitate.

Nichilominus tamen volumus quod auctoritas absolvendi et dispensandi super premissis venerabili fratri nostro M., episcopo Portuensi, a nobis viva voce commissa in suo robore perseveret. Dat. Laterani, kal. decembris, anno quinto.

3271 (CCCLXXXVII) Latran, 5 décembre 1299.

Indulgetur ad triennium ut communi Pisano clerus subsidium pecuniarium prestare valeat non obstante constitutione « Clericis laicos. » (fol. 225 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Pisano ac dilecto filio .. plebano plebis de Subiliano, Lucane diocesis. Dum intra nostre —.

Cum de gravibus guerrarum et discordiarum gravaminibus ab olim suscitatis nuper ad treuguarum federa inter communia Pisanum et Genuense sit deventum ac « tam propter hujusmodi discrimina— quam ob treuguas predictas graves ipsi consilium et commune Pisani labores sustinuerint sumptusque fecerint et importabilem fere subierint sarcinam debitorum », ad preces eorumdem consilii et communis, suprascriptis conceditur facultas concedendi prelatis ac rectoribus, capitulis et conventibus ecclesiarum ac monasteriorum civitatis et diocesis Pisane ac districtus ejusdem civitatis licentiam ut non obstante « constitutione nostra que hujusmodi subsidiorum prestationem inhibet » communi Pisano dare ac prestare pecuniarium moderatum subsidium, « dummodo vos et ipsi hoc feceritis voluntarii, non coacti, nec ullus pro parte dicti communis super hoc modus coactionis directe vel indirecte interveniat vel servetur. » « Presentibus post triennium minime valituris. »

Dat. Laterani, non. decembris, anno quinto.

(Potthast, 24889.)

3272 (CCCLXXXXVIII) Latran, 22 novembre 1299.

Provisio ecclesie Clusine. (fol. 225 v°.)

Venerabili fratri .. Masseo, episcopo Clusino. Inter sollicitudines —.

Suprascriptus, ordinis Fratrum Predicatorum, ecclesie

Clusine, per obitum bone memorie Petri episcopi vacanti et Apostolice dispositioni reservate, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, x kal. decembris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo.* — Dat. ut supra.

3273 (CCCLXXXXVIIII) Latran, 18 décembre 1299.

De castro de Servo Nicolao Babillani de Auria ad viginti annos concedendo. (fol. 226.)

Dilecto filio .. magistro Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Dudum exposita nobis dilecti filii nobilis viri Nicolai Babillani de Auria, civis Januensis, petitio continebat quod inter te ac ipsum tractatus habitus fuerat de concedendo sibi sub certis conditionibus castrum de Servo, Albiganensis diocesis, — ad Hospitale Sancti Johannis pertinens, quodque tu sibi concedere sponte promiseras, dummodo ad id assensus noster accederet, ab eo — per quindecim annorum spatium retinendum.

Dominus papa, annuens petitioni dicti nobilis, non modo facultatem dicto magistro hanc concessionem faciendi concessit sed etiam ejusdem prorogandi terminum usque ad viginti annos.

Cum autem, sicut ejusdem nobilis habet assertio, tu, hujusmodi mutato proposito, concessionem seu promissionem hujusmodi facere certa ratione recuses, nobis supplicavit ut, cum idem tibi et fratribus dicti Hospitalis tantum sit annis singulis pro dicto castro exhibere paratus quantum vos hactenus consuevistis percipere ex eodem, providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos igitur — discretionem tuam rogamus — in virtute obedientie districte precipiendo mandantes quatinus eidem nobili facienti quod offert ac ejus heredibus predictum castrum — per idem viginti annorum spatium — concedas juxta licentiam tibi super hoc traditam per nostras litteras supradictas. Dat. Laterani, xv kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. archiepiscopo Januensi et .. episcopo Albiganensi et dilecto filio .. abbati monasterii Sancti Fructuosi Capitis Montis Januensis* —. Dat. ut supra.

3274 (CCCC) Latran, 16 décembre 1299.

De provisione monasterii Sancti Nicolai in Bosco. (fol. 226.)

Venerabilibus fratribus .. Laudunensi, et .. Suessionensi episcopis. Petitio dilecti filii Petri, abbatis monasterii Sancti Nicolai in Bosco, ordinis sancti Benedicti, Laudunensis diocesis, nobis exposita continebat quod olim, eodem monasterio abbatis regimine destituto, duas in eo electiones, unam videlicet de ipso Petro, tunc priore prioratus de Sancto Albino, Atrebatensis diocesis, aliam vero de Goberto de Liescurte, monachis dicti monasterii, ipsius monasterii conventus in discordia celebrarunt, et, cum pro parte dicti G. ab electione facta de memorato P. ad Sedem Apostolicam appellatum fuisset, iidem Petrus et Gobertus propter hoc ad eandem Sedem personaliter accesserunt. Et demum idem Gobertus, volens prefatum monasterium a dispendiis que per litigiorum anfractus premissa occasione incurrere poterat preservari, antequam hujusmodi appellatio et negotium essent presentata nobis, omni juri, si quod ei fuerat ex hujusmodi electione de ipso facta quesitum, et appellationi predicte propter hoc ad eandem Sedem ab eo emisse sponte ac libere renuntiare curavit. Nosque, volentes tam ejusdem Petri quam monasterii prelibati parcere laboribus et expensis, Laudunensi episcopo, ejus proprio nomine non expresso, nostras sub certa forma direximus litteras continentes ut, ejusdem electionis dicti Petri diligenter examinato processu, si electionem ipsam inveniret de persona ydonea canonice celebratam, illam auctoritate Apostolica confirmaret, faciens eidem Petro a suis subditis obedientiam et reverentiam debitam exhiberi sibique munus benedictionis impendi: alioquin, eadem electione rite cassata, faceret ipsi monasterio de persona ydonea per electionem canonicam provideri, contradictores, et cetera. Sed bone memorie Laudunensi episcopo qui tunc erat, antequam sibi prefate littere presentate fuissent, nature debitum persolvente, ac per ejus obitum Laudunensi ecclesia pastore vacante, .. archidiaconus de Tarascha in ecclesia Laudunensi presentatam sibi predictam electionem, factam de dicto Petro, quia eam invenit de persona ydonea canonice celebratam, prout ad eum, dum ecclesia predicta pastore vacat, id de antiqua et approbata et hactenus a tempore cujus memoria non existit pacifice observata consuetudine pertinebat, exigente justitia confirmavit, idemque abbas postea administrationem exercuit monasterii supradicti. Postmodum autem dictus abbas, errore vel simplicitate ductus, tacito de hujusmodi confirmatione et administratione, venerabili fratri nostro .. episcopo Tornacensi et dilecto filio .. archidiacono Brugensi in ecclesia Tornacensi, per alias nostras sub certa forma litteras dari obtinuit in mandatis ut ipsi vel eorum alter auctoritate nostra in predicto electionis ipsius Petri negotio procederent juxta predictarum directarum prefato Laudunensi episcopo con-

tinentiam litterarum, et, cum dictus abbas hujusmodi nostras secundas litteras eisdem episcopo Tornacensi et archidiacono presentasset, petens ab eis instanter ut in ejusdem electionis ipsius Petri negotio procederent juxta super hoc traditam eis formam, ipsi vel eorum alter ad executionem dictarum litterarum eis super hoc directarum procedere recusarunt, quamquam per dictum Petrum fuissent super hoc pluries humiliter requisiti. Quare, dicto abbate adhuc similiter tacente premissa et nobis iterum supplicante ut providere tam sibi quam eidem monasterio in hac parte de oportuno remedio dignaremur, nos, nolentes quod idem monasterium, occasione tali, prolixioris vacationis subjaceret incomodis, vobis per alias nostras sub certa forma dedimus litteras in mandatis ut vos vel alter vestrum in predicto ipsius electionis Petri negotio auctoritate nostra procederetis secundum predictarum directarum super hoc continentiam litterarum. Vos vero, pro eo quod in litteris tam vobis quam predictis Tornacensi episcopo et archidiacono Brugensi directis, de hujusmodi confirmatione et administratione nulla mentio habebatur, in negotio ipso procedere distulistis. Super quo dictus abbas, exponens nobis quod factum fuerat circa confirmationem predictam, ad nostram duxit providentiam recurrendum. Nos igitur, attendentes quod dicta appellatio, post hujusmodi renuntiationem a prefato Goberto, antequam ipsa nobis presentata fuisset, factam, ad eandem Sedem efficaciter non deduxit negotium, et per consequens nec ordinario, cujus ut premittitur erat appellatione cessante negotii electionis ejusdem cognitio, potestatem ademit, et considerantes quod, licet superior, qui in ea re majus habet imperium, si vetet solvatur judicium vel ad se negotium revocet, inferioris processum impediat, tamen nos, per commissionem solam quam alii facimus, ordinario cognitionem ejus quod alteri committimus adimere non videmur, quia generalis habet statutum concilii quod si quis coram judice competenti trahatur, ejus non declinat examen, quamvis super causa Apostolicas impetraverat litteras que delegato prius non fuerant assignate. Cui statuto consonat ratio : non enim legatum adimit qui, a se antea uni legatam rem, alteri postea legat, et in communis rei usu sociorum alter facere non presumitur furtum neque animum auferendi rem socio notatur habere ; nec Romanus Pontifex, qui, ne ordo ecclesiasticus confundatur, unicuique vult propriam jurisdictionem servari, intelligendus est, nisi de contrario constet, jurisdictioni alterius, hoc ipso quod alii committit negotium, derogare : nam cum plures sunt in solidum ordinarii judices, vel etiam delegati, non ideo quod eorum aliquis adeatur, impeditur alter quin, omisso qui prius est aditus, possit adiri, nisi negotium ipsum ceptum seu incoatum fuerit coram primo, secundum quod multo magis impetranti licebit, re integra, non uti beneficio impetrati rescripti, et ab ordinario consequi quod per delegatum poterat expediri : quia potest quis renuntiare hiis que pro se introducta sunt, ac valet in favorem suum concessa procul dubio refutare, et, quamquam ordinarius, prout et legatus, commissionem alii per nos factam, cum speciale deroget generali, nequeat impedire, tamen juxta premissa dubium non est quin, ut in casu proposito, impetrans, re sicut predicitur integra, possit delegato omisso explicare per ordinarium quod intendit. Ac per hoc, non injuste volentes ut hujusmodi confirmatio habita per archidiaconum ipsum de Tarascha, si alias rite facta est, debitum sortiatur effectum, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, auctoritate nostra, ille ex vobis qui super hoc requisitus fuerit, memorato Petro munus benedictionis impendat, sibique vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, faciatis a conventu ipsius monasterii ac aliis suis subditis obediri humiliter ac intendi. Contradictores per censuram ecclesiasticam, et cetera. Dat. Laterani, XVII kal. januarii, anno quinto.

3275 (CCCCI) Latran, 23 décembre 1299.

De benedictione electo Sancti Petri de Percipiano impendenda. (fol. 226 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Terdonensi, et . . Placentino episcopis. Vacante nuper monasterio —.

Mandatur quatinus alter eorum cum ab eo fuerit requisitus benedictionis munus Johanni de Ratis de Opizonibus, electo abbati monasterii S. Petri de Percipiano ordinis sancti Benedicti, Terdonensis diocesis, impendat.

Dat. Laterani, X kal. januarii, anno quinto.

3276 (CCCCII) Latran, 30 décembre 1299.

Committitur dispensatio matrimonii in civitate Toletana. (fol. 227.)

. . *archidiacono ecclesie Tholettane.* Exhibita nobis dilecti —.

Suprascripto mandatur, cum « archiepiscopus Tholetanus, cui esset in hoc casu scribendum, apud Sedem Apostolicam consistat ad presens », quatinus cum Petro Gundisalvi dicto Ca-

meno et Columba nata Didaci, civibus Toletanis, qui ignorantes se quarto affinitatis gradu contingere matrimonium contraxerunt, inquisitione super predictis diligenter facta, dispenset.

Dat. Laterani, III kal. januarii, anno quinto.

3277 (CCCCIII) Latran, 31 décembre 1299.

Confirmantur Branchaleoni de Auria bona ex successione matris ad eum pertinentia in judicatu Turritano. (fol. 227.)

Nobili viro Branchaleoni de Auria, civi Januensi. Merita tue devotionis —.

Confirmantur suprascripto et ejus heredibus omnia bona immobilia et jura que ex successione quondam Pretiose matris sue in insula Sardinie in judicatu Turritano tenet et « alia etiam que per alium vel alios detinentur ibidem. »

Dat. Laterani, II kal. januarii, anno quinto.

3278 (CCCCIIII) Même date.

Confirmatur et completur legitimatio matris ejusdem Branchaleonis de Auria. (fol. 227.)

Eidem. Romana mater Ecclesia —. Sane nobis humiliter supplicasti ut, cum quondam Marianus, Turritanus judex, avus maternus tuus, quondam Pretiosam matrem tuam, natam ipsius ex incestuoso consortio editam, secundum moram et ritum regni Sardinie specialiter judicatus ipsius verbis vulgaribus per ydioma regionis ejusdem legitimaverit seu matronaverit, et ad actum successionis, quantum in ipso extitit, habilem eam reddiderit et capacem, ut ipse legitimatio seu matronatio patrie verbis utendo robur firmioris firmitatis obtineat, confirmare de Apostolice potestatis plenitudine dignaremur.

Dictam legitimationem seu matronationem confirmat dominus papa et adjicit ad gratiam ut eadem suprascriptum ejusque posteros ad successionem feudorum etiam legitimos faciat et habilitet successores.

Dat. ut supra.

3279 (CCCCV) Latran, 18 décembre 1299.

Confertur cum dispensatione prioratus monasterii S. Bartholomei de Benevento, Lemovicensis diocesis, in Curia vacans. (fol. 227.)

Dilecto filio Ysarno de Fontiano, capellano nostro, priori monasterii Sancti Bartholomei de Benevento, per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis. Laudanda tue probitatis —.

Huic monasterio per mortem Fulcaudi de Sancto Germano, qui pridem apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacanti et Apostolice dispositioni reservato, suprascriptus, tunc canonicus ecclesie Carcassonensis, ejusdem ordinis, preficitur in priorem et ei indulgetur ut una cum dicto monasterio archipresbyteratum, canonicatum et prebendam quos in ecclesia Carcassonensi obtinet retinere valeat.

Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno quinto.

In. e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii Crassensis, Carcassonensis diocesis, et Huguitioni de Vercellis, Brugensis, Tornacencis diocesis, capellano nostro, ac Berengario de Codoleto, Elnensis canonicis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

3280 (CCCCVI) Latran, 28 décembre 1299.

Confertur vel reservatur beneficium in Parmensi diocesi Bonavolte de Malavoltis. (fol. 227 vo.)

Dilecto filio Bonavolte nato quondam Guillelmi de Malavoltis, clerico Bononiensi. Illis nos decet —.

Ei, obtentu nobilis viri Hubaldini de Malavoltis, germani ejus, pro eo supplicantis, beneficium ecclesiasticum prebendale vel aliud cum cura vel sine cura, etiamsi dignitas existat, si quod in cathedrali vel alia ecclesia civitatis et diocesis Parmensis vacat, confert vel cum vacaverit reservat, non obstante quod vicesimum quartum annum, quem attigisse noscitur, nondum exegisse creditur.

Dat. Laterani, V kal. januarii, anno quinto.

Dilectis filiis .. Sancti Laurentii in Culina, et .. Sancti Johannis in Persiceto, Bononiensis diocesis, archipresbyteris, ac magistro Huguitioni de Vercellis, subdiacono et capellano nostro, canonico Brugensis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum. — Dat. ut supra.

3281 (CCCCVII) Latran, 28 décembre 1299.

De reformatione monasterii de S. Helena, Bononiensis diocesis. (fol. 228.)

Venerabili fratri .. episcopo Bononiensi. Cum ex suscepto —.

Cum monasterium de Sancta Helena, ordinis sancti Benedicti, Bononiensis diocesis, in quo ab antiquo esse consuevit decens

collegium monachorum, sit et fuerit triginta annis et amplius jam elapsis ab eisdem monachis penitus derelictum et ecclesie ipsius monasterii per seculares presbyteros et clericos conductitios solummodo deserviatur, aliquibus predictorum monachorum viam universe carnis ingressis, quibusdam vero superstitibus, qui pauci existunt, per seculum dampnabiliter evagantibus, mandatur suprascripto ut dictum monasterium reformet secundum statuta canonica, vagantes admittendo et alias personas ydoneas regulares, aut in eodem ydoneos instituat clericos seculares.

Dat. Laterani, v kal. januarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24896.)

3282 (CCCCVIII) Anagni, 1er octobre 1299.

Dispensatio super illegitimitate. (fol. 228.)

Thome nato quondam Johannis dicti Pigalotti de Paliano militis, canonico ecclesie Sancti Amati Duacensis, Atrebatensis diocesis. Consuevit Apostolice Sedis —.

Dispensatur cum eo quem quondam Johannes dictus Pigalottus tunc conjugatus genuit de soluta.

Dat. Anagnie, kal. octobris, anno quinto.

3283 (CCCCVIII *bis*) Latran, 23 décembre 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 228.)

Dilecto filio nobili viro Raginaldo de Precigneyo ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Agneti de Toteys uxori ejus, Turonensis diocesis. Etsi conjunctio copule —.

Dispensatur cum eis ut in matrimonio quod contraxerunt, ignorantes quondam Johannem vicecomitem de Brocia Agnetis priorem maritum Raginaldum quarto consanguinitatis gradu contigisse, licite remanere valeant.

Dat. Laterani, x kal. januarii, anno quinto.

3284 (CCCVIIII) Latran, 23 décembre 1299.

Transfertur Bertrandus episcopus Convenarum ad Burdegalensem sedem. (fol. 228 v°.)

Venerabili fratri Bertrando, olim Convennarum episcopo, in archiepiscopum Burdegalensen electo. Supreme dignitatis—. Dudum siquidem Burdegalensi ecclesia per obitum bone memorie Henrici, Burdegalensis archiepiscopi, solatio destituta pastoris, dilecti filii . . decanus et capitulum ejusdem ecclesie, certa die ad eligendum prefixa pro futuri substitutione prelati, vocatis et presentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt comode interesse, insimul convenerunt. Et tandem, nonnullis super hoc tractatibus habitis ex quibus effectus non extitit subsecutus, deliberaverunt per viam procedere compromissi, eidem decano et dilecto filio . . archidiacono Servensi in eadem ecclesia providendi ea vice eidem ecclesie de pastore concedentes plenam et liberam potestatem. Qui, hujusmodi potestate recepta, secedentes in partem, deliberatione super hoc prehabita diligenti, dilectum filium Bozonem, archidiaconum Melducensem in ipsa ecclesia Burdegalensi, in Burdegalensem archiepiscopum concorditer elegerunt. Qui electioni hujusmodi de se facte ad instantiam prefati capituli infra tempus a jure statutum consentire curavit ac hujusmodi occasione negotii ad Apostolicam Sedem se personaliter contulit, et demum, in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, ex certis causis omne jus, si quod sibi ex electione hujusmodi competere poterat, sponte ac libere in nostris manibus resignavit. Nos autem, ab eodem Bozone resignatione recepta, cupientes ex officii nostri debito prefate ecclesie de persona utili providere, provisionem faciendam ipsi Burdegalensi ecclesie de prelato ea vice Sedi Apostolice duximus reservandam, decernentes extunc irritum et inane si secus super hiis scienter vel ignoranter contingeret attemptari, ac tandem, de ipsius ecclesie Burdegalensis ordinatione sollicite cogitantes, et talem illi cupientes preesse pontificem de quo certam haberemus notitiam quod ipsum clara meritorum suorum insignia redimirent, nec dubia esset ipsius caritas erga plebem suo regimini commendandam, in cujus fide fida recumberet securitas subditorum, in te, tunc ecclesie Convenarum regimini presidentem, cui eminentem litterarum scientiam, honestatem vite, morum maturitatem, spiritualium et temporalium providentiam aliaque virtutum merita per experientiam novimus suffragari, direximus oculos nostre mentis. Quapropter, volentes prefate Burdegalensi ecclesie speciali affectu et solerti diligentia providere, de predictorum fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, te a vinculo quo tenebaris predicte Convenarum ecclesie absolventes, te ad Burdegalensem ecclesiam supradictam transferimus, teque ipsi Burdegalensi ecclesie in archiepiscopum preficimus et pastorem, liberam tibi exhibentes licentiam ad eandem Burdegalensem ecclesiam transeundi, curam et administrationem ipsius tibi in spiritualibus et temporalibus committendo, firma concepta fidu-

cia quod eadem Burdegalensis ecclesia per tue circumspectionis industriam Deo auctore a noxiis preservabitur et adversis, et in prosperis salubria suscipiet incrementa. Reverenter itaque suscipe jugum Domini et tua ejus oneri colla submitte, manumque viriliter mittens ad fortia curam et administrationem ejusdem Burdegalensis ecclesie prudenter exequi studeas, et gregis tibi commissi custodiam prosequi diligenter, solerter et constanter, oppositurus te murum pro domo Domini ascendentibus ex adverso, ut, laudabili de ipsa reddita in die districti examinis ratione, regnum Patris Eterni ab origine mundi paratum electis accipias, in dilecta tabernacula letabundus introeas et eundem gregem tue discretioni commissum ad uberioris meriti fructum et retributionis majoris cumulum introducas. Dat. Laterani, x kal. januarii, anno quinto.

In. e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Burdegalensis, — clero civitatis et diocesis — constabulariis, capitaneis, senescalcis, ac officialibus regiis, et populo civitatis et diocesis Burdegalensis — universis vassallis — venerabilibus fratribus universis suffraganeis ecclesie Burdegalensis — carissimo in Christo filio Phylippo regi Francorum illustri.* — Dat. ut supra.

3285 (CCCCX) Latran, 21 décembre 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 229.)

Dilecto filio nobili viro Richardo, comiti Cephalunie, et dilecte in Christo filii nobili mulieri Margarite, filie quondam principis Achaye, uxori ejus. Etsi conjunctio copule —.

Dispensatur cum eis ut in matrimonio quod contraxerunt, ignorantes sororem nobilis viri Thomasii de Solona, olim uxorem Richardi, cum Margareta fuisse tertio vel quarto consanguinitatis gradu conjunctam, remanere valeant.

Dat. Laterani, xii kal. januarii, anno quinto.

3286 (CCCCXI) Latran, 22 décembre 1299.

Provisio ecclesie Convenarum. (fol. 229.)

Dilecto filio Bosoni, electo Convenarum. Ex suscepte servitutis —.

Suprascriptus, archidiaconus Melducensis in ecclesia Burdegalensi, ecclesie Convenarum, per translationem Bertrandi episcopi ad archiepiscopatum Burdegalensem vacanti et Apostolice dispositioni reservate, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, xi kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo — clero — populo — universis vasallis — venerabili fratri . . archiepiscopo Auxitano — carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri.* — Dat. ut supra.

3287 (CCCCXII) Latran, 30 décembre 1299.

Confirmatur Manfrido Malette donatio Manfredonie ab Innocentio quarto ei quondam facta. (fol. 229 v°.)

Dilecto filio nobili viro Manfrido dicto Malette, comiti camerario. Devotionis et fidei —. Sane in nostra proposuisti presentia constitutus quod felicis recordationis Innocentius papa quartus, predecessor noster, solum, in quo terra que Manfredonia dicitur nunc extitit, Sipontine diocesis, Apostolica tibi liberalitate donavit atque concessit; tuque ibidem terram predictam propriis edificari fecisti sumptibus, quam in perpetuam nominis tui memoriam Manfredoniam appellasti. Cumque demum clare memorie C., rex Sicilie, te a possessione ejusdem terre quam diu possederas amovisset, pie recordationis Clemens papa quartus, predecessor noster, ad quem super hoc habuisti recursum, possessionem tibi fecit restitui terre prefate ipsamque aliquandiu postmodum tenuisti pacifice et quiete; sed per eundem regem fuisti deinde destitutus eadem, que nunc a carissimo in Christo filio nostro C., rege Sicilie, possidetur. Nos igitur, dum attente consideramus quod exilii tui tempore nec per te ipsum nec etiam per procuratorem prescriptiones contra te currentes interrumpere potuisti; dum caritatis opera quorum plura se adhuc oculis hominum exhibent que fecisti hactenus sollicite cogitamus et innocentie quam ambulasti viam cum sevire poteras, plenius intuemur; dum animum tuum paci semper et quieti deditum non seditionibus et bellis diligenter attendimus, ac devotionem, quam olim erga Romanam Ecclesiam consiliis tuis, sicut fama referente didicimus, novissime vero diebus istis etiam ab experto cognovimus, cum castra tua que in insula tenebas Sicilie, ad usum Siculi belli contra hostes plurimum utilia dudum et in futurum faciente Domino non modicum oportuna, posuisti in manibus dilecti filii nobilis viri Roberti ducis Calabrie pro eadem Ecclesia, ostendisti, curiose conspicimus; dum alias insuper rationes que ad id juste nos movent quasque non sine causa subticemus ad presens profundius infra nostre mentis archana revolvimus, non indignum putamus quod in infrascriptis adversus quasvis offensas et culpas, si quas commisisse forsitan dicereris, ac prescriptiones, sententias et processus quoslibet nostros vel predecessorum nostrorum Romanorum Pontificatum aut Sicilie regum sive judicum et officia-

lium suorum, seu nostra vel eorum auctoritate habitos, bonorum etiam confiscationes et proscriptiones quascumque, qui te quoquo modo comprehendere seu contingere possent, nostre gratie potiaris beneficio et munimine defendaris. Ea propter, tuis supplicationibus inclinati, confidentes quod predictam Ecclesiam tanto curabis propensiori studio revereri quanto magis eam tibi favorabilem senties et benignam, terram predictam cum juribus et pertinentiis suis, prout alias ea ad te pertinent, predictis offensis, culpis, prescriptionibus, sententiis, processibus, confiscationibus et proscriptionibus nequaquam obstantibus, tibi tuisque heredibus auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, et cetera usque : comunimus. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, et cetera. Dat. Laterani, III kal. januarii, anno quinto.

3288 (CCCCXIII) Même date.

Confirmantur eidem alia bona in terra Beneventana et regno Sicilie. (fol. 230.)

Eidem. Devotionis et fidei promptitudo, et cetera ut in proxima superiori usque : constitutus quod tu olim Gisualdi ac Flumarii baronias nec non casalia Greci, Savignani, Ferrarie, Montis Aperti, in terra Beneventana, Montis Miloni, in Basilicata, Sancti Johannis Rotundi, in monte Sancti Angeli, quasdam insuper domos in Barolo cum eorum omnibus juribus et pertinentiis justo emptionis titulo acquisisti, pro certis unciarum auri quantitatibus per te personis illis ad quas tunc baronie, casalia et domus hujusmodi pertinebant integre persolutis, ac in earundem baroniarum, casalium et domorum aliquamdiu possessione pacifica extitisti, qua destitutus fuisti, et predicta nunc ab aliis possidentur. Nos igitur dum attente consideramus et cetera usque : inclinati, baronias, casalia et domos predicta, prout alias ea ad te pertinent, cum eisdem juribus et pertinentiis, predictis offensis, culpis, prescriptionibus, sententiis, et cetera usque in finem.

3289 (CCCCXIIII) Latran, 23 décembre 1299.

Provisio ecclesie Lectorensis. (fol. 230.)

Magistro Petro de Ferreriis, electo Lectorensi. Summi providentia Principis —. Dudum siquidem Lectorensi ecclesia, per obitum bone memorie Geraldi episcopi — solatio destituta pastoris, dilecti filii . . archidiaconus et capitulum—deliberarunt per viam procedere compromissi dilectis filiis magistris Bernardo de Monte Lugduno, archidiacono, ac Bernardo de Paponibus et Arnaldo de Momino, canonicis predicte ecclesie Lectorensis, providendi ea vice de ipsius ecclesie gremio seu etiam de se ipsis — potestatem concedentes. Qui — dilectum filium Arnaldum de Monte Lugduno, archidiaconum Leomurnie in ipsa ecclesia, in Lectorensem episcopum concorditer elegerunt. Presentato itaque venerabili fratri nostro .. Auxitano archiepiscopo, loci metropolitano, hujusmodi electionis decreto, ipsam ex certis causis renuit confirmare, asserens ipsam per appellationem ad Sedem Apostolicam interjectam legitime devolutam. Demum dictus Arnaldus in nostra presentia constitutus — in nostris manibus resignavit, cujus resignationem benigne duximus admittendam.

Suprascriptus, tunc decanus ecclesie Aniciensis, Lectorensi ecclesie, Apostolice dispositioni reservate, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, x kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis. . archidiacono et capitulo — clero — populo — universis vassallis.* — Dat. ut supra.

3290 (CCCCXV) Latran, 9 janvier 1300.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam septem millium florenorum auri. (fol. 230 v°.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, v id. januarii, anno quinto.

3290[1] Sans date.

Forma juramenti. (fol. 220, v°.)

Ego Jacobus, episcopus Cathacensis —.

3291 (CCCCXVI) Latran, 26 décembre 1299.

Indulgentia pro ecclesia S. Marie de Pace, Bononiensis diocesis. (fol. 230, v°.)

Dilectis filiis . . guardiano et fratribus ordinis Minorum Sancte Marie de Pace, Bononiensis diocesis. Ante thronum divine —.

1. Hoc capitulum insertum fuit sine rubrica et sine numero.

Indulgentia unius anni et quadraginta dierum in singulis Virginis festivitatibus et unius anni in beati Francisci et sanctorum Martini, Bonifatii, Benedicti et sancte Marie Magdalene festivatibus conceditur visitantibus dictam ecclesiam.

Dat. Laterani, VII kal. januarii, anno quinto.

3292 (CCCCXVII) Latran, 11 janvier 1299.

De restitutione bonorum suorum Manfredo Malette a rege Sicilie facienda. (fol. 230 v°.)

Carissimo in Christo filiis C[arolo], Jerusalem et Sicilie regi illustri. Dignum arbitramur —.

Eum rogat ut juxta confirmationis Apostolice tenorem terram et bona quibus fit mentio in capitulis CCCCXII et CCCCXIII. Manfredo dicto Malette, comiti camerario, restituat.

Dat. Laterani, III id. januarii, anno quinto.

3293 (CCCCXVIII) Latran, 18 décembre 1299.

Committitur confirmatio electi Catacensis. (fol. 230 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Neapolitano. Olim ecclesia Catacensi per obitum bone memorie Roberti, Catacensis episcopi, pastoris solatio destituta, — de dilecto filio Jacobo, cantore ipsius ecclesie, in episcopum ejusdem ecclesie extitit per compromissi formam electio celebrata: qui infra tempus a jure statutum hujusmodi electioni de se facte consensit. Cumque, pro ejusdem electionis negotio ad dilectum filium nostrum Landulfum, Sancti Angeli diaconum cardinalem, in regno Sicilie Apostolice Sedis legatum, habitus fuisset recursus, decreto electionis jam cardinali presentato prefato, nos, priusquam esset hujusmodi negotium expeditum, eundem cardinalem ad nostram presentiam duximus evocandum.

Mandatur suprascripto quatinus, inquisitione diligenter facta, dictam electionem confirmet et electo munus consecrationis impendat.

Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno quinto.

3294 (CCCCXVIIII) Latran, 9 janvier 1300.

Ut episcopus Atrebatensis tabellionatus officium tribus personis ydoneis conferre valeat. (fol. 231.)

Venerabili fratri G., episcopo Atrebatensi. Cum sicut asseris —. Dat. Laterani, V id. januarii, anno quinto.

3295 (CCCCXX) Même date.

Conceditur eidem episcopo facultas imponendi clero sue diocesis auctoritate Apostolica subsidium pecuniarium. (fol. 231.)

Eidem. Personam tuam claris —. Cum itaque — tu et predicta ecclesia magno sitis debitorum onere pregravati, nos fraternitati tue imponendi auctoritate nostra universis abbatibus, prioribus ceterisque prelatis, conventibus, capitulis et collegiis ac quibuscumque personis ecclesiasticis, tam religiosis, cujuscumque sint ordinis, quam secularibus, exemptis et non exemptis, tue civitatis et diocesis, subsidium pecuniarium usque ad summam duorum milium librarum turonensium parvorum, distribuendum proportionaliter, inter eos, prout pensatis eorum facultatibus videris expedire, — ipsosque ad exhibendum tibi subsidium ipsum, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita — compellendi — concedimus potestatem. — Dat ut supra.

3296 (CCCCXXI) Même date.

Alia gratia pro eadem. (fol. 231.)

Eidem. Tuam volentes honorare —.

Concedit eidem facultatem recipiendi et faciendi recipi in sua cathedrali ac Sancti Amati et Sancti Petri Duacensibus ecclesiis, sue diocesis, tres personas ydoneas in canonicos, etiamsi ipse persone unum vel plura beneficia jam obtineant.

Dat. ut supra.

3297 (CCCCXXII) Latran, 23 décembre 1299.

Provisio monasterii S. Prosperi Regini. (fol. 231.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Prosperi Regini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Licet continuata supervenientium —.

Hoc monasterio per obitum quondam Guillelmi abbatis vacante, frater Gerardus Bastarcha, ipsius monasterii monachus, compromissarius a priore et conventu electus, fratrem Albertum, monachum monasterii de Vagantitia, Camaldulensis or-

dinis, Adriensis diocesis, in abbatem duxit eligendum. Postmodum vero dictus frater Albertus, ad Sedem Apostolicam accedens pro confirmatione sue electionis, in manibus domini pape resignavit et provisio ejusdem monasterii Apostolice dispositioni reservata fuit. Suprascriptus, tunc abbas monasterii de Palatiolo, Cisterciensis ordinis, Albanensis diocesis, preficitur in abbatem.

Dat. Laterani, x kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui.* — Dat. ut supra.

3298 (CCCCXXIII) Latran, 10 janvier 1300.

Reformatio pacis inter infrascriptos et marchiones Estenses, nec non Ferrarienses, Mutinenses ac Reginos. (fol. 231 v°.)

Dilectis filiis consilio et communi Bononiensibus. Pronunciationem quamdam—.

Promulgatur pax virtute compromissi in sequenti capitulo contenti inter suprascriptos, ex una parte, et marchiones Estenses et communia Ferrarie, Mutine et Regii, ex altera, pronunciata, inserto pronunciationis instrumento incipiente : « In nomine Domini, amen. Anno Domini MCCLXXXXVIIII, ind. XII, pontificatus D. Bonifatii pp. VIII anno quinto, die XXIV mensis decembris. Sanctissimus pater » finiente : « Acta, recitata — in palatio Lateranensi, in camera ejusdem D. pape, presentibus — D. Matheo, episcopo Portuensi, ac nobilibus viris D. Jacobo domini Odonis de Pisis, D. Bernazone domini Catenatii, D. Petro de Grimaldo, D. Rogerio filio suo de Anagnia, D. Alexandro de Sarmineto, militibus, familiaribus predicti D. pape, D. Raynerio de Bondelmontibus, D. Brunetto de Brunelleschis, D. Albizo Corbinelli militibus, Rogerio de Tornaquineis, Gentili domini Oddonis Antoniti et Raynerio Tholomei, notario de Florentia, qui syndici seu ambaxiatores seu nuntii communis Florentie destinati specialiter super hujusmodi negotio — dicebantur — testibus —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. » Quia occasione castrorum Bazani et Savignani, Mutinensis diocesis, que ad commune Mutine pertinebant et tunc per Bononienses detenta erant, propter vicinitatem et contiguitatem ac promiscuitatem etiam ipsorum castrorum et territorii seu districtus vel comitatus Bononiensis hujusmodi guerre, ut asseritur, quasi principaliter obvenerunt, castra ipsa in plenum jus et proprietatem communi Bononiensi perpetuo conceduntur, ea tamen lege quod prefatum commune Bononiense det competens excambium « in pecunia vel bonis et rebus stabilibus predicto communi Mutinensi prout nos extimandum duxerimus ac etiam arbitrandum. » De extrinsecis Ferrarie, Mutine ac Regii qui hujusmodi occasione discordie forbanniti noscuntur, certa quantitas, « juxta quod nos duxerimus ordinandum », ad civitates easdem restituatur, ceteri eorum bona per procuratores possidere libere valeant. Quedam castra ad commune Mutine pertinentia que per certas personas de comitatu Mutine ipsi communi rebelles, sequaces communis Bononiensis, occupata detineri dicuntur et quedam alia detenta ut dicitur per comites de Panigo, concives et sequaces communis Bononiensis, que ad commune Mutine ut proponitur pertinent, commune Bononiense communi Mutine vel illis quorum sunt, quantum in eo est, dimittat et quoad eorum detentionem nullum detentoribus prestet auxilium, in ipsis jure cujuslibet semper salvo.

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24899.)

3299 (CCCCXXIIII) Latran, 10 janvier 1300.

Eadem de re. (fol. 232 v°.)

Dilectis filiis consilio et communi Bononiensibus. Super reformanda pace —.

Insertur instrumentum compromissi quod fecerunt in dominum papam super omnibus et singulis super quibus dissidere ad invicem noscebantur, constituti in sua presentia apud Urbemveterem, procurator illustrium virorum D. Aczonis marchionis Estensis et D. Francisci fratris et commarchionis ipsius, et communium Ferrarie, Mutine et Regii, et procuratores Regii; Mutine; Cesene; Forlivi, castri de Bannacavallu, extrinsecorum Ravenne et castri Cari; Faventie; Imole, partis Lambertaciorum extrinsecorum de Bononia et nobilis viri D. Allidosii de Lamassa de civitate Imole; Forlivii; Imole; partis extrinsecorum de Ravenna; partis Lambertaciorum extrinsecorum de Bononia; magnifici viri D. Maginardi Pagani de Susinana et nobilis viri D. Scarpette de Ordelaffis de Forlivio; castri de Bannacavallu, ex parte una, et procuratores Bononie, Ravenne et nobilis viri D. Guidonis de Polenga, Arimini et nobilis viri D. Malateste de Veruculo; Arimini; Cervie; extrinsecorum et exilitiorum extra civitatem et districtum Cesene, extrinsecorum Mutine; Brittenorii; partis guelfe extrinsece Imole; partis extrinsece de Faventia; nobilis viri Folcherii de Calbulo; D. fratris Alberici de Manfredis; nobilis viri D. Malateste de Veruculo civis Ariminensis; magnifici viri D. Raynerii comitis de Cunio; fratris Alberici de Manfredis ordinis Militie B. Marie Virginis civis Faventini, sequacium predictorum Bononiensium, ex altera. Cujus tenor incipit : « In nomine Domini amen. Anno Domini MCC nonagesimo septimo, ind. X, pontificatus sanctissimi patris dni Bonifatii pp. VIII anno tertio, die XXVII mensis octobris. » et finit : « Actum apud Urbemveterem, in palatio papali, in sala consistorii, presentibus — G., Sabinensi, M., Portuensi, et J., Tusculano episcopis, Hugone, tt. S. Sabine, F. Thoma, tt. S. Cecilie presbyteris, Matheo, S. Marie in Porticu, Francisco, S. Marie in Cosmedin, Petro S. Marie Nove, Jacobo, S. Georgii ad Velum Aureum, et pluribus aliis cardinalibus, nec non nobilibus viris dominis Jacobo

de Pisis, Stephano Scarapatio, Petro de Grimaldo et Gregorio de Ferentino, militibus et multis aliis —. Et ego Nicolaus dictus Novellus de Vico —. »

Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno quinto.

3300 (CCCCXXV) Anagni, 26 août 1299.

Conferuntur canonicatus et prebenda Assisinatis ecclesie vacantes in Curia. (fol. 232 v°.)

Dilecto filio Thome nato magistri Egidii notarii de Asisio, canonico Asisinati. Cum nuper in —.

Suprascripto, consideratione M., Portuensis et Sancte Rufine episcopi, pro eo clerico et familiari suo supplicantis, canonicatum et prebendam, per obitum quondam Bene germani ejus, qui nuper apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacantes et ejusdem Sedis dispositioni devolutos, confert dominus papa et de illis providet, abolita inhabilitate quam contraxit tenendo, absque dispensatione Apostolica nec ad presbyteratum se faciens promoveri, ecclesias curatas Sancti Blasii de Plano Bittonii, Assisinatis, et Sancti Antolini de Puttiguano, Nucerine diocesium.

Dat. Anagnie, VII kal. septembris, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Perusino et dilectis filiis .. abbati monasterii Sancti Petri Asisinatis et Johanni de Tuderto, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe.* — Dat. ut supra.

3301-3301 *bis* (CCCCXXVI) Latran, 18 janvier 1300.

Executoria mutui ab archiepiscopo Burdegalensi recepti. (fol. 233 v°.)

Dilectis filiis magistris Titio, archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, et Raynerio de Vichio, Lichefeldensis, cappellanis nostris, ac Lante Guidonis, Pistoriensis canonicis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum sex millium florenorum auri de summa septem millium quos Bertrandus, archiepiscopus Burdegalensis, recepit a Lante Agolantis mutuante pro se ac Jacobo Agolantis fratre suo, civibus et mercatoribus Pistoriensibus.

Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno quinto.

Latran, 30 janvier 1300.

In e. m. *dilectis filiis magistro Johanni de Civitate Papali, Camere nostre clerico, thesaurario Cathalaunensis, ac .. preposito Pistoriensis, et .. officiali Nemausensis ecclesiarum.* Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum mille florenorum de summa septem millium quos recepit Bertrandus, archiepiscopus Burdegalensis, ab Anselmo Meliorati mutuante pro se ac Andrea Mergulliesis, Symone Anselmi, Radulfo et Clarente Gerardini et Nello Andree ac ceteris eorum sociis de societate Clarentum de Pistorio.

Dat. Laterani, III kal. februarii, anno sexto.

3302 (CCCCXXVII) Latran, 23 décembre 1299.

Provisio monasterii de Bello Loco in Argona. (fol. 234.)

Dilecto filio Guidoni, abbati monasterii de Bello Loco in Argona, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis. Assumpti quamvis immeriti —.

Vacante dicto monasterio per liberam resignationem fratris Falconis, due electiones in discordia celebrate fuerunt a priore et conventu, una videlicet de fratre Theobaldo de Cathalauno, ipsius monasterii monacho, et altera de fratre Stephano, priore de Flabeyo, Cluniacensis ordinis, ejusdem Virdunensis diocesis. Hujusmodi electionum negotio ad Sedem Apostolicam per appellationem devoluto predicti Theobaldus et Stephanus resignarunt, et provisio ejusdem monasterii fuit Apostolice Sedi reservata. Suprascriptus, olim prior prioratus Montis Desiderii, ejusdem Cluniacensis ordinis, Ambianensis diocesis, preficitur in abbatem.

Dat. Laterani, X kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. priori et conventui — universis hominibus feudatariis et vassallis — carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francie.* — Dat. ut supra.

3303 (CCCCXXVIII) Latran, 18 janvier 1300.

Provisio ecclesie Treverensis. (fol. 234 v°.)

Dilecto filio Ditherio, electo Treverensi. Onerosa pastoralis officii —.

Treverensi ecclesie per obitum bone memorie Boemundi archiepiscopi vacanti et Apostolice dispositioni reservate, suprascriptus ordinis Fratrum Predicatorum, de nobilibus ortus natalibus, preficitur in archiepiscopum.

Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano et capitulo ecclesie Treverensis — clero — populo — universis vassallis — suffraganeis.* — Dat. ut supra.

3304 (CCCCXXVIIII) Latran, 23 décembre 1299.

Confirmatio abbatis monasterii S. Vincentii de Vulturno. (fol. 234 v°.)

Dilecto filio Johanni de Cerro, abbati monasterii Sancti Vincentii de Vulturno, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Debitum officii nostri —.

Vacante dicto monasterio per obitum quondam Petri abbatis, . . decanus et conventus ejusdem in suprascriptum, tunc abbatem monasterii Sancte Marie de Fundiliano, eidem Romane Ecclesie immediate subjecti, ejusdem ordinis, Nuscane diocesis, olim ipsius monasterii Sancti Vincentii monachum et ibidem ab annis teneris educatum, consenserunt unanimiter et frater Petrus, prepositus dicti monasterii, unus de tribus scrutatoribus electis, eum abbatem elegit. Accedente dicto electo ad Sedem Apostolicam pro confirmatione et examinatione facta per J., Tusculanum episcopum, et Nicolaum, tituli Sancte Sabine presbyterum, et Petrum, Sancte Marie Nove diaconum cardinales, confirmatur ejus electio.

Dat. Laterani, x kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et conventui — universis vassallis — Carolo, regi Sicilie.* — Dat. ut supra.

3305 (CCCCXXX) Latran, 23 décembre 1299.

Provisio ecclesie Aurelianensis. (fol. 235.)

Dilecto filio Bertrando, electo Aurelianensi. Inter cetera que —.

Vacante Aurelianensi ecclesia per obitum bone memorie Ferrici episcopi, due electiones celebrate fuerunt in discordia per viam scrutinii a decano et capitulo ejusdem, una videlicet de Johanne de Sancto Verano, archidiacono Sigalonie in eadem ecclesia, et alia de magistro Nicolao dicto Bovie, canonico Senonensi. Hujusmodi electionum negotio per appellationem dicti archidiaconi ad Apostolicam Sedem devoluto, iidem electi ad eandem personaliter accedentes libere resignarunt et provisio ejusdem Apostolice dispositioni reservata fuit. Suprascriptus, archidiaconus in ecclesia Remensi, preficitur in episcopum.

Dat. Laterani, x kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo — clero — populo — universis vassallis — archiepiscopo Senonensi — Phylippo, regi Francorum* —. Dat. ut supra.

3306 (CCCCXXXI) Latran, 26 décembre 1299.

Concessio pallei. (fol. 235 v°.)

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Tholetano. Cum palleum —.

Testatur eum recepisse palleum per J., Tusculanum, et M., Portuensem episcopos, et M., Sancte Marie in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Landulphum, Sancti Angeli, Jacobum, Sancti Georgii ad Velum Aureum, et Petrum, Sancte Marie Nove diaconos cardinales.

Dat. Laterani, VII kal. januarii, anno quinto.

3307 (CCCCXXXII) Latran, 12 janvier 1300.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium florenorum auri. (fol. 236.)

Dilecto filio Astulfo, abbati monasterii Sancti Ambrosii Mediolanensis, ordinis sancti Benedicti. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, II id. januarii, anno quinto.

3308 (CCCCXXXIII) Latran, 15 janvier 1300.

Executoria precedentis mutui. (fol. 236.)

Dilectis filiis Bartholino, preposito Pistoriensis, et Johanni de Civitate Papali, thesaurario Cathalaunensis ecclesiarum, ac . . officiali Mediolanensi. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis predecens mutuum receptum a Baldo Raynerii, Anselmo Melliorati, Andrea Mergulliesis, Nello Andree et Lapo Baldi Raynerii mutuantibus pro se et Clarentino Anselmi, Mergulliese Bracii, Puccio de Floravantis et Marsoppino de Clarentis, Puccio et Manno Daynesis, Cepparello Jacobi, Manetto Gualdinarii et Vanne Bartholomei suis sociis de societate Clarentum de Pistorio.

Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno quinto.

3309 (CCCCXXXIIII) Latran, 22 janvier 1299.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam sex millium florenorum auri. (fol. 236.)

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Tholetano. Cum sicut —. Dat. Laterani, XI kal. februarii, anno quinto.

3310 (CCCCXXXV) Latran, 21 janvier 1300.

Indulgetur ad biennium ut civitatem, diocesim et provinciam per vicarios ydoneos visitare et procurationes in pecunia recipere valeat.

Eidem. Personam tuam nobis —. Dat. Laterani, XII kal. februarii, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri .. episcopo Placentino et dilectis filiis .. decano Salamantine, ac Bertuldo nato nobilis viri Ursi de filiis Ursi de Urbe, preposito Montis Falconis, Remensis diocesis, ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

3311 (CCCCXXXVII) Latran, 13 janvier 1300.

Licentia contrahendi mutuum usque ad summam sexcentorum florenorum auri. (fol. 236.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Prosperi Regini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Cum sicut in nostra —. Dat. Laterani, id. januarii, anno quinto.

3312 (CCCCXXXVII) Latran, 24 novembre 1299.

Provisio monasterii S. Trinitatis Militensis. (fol. 236.)

Dilecto filio Landulfo, Sancti Angeli diacono cardinali. Cum monasterium Sancte Trinitatis Militensis, ad Romanam Ecclesiam nullo pertinens mediante, ordinis sancti Benedicti, per promotionem venerabilis fratris nostri Nicolai, Neucastrensis episcopi, tunc abbatis ipsius monasterii, in Neucastrensem episcopum jam promoti et etiam consecrati, vacare noscatur ad presens, nos — discretioni tue — preficiendi hac vice dicto monasterio dilectum filium fratrem Nicolaum, abbatem monasterii Sancti Angeli de Rubiliano, Florensis ordinis, Stabiensis diocesis, in abbatem, si utilitati ejusdem monasterii Sancte Trinitatis expedire videris — committimus potestatem. Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno quinto.

3313 (CCCCXXXVIII) Latran, 13 janvier 1300.

Conceduntur in feudum quedam bona Columpnensium in civitate Ferentinati et ejus territorio confiscata. (fol. 236.)

Dilecto filio nobili viro Gregorio nato dilecti filii nobilis viri Ambrosii de Ferentino, familiari nostro. Ut tua et tuorum —.

Suprascripto et ejus heredibus « quamdam domum in Ferentinati positam civitate in loco qui dicitur Burgus juxta domum Johanne Leonardi et viam publicam ac viam etiam vicinalem nec non et quamdam vineam sitam in ipsius territorio civitatis in loco qui vocatur Buianum juxta vineam Almeflande uxoris quondam Palmerii et terram Jacobi de Judice ac viam publicam » olim Columpnensibus pertinentes et per confiscationem eorum bonorum ad Romanam Ecclesiam devolutas in feudum concedit sub annuo censu trium solidorum provisinorum in festo Resurrectionis Dominice Camere Apostolice vel rectori Campanie et Maritime persolvendorum cum exhibitione litterarum infeodationis.

Dat. Laterani, id. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilecto filio Jacobo de Ranzano, dilecti filii nobilis viri Loffridi Gaitani nepotis nostri, comitis Fundorum, Campanie Maritimeque rectoris in temporalibus, in eisdem Campania et Maritima vicario generali.* Dat. ut supra.

3314 (CCCCXXXVIIII) Latran, 5 décembre 1299.

Dispensatio matrimonii. (fol. 236 v°.)

Dilecto filio Neapoleoni nato dilecti filii nobiliis viri Rolandi filii quondam Raynaldi, et dilecte in Christo filie M. nate nobilis viri Jacobi de Primo, militum Anagninorum. Romani Pontificis precellens —.

Dispensatur cum eis adhuc infra septimum etatis sue annum constitutis ut sponsalia et postmodum matrimonium contrahere valeant non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, non. decembris, anno quinto.

3315 (CCCCXL) Latran, 26 décembre 1299.

De divisione vel unione quarumdam ballivarum monasterii S. Antonii. (fol. 236 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Ebredunensi. Exhibita nobis dilectorum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancti Antonii, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Augustini, Viennensis diocesis, petitio continebat quod monasterium ipsum nonnullas balivas et obedientias in diversis partibus obtinet quarum alique, considerata sollicite utilitate monasterii supradicti, nove divisionis, alique vero unionis reformatione ac ordinatione auctoritate Apostolica faciendis noscuntur non modicum indigere.

Committitur suprascripto ut hujusmodi divisionibus vel unionibus presideat.

Dat. Laterani, VII kal. januarii, anno quinto.

3316-3316 *bis* (CCCCXLI) Anagni, 12 août 1299.

Absolvitur a juramento de liminibus Apostolorum singulis trienniis visitandis. (fol. 237.)

Venerabili fratri .. Joseph, episcopo Burglanensi. Ex parte tua —. Dat. Anagnie, II id. augusti, anno quinto.

Anagni, 2 août 1299.

In e. m. *venerabili fratri .. Petro, electo Tholosano.* Exposuit nobis —. Idem de singulis bienniis. — Dat. Anagnie, IIII non. augusti, anno quinto.

3317 (CCCCXLII) Latran, 27 novembre 1299.

Facultas conferendi tabellionatus officium duabus personis ydoneis. (fol. 237.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Lexoviensi. Ex parte tua fuit —. Dat. Laterani, V kal. decembris, anno quinto.

3318 (CCCCXLIII) Latran, 3 décembre 1299.

Ratificatur concessio quarumdam terrarum monasterii Celle Trecensis episcopo Trecensi ad vitam facta. (fol. 237.)

Venerabili fratri G., episcopo Trecensi. Grandis et sincera —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod, cum tu olim abbas existens monasterii Celle Trecensis, ordinis sancti Benedicti, in episcopum Trecensem esses electus, dilecti filii .. prior claustralis et conventus ejusdem monasterii ac .. prior prioratus Sancti Aygulfi de Pruvino eidem monasterio immediate subjecti, Senonensis diocesis, tibi — quasdam terras et possessiones ad monasterium et prioratum predictos spectantes tenendas et possidendas per te tunc abbatem donec viveres in quocumque statu te esse contingeret concesserunt. Postmodum autem dilectus filius H., ejusdem monasterii abbas, quod per eosdem priorem et conventum actum fuerat approbans, ipsas easdem terras — tibi — quoad vixeris — concessit.

Dictam concessionem ratificat dominus papa, tenorem litterarum inserens quarum una incipit : « Universis — frater Reginaudus humilis prior claustralis totusque conventus monasterii Celle — ac frater Nicolaus prior prioratus Sancti Aygulphi — salutem. Quanto fervore animi » et finit : « Dat. et act. in nostro capitulo — anno Domini M° CC° LXXXXVIII die martis post festum Sancti Andree Apostoli. » altera vero : « Sanctissimo — domino Bonifatio — Henricus, monasterii Celle Trecensis abbas —. Sanctitati vestre » et : « Dat. anno Domini M° CCLXXXXIX die Lune in festo Exaltationis Sancte Crucis. »

Dat. Laterani, III non. decembris, anno quinto.

3319 (CCCCIXLIII) Même date.

Alia gratia pro eodem. (fol. 237 v°.)

Eidem. Personam tuam eo —.

Concedit ei facultatem recipiendi vel recipi faciendi unam personam ydoneam, etiamsi alias in una vel pluribus ecclesiis beneficiata existat, in canonicum in ecclesia sua Trecensi in qua prebendarum collatio ad eum pertinere dicitur.

Dat. ut supra.

3320 (CCCCXLIIII *bis*) Latran, 9 décembre 1299.

Facultas conferendi tabellionatus officium duabus personis ydoneis. (fol. 238.)

Eidem. Ex parte tua —. Dat. Laterani, V id. decembris, anno quinto.

3321 (CCCCXLV) Latran, 15 janvier 1300.

Confirmantur vel reservantur canonicatus, prebenda et prepositura in ecclesia Barchinonensi. (fol. 238.)

Dilecto filio Petro de Sintillis, canonico Barchinonensi. Consuevit Apostolice Sedis —.

Ei, consideratione nobilis viri Rogerii de Lauria pro eo familiari suo supplicantis, canonicatum in ecclesia Barchinonensi, prebendam diaconalem vel subdiaconalem nec non preposituram que mensata vulgariter appellatur vacantes confert vel vacaturos reservat.

Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. decano Legionensis, et .. precentori, ac .. sacriste Barchinonensis ecclesiarum* —. Dat. ut supra.

3322 (CCCCXLVI) Latran, 10 décembre 1299.

De visitatione et reformatione monasterii S. Sixti Placentini. (fol. 238.)

Venerabili fratri . . episcopo Paduano. Licet ex debito —.

Cum monasterium Sancti Sixti Placentinum, ordinis sancti Benedicti, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, visitatione et reformatione, ut dicitur, in spiritualibus et temporalibus plurimum indigere noscatur, mandatur suprascripto ut, ad idem se personaliter conferens, visitationis officium exerceat et quod de ipsius monasterii statu repererit domino pape studeat fideliter intimare.

Dat. Laterani, IIII id. decembris, anno quinto.

3323 (CCCCXLVI *bis*) Latran, 3 janvier 1300.

Absolvitur a juramento de liminibus Apostolorum annis singulis visitandis. (fol. 238 v°.)

Venerabili fratri G., episcopo Parmensi. Ex parte tua —. Dat. Laterani, III non. januarii, anno quinto.

3324 (CCCCLVII) Latran, 30 décembre 1299.

Licentia condendi testamentum. (fol. 238 v°.)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. Laterani, III kal. januarii, anno quinto.

3325 (CCCCXLVIII) Même date.

Licentia conferendi tabellionatus officium tribus personis ydoneis. (fol. 238 v°.)

Eidem. Volentes tuam —. Dat. ut supra.

3326 (CCCCLVIIII) Latran, 20 janvier 1300.

Gratia et dispensatio pro episcopo Elnensi. (fol. 238 v°.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Elnensi. Sincere devotionis —.

Dispensat cum eo ut preposituram seu mensatam castri de Basanis, sue diocesis, quam capitulum ipsius Elnensis diocesis, ad quod una cum eo ejusdem collatio pertinet, ei contulit, quoad vixerit retinendam, retinere valeat omnemque maculam delet quam ex retentione ejusdem absque dispensatione contraxit.

Dat. Laterani, XIII kal. februarii, anno quinto.

3327 (CCCCL) Même date.

Alia gratia pro eodem. (fol. 238 v°.)

Eidem. Tuam volentes —.

Ei concedit facultatem recipiendi et faciendi recipi in sua Elnensi et Sancti Johannis de Perpiniano, sue diocesis, ecclesiis duas personas ydoneas etiam alias beneficiatas in canonicos.

Dat. ut supra.

3328 (CCCCLI) Latran, 25 décembre 1299.

De hospitali S. Jacobi Toletano in suo statu servando. (fol. 239.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus ordinis Militie Sancti Jacobi. Quanto studiosius —.

Inhibetur suprascriptis ne hospitale Sancti Jacobi Toletanum eidem ordini immediate subjectum alicui vel aliquibus quoquo modo concedere ac ejus fructus in alios usus preter illos quibus hactenus deputati fuerunt convertere valeant absque Apostolice Sedis licentia speciali.

Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno quinto.

3329 (CCCCLII) Latran, 25 décembre 1299.

Ut infrascriptus in ordine presbyteratus constitutus a quocumque maluerit episcopo benedictionis munus recipere valeat. (fol. 239.)

Dilecto filio Guidoni, abbati monasterii de Bello Loco in Argona, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis. Cum te nuper —. Dat. Laterani, VIII kal. januarii, anno quinto.

3330 (CCCCLIII) Latran, 29 décembre 1299.

Confirmatur provisio monasterii S. Marie de Tropharia, Olenensis diocesis. (fol. 239.)

Dilecto filio Hugolino, priori monasterii Sancte Marie de Tropharia per priorem soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti, Olenensis diocesis. Cum a nobis —.

Ad notitiam domini pape deducto quod dictum monasterium situm in insula maris juxta principatum Achaye per mortem quondam Guillelmi jam per quatuor annos et amplius

vacabat, cum ejus provisio hac vice ad Sedem Apostolicam devoluta esset, mandavit M., Portuensi episcopo, et Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, ac Roberto, tituli Sancte Potentiane presbyteris cardinalibus, ut eidem monasterio auctoritate Apostolica preficerent personam ydoneam in priorem. Qui quidem suprascriptum, tunc monachum monasterii Sancte Praxedis de Urbe, ordinis Vallisumbrose, prefecerunt. Confirmatur dicta provisio inserto instrumenti tenore incipientis : « Miseratione divina Frater Matheus Portuensis — religioso viro fratri Ugolino de Forolivio, priori monasterii Sancte Marie de Tropharia —. Illis quorum » finientis : « Dat. Rome die xx^a decembris, sub anno Domini M^o CC^o LXXXXIX, pontificatus sanctissimi patris domini Bonifatii divina providentia pape VIII anno quinto.

Dat. Laterani, IIII kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancte Marie de Tropharia — venerabili fratri .. archiepiscopo et dilectis filiis .. decano, ac Nicolao Milioris de Anagnia, canonico Patracensibus — dilecto filio Riccardo, comiti Cephalonie et Jacinti — dilecte in Christo filie Isabelle, principesse Achaye.* — Dat. ut supra.

3331 (CCCCLIIII) Latran, 27 novembre 1299.

Restituuntur hominibus castri Ficcardi pristina eorum jura super electione potestatis. (fol. 239 v°.)

Dilecto filio Davino de Ferentino, in Anchonitana Marchia in temporalibus vicario generali. Petitio dilectorum filiorum —.

Cum scandala et guerre intestine cessaverint occasione quorum per litteras in capitulo CCLXVIIII quarti anni insertas mandatum receperat rector Marchie providendi de rectore aliisque officialibus hominibus castri Ficcardi, ad eorumdem instantiam mandat suprascripto quatinus eisdem licentiam largiatur eligendi potestatem sive rectorem ac alios officiales suos, prout eis ex antiqua consuetudine et privilegio Sedis Apostolice competit.

Dat. Laterani, v kal. decembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24888.)

3332 (CCCCLV) Latran, 15 janvier 1300.

Dispensatio matrimonii. (fol. 239 v°.)

Dilecto filio nobili viro Meliadus (sic) de Salvaticis, legum doctori, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Isolde nate dilecti filii nobilis viri Manuelis Zacharie de Castro, civibus Januensibus. Romani Pontificis precellens —.

Indulgetur suprascriptis, qui ignorantes quod quondam Odoardus Spinula, cujus Isolda uxor fuerat, Meliado quarto consanguinitatis gradu conjunctus erat, de contrahendo matrimonio promissionem firmarunt, ut hoc non obstante dictum matrimonium contrahere valeant.

Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno quinto.

3333 (CCCCLVI) Latran, 5 novembre 1299.

Indultum pro plebe de S. Lazaro, Florentine diocesis. (fol. 240.)

Berto, plebano plebis de Sancto Laxaro, Florentine diocesis. Sicut accepimus —.

Indulgetur ei ut littere Apostolice reservationum et provisionum in diocesi Florentina impetrate vel impetrande ad plebem ejus non se extendant nisi de nomine ejus proprio et dicte plebis ac indulto hujusmodi faciant mentionem.

Dat. Laterani, non. novembris, anno quinto.

3334 (CCCCLVII) Latran, 5 janvier 1300.

De rebellione quorumdam fratrum ordinis S. Jacobi. (fol. 240.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Tholetano. Ad audientiam nostram non sine mentis amaricatione pervenit quod quidam fratres ordinis Sancti Jacobi, temerariis ausibus relaxatis abenis (*sic*) ac spiritu rebellionis assumpto, quedam castra et loca munita ejusdem ordinis in frontaria Sarracenorum illarum partium existentia proditionaliter occupantes, non solum magistro et aliis fratribus dicti ordinis, verum etiam convicinis Christianis ipsarum partium, fulti Sarracenorum potentia quos inibi receptarant, guerram durissimam facere presumebant et, quod gravius est, comminabantur publice castra et loca predicta Sarracenis omnino tradere et perpetuo submittere dominio eorundem, nisi prefatus magister una cum capitulo dicti ordinis quasdam domos seu commendas ordinis nemorati fratribus ipsis rebellibus concederent ab eis perpetuo retinendas. Sicque prefati magister et capitulum, ammissionem totalem predictorum castrorum et locorum verisimiliter metuentes, pro ipsorum recuperatione coacti sunt fratribus ipsis hujusmodi domos seu

commendas concedere ac corporale juramentum et fidejussorias et alias cum eorundem fidejussorum juramentis cautiones prestare ac litteras eorum de magistri et capituli sigillo munitas eis tradere et instrumenta publica inde conficere quod iidem magister et capitulum concessionem domorum seu commendarum predictarum nullo unquam tempore revocarent : sicque dicti fratres, tali pretextu domos et commendas predictas et nonnulla alia bona predicti ordinis dampnabiliter detinentes, ea eisdem magistro et capitulo restituere denegant minus juste et, adhuc in sue rebellionis duritia persistentes, obedientiam et reverentiam debitam eidem magistro dampnatis ausibus renuunt exhibere in Divine Majestatis offensam, predicti ordinis fratrum turbationem et fidelium scandalum plurimorum. Nolentes itaque tante temeritatis excessum tanteque presumptionis audaciam fratrum rebellium predictorum aliquatenus sustinere, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, si est ita, per te vel alium seu alios, sepedictos fratres rebelles quod domos et commendas et alia bona predicta magistro et ordini restituant memoratis dictoque magistro obedientiam et reverentiam exhibeant ut tenentur, concessione, juramento, fidejussionibus, cautionibus, litteris et instrumentis predictis nequaquam obstantibus, monitione premissa per censuram ecclesiasticam et alias prout etiam expedire videris appellatione remota compellas, non obstantibus constitutionibus tam nostris, quarum prima cavetur ne quis certis exceptis casibus extra suam civitatem et diocesim, secunda vero ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus ejusdem diocesis ad judicium evocetur, quam de duabus dietis edita in concilio generali dummodo ultra tertiam vel quartam extra suam civitatem et diocesium auctoritate litterarum ejusdem Sedis ad judicium non trahatur. Invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. Dat. Laterani, non. januarii, anno quinto.

3335 (CCCCLVIII) Même date.

De revocandis quibusdam bonis ordinis S. Jacobi illicite alienatis. (fol. 240.)

Eidem. Oblata nobis dilecti filii fratris Johannis, magistri ordinis Militie Sancti Jacobi, petitio continebat quod frater Johannes Fernandi, qui dudum in regno Portugalie pro magistro ipsius ordinis se gerebat, nonnulla feuda, terras, possessiones — et alia bona ad ordinem spectantia nonnullis clericis, nobilibus, militibus et laicis concedere ac alias alienare ac distrahere — presumpsit.

Datur suprascripto facultas revocandi legitime, sine strepitu et figura judicii ad jus et proprietatem hujus ordinis quecumque bona sic alienata invenerit.

Dat. ut supra.

3336 (CCCCLVIIII) Latran, 22 novembre 1299.

Eximitur quoddam hospitale in civitate Firmana construendum. (fol. 240 v°.)

Dilecto filio Johanni Gratiani, civi Firmano. Apostolice Sedis —. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat quod quondam Paulus Johannis, civis Firmanus, pridem in ultramarinis partibus constitutus ibique in extremis agens condidit testamentum teque ipsius executorem constituens inter alia disposuit et etiam ordinavit ut ad honorem Dei et pro anime sue salute quoddam hospitale ad opus infirmorum et pauperum in civitate Firmana construi faceres, certa tibi propter hoc de bonis suis quantitate pecunie assignata, ita tamen quod venerabilis frater noster .. Firmanus episcopus et successores ipsius ac etiam Firmana ecclesia nichil omnino juris aut jurisdictionem in hospitali predicto sive personis successu temporis in illo degentibus obtinerent nec in aliquo teneretur eisdem quomodolibet respondere : alioquin predictam quantitatem pecunie in alios pios usus pro remedio peccatorum testatoris ejusdem prout utilius expedire cognosceres convertere procurares —. Nos — discretioni tue mandamus quatinus predictum hospitale secundum dispositionem et ordinationem testatoris prefati diligenter et sollicite facias in civitate construi memorata. Nos enim, cum nondum sit hospitale cui ex nunc privilegium concedatur, hospitale ipsum, quando constructum fuerit, ex tunc sub nostra et Apostolice Sedis protectione suscipimus, — volentes ut illud vulgariter hospitale Romane Ecclesie nuncupetur ac perpetuis futuris temporibus eidem Sedi dumtaxat spiritualiter et temporaliter sit subjectum —. Dat. Laterani, x kal. decembris, anno quinto.

3337 (CCCCLX) Latran, 20 janvier 1300.

Promulgantur statuta pro Patrimonio B. Petri in Tuscia. (fol. 240 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Licet merum et —.

Concedit et indulget usque ad Apostolice Sedis beneplacitum ut communitates civitatum et castrorum Patrimonii B. Petri in

Tuscia que solite sunt ab antiquo ad regimen suum eligere consules seu rectores possint per eosdem seu officiales suos ad hoc deputatos merum et mixtum imperium exercere, « criminibus heresis, scismatis, lese majestatis, falsitatis bulle ac litterarum nostrarum vel monete, raptus virginum et proditionis exceptis. » Statuta etiam alia condit de custodia stratarum; de libertate sub cautione in criminalibus vel civilibus causis ad rectorem Patrimonii spectantibus; de sumptibus incarcerationis; de inquisitionibus non faciendis per rectorem Patrimonii nisi contra diffamatos vel si fieret inquisitio generalis quando certum est crimen vel culpam fore commissa et quis commiserit inquiratur; de taxatione quarumdam exactionum; de forma citationum ubi nomen actoris vel accusatoris seu denuntiatoris aut persecutoris exprimi debet; de bonis confiscatis et penis pecuniariis communitatibus relinquendis salvo jure dotium et deducto ere alieno; de testibus in inquisitione non recipiendis nisi juratis et presente parte contra quam inquiritur, et de non procedendo nisi parti data depositionum testium copia; de salariis moderatis officialium; de nemine pro delictis communitatum puniendo; de delictis filiorum in bonis patris exigendis usque ad valorem portionum future successionis; de bladi vel annone grassia non extrahenda nisi ad Curiam vel ad Urbem sed libere infra terminos Patrimonii deferenda; de appellationibus ad rectorem Patrimonii recipiendis, in causis civilibus non solum post sed etiam ante sententiam, prout canonica jura permittunt, in criminalibus vero nunquam ante sententiam nisi in casibus in quibus jura civilia etiam ante sententiam appellari permittunt, « nec deferri volumus canonicis juribus in hac parte ne eorum punitio debita differatur vel malefactores transeant impuniti »; de executione sententiarum stricte suspendenda antequam per judicem appellationis appellatio ipsa approbata fuerit vel sententialiter reprobata.

Dat. Laterani, XIII kal. februarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24902.)

3338 (CCCCLXI) Latran, 18 janvier 1300.

De quibusdam bonis et prebendis illicite concessis in ecclesia Conchensi. (fol. 241.)

Venerabilibus fratribus .. Placentino, et .. Civitatensi episcopis ac dilecto filio .. priori de Tholongiaco, Ruthenensis diocesis. Gravis admodum et onusta dispendiis venerabilis fratris nostri Pascasii, Conchensis episcopi, nuper ad audientiam nostram querela perduxit quod venerabilis frater noster Gundisalvus, archiepiscopus Tholetanus, olim Conchensis episcopus, post translationem per nos de ipso factam de Conchensi ecclesia cujus preerat regimini ad ecclesiam Tholetanam, nonnulla ipsius Conchensis ecclesie castra quibusdam nobilibus illarum partium detinenda seu custodienda commisit, quasdam etiam possessiones quas dictus archiepiscopus tunc Conchensis episcopus de bonis ipsius Conchensis ecclesie emerat cuidam cognato suo donavit; qui ea in prejudicium episcopi et Conchensis ecclesie predictorum detinent taliter occupata ipsaque prefato episcopo restituere denegant minus juste, licet super hoc fuerint per procuratores ipsius episcopi pluries requisiti. Quedam insuper beneficia ecclesiastica, que ad episcopi et capituli Conchensium collationem communiter spectare noscuntur, quibusdam clericis minus canonice contulit pro sue libito voluntatis. Nonnulla quoque animalia, quamquam non posset, vendidit et bladi et vini quantitatem non modicam ac ustensilia et alia bona mobilia ipsius Conchensis ecclesie fecit indebite asportari in ipsorum episcopi et ecclesie non modicum prejudicium et gravamen, alias clerum civitatis et diocesis Conchensis multis et indebitis exactionibus aggravando. Quare prefatus episcopus nobis humiliter supplicavit ut providere super hiis paterna diligentia curaremus. Nos itaque ipsius episcopi supplicationibus inclinati discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, si vobis de plano sine strepitu et figura judicii constiterit de premissis, vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, archiepiscopum, nobiles, cognatum et clericos supradictos auctoritate nostra, prout justum fuerit, monere ac inducere procuretis ut iidem nobiles castra et cognatus possessiones, prefati vero clerici beneficia memorata et dictus archiepiscopus alia supradicta infra competentem terminum, quem eis ad hoc duxeritis prefigendum, predicto episcopo vel procuratori suo ejus nomine restituant et assignent. Que quidem beneficia per eundem episcopum personis ydoneis, etiamsi alias beneficiate existant, auctoritate nostra conferri volumus, eodem capitulo hac vice minime requisito, ac de fructibus, redditibus et proventibus medio tempore perceptis ex eis eidem episcopo iidem clerici debitam satisfactionem impendant, ac ipsos ad ea per excommunicationis in personas, et dictos nobiles, etiam interdicti in terras eorum sententias, ratione previa compellatis, gravamina eidem clero illata juxta juris exigentiam revocando, invocato ad hoc si necesse fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus quibuslibet ipsius ecclesie Conchensis contrariis ordinationibus, consuetudinibus vel statutis, juramento, constitutione Sedis Apostolice vel alia quacumque firmitate vallatis, seu si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno quinto.

3339 (CCCCLXII) Latran, 13 décembre 1299.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 241 v°.)

Dilecto filio Corrado de Trisanna, preposito secularis ecclesie Sancte Marie Magdalene Januensis. Exhibita nuper nobis —.

Conceditur ei ut preposituram suprascriptam una cum canonicatibus et prebendis qui per Apostolicas litteras ei reservati fuerunt tam in Januensi quam in Terdonensi ecclesiis, cum eos assecutus fuerit, retinere valeat.

Dat. Laterani, id. decembris, anno quinto.

3340 (CCCCLXIII) Latran, 28 novembre 1299.

Super facto civitatis Appamiarum. (fol. 242.)

Dilectis filiis .. abbati secularis Sancti Pauli, et .. archidiacono Fenolleti, Narbonensis, ac Guillelmo Petri, sacriste Carcassonensis ecclesiarum. Olim ad audientiam nostram perlato quod nobilis vir Rogerius, comes Fuxi, ad occupationem tunc ville nunc vero civitatis Appamiarum non sine detrimento proprie salutis aspirans, litteras carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, senescallo regio in partibus Carcassonensibus constituto dirigi procuravit, quarum occasione seu auctoritate, villam ipsam ingressus, juramenta fidelitatis ab officialibus venerabilis fratris nostri .. episcopi Appamiarum, tunc abbatis monasterii Sancti Antonini Appamiarum, nomine consulum et universorum hominum dicte civitatis recipere studuit, bona ipsius abbatis ibidem inventa temere occupando in offensam Dei, anime sue periculum ac non modicum prejudicium et gravamen abbatis et monasterii predictorum, nos, nolentes sicut nec debebamus talia equanimiter sustinere, prefatum comitem per nostras litteras rogandum attente duximus et hortandum sibi nichilominus injungentes ut, pro Divina et Apostolice Sedis ac nostra reverentia predictam villam nunc civitatem ac possessionem ipsius quantocius omnino dimittens, bona quelibet ad abbatem et monasterium supradictos spectantia per eum seu de suo mandato percepta procuratori abbatis ipsius nomine difficultate sublata qualibet restituere integre procuraret, officiales et procuratorem memorati abbatis commissa illis officia exercere libere permittendo : alioquin venerabilibus fratribus nostris .. archiepiscopo Auxitano et .. episcopo Carcassonensi per alias litteras nostras injunximus ut ipsi vel eorum alter, per se vel alium seu alios, ad id prefatum comitem per excommunicationis in personam et in terram suam interdicti sententias auctoritate nostra compellere procurarent, et predictis consulibus et hominibus per alias nostras litteras districte dedimus in mandatis ut memorato comiti vel ejus officialibus nullatenus intenderent, nec in aliquo parerent eisdem, quin immo sinceritatem plene devotionis et fidei erga prefatos abbatem et monasterium constantibus animis observarent, non obstante juramento fidelitatis quod dicebantur dicto comiti prestitisse a quo ipsos duximus auctoritate Apostolica absolvendos : alioquin in eos singulariter sententiam excommunicationis protulimus et predictam villam ecclesiastico supposuimus interdicto, eis nihilominus intimantes nos contra eos spiritualiter et temporaliter fore gravius processuros prout facti qualitas suaderet et nobis expediens videretur. Verum, sicut nuper ex parte dicti episcopi nobis extitit intimatum, iidem consules et homines hujusmodi mandato nostro parere contumaciter contempserunt, propter quod eo ipso hujusmodi excommunicationis incurrerunt sententiam et dicta villa fuit ecclesiastico supposita interdicto. Sed iidem consules et cives, hujusmodi sententias dampnabiliter contempnentes, eas diu sustinuerunt et adhuc sustinent animis induratis, redire non curantes ad Ecclesie unitatem. Nos igitur, attendentes quod tanta eorum protervitas et contumacie diuturnitas augmentum pene meretur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, si vobis vel alicui vestrum de plano sine strepitu et figura judicii constiterit de premissis, auctoritate nostra decernatis ut, quamdiu dicti excommunicati predictas excommunicationis sententias pertinaciter tolerarint, agentes in judicio nullatenus audiantur, nec debitores ipsorum eisdem solvere debita teneantur, nec testamenta eorum seu instrumenta aut quicumque contractus per eos aut pro eis facienda seu sententie proferende alicujus robur in eorum favorem obtineant firmitatis, nec ad aliquos actus legitimos admittantur; quodque in quolibet loco Narbonensis provincie, ad quem ipsos seu eorum aliquem interim declinare contigerit, cessetur dum in eodem loco permanserint penitus a divinis, inhibendo nichilominus religiosis, cujuscumque sint ordinis, in civitate predicta morantibus, exemptis et non exemptis, ne dictos excommunicatos in sua pertinacia persistentes ad divina vel sepulturam infra clausuras locorum ipsorum admittant nec alias illis participent quoquo modo et quod sic agere pro posse studeant quod dicti excommunicati videre non possint infra ecclesias ipsas dum in eis divina officia celebrantur ; et processus quos taliter super hiis habere contigerit facientes firmiter observari dictas excommunicationis et interdicti sententias in locis in quibus

expedire videritis solempniter publicare curetis; et, si ipsi per annum adhuc sic dampnabiliter sententias ipsas contempserint, cum ex hoc scrupulo carituri non sint heretice pravitatis, inquisitoribus pravitatis ejusdem in illis partibus deputatis ex parte nostra sub pena excommunicationis mandetis ut in eos hujusmodi inquisitionis officium studeant exercere et alias contra ipsos, prout vobis visum fuerit, manus vestras aggravare curetis, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstantibus quibuslibet privilegiis et indulgentiis Apostolicis quibuscumque concessis, quorumcumque tenorum existant, per que effectus presentium impediri valeat vel differri et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem. Dat. Laterani, IIII kal. decembris, anno quinto.

3341 (CCCCLXIIII) Latran, 5 décembre 1299.

Conservatoria pro Blasio de Anagnia, thesaurario ecclesie Turonensis. (fol. 242.)

Dilectis filiis .. priori Sancte Genovefe Parisiensis, ac .. thesaurario Bajocensis, et .. capicerio Aurelianensis ecclesiarum. Inter alia que —. Ex parte siquidem dilecti filii Blasii de Anagnia, capellani nostri, thesaurarii ecclesie Turonensis, fuit propositum coram nobis quod plerumque contingit sibi super thesauraria sua ipsius ecclesie ac prebendis seu beneficiis que in eadem ac in Remensi, Cameracensi, Saresbiriensi ac de Sancto Audomaro, Morinensis diocesis, ecclesiis obtinet nec non fructibus — eorumdem a nonnullis diversas molestias et jacturas irrogari.

Ut eum adversus molestatores defendant.

Dat. Laterani, non. decembris, anno quinto.

3342 (CCCCLXV) Anagni, 28 juin 1299.

Super facto regni Scotie. (fol. 242 v°.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo Cantuariensi. Frequens et inculcata —.

Ei mittit seriosas litteras directas ad Eduardum, regem Anglie, qui excessus, molestias, dampna etc. contra regnum Scotie, prelatos, personas ecclesiasticas, habitatores et incolas dicti regni attemptaverat, eique sub pena suspensionis ab administratione spiritualium et temporalium districte precipit ut prefatas litteras eidem regi representet ac ipsum ad illa que ei scribuntur animet et inducat.

Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24850.)

3343 (CCCCLXVI) Anagni, 27 juin 1299.

Super eodem. (fol. 242 v°.)

Carissimo in Christo filio Eduardo, regi Anglie, Scimus fili et —.

Multis exemplis et documentis regi Anglie commemorat qualiter regnum Scotie « progenitoribus tuis regni Anglie regibus sive tibi feudale non extitit nec existit,» et, cum illud ad Romanam Ecclesiam pertinens non ei licuerit per violentiam subjugare, eum rogat et obsecrat ut Robertum, Glasguensem, et Marcum, Sodorensem episcopos, clericos et alias personas ecclesiasticas regni Scotie, « quos adhuc carcer regius tenet inclusos », benigne restituat pristine libertati, et officiales regios, quos in ejusdem regni partibus posuit, revocet.

Dat. Anagnie, v kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24848.)

3344 (CCCCLXVII) Anagni, 25 juillet 1299.

De quodam debito Arnaldi quondam episcopi Tholosani. (fol. 243 v°.)

Dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, Camere nostre mercatoribus. Significavit nobis —.

Olim Arnaldus, Tholosanus episcopus, tunc vivens, apud Sedem Apostolicam mutuum undecim millium florenorum a Symone Gerardi et a quondam Albizo Martini de societate predicta contraxit et postmodum per procuratorem suum in judicio coram magistro de Civitate Papali tunc, de quondam civitate Penestrina, thesaurario Cathalaunensis ecclesie, Camere Apostolice clerico et vices gerentis Theodorici, tituli S. Crucis in Jerusalem presbyteri cardinalis et camerarii, ad instantiam Benricevuti Cambii socii eorum recognoscens se dicti mutui esse debitorem, condempnatus fuit ab eodem magistro ad ejus solutionem. Cum vero nuper Petrus, successor Arnaldi, impeteretur ab eis ad restituendum eis sex milia et quingentos florenos auri in quibus restat debitor ad satisfaciendum totam summam, deliberarunt per prorogationem termini ad hanc satisfactionem prestandam agere mitius. Confirmantur

obligatio, recognitio et condempnatio predicte auctoritate Apostolica, ac si contractus de licentia et auctoritate Sedis Apostolice processisset, nec eis incumbat probandi necessitas pecuniam conversam fuisse in utilitatem ecclesie memorate.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno quinto.

3345 (CCCCLXVIII) Latran, 19 décembre 1299.

Conceduntur bona ob adhesionem Columpnensibus in Pensauro confiscata. (fol. 244.)

Dilecto filio nobili viro Malateste de Veruculo. Strenue tue fidelitatis —.

Cum Bernardus quondam Guidonis de Monticulo Bandorum de Pensauro laïcus Columpnensibus scismaticis et rebellibus adheserit et dederit auxilium consiliumque presertim morando cum eis et serviendo illis in civitate quondam Penestrina vel terris aliis, omnia ejus bona mobilia vel immobilia in civitate vel diocesi Pensauriensi confiscata committuntur suprascripto ejusque heredibus per rectam lineam descendentibus in perpetuum sub annuo censu duorum solidorum Camere Apostolice cum ostensione litterarum concessionis infra quindenam Nativitatis solvendorum.

Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis .. abbati monasterii S. Juliani et .. preposito ecclesie Ariminensis ac .. archipresbytero plebis de S. Landitio, Ariminensis diocesis.* — Dat. ut supra.

(POTTHAST, 24893.)

3346 (CCCCLXVIIII) Latran, 31 mars 1299.

Ratificatur confirmatio electi monasterii S. Thome de Aquanigra. (fol. 244.)

Dilecto filio Johanni, electo monasterii Sancti Thome de Aquanigra, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Brixiensis diocesis. Olim monasterio —.

Vacante hoc monasterio suprascriptus, tunc prior monasterii Sanctorum Faustini et Jovite Brixiensis, predicti ordinis, electus fuit in abbatem ejusque electio, post examinationem G[erardo], Sabinensi episcopo, et Guillelmo, Sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinalibus, commissam, confirmata fuit. Ratificat hanc confirmationem dominus papa tenorem instrumenti horum cardinalium inserens incipientis : « Vacante olim » sub : « Dat. Rome apud Lateranum, anno Domini millesimo CCLXXXXIX, die decimo nono mensis martii, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno V°. »

Dat. Laterani, II kal. aprilis, anno quinto.

3347 (CCCCLXX) Trevi, 3 septembre 1299.

Gratia pro capitulo basilice Lateranensis. (fol. 244.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis. Ad vestrum et —.

Eos et ecclesiam eorum eximit a prestatione decimarum et collectarum ac procurationum quarumlibet que jam auctoritate Apostolica dinoscuntur imposite ac de cetero imponentur nisi Apostolice littere de Lateranensi ecclesia plenam et expressam fecerint mentionem.

Dat. Trebis, III non. septembris, anno quinto.

3348 (CCCCLXXI) Même date.

Alia gratia pro eisdem. (fol. 244 v°.)

Eisdem. Vestre pacis querentes —.

Indulget ut super bonis et juribus Lateranensis ecclesie vel super quocumque alio negotio eam tangente coram alio quam coram judice eis a Sede Apostolica jam deputato vel etiam deputando in causam trahi vel ad judicium evocari minime valeant per litteras Apostolicas de indulto hujusmodi non facientes plenam et expressam mentionem.

Dat. ut supra.

3349 (CCCCLXXII) Même date.

Ut nullus delegatus etc. (fol. 245.)

Eisdem. Gerentes vos et —. Dat. ut supra.

3350 (CCCCLXXIII) Même date.

Pro eisdem. (fol. 245.)

Eisdem. Meritis vestre devotionis —. Cum itaque, sicut habet oblate nobis vestre petitionis assertio propter intemperiem aeris per menses julii, augusti et septembris in Lateranensi ecclesia residere personaliter dubitetis.

Indulget ut per menses predictos fructus in absentia percipere valeant quotidianis distributionibus exceptis.

Volumus autem quod hujusmodi cotidiane distributiones que canonicis absentibus ab eadem Lateranensi ecclesia in prefatis tribus mensibus deberentur si residerent ibidem inter canonicos ceteros in eadem ecclesia residentes equis portionibus dividantur —. Dat. ut supra.

3351 (CCCCLXXIIII) Anagni, 23 juillet 1299.

Pro hospitali Caritatis B. Marie. (fol. 245.)

Dilecto filio nobili viro Guidoni de Jamvilla, domino de Domno Georgio, Cathalaunensis diocesis. In hiis que —.

Indulget ut, si loci ordinarius capellam hospitalis quod super fluvium de Ronignon, Cathalaunensis diocesis, sub nomine Caritatis B. Marie ad opus pauperum et infirmorum recipiendorum construxit et dotavit et oratoria membrorum ejus consecrare ac eorum cimiteria benedicere et clericos ordinare noluerit, possit a quocumque maluerit catholico episcopo predicta omnia facere fieri.

Dat. Anagnie, x kal. augusti, anno quinto.

3352 (CCCCLXXV) Trevi, 3 septembre 1299.

Substituuntur in basilica Lateranensi canonici seculares regularibus. (fol. 245.)

Ad perpetuam rei memoriam. Romana Ecclesia —.

Cum patriarchalis ecclesia Lateranensis, « inter ceteras Urbis et Orbis ecclesias velut caput ipsarum antiquitatis, dignitatis ac nobilitatis prerogativa » fulgens, « in qua ordo sancti Augustini ab antiquo fuerat institutus, ex eo maxime quod canonici regulares ejusdem ecclesie vivebant enormiter et impotentes erant ad jura ipsius ecclesie defensanda, » pateretur non modicam in spiritualibus ac in suis bonis et juribus lesionem, decernit de cardinalium consilio illam de secularibus clericis perpetuo ordinandam esse, ac, amotis exinde canonicis regularibus, quindecim electas personas instituit in canonicos.

Dat. Trebis, III non. septembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24878).

3353 (CCCCLXXVI) Même date.

Gratia pro capitulo basilice Lateranensis. (fol. 245 v°.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Lateranensis. Magne devotionis sinceritas —. Indulgemus ut singuli vestrum ac alii futuri ecclesie prefate canonici qui fuerint pro tempore nec non et ejusdem ecclesie capellani seu beneficiati perpetui in eadem ecclesia vestra, secundum morem qui circa residentes nunc inibi observatur vel in posterum observabitur, residendo fructus — omnium beneficiorum suorum — possint cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis cum ea integritate percipere cum qua illos perciperent si in ecclesiis in quibus obtinent predicta beneficia — personaliter residerent —, proviso quod beneficia, personatus et dignitates predicta debitis obsequiis non fraudentur et animarum cura in eis quibus illa iminet nullatenus negligatur. Nolumus autem quod hujusmodi gratia seu indulgentia vobis concessa ad decanatus, prepposituras, personatus seu dignitates ad quos seu quas per electionem hii qui eis habent prefici assumuntur aliquatenus se extendat —. Dat. ut supra.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM CURIE QUINTI ANNI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

3354 (CUR I) Latran, jeudi saint, 16 avril 1299.

Processus adversus Christianos illicita commercia cum Sarracenis agentes, ab inquisitoribus hereticæ pravitatis puniendos. (Fol. 247.)

Ad perpetuam rei memoriam. Fuit olim tam in generali quam in Lugdunensi postmodum subsecuto conciliis contra illos falsos et impios Christianos qui Sarracenis ferrum et arma et lignamina galearum deferrent et in eos etiam qui eis galeas venderent aut naves, quique in pirraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercerent vel in machinis aut quibuslibet aliis aliquod eis, in Christianorum et maxime Terre Sancte dispendium, impenderent auxilium vel consilium, excommunicationis sententia promulgata, ipsosque rerum suarum privatione multari et servos capientium fore censent concilia supradicta : expresse quoque in ipsis precipitur ut talibus gremium non aperiretur Ecclesie, nisi totum quod de commercio tam damnato perciperent et tantumdem de suo in subsidium Terre memorate transmitterent —; felicis insuper recordationis Nicolaus papa IIII predecessor noster duxit hactenus statuendum ut nullus arma, equos, ferrum, lignamina, victualia et alia quecumque mercimonia in Alexandriam vel alia loca Sarracenorum terre Egipti deferre vel mittere seu de portubus suis, ut eisdem deferrentur extrahere vel extrahi permittere aut eis alias auxilium vel favorem prestare — presumeret : ac illos, qui contra hujusmodi constitutionem ipsius — venire tentarent, eo ipso excommunicationis sententie subjacere decrevit, a qua non possent absolvi, nisi tantum de bonis propriis in dicte Terre subsidium convertendum exsolverent quantum ad partes predictas deferrent vel de ipsorum portubus extrahi permitterent deferendum, et, si personas eorum capi contingeret, illas in servitutem et capturam illorum esse, voluit in quorum caderent captionem.

Postmodum etiam predecessor ipse nihilominus statuit ut nullus omnino aliqua victualia usque ad decennium a data litterarum predecessoris ejusdem — alia vero predicta — ullo unquam tempore in Alexandriam vel ad partes Egypti mittere vel — deferri permitteret ; auctoritate Apostolica decernendo ut ii — preter penas predictas, quas illos ipso facto incurrere voluit, perpetuo esse infames et intestabiles haberentur — ; et insuper ad successiones, tam ex testamento quam ab intestato forent prorsus et redderentur inhabiles nec ad publica quelibet admitterentur officia ; essentque illis omnes actus legitimi penitus interdicti ; et tanquam excommunicati hostes catholice fidei, postquam de ipsorum hujusmodi temeritate constaret diebus dominicis et festivis publice nunciarentur : et in fiscum bona omnia devolverentur eorum, prout hec omnia in ipsius predecessoris litteris, que in ejusdem conservantur archivo Ecclesie, plenius continentur.

Nos vero postmodum — ad Summi Apostolatus officium — evocati, volentes providere tanto solertius in hac parte quanto magis dicte Terre perurgens necessitas hoc exigere noscebatur ; — nonnulla circa hec per nostros processus et litteras addenda duximus et etiam statuenda. Nunc autem que ab eodem predecessore ac a nobis in hac parte facta noscuntur rata habentes et grata ea omnia auctoritate Apostolica ratificamus — et presentis scripti patrocinio communimus. Et nihilominus ad obviendum — efficacius periculis imminentibus dicte Terre, tempus supradicti decennii ab eodem predecessore statutum usque ad aliud decennium prorogamus — ; et de novo monemus venerabiles fratres nostros archiepiscopos, episcopos, necnon duces, potestates, capitaneos, rec-

tores, consiliarios, communitates, universitates et populos omnium et singularum civitatum maritimarum — injungentes ut iidem archiepiscopi et episcopi ea omnia — coram populo publicent — facientes ipsa a ducibus, potestatibus, — universitatibus et personis singularibus provinciarum, civitatum et locorum auctoritate nostra observare, duces vero, potestates — et universitates omnia predicta in cartulariis — conscribi faciant : ipsaque observent firmiter et faciant a suis subditis inviolabiliter observari. Et ad subtrahendum lucra — quibus Babilonicus hostis insanius fortior redditur ad impugnationem fidelium — firmiter statuit, certis gravibusque penis appositis, ut nullus omnino suarum civitatum — ad terras Soldano subjectas accedat, mercationes aliquas ferri, armorum, lignaminum et aliarum rerum quarumlibet deferat — eos qui secus attentare presumpserint per exactiones penarum adhibitarum efficaciter puniendo, non moleste — portaturi quod presumptores hujusmodi tam per Ecclesie quam per aliorum galeas aliaque vasa fidelium juxta ordinationem — Apostolice Sedis — perturbentur offensis. Districtius insuper inhibemus universis et singulis Christianis, ubique locorum constitutis — ut nullus omnino contra premissa — attentare presumat.

Sed nihilominus, quia non prodest jura condere — si eadem non servantes pena debita non mulctarentur, firmiter statuimus et volumus ut inquisitores heretice pravitatis — auctoritatem — habeant ac omnimoda sit eis attributa potestas in provinciis, ad quas fuerint deputati, inquirendi super hiis et, quos in predictis invenerint deliquisse, declarandi et denunciandi predictas penas et sententias incurrisse ; illis etiam ex eis, quibus processus nostri penam aliquam non imponunt, penas spirituales et temporales, de quibus eis videbitur, imponendi et precipiendi que per nos eis injuncta noscuntur firmiter observari ; procedendi quoque contra eorum singulos ac terras et loca ipsarum et penas predictas — exigendi ac hujusmodi penas — executioni mandandi et invocandi ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis ; contradictores — per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi : non obstante si eis — ab eadem sit Sede indultum — quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas vel earum auctoritate que de indulto hujusmodi — non fecerint mentionem. Decernimus insuper ut mandata et processus que iidem inquisitores — fecerint, pene quas imposuerint — plenum vigorem habeant — ac si in casu quolibet plena eis — esset specialis commissa — potestas procedendi eorumque jurisdictio — per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset. Nolumus autem quod inquisitores predicti — de hujusmodi penis — ullam remissionem — seu transactionem faciant — absque speciali mandato dicte Sedis, faciendo per ejusdem Sedis litteras — et quod secus fieret irritum decernimus. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem — noticiam deducatur cartas — processum continentes eundem — in basilice Lateranensis appendi — ostiis seu superliminaribus faciemus —. Actum Laterani, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno quinto.

(Potthast, 24814.)

3355 (ii) Latran, 10 avril 1299.

De verbo Dei apud Infideles et Scismaticos annuntiando. (fol. 247 v°.)

Littera que dirigitur ad Sarracenicas et alias Orientalium et Aquilonarium nationum pro conversione ipsarum. Dilectis filiis fratribus Sanctio de Bolea, Guillelmo Bernardi, Bernardo Guille, etc., ordinis Predicatorum ad terras Saracenorum, Paganorum, Grecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Hiberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelitorum, Tartarorum aliarumque terrarum Orientalium et Aquilonarium nationum proficiscentibus nuntiis nostris salutem, etc... Immaculata lex Domini —.

« Cum quedam nationum gentes Jesum Christum non cognoscunt et nonnulli, subtractionis filii, sacrosancte Romane Ecclesie inobedientes existunt » dominus papa, « Christi vicarius et beati Petri licet immeriti successores effecti », viros religiosos, claritate fulgentes, virtutum titulo divinitus insignitos ac litterarum scientia preditos, « eligit, ut gentes ipse et subtractionis filii » per illuminantis predicationis antidotum ad Ipsum qui est lux vera convertantur, « eisque concedit ut in terris que adhuc Sedis Apostolice magisterio non intendunt proponere verbum Dei » et cuncta officia que ad Romanam Sedem pertinent, de quibus latius fit mentio, perficere valeant.

Dat. Laterani, iiii id. aprilis, anno quinto.

(Potthast, 24813.)

3356 (iii) Latran, 28 avril 1299.

Eum vicarium suum in spiritualibus in Urbe constituit. (fol. 248 v°.)

Venerabili fratri Alamanno, archiepiscopo Tyrensi et Arborensi. Ecclesiarum omnium —. Dat. Laterani, iiii kal. maii, anno quinto. »

3357 (IIII) Latran, 9 mars 1299.

Ampliatur jurisdictio rectori in spiritualibus Marchiæ Anconitanæ concessa. (fol. 248 v°.)

Dilecto filio Matheo de Reate, canonico ecclesie Sancte Crucis de Luniano, in spiritualibus Marchie Anconitane rectori. Dudum tibi rectoriam Anconitane Marchie in spiritualibus, in fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis exercendam dumtaxat, per nostras sub certa forma litteras duximus committendam. Verum, quia, sicut accepimus, nonnulli clerici dicte Marchie, quos temporalis jurisdictionis habene, lege prohibente, non artant, pro eo quod data tibi jurisdictio restricta plus solito videbatur, sumpserant audatiam delinquendi, nos, nolentes ut, quod tunc, obtentu cujusdam considerationis honeste, in hac parte restrinximus, aditum pandat et ampliet grassantibus [1] ad nociva, et propterea volentes ea te jurisdictione munire, per quam possis hujusmodi obviare ausibus et provinciam illam, in quantum ad officium tuum pertinet, feliciter gubernare, jurisdictionem plenam et liberam in spiritualibus Apostolica tibi auctoritate committimus, usque ad nostre beneplacitum voluntatis prudenter et feliciter exercendam —. Nos enim processus et sententias sive penas, quas per te vel alium spiritualiter propter hoc rite feceris, tuleris vel institueris in rebelles, ratos habebimus, et cetera usque : observari. Dat. Laterani, VII id. martii, anno quinto.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis abbatibus — universis quoque nobilibus, potestatibus aliisque rectoribus, comunitatibus et universitatibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per Achonitanam Marchiam constitutis —.* Dat. ut supra.

3358 (V) Anagni, 9 juillet 1299.

Citatur ad curiam comune Reatinum (fol. 248 v°.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni Reatinis. Venerabilis frater —.

Cum nuper mandato domini pape, per Gerardum, episcopum Sabinensem, et Matthæum, S. Mariæ in Porticu diaconum cardinalem, sub mille marcarum argenti pœna et aliis pœnis, suprascriptis facto, ut a constructione cujusdam communantiæ vel castri, quod ad æmulationem de novo et in scandalum plurimorum ædificare inceperant « fossato et sticcatis vallando », desisterent, non paruerint et a mandato hujusmodi per syndicum constitutum appellarint, mandatur eis sub excommunicationis et interdicti et duarum millium marcarum argenti pœnis quatinus infra octo dierum spatium per syndicum compareant, super contentis in litteris dictorum cardinalium et ea contingentibus et appellatione præmissa responsuri.

1. *Ms* : crassantibus.

Dat. Anagnie, VII id. julii, anno quinto.

3359 (VI) Anagni, 20 juillet 1299.

Mittitur episcopus Sabinensis legatus in regnum Siciliæ. (fol. 249.)

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato. In hac terrestri patria —.

Committitur ei plenæ legationis officium in regno Siciliæ tam citra quam ultra Farum et in Corphoriensi ac Maltæ nec non et aliis partium illarum insulis sub ejusdem contiguitate dominii constitutis.

Dat. Anagnie, XIII kal. augusti, anno quinto.

3360 (VII) Même date.

Ut possit indulgentiam unius anni et quadraginta dierum concedere cum eum contigerit verbum Dei proponere. (fol. 249 v°.)

Eidem. Cum te ad regnum —. Dat. ut supra.

3361 (VIII) Même date.

Pro eodem. (fol. 249 v°.)

Eidem. Cum te ad —.

Facultatem concedit dispensandi cum personis ecclesiasticis super irregularitate quam contraxerunt durante ejus legatione ex eo quod excommunicati receperunt ordines.

Dat. ut supra.

3362 (VIIII) Même date.

Perpetuatio jurisdictionis. (fol. 249 v°.)

Eidem. Cum te —.

Concedit ei ut, si fuerit partes legationis suæ ingressus et

postmodum illas egredi eum contigerit, possit regredi ad easdem et præfatum officium et cetera ei litteris Apostolicis commissa exercere.

Dat. ut supra.

3363 (x) Même date.

Pro eodem. (fol. 249 v°.)

Eidem. Cum te —.

Concedit ei facultatem monendi publice personas quas commode personaliter vel ad domicilium citare nequiverit ad legitimæ monitionis seu citationis effectum.

Dat. ut supra.

3364 (xi) Même date.

Pro eodem. (fol. 249 v°.)

Eidem. Cum te —.

Facultatem ei concedit compellendi per censuram ecclesiasticam prælatos, regulares et omnes personas ecclesiasticas ad contribuendum in procurationibus ei debitis.

Dat. ut supra.

3365 (xii) Même date.

Pro eodem. (fol. 249 v°.)

Eidem. Cum te —.

Facultatem ei concedit dispensandi cum quibuslibet personis religiosis suæ legationis quæ circa loca in monasteriis danda symoniacam pravitatem commiserunt.

Dat. ut supra.

3366 (xiii) Même date.

Pro eodem. (fol. 250.)

Eidem. Consuevit interdum —.

Impertitur ei facultatem concedendi licentiam nobilibus mulieribus intrandi, durante sua legatione, semel in anno, monasteria ordinis Cisterciensis ejusdem legationis.

Dat. ut supra.

3367 (xiiii) Même date.

Concedit facultatem absolvendi excommunicatos a defunctis judicibus. (fol. 250.)

Eidem. Ad audientiam nostram —. Dat. ut supra.

3368 (xv) Même date.

Pro eodem. (fol. 250.)

Eidem. Cum te —.

Concedit ei facultatem recipiendi, durante sua legatione, procurationes tam in absentia quam in præsentia ab omnibus personis ecclesiasticis exemptis vel non exemptis legationis suæ.

Dat. ut supra.

3369 (xvi) Même date.

Ut possit in locis interdictis divina officia celebrare. (fol. 250.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3370 (xvii) Même date.

Ut clerici suis obsequiis insistentes fructus beneficiorum suorum in absentia percipere valeant. (fol. 250.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3371 (xviii) Même date.

Pro eodem. (fol. 250 v°.)

Eidem. Cum te —.

Licentia privandi privilegiis suis religiosos cujuscumque ordinis qui ei super hiis que spectant ad suæ legationis officium parere contempserunt.

Dat. ut supra.

3372 (xix) Même date.

Pro eodem. (fol. 250 v°.)

Eidem. Cum te —.

Licentia injungendi Prædicatorum, Minorum et aliorum ordinum fratribus, infra suæ legationis terminos constitutis, quæ-

cumque persecutioni officii vel utilitati negotoriorum sibi commissorum videbitur expedire.

Dat. ut supra.

3373 (xx) Même date.

Pro eodem. (fol. 250 v°.)

Eidem. Cum te —.

Licentia privandi omnibus gratiis Apostolicis sibi concessis clericos quos in hiis quæ spectant ad suæ legationis officium indevotos invenerit.

Dat. ut supra.

3374 (xxi) Même date.

Pro eodem. (fol. 250 v°.)

Eidem. Prosperum statum —.

Declarat quod per ea quæ ei sunt specialiter concessa hiis quæ ei ratione legationis competunt in nullo penitus derogetur.

Dat. ut supra.

3375 (xxii) Même date.

Licentia exercendi censuram ecclesiasticam in omnes injuriatores ejus et familiæ suæ. (fol. 250 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3376 (xxiii) Même date.

Pro eodem. (fol. 250 v°.)

Eidem. Cum te —.

Ut omnibus qui fabricis ecclesiarum, hospitalium, itinerum et pontium, suæ legationis partium, manum porrexerint adjutricem LX vel usque ad C dies, pensatis locorum conditionibus, indulgentiam concedere valeat.

Dat. ut supra.

3377 (xxiiii) Même date.

Ut clerici ejus commensales de bonis suis libere testari valeant. (fol. 250 v°.)

Eidem. Cum te ad —. Dat. ut supra.

3378 (xxv) Même date.

Ut confessorem eligere possit quandocumque et quotienscumque voluerit legatione sua durante. (fol. 251.)

Eidem. Ut favorem quo —. Dat. ut supra.

3379 (xxvi) Même date.

Licentia dispensandi cum clericis suæ legationis super defectu natalium. (fol. 251.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3380 (xxvii) Même date.

Pro eodem. (fol. 251.)

Eidem. Cum te —.

Licentia amovendi a beneficiis quoscumque in sua legatione illa invenerit minus canonice obtinere illaque personis ydoneis conferendi.

Dat. ut supra.

3381 (xxviii) Même date.

Pro eodem. (fol. 251.)

Eidem. Cum te —.

Licentia absolvendi juxta formam Ecclesiæ tam clericos quam laicos utriusque sexus suæ legationis qui arma et ferrum et lignamina galæarum Sarracenis ac mercimonia prohibita in Alexandriam vel alia loca Sarracenorum terræ Egypti detulerint, quique illis naves vendiderint aut in pirraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercuerint, vel eis in machinis aut quibuslibet aliis aliquod impenderint auxilium, in Christianorum dispendium et specialiter Terræ Sanctæ, ab excommunicationis sententiis quas incurrerunt.

Dat. ut supra.

3382 (xxviiii) Même date.

Licentia conferendi beneficia suæ legationis quæ tanto tempore vacaverunt quod ad Sedem Apostolicam eorum collatio est devoluta. (fol. 251.)

Eidem. Cum te —. Dat ut supra.

3383 (xxx) Même date.

Licentia faciendi recipi viginti clericos in ecclesiis suæ legationis, si ad hoc illorum ad quos collatio pertinet accedat assensus, videlicet unum in una. (fol. 251.)

Eidem. Tuam volentes —. Dat. ut supra.

3384 (xxxi) Même date

Pro eodem. (fol. 251 v°.)

Eidem. Cum te —.

Licentia puniendi, prout viderit expedire, archiepiscopos, episcopos omnesque prælatos, collegia et personas ecclesiasticas quæ ei circa officium suæ legationis parere neglexerint.

Dat. ut supra.

3385 (xxxii) Même date.

Ut evectiones, quot commissis sibi negotiis viderit expedire, recipere valeat. (fol. 251 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3386 (xxxiii) Même date.

Pro eodem. (fol. 251 v°.)

Eidem. Cum te —.

Licentia dispensandi cum personis ecclesiasticis suæ legationis super irregularitate quam contraxerunt vel contraxerint, suæ legationis tempore durante, ferendo contra alios excommunicationis sententiam sine scriptis.

Dat. ut supra.

3387 (xxxiiii) Même date.

Pro eodem. (fol. 251 v°.)

Eidem. Cum te —.

Licentia compellendi per censuram ecclesiasticam prælatos tam Cisterciensis, Præmonstratensis, Cluniacensis et aliorum ordinum, magistros quoque preceptores, priores et fratres Hospitalis Jerosimilitani, Domus Militiæ Templi et quorumcumque aliorum ordinum quam alias personas ecclesiasticas ad providendum in ne cessariis nunciis ejus.

Dat. ut supra.

3388 (xxxv) Même date.

Pro eodem. (fol. 251 v°.)

Eidem. Cum te —.

Cum clericis suæ legationis qui ab archiepiscopis et episcopis, per vincula excommunicationis adstrictis, ignoranter ordines receperunt, exceptis illis qui ordinati fuerunt ab hiis qui per Sedem Apostolicam fuerunt depositi pro eo quod interfuerunt coronationi Manfredi quondam principis Tarentini, quod in sic susceptis ordinibus valeant ministrare, injuncta eis propter hoc pænitentia salutari.

Dat. ut supra.

3389 (xxxvi) Même date.

Facultas exercendi censuram ecclesiasticam in omnes clericos et laicos suæ legationis et terras interdicto ecclesiastico supponendi. (fol. 251 v°.)

Eidem. Prosperum statum —. Dat. ut supra.

3390 (xxxvii) Même date.

Ut tabellionatus officium quatuor personis concedere possit. (fol. 252.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3391 (xxxviii) Même date.

Ut quoscumque et quotcumque Prædicatorum, Minorum et aliorum quorumlibet ordinum Fratres vocare eisque licentiam ingrediendi monasteria et equitandi impertiri possit. (fol. 252.)

Eidem. Ut in commissis —. Dat. ut supra.

3392 (xxxix) Même date.

Licentia beneficia decedentium vel cedentium clericorum suorum conferendi. (fol. 252.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3393 (xl) Anagni, 25 juillet 1299.

De Frederico et aliis rebellibus Ecclesiæ reconciliandis. (fol. 252.)

Eidem. Illius exemplo —.

Ut possit Fridericum, insulas, civitates castra, terras, loca et incolas et alias quascumque personas, quæ in rebellione fuerunt et quæ ad mandata Ecclesiæ redire curaverunt, ab omnibus sententiis excommunicationis, interdicti absolvere et super omnis irregularitate dispensare, recepto ab eis prius juramento quod stabunt Ecclesiæ mandatis et quod de cætero ad rebellionem hujusmodi non redibunt.

Proviso quod cum constitutis in episcopalis dignitate ac supra ad dispensationem hujusmodi non procedas. Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno quinto.

3394 (XLI) Anagni, 27 juillet 1299.

De Siculis ad devotionem Ecclesiæ redeuntibus per Italicos non per Gallicos gubernandis. (fol. 252.)

Eidem. Romana mater Ecclesia —. Cum igitur te, de cujus experta industria et circumspectione confidimus, ad ipsius Sicilie regnum et partes cum plene legationis officio destinemus, nos, volentes ut eo liberius et securius rebelles hujusmodi ad devotionem ejusdem Ecclesie revertantur quo magis illam senserint in misericordia et pietate propitiam, eoque tu comodius et efficatius commissa tibi negotia prosequaris quo majori per nos fueris auctoritate munitus, concedendi, auctoritate nostra, insule civitatibus, castris, locis et incolis supradictis, que ad Ecclesie devotionem et mandata redierint, quod, post hujusmodi reditum, eadem Ecclesia per regnicolas citra Farum seu alios Ytalicos vel etiam de ipsa insula oriundos et non per Gallicos sive Provinciales sive Ultramontanos aliquos, clericos vel laycos, insulam predictam cum civitatibus, castris, locis, habitatoribus et incolis suis in devotione Ecclesie permanentem, ad minus quousque de bono securo, securo (*sic*), quieto et pacifico statu Siculorum salubriter, auctore Domino, per dictam provideatur Ecclesiam, tenebit ad manus suas ipsamque nomine proprio in omni justitia et bonis consuetudinibus gubernabit et reget eique officiales quoslibet ydoneos et etiam castellanos eisdem Siculis merito non suspectos dispendiis et expensis publicis de hujusmodi partibus deputabit, fraternitati tue plenam et cetera usque : facultatem. Dat. Anagnie, VI kal. augusti, anno V°.

3395 (XLII) Même date.

Facultas concedendi quod officiales Siciliæ, qui fuerunt tempore rebellionis, ad reddendum rationem non compellantur. (fol. 252.)

Eidem. Romana mater Ecclesia —.

Facultas concedendi auctoritate Apostolica insule civitatibus, castris, locis et incolis supradictis, postquam ad devotionem et mandata Ecclesiæ prædictæ redierint, quod officiales Siciliæ, qui fuerunt tempore dictæ rebellionis, nec de officiis neque de ablatis seu subtractis ad Curiam pertinentibus, neve de offensis et culpis contra personas Francorum vel aliorum commissis rationem reddere compellantur.

Dat. ut supra.

3396 (XLIII) Même date.

Ut regnicolas Siciliæ exules ad bona eorum restituere valeat. (fol. 252.)

Eidem. Romana, et cetera usque : munitus, fraternitati tue ut, postquam dicta insula ad Ecclesie devotionem et mandata redierit, omnes regnicolas, exules ratione guerre in insula ipsa incepte a quondam Petro olim rege Aragonie, qui, infra terminum a te statuendum eisdem, ad ipsius Ecclesie devotionem et mandata redierint et in devotione hujusmodi perdurabunt, nec ad rebellionis devium revertentur, restituere valeas, prout expedire putaveris, ad possessionem omnium bonorum suorum immobilium, que tempore hujusmodi exilii pacifice tenebant et possidebant, in regno Sicilie, tam citra quam ultra Farum, ita quod ipsi exules super proprietate non teneantur ostendere jura sua priusquam fuerint restituti sed fiat eis restitutio hujusmodi absque dilationis dispendio et malitia, constituto tamen quod in possessione fuerint cum exulare ceperunt tempore dicte guerre, plenam, et cetera usque : facultatem. Dat ut supra.

3397 (XLIIII) Même date.

Ut culpas per eos adversus Ecclesiam et Carolum commissas exulibus Siciliæ remittere possit. (fol. 252.)

Eidem. Romana, et cetera usque : munitus, fraternitati tue ut, postquam ad devotionem Ecclesie insula memorata redierit, omnibus secularibus exulibus a dicto regno tam citra quam ultra Farum, qui infra terminum — ut supra — revertentur, culpas et offensas per eos contra prelibatam Ecclesiam et Carolum, Sicilie regem illustrem, seu contra patrem ejus, occasione hujusmodi rebellionis et guerre, commissas remittere valeas, ac ipsos ab eis etiam liberare, nec non et eisdem concedere quod, nec per nos neque per regem Sicilie aut per nostros vel ipsius regis officiales sive per alios, hujusmodi occasione, in aliquo aggraventur concedimus plenam et cetera usque : facultatem. Dat. ut supra.

3398 (XLV) Anagni, 30 juillet 1299.

De matrimonio Frederici cum filia regis Caroli. (fol. 253.)

Eidem. Cum te —. Nos volentes ut Fredericus, natus quondam Petri olim regis Aragonie, qui, Siculorum procurante malitia, Sicilie insulam vel nonnullas partes ipsius contra prohibitiones et mandata Sedis Apostolice occupatas detinet, eo libentius et securius ad mandata nostra et Ecclesie revertatur quo magis nos, et cetera ut supra cap. XLI usque : munitus, offerendi et promittendi auctoritate nostra eidem Frederico quod, si ipse ac dicta insula et civitates, castra, loca et incole ipsius, infra terminum seu terminos a te statuendum vel statuendos eisdem, redierint ad nostra et Ecclesie Romane mandata, et fortellitias et alia loca munita tibi, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, duxerint assignanda, nos et prefata Ecclesia laborabimus et curabimus quod dilecta in Christo filia nobilis M....., nata carissimi in Christo filii nostri C[aroli], Sicilie regis illustris, cum ipso Frederico contrahet matrimonium, cum concessione in dotem regni Jerosolimitani per dictum regem Carolum fatienda, et quod nos, eo casu, concedemus eidem in feudum insulam Rodi, que a Grecis scismaticis detinetur, sive cum concessione in feudum regni Sardinie atque Corsice, dudum concessi predicto Jacobo, regi Aragonum, fratri suo, fatienda per nos et eandem Ecclesiam ipsi Frederico, cum oportuno consensu ejusdem Jacobi, regis Aragonum, fratris ejus, sub conventionibus, pactis, conditionibus atque modis, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Anagnie, III kal. augusti, anno quinto.

3399 (XLVI) Anagni, 27 juillet 1299.

Ut possit civitates Siciliæ in demanio Romani Pontificis ad XV annos retinere. (fol. 253.)

Eidem. Cum te, ut in precedenti usque : destinemus. Nos, volentes ut eo, etc., usque : munitus, concedendi auctoritate nostra insule Sicilie ac civitatibus, castris, locis et incolis aliisque insulis supradictis quod nos et successores nostri Romani pontifices ea, que infra terminum seu terminos a te statuendum seu statuendos eisdem, ad nostram et dicte Ecclesie devotionem et mandata redierint, per XV annos post hujusmodi reditum, si in devotione ac fidelitate nostra et ipsius Ecclesie perdurabunt, tenebimus ad manus nostras, in demanium seu quasi demanium, eaque per rectores et offitiales Italicos et Latinos non Provinciales vel Gallicos aut Ultramontanos gubernabimus et regemus et gubernari faciemus atque regi, et per tales qui reputentur ad hoc ydonei nec eis merito sint suspecti, et quod, finitis XV annis predictis, nos successores et Ecclesia supradicti providebimus per quos et quomodo in antea regantur bene ac salubriter gubernentur, fraternitati tue concedimus plenam et cetera usque : facultatem. Dat. Anagnie, VI kal. augusti, anno quinto.

3400 (XLVII) Anagni, 30 juillet 1299.

De concessione gratiarum quæ a Siculis peti poterunt. (fol. 253.)

Eidem. Licet tibi pro Siculis ad devotionem et mandata Ecclesie reducendis diversa et varia, per diversas nostras litteras, duxerimus committenda, si tamen aliqua per Fredericum, natum quondam Petri olim regis Aragonie, vel per ipsos Siculos a te petantur vel inter tractatus habendos occurrerint, ad quorum concessionem vel factionem data tibi non extendatur potestas, dummodo ea concessibilia et factibilia per nos fore cognosceris, illa nobis poteris velociter et seriosius intimare, declarando nobis super hiis pro et contra motiva, inde nostri responsi prestolaturus adventum. Proviso tamen attentius ne fraudulentibus tractatibus, occasione labendi temporis, involvaris; et quod, pro hujusmodi factibilibus et concessibilibus, tales ab illis, de obsidibus vel de castris, in tuis vel carissimi in Christo filii nostri Jacobi, Aragonie, Sardinie et Corsice regis illustris, aut alterius vel aliorum, de quibus videris expedire, manibus et posse ponendis, sive alias, quas ydoneas fore putaveris, recipias cautiones, quod, si ea per nos fieri vel concedi [non] contigerit, retractationis vel anullationis dispendia inferri per ipsos Fredericum et Siculos non contingat sed negotium in sperata et promissa firmitate concurrat; quodque interim circa marinum stolium exercitumque terrestre tempus inutiliter non labatur neque stipendia frivole consumantur. Si autem, propter more dispendium, super hujusmodi concessibilibus et factibilibus nos comode consulere non valeres ac nostrum exspectare responsum, nos, ad hujusmodi dispendium evitandum, ex plena et indubitata fidutia quam de tua circumspectione portamus, volumus et presentium tibi auctoritate concedimus ut super eis concedas et fatias quod pro honore nostro et Ecclesie prelibate ac pro utilitate negotii tibi ministraverit Dominus ac videbitur expedire. Dat. Anagnie, III kal. augusti, anno quinto.

3401 (XLVIII) Même date.

De regimine Siculorum, ad mandata regis Caroli redeuntium. (fol. 253)

Eidem. Licet super agendis tibi commissis et ea contingentibus satis per nos fueris informatus, ut eo tamen securius procedere valeas quo apertius de nostra tibi constiterit voluntate, declaramus tibi, tenore presentium, ut, si Siculi ad carissimi in Christo filii nostri C[aroli], Sicilie regis illustris, mandata redierint ac per eum vel per dilectum filium nobilem virum Robertum, ducem Calabrie, primogenitum ejus, regi et gubernari voluerint, mandes et ordines quod ad mandata recipiantur hujusmodi et per ipsorum alterum, quem maluerint, gubernentur salubriter et regantur, ita tamen quod insula Sicilie ipsiusque proventus obventiones et redditus nobis et Ecclesie Romane sint, ypothice ac pignoris titulo, et maneant obligati pro omnibus in quibus predictus rex et successores ejus nobis et Ecclesie prefate tenentur. Dat. ut supra.

3402 (XLVIIII) Anagni, 7 août 1299.

Adjungitur Landulphus S. Angeli diaconus cardinalis in legationis officio ad partes Siciliæ. (fol. 253.)

Dilecto filio Landulpho, Sancti Angeli diacono, una cum venerabili fratre nostro Gerardo, episcopo Sabinensi, in regno Sicilie Apostolice Sedis legato. Considerantes attentius —. Nuper siquidem circa statum negotii Sicilie, cordi nostro potissime insidentis, intendentes utiliter providere, venerabilem fratrem nostrum Gerardum, episcopum Sabinensem, ad partes regni Sicilie cum plene legationis officio duximus destinandum. Attendentes igitur quod prefatum negotium, pensatis attentius ejus circumstantiis universis, valde laboriosum existit et arduum ac propensioris adhibitione consilii noscitur plurimum indigere, pensantes etiam quod onus divisum in partes levius geritur et facilius supportatur, te, qui ejusdem negotii quod in omnibus palpasti propriis [manibus] plenamque notitiam nosceris obtinere, in exercendo predicte legationis officio, certis rationabilibus causis urgentibus, eidem legato, qui nos super hoc per suas litteras excitavit, de fratrum nostrorum consilio auctoritate Apostolica duximus adjungendum, ut illud, insimul et divisim, conjunctim et separatim, prout tu et ipse utilius et melius expedire videritis, vigilantibus et sollicitis exercere studiis procuretis —. Dat. Anagnie, VII id. augusti, anno quinto.

3403 (L) Même date.

Licentia recipiendi procurationes tam in absentia quam in præsentia. (fol. 253 v°.)

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, et dilecto filio Landulpho, Sancti Angeli diacono cardinalibus, in regno Sicilie Apostolice sedis legatis. Grandis vestre circumspectionis —. Dat. ut supra.

3404 (LI) Même date.

Notificatur episcopo Sabinensi adjunctio Landulphi S. Angeli diaconi cardinalis. (fol. 253 v°.)

Venerabili fratri Ge[rardo], episcopo Sabinensi, una cum dilecto filio Landulpho sancti Angeli diacono in regno Sicilie Apostolice Sedis legato. Intellecta serie litterarum, quas nobis nuperrime direxisti, et earum relatibus tue persone statu [1] nostris aperte sensibus reserato, tibi, quem carum in pectore gerimus, super ipsius qualitate status compassi fuerimus ex affectu et non leves proinde in animo sensimus punctiones. Porro, diligenti advertentes quod legationis offitium, tibi nuper a nobis in Sicilie regno commissum, valde laboriosum et arduum fore dinoscitur multaque onera secum trahit, considerantes etiam, et cetera ut supra usque : supportatur, dilectum filium nostrum Landulfum, Sancti Angeli diaconum cardinalem, cum ipse Sicilie negotium, sicut nosti, manibus palpaverit propriis plenamque illius noscatur notitiam obtinere, de fratrum nostrorum consilio atque tuo, in officio eodem exercendo tibi fidutialiter duximus adjungendum —. Dat. ut supra.

3405 (LII) Anagni, 13 juillet 1299.

Conceduntur comuni Civitatis Papalis civitatis jura. (fol. 253 v°.)

Dilectis filiis. . comuni Civitatis Papalis. Ad statum civitatis —.

Hominibus Civitatis Papalis « quam de novo construi fecimus » conceduntur ad eorum instantiam civitatis jura sub certis conditionibus et annuo censu XV librarum provisinorum.

Dat. Anagnie, III id. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24865.)

1. Ms : statum.

3406 (LIII) Anagni, 1er juillet 1299.

Restituuntur infrascriptis bona sua in feudum tenenda. (fol. 254.)

Dilectis filiis comuni et singularibus personis Civitatis Papalis. Apostolice Sedis circumspecta prudentia —. Sane quia dudum, contra mandatum predicte Sedis et nostrum, Jacobo et Petro de Columpna, olim Sancte Romane Ecclesie cardinalibus, Johanni et Oddoni, clericis, Agapito et Stephano et Jacobo dicto Sciarra, laicis, eorumdem Jacobi nepotibus et Petri fratribus, tunc scismaticis et Ecclesie Romane rebellibus, adherere ac consilium, auxilium et favorem eisdem impendere ausu nephario presumsistis, nos, tante temeritatis audatiam nolentes impunitam relinquere, ne cederet aliis in exemplum, vos, exigente justitia, bonis omnibus que tunc temporis habebatis, Apostolica duximus auctoritate privandos, benigna meditatione pensantes quod vos, saniori usi consilio, que ad devotionem et obedientiam dicte Sedis et nostram redire humiliter curavistis, in eis permanere stabiliter futuris temporibus intendendo (*sic*), et, volentes propterea, more laudabili pii patris, favore vos prosequi gratioso, vobis et heredibus vestris in perpetuum bona ipsa, tenenda in feudum de cetero per vos et heredes eosdem a Romana Ecclesia supradicta, de gratia restituimus et concedimus speciali. Decernentes ex nunc irritum et inane si secus scienter vel ignoranter contra hujusmodi restitutionem et concessionem nostras à quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre restitutionis, concessionis et constitutionis, et cetera. Dat. kal. julii, anno quinto.

(POTTHAST, 24853.)

3407 (LIIII) Anagni, 18 août 1299.

De negotio castri Argentæ. (fol. 154.)

Venerabilibus fratribus . . Paduano, . . Ferrariensi et . . Reginensi episcopis. Contra nobiles viros —.

Cum Azo et Franciscus fratres, marchiones Estenses, occasione castri Argentæ, « quod Ravennatis ecclesie esse dinoscitur », diversis sententiis, auctoritate Ravennatis archiepiscopi et Romani Pontificis, perculsi fuerint et nunc, « saniori ducti consilio », parati sint super eodem negotio se papæ beneplacitis coaptare, mandatur suprascriptis quatenus eisdem præcipiant ut ipsum castrum, nomine Romanæ Ecclesiæ, ponant « in manibus et posse » Ponsardi, militis, et Mannetti, mercatoris de domo Pulicum de Florentia, per eos vel per personas ab ipsis deputandas, usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis custodiendum neque in archiepiscopi manibus ponendum sine litteris Apostolicæ Sedis.

Dat. Anagnie, XII kal. septembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24874.)

In e. m. *dilectis filiis Ponsardo, militi, et Mannetto, mercatori de domo Pulicum de Florentia.*

3408 (LV) Anagni, 21 août 1299.

Litteræ de solutione condempnationis nobilibus Alatrinæ civitatis et castri Babuci impositæ. (fol. 254 v°.)

Dilecto filio Jacobo de Rensano, in temporalibus vicario generali, et Raynaldo de Bassiano, thesaurario dilecti filii nobilis viri Loffridi Gaitani, nepotis nostri, Campanie Maritimeque rectoris. Cum nuper undecim milia noningentos florenos auri, a quibuscumque nobilibus viris Alatrine civitatis et castri Babuci, secundum condemnationem per te vicarium habitam contra eos, ratione rixe ac excessuum habitorum inter eosdem, nobis duxeritis de mandato nostro integraliter assignandos, nos fatemur tenore presentium florenos hujusmodi recepisse de quibus vos absolvimus et quitamus —. Dat. Anagnie, XII kal. septembris, anno quinto.

3409 (LVI) Anagni, 27 septembre 1299.

Constitutio de corporibus defunctorum non decoquendis. (fol. 254 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Detestande feritatis abusum, quem ex quodam more horribili nonnulli fideles improvide prosecuntur, nos, pie intentionis ducti proposito, ne abusus predicti sevitia ulterius corpora humana dilaceret, mentesque fidelium horrore commoveat, et perturbet auditum, digne decrevimus abolendum. Prefati namque fideles, hujus sue improbande utique consuetudinis vitio intendentes, si quisquam ex eis genere nobilis vel dignitatis titulo insignitus, presertim extra suarum partium limites debitum nature, persolvat, in suis vel aliis remotis partibus sepultura electa, defuncti corpus ex quodam impie pietatis affectu truculenter excuterant, ac illud membratim vel in frustra immaniter concidentes, ea subsequenter aquis immersa exponunt ignibus decoquenda; et tandem, ab ossibus tegumento carnis excusso, eadem ad partes predictas mittunt seu

deferunt tumulanda. Quod non solum divine majestatis conspectui abominabile plurimum redditur, sed etiam humane considerationis obtutibus occurrit vehementius aborrendum. Volentes igitur, prout officii nostri debitum exigit, illud in hac parte remedium adhibere, per quod tante abominationis, tanteque immanitatis et impietatis abusus penitus deleatur, nec extendatur ad alios, Apostolica auctoritate statuimus et ordinamus, ut, cum quivis cujuscumque status aut generis seu dignitatis extiterint, in civitatibus, terris aut locis, in quibus catholice fidei cultus viget, diem de cetero claudet extremum, circa corpora defunctorum hujusmodi abusus vel similis nullatenus observetur, nec fidelium manus tanto immanitate fedentur. Sed, ut defunctorum corpora sic impie ac crudeliter non tractentur, deferantur ad loca, in quibus viventes elegerint sepeliri, aut in civitate, castro vel loco, ubi decesserint, vel loco vicino ecclesiastice sepulture tradantur ad tempus, ita quod demum, incineratis corporibus aut alias, ad loca, ubi sepulturam elegerint, deportentur et sepeliantur in eis. Nos enim, si predicti defuncti executor vel executores, aut familiares ejus, seu quivis alii, cujuscumque ordinis, conditionis, status aut gradus fuerint, etiamsi pontificali dignitate prefulgeant, aliquid contra hujusmodi nostri statuti et ordinationis tenorem presumpserint attentare, defunctorum corpora sic inhumaniter et crudeliter pertractando, vel faciendo pertractari, excommunicationis sententiam, quam exnunc in ipsos proferimus, ipso facto se noverint incursuros, a qua non nisi per Apostolicam Sedem, preterquam in mortis articulo, possint absolutionis beneficium obtinere. Et nihilominus ille, cujus corpus sic inhumane tractatum fuerit, ecclesiastica careat sepultura. Nulli ergo, et cetera, nostri statuti ordinationis et prolationis, et cetera. Dat. Anagnie, IIII kal. octobris, anno quinto.

(POTTHAST, 24881).

3410 (LVII) Anagni, en consistoire, 9 octobre 1299.

Adversus Columpnenses de Tybure profugos et receptatores eorum. (fol. 255.)

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Quoniam longa retro series nostrorum processuum et nostra auctoritate factorum contra Jacobum de Columpna et Petrum nepotem ejus, quondam Sancte Romane Ecclesie cardinales, clericos et laicos, natos quondam Johannis de Columpna, fratris dicti Jacobi et patris Petri prefati, et eorum posteros per masculinam et feminam lineam descendentes ab eis, et dantes eis auxilium, consilium et favorem, inserta seriose presentibus, vos, ex sui prolixitate, gravaret et tedium auditui subinferret astantium, quedam ex processibus ipsis subcinte abscriptionis stilo presentibus duximus inserenda et ad ulteriora etiam procedendum, prout imminens novissime materia patitur et casus occurrentes exquirunt.

Dudum siquidem, ex causis que rationabiliter nos moverunt, exigente justitia et ex officio ac plenitudine Apostolice potestatis, Jacobum et Petrum predictos, de fratrum nostrorum consilio, a cardinalatibus ejusdem Ecclesie deposuimus ; et omni cardinalatus seu cardinalatuum jure, comodo et honore perpetuo ipsos privavimus, omnibusque commissionibus seu concessionibus vel commendis quorumcumque monasteriorum et ecclesiarum ac aliorum religiosorum locorum cunctisque canonicatibus, prebendis, beneficiis, et dignitatibus ecclesiasticis; et reddidimus inhabiles ad apicem Apostolice dignitatis et cardinalatus honorem et quodcumque ministerium vel officium in Urbe vel in Romana Curia exercenda. Excommunicavimus insuper predictos Jacobum et Petrum et omnes illos qui de cetero scienter et deliberate pro cardinalibus ipsos vel aliquem eorum haberent, vel assensum prestarent quod pro cardinalibus haberentur, et qui eos vel ipsorum aliquem in electione Romani Pontificis ad aliquem actum ut cardinales admitterent, vel suffragium vocis alicujus ex eis. Omnes etiam et singulos, cujuscumque forent eminentie, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam si forent Sancte Romane Ecclesie cardinales, qui ipsis Jacobo et Petro vel eorum alteri, postquam in heresim, scisma et rebellionem caderent, in heresi vel scismate ac rebellione stantibus, scienter et deliberate prestarent auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, omni statu ecclesiastico, prelatura et honore privavimus, et omnia civitates, castra, terras et loca que ipsos vel aliquem eorum in heresim, scisma et rebellionem lapsos scienter susciperent, tenerent vel receptarent, supposuimus ecclesiastico interdicto. Ipsos quoque Jacobum et Petrum omnibus bonis mobilibus, stabilibus seu immobilibus, ecclesiasticis et mundanis, privavimus, eaque publicavimus et duximus confiscanda. Eisdem vero Jacobo et Petro acuentibus ut gladium linguas suas et prorumpentibus in verba scismatica et blasphema, eosdem de fratrum ipsorum consilio sententiando pronuntiavimus esse scismaticos et blasphemos ; et, ipsos excommunicationis sententia innodantes, eos, in hujusmodi scismate et blasphemia perdurantes, tanquam hereticos decrevimus puniendos, et personas eorum exposuimus fidelibus absque mortis periculo capiendas et detinendas, quousque de ipsis per nos aliud contingeret ordinari ; et unumquemque ipsorum active et passive intestabiles

reddidimus, ita quod nec ex quavis ultima voluntate, nec ab intestato aliquid eis valeat quomodolibet obvenire; et pronuntiavimus ipsos infames et legitimis actibus prorsus indignos, statuentes ut nulli eorum porte alicujus paterent dignitatis ecclesiastice vel mundane. Precepimus etiam sub excommunicationis pena, quam contrarium facientes incurrere voluimus ipso facto, ut nullus ab ipsis Jacobo et Petro vel eorum altero, ipsis in scismate et rebellione persistentibus, nuntium vel litteras reciperet aut mitteret ad eos vel ad alterum eorundem. Privavimus quoque perpetuo Johannem dictum de Sancto Vito et Oddonem, natos quondam Johannis de Columpna, et omnes qui descenderunt ab ipso Johanne per masculinam vel femineam lineam, omnibus dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus, prebendis et beneficiis ecclesiasticis que habebant. Et nichilominus tam omnes filios dicti Johannis, quam etiam omnes qui ab ipso Johanne per dictas lineas descenderent, usque ad quartam generationem reddidimus inhabiles ad omnes ecclesiasticos ordines et prelaturas, cujuscumque altitudinis, eminentie, ordinis, conditionis aut status, honores, dignitates, personatus, canonicatus, prebendas, pensiones, officia et beneficia, ecclesiastica et mundana. Omnes insuper filios Johannis de Columpna predicti, omnibus juribus et bonis ac rebus hereditariis ac etiam acquisitis omnino privavimus et publicavimus, ipsa eadem confiscantes et reddentes eos intestabiles active et passive. Pronuntiavimus quoque ipsos infames et legitimis actibus prorsus indignos, statuentes ut nulli eorum alicujus dignitatis porte pateant, ecclesiastice vel mundane, civilitate et incolatu et habitatione Urbis et circumposite regionis et quorumvis civitatum et locorum, dicte Ecclesie subjectorum, eis penitus interdictis, ipsosque forbannivimus ab eisdem, et excommunicationis sententia duximus innodandos, precipientes ut nullus daret eis auxilium, consilium vel favorem, illis qui scienter facerent excommunicationis sententia innodatis.

Tandem predicti Jacobus et Petrus, Agapitus, Stephanus, Jacobus dictus Sciarra, Johannes et Oddo, fratres dicti Petri, mandata nostra et dicte Romane Ecclesie juraverunt precise, alte et basse, super omnibus offensis, excessibus sive culpis, pro quibus excommunicationis sententia per nos vel auctoritate nostra fuerant innodati et processum fuerat contra eos; eisque et nonnullis familiaribus et fautoribus ipsorum per venerabilem fratrem nostrum Johannem, episcopum Tusculanum, de mandato nostro sibi sub certa forma facto, ab excommunicationis sententia qua erant ligati beneficio absolutionis impenso, nobisque residentibus in civitate Reatina cum fratribus et curia nostris, sepedicti Jacobus et Petrus et alii superius nominati, nati dicti Johannis, venerunt ad pedes nostros, quibus obsculatis, humiliter petierunt a nobis suppliciter misericordiam et veniam de commissis, in majori palatio ecclesie Reatine ubi tunc eramus cum fratribus nostris parati solempniter et portabamus in capite nostro diadema seu coronam, quod regnum vulgariter appellatur, per quod potest unitas Sancte Ecclesie designari, quam ipsi, in ecclesia Dei immisso scismate, scindere fuerant ante moliti : quibus non solum paterno more sed et materno dato responso, rememoratis et expositis ante ipsorum oculos eorum excessibus atque culpis, et ipsos Jacobum et Petrum in hospitio camerarii nostri recipi et hospitari fecimus et benigne tractari, natis laicis dicti Johannis in decentibus hospitiis collocatis, et, ut ipsorum ingratitudo magis appareat, non omittimus dicere quod ipsorum inopie manu larga subvenimus, disponentes super ipsorum negotio procedere misericorditer prout honori Dei et Apostolice Sedis et nostro expediens videremus, asperitatem mansuetudine et misericordia temperante rigorem. Ipsi etiam Jacobus et Petrus sigilla quibus, antequam essent depositi, utebantur nobis humiliter resignarunt, que fracta per partes facimus custodiri; et quia nos cum curia nostra, ex rationabilibus causis moti, tunc temporis eandem civitatem exivimus, voluntati et comoditati eorum condescendendo, clementer ordinavimus et mandavimus ut ipsi in civitate Tyburtina cum suis familiis morarentur quousque de ipsis et eorum negotio disponeremus aliud vel aliter nos contingeret ordinare : injuncto Stephano supradicto ut peregre proficiscens limina beati Jacobi Apostoli personaliter visitaret, quod tamen, sicut accepimus, non implevit. Cumque deliberatio nostra foret ipsorum negotium terminare prout nobis ministraretur ab Alto, memorati Jacobus et Petrus, Agapitus, Jacobus dictus Sciarra Johannes et Oddo, nati sepedicti Johannis, prefatorum juramentorum obliti clam seu nocturno tempore de Tibure recedentes, immo verius fugientes, transtulerunt se, ut dicitur, ad partes provintie Romaniole seu ad partes ei vicinas vel alias, nunc publice, nunc latenter, ita quod de ipsis et presertim de loco seu locis, ubi dicti Jacobus et Petrus sunt, certitudinem non habemus, fidedigno tamen relatu percepimus ipsos accessisse ad partes dicte provincie, castra vel loca et vicina ibique morari, sed magis publice laicos quam depositos supradictos quondam memorate Romane Ecclesie cardinales; et a nonnullis magnatibus et inferioribus personis illarum partium conducti et receptati fuerunt et habuerunt auxilium et favorem et in aliquo seu aliquibus castris vel locis earundem provintie seu partium, receptantur, qui ut vulgari more loquamur Gebelinos se nominant, et Gebeline partis se

fore proponunt, quos non dicimus excusandos a receptatione, auxilio et favore ipsorum, cum et ipsi Columpnenses sint et habeantur Gebeline voluntatis et partis. Quamvis enim Guelfi et Gebelini, quod dolenter referimus, ex inordinato affectu et ceco partialitatis errore, invicem se impetant et molestent, Gibelini tamen et Guelfi hostibus fidei et Ecclesie unitatis, rebellibus nostris et Apostolice Sedis, contra nos, qui licet immeriti locum Dei tenemus in terris, et Sedem eandem, non deberent prebere auxilium, consilium vel favorem, ipsosque presumere receptare, tales presertim qui vitandi sunt tanquam relapsi in blasphemiam et in schisma, sed potius reminisci quod a predecessoribus nostris, nobis et dicta Sede multiplices gratias et misericordias, comoda et benefitia grandia receperunt. Ambulant enim prefati Columpnenses in tenebris et odio lucem habentes, huc vel illuc velud profugi evagantur, nolentes cum dominicis ovibus nobis commissis ambulare in domo Domini, cum consensu. Nonnulli etiam clerici et laici secuti sunt eos, ipsorum participantes crimini et communicantes in crimine criminosis. Nos igitur, ipsorum Jacobi et Petri et filiorum dicti Johannis ac fautorum et adjutorum suorum culparum et excessuum non ignari, et attendentes eos quasi degeneres filios insurrexisse temere contra patrem, nec veritos sanctam Romanam catholicam et apostolicam ecclesiam, matrem non solum ipsorum sed omnium fidelium et magistram, temere impugnare ejusque conatos scindere unitatem, quibus erat melius non agnoscere viam justitie quam post agnitionem retrorsum reverti, ne quasi oves tam morbide diutius dominicum gregem infitiant utque tam impiorum punitio eruditio sit justorum, omnes processus per nos aut auctoritate nostra habitos contra eos et receptatores ipsorum ac dantes eis auxilium, consilium vel favorem et alias spirituales et temporales penas et mulctas contentas in eis et in constitutione nostra que incipit : « Ad succidendos infructusos palmites », gratos et ratos habentes, ipsos auctoritate Apostolica confirmamus, ratificamus et approbamus, eosque volumus in suo robore permanere.

Ad hec considerantes quod predicti Jacobus et Petrus, quondam cardinales, Agapitus, Jacobus dictus Sciarra, Johannes et Oddo recesserunt de Tybure, loco quem nos, condescendendo eorum voluntatibus, ad morandum ipsis benigniter concessimus et ordinavimus quod morarentur in eo, absentantes se ab eo, et huc illucque discurrunt et latitant et se ipsos ocultant; et nolentes quod ipsorum fraus, malitia sive dolus ipsis profitiat, eosdem Jacobum et Petrum, quondam cardinales, Agapitum, Jacobum dictum Sciarra, Johannem et Oddonem, nec non Riccardum et Petrum de Montenigro, nepotes Jacobi supradicti, et eorum quemlibet, hac presenti multitudine copiosa, perentorie citamus ipsisque et eorum cuilibet districte precipimus et mandamus ut ipsi et quilibet eorum, infra festum beati Martini confessoris proximo futurum, nostro se conspectui personaliter representent, recepturi pro meritis, audituri nostra mandata ipsaque efficaciter impletturi, nec non acturi penitentiam salutarem quam imponemus eisdem. Alioquin ipsis et eorum cuilibet, qui ut premittitur personaliter non comparuerint coram nobis infra terminum supradictum, easdem seu similes, spirituales et temporales, penas et in mulctas in dictis nostris processibus et constitutione contentas de novo infligimus, de fratrum nostrorum consilio prodictorum, et eos excommunicationis sententia innodamus : decernentes procedendum fore contra ipsos, tamquam contra relaxos et in heresim, blasphemiam et in scisma et lapsos in rebellionis et inobedientie ac contumatie recidivum, et contra receptatores, fauttores et adjutores eorum, cujuscumque eminentie fuerint sive status, sicut contra fautores, adjutores et receptatores hereticorum, concedunt jura posse procedi et specialiter per inquisitores heretice pravitatis, auctoritate Apostolica institutos vel instituendos in antea.

Degradamus etiam ipsos Jacobum et Petrum, quondam cardinales, a diaconatus et subdiaconatus et omnibus minoribus ordinibus, nec non et Johannem, Oddonem ac Riccardum prefatos ab omnibus ordinibus sacris et minoribus, quos receperunt et omni privilegio clericali nudamus : statuentes ut ipsis Jacobo et Petro, Agapito, Jacobo, dicto Sciarra, Johanni et Oddoni, Riccardo et Petro necnon et prefato Stephano, fratri predicti Petri, quondam cardinalis, eorumque heredibus seu posteris descendentibus ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus per masculinam vel feminem lineam, usque ad quartam generationem, quavis ratione, causa vel titulo, merum vel mixtum imperium, honores, regimina, dominia, dignitates, offitia, rectorie, quocumque nomine censeantur, jurisdictiones, jura et bona immobilia seu stabilia nullatenus valeant obvenire, nec ipsi aut eorum aliquis vel aliqui vel eorum heredes seu posteri, per dictas lineas vel earum alteram descendentes, usque ad quartam generationem, ab eis vel aliquo seu aliquibus ipsorum predictam, vel ipsorum aliquod vel aliqua acquirere valeatis vel habere aut quomodolibet obtinere, presertim in Urbe, ejus territorio vel districtu aut in quibuslibet provintiis, terris, seu locis, Ecclesie Romane subjectis. Similiter decrevimus de predictorum usufructu, habitatione vel usu et, si secus actum fuerit vel presumptum, illud decernimus irritum et inane.

Inhibemus quoque districtius ut nullus ipsos condu-

cat, recipiat vel receptet, receptari vel recipi fatiat seu conduci, aut det eis vel ipsorum alicui auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte : omnes qui contra hujusmodi nostram inhibitionem fecerint, cujuscumque eminentie, conditionis et status, ecclesiastici vel mundani, existant, etiamsi imperiali vel regali prefulgeant dignitate, excommunicationis sententia innodantes et terras eorum supponentes ecclesiastico interdicto. Civitates etiam, universitates, castra, terras et loca, que secus fecerint, ecclesiastico interdicto supponimus, et illa ex eis, que Romane Ecclesie fuerint immediate subjecta, mero, mixto imperio, jurisdictione, privilegiis et libertatibus omnibus omnino privamus. Comites insuper, barones et milites ac alias personas [1], cujuscumque eminentie sive status, dicte Ecclesie Romane subjectos [2], qui ipsos, contra hujusmodi nostram inhibitionem, in civitatibus, castris, terris et locis suis eos vel eorum aliquem receptaverint, receperint seu defenderint in eisdem, hujusmodi civitatibus, castris, terris seu locis et juribus in ipsis competentibus eis omnino privamus, confiscamus eadem et etiam publicamus : alias contra predictos et alios, spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, processuri.

Premissa omnia et singula facimus, exigente justitia et ex officio ac de Apostolice plenitudine potestatis, non obstantibus quibuscumque simul (*sic*) juris canonici vel civilis privilegiis vel indulgentiis seu concessionibus dicte Sedis, sub quacumque verborum conceptione, quibuscumque concessis, etiam si de ipsis vel eorum toto tenore oporteret fieri mentionem, que contra ipsa vel ipsorum aliqua vel aliquod possint obici vel opponi : predicentes aperte quod, pretextu citationis et terminum (*sic*) assignationis hujusmodi, que potius ex gratia seu misericordia quam ex juris necessitate procedunt, nequaquam differre vel abstinere proponimus quin, ipsa citatione et termini assignatione pendentibus, tam ex preteritis eorum contumatiis, excessibus et offensis, quam ex futuris, si quos eos committere fortasse contigerit, procedamus, spiritualiter et temporaliter, prout et quantum viderimus expediens, contra ipsos. Ut autem hujusmodi noster processus ad communem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas processum continentes eundem in cathedralis ecclesie Anagnine appendi vel affigi ostiis seu superliminatibus fatiemus, que processum ipsum, suo quasi sonoro preconio et patulo inditio, publicabunt : ita quod iidem Columpnenses citati et alii, quos processus ipse contingit, nullam postea possint excusationem pretendere quod ad eos tales processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem ; cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Anagnie, in publico consistorio nostro, v non. octobris, pontificatus nostri anno quinto.

1. Ms : alie persone.
2. Ms : subjecti.

3411 (LVIII) Anagni, 11 octobre 1299.

Ut processus in præcedenti capitulo contentus in cathedralibus ecclesiis provinciæ Ravennatis et specialiter in Faventina publicetur. (fol. 256.)

Venerabili fratri . . episcopo Faventino. Nuper, quinto nonas videlicet presentis mensis octobris, apud civitatem Anagninam, contra scismaticos Columpnenses, Jacobum silicet de Columpna et Petrum, nepotem ipsius, olim Sancte Romane Ecclesie cardinales, ac alios clericos et laicos, natos quondam Johannis de Columpna, fratris Jacobi et patris Petri predictorum, et nonnullos eorum fauttores, certum processum, quem tibi per latorem presentium sub bulla nostra transmittimus publicandum, duximus fatiendum. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, per te vel per alium seu alios, in cathedralibus civitatis Ravenne et aliarum civitatum ecclesiis, subjectis eidem ecclesie Ravennati, et specialiter in cathedrali ecclesia Faventina, receptis presentibus, absque dilationis obstaculo, convocato clero, tam religiosorum quam secularium, et populo civitatum ipsarum, processum ipsum et specialiter ac expressius illam clausulam, contentam in eo, per quam predictos Jacobum et Petrum, quondam cardinales, nec non Agapitum, Jacobum dictum Sciarram, Johannem dictum de Sancto Vito et Oddonem, fratres Petri prefati, nec non Riccardum et Petrum de Montenigro, nepotes prefati Jacobi olim cardinalis, et eorum quemlibet perentorie citamus, eisque precipimus ut ipsi et quilibet eorum, infra festum Beati Martini confessoris proximo futurum nostro se conspectui personaliter representent, recepturi pro meritis et audituri nostra mandata ipsaque efficaciter impleturi, nec non acturi penitentiam salutarem quam imponemus eisdem, solemniter, per te vel alium seu alios, publicare ac vulgarizare procures : fatiens de publicatione hujusmodi confici publicum seu publica instrumenta, illud vel illa nobis fideliter transmissurus ac rescripturus nichilominus per tuas litteras, harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeris fatiendum. Dat. Anagnie, v id. octobris, anno quinto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Urbinati.*

In e. m. *dilectis filiis rectoribus Romane fraternitatis.* Nuper, et cetera usque : fatiendum. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel aliquis seu aliqui vestrum, per vos vel alium seu alios, receptis presentibus, statim absque dilationis obstaculo, convocato clero tam religiosorum quam secularium Urbis in basilica Duodecim Apostolorum vel in ecclesia Sancti Laurentii in Damaso de Urbe, ibidem coram eis processum ipsum, et cetera usque : solemniter publicare et vulgarizare curetis fatientes de publicatione hujusmodi, et cetera usque : super hiis duxeritis fatiendum. Dat. ut supra.

3412 (LVIIII) Latran, 2 novembre 1299.

Ut principis Tarentini accessus in Siciliam impediatur. (fol. 256 v°.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Subsistentibus certis et rationalibus causis per quas dilecti filii nobilis viri Philippi, principis Tarentini, nedum inutilis sed nocivus in Siciliam censebatur accessus, accessum hujusmodi mandavimus impediri et ipsum abinde revocari, si forsan ivisset. Unde miramur merito et valde turbamur quod, sicut accepimus, cum exfortio armate nove idem princeps se disposuit et paravit ad transeundum in insulam memoratam.

Ut, « si dictus princeps nondum in Siciliam se contulit », illuc nullo modo se conferat et, « si forte jam se duxerit conferendum », exinde absque dilatione recedat, illuc nullatenus absque Sedis Apostolice beneplacito rediturus.

Et ecce nichilominus — archiepiscopo Neapolitano damus per alias nostras — litteras in mandatis ut tam te quam eumdem principem ad id per sententiam excommunicationis in personas, appellatione remota, compellat. Dat. Laterani, IIII non. novembris, anno quinto.

(POTTHAST, 24883.)

In e. m... *archiepiscopo Neapolitano.*

3413 (LX) Latran, 3 novembre 1299.

De custodia castrorum Argentæ et Consilicis. (fol. 256 v°.)

Dilectis filiis Ponsardo, militi, et Mannetto, mercatori de domo Pullicum de Florentia. De vestre legalitatis et circumspectionis industria confidentes, custodiam castri Argente, Ravennatis diocesis, quod ad Ravennatem ecclesiam noscitur pertinere, et castri Consilicis, Imolensis diocesis, spectantis ad ecclesiam Imolensem, nec non roccarum et fortellitiarum eorumdem castrorum, cum suis territoriis et districtibus ac hominibus et habitatoribus eorumdem, vobis duximus committendam, ac voluimus et concessimus ut, de fructibus, redditibus et proventibus castrorum, roccarum, territoriorum, districtuum et hominum predictorum, expensas temperatas et necessarias, pro hujusmodi custodia eorumdem, recipere ac facere valeatis, residuum eorumdem fructuum, reddituum et proventuum per personas fideles et ydoneas servaturi, quousque de eis per Sedem Apostolicam aliud extiterit ordinatum, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nunc autem, volentes in eis de provida cura regiminis providere, regimen castrorum, roccarum, territoriorum, districtuum, hominum et habitatorum predictorum, vobis, presentium auctoritate, committimus, per vos seu alterum vestrum vel per alium seu alios quos ad id duxeritis deputandos prudenter et fideliter exercendum, usque ad nostrum et Sedis prefate beneplacitum voluntatis, cum salario competenti, de prefato residuo predictorum fructuum, reddituum et proventuum, illis qui hujusmodi regnum exercebunt, pro eis et aliis offitialibus ad hoc necessariis, persolvendo. Residuum vero, si quod erit, de fructibus, redditibus et proventibus memoratis fideliter ad simile beneplacitum conservetur —. Dat. Laterani, III non. novembris, anno quinto.

3414 (LXI) Anagni, 23 août 1299.

De custodia castri Argentæ. (fol. 257.)

Eisdem. Cum per alias nostras litteras sub certa forma duxerimus providendum ut a nobilibus viris Azone et Francisco, marchionibus Estensibus, castrum Argente, Ravennatis diocesis, quod ad Ravennatem ecclesiam noscitur pertinere, ac roccam et fortellitias ipsius castri, cum suo territorio et districtu ac hominibus et habitatoribus eorumdem, nomine nostro et Romane ac predicte Ravennatis ecclesiarum, recipiatis, teneatis et custodiatis usque ad nostrum et Apostolice Sedis beneplacitum et mandatum; tenore presentium declaramus quod nostre intentionis existit ac volumus et concedimus ut, de fructibus, redditibus et proventibus castri, rocce, territorii et districtus ac hominum predictorum, expensas temperatas et necessarias pro hujusmodi retentione et diligenti custodia eorumdem recipere et facere valeatis ;

residuum vero hujusmodi fructuum, reddituum et proventuum, per fideles personas et ad hoc ydoneas, exigi, recipi et colligi fatiatis ac servari legaliter, quousque de eis per Sedem eandem aliud fuerit ordinatum. Proviso attentius quod ad predictam custodiam non admittantur aliqui de Lombardie, Marchie Tervisine aut Romaniole provintiis aut de terris venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Ravennati vel dilecto filio nobili viro . . duci vel comuni Venetiarum aut marchionibus prefatis subjectis, sed sint de aliis locis et terris et tales qui nec Ravennati ecclesie nec marchionibus ipsis merito sint suspecti. Dat. Anagnie, x kal. septembris, anno quinto.

3415 (LXII) Anagni, 12 et 13 octobre 1299.

De custodia castri Consilicis. (fol. 257.)

Eisdem. Sicut nuper accepimus dilecti filii nobiles viri Azo et Franciscus, marchiones Estenses, per se vel ministros seu offitiales aut homines suos, castrum Consilicis, Imolensis diocesis, quod ad Imolensem ecclesiam noscitur pertinere, ac roccam et fortellitias ipsius castri, cum suo territorio et districtu ac hominibus et habitatoribus eorumdem, tenent et fatiunt custodiri, sed parati sunt ea omnia nobis vel cui seu quibus assignare vellemus, [reddere] tenenda et custodienda prout duceremus ordinandum. Nos autem, hujusmodi marchionum ipsorum super assignandis predictis promptitudinem commenda[n]tes, eis per Apostolica scripta [mandavimus] ut castrum prefatum, cum rocca, fortellitiis, territorio, districtu, hominibus et habitatoribus supradictis, vobis, nomine nostro, liberaliter assignare curarent, tenenda et custodienda per vos vel alios fideles et legales ac non suspectos viros, quos vos ad id duxeritis deputandos, usque ad nostre et Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis. Volumus autem quod vos, de fructibus, redditibus et proventibus castri, rocce, territorii, districtus et hominum predictorum expensas moderatas et necessarias recipere ac facere valeretis pro hujusmodi retentione et diligenti custodia eorundem. Residuum vero, et cetera ut in precedenti, verbis competenter mutatis, usque : ordinatum. Ideoque discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus castrum, roccam, fortellitias, territorium, districtum, habitatores et homines supradictos, nomine nostro et prefate Sedis, a vobis recipere, ac ea, ut premissum est, per vos vel alios fideles viros tenere legaliter ac custodire et conservare curetis; sic vos in hac parte sollicite ac fideliter habituri, quod devotionem vestram exinde commendare merito valeamus. Dat. Anagnie, IIII id. octobris, anno quinto.

In e. m. *dilectis filiis nobilibus viris Azoni et Francisco, marchionibus Estensibus* —. Dat. Anagnie, III id. octobris, anno quinto.

3416 (LXIII) Anagni, 13 juin 1299.

De civitate nova, sub nomine Civitatis Papalis, prope civitatis Prænestinæ destructæ locum constructo. (fol. 257.)

Ad perpetuam rei memoriam. Summa Romane matris —.

Tempore quo Jacobus de Columpna et Petrus, nepos ipsius, dudum Romanæ Ecclesiæ cardinales, effecti schismatici in papam et eandem Ecclesiam rebellionis spiritum assumpserunt, Prænestina civitas, « beneficia grandia honoresque multiplices que sibi anteactis temporibus ejusdem Ecclesie tribuit munificentia liberalis in oblivium deducens » rebellare presumpsit præfatis adhærendo schismaticis. « Et quanquam prædicta civitas, a tempore cujus non est memoria, juris et proprietatis omnino fuisset et esset Ecclesie memorate », eadem in hujusmodi rebellione ac schismate persistere non expavit. Unde Dominus papa civitatem ipsam « omnis civitatis, comunitatis et universitatis jure Apostolica auctoritate » privat « ac ipsam, muros seu menia, domos incolarum ejus, ac montem et arcem qui super civitatem et etiam infra eam existere dignoscuntur » fecit funditus demoliri, « episcopatus cardinalatus honore, quem sub nomine Prenestini episcopi hactenus habuit, eam omnino privantes. » Decernit etiam « ut civitas eadem nequaquam habitetur ulterius, nullusque in ea incolatum aut domicilium habeat vel quomodolibet valeat obtinere : privando nihilominus eam privilegiis, libertatibus et juribus quibuscumque ipsamque aratro subjici ad veteris instar Carthaginis Africane » ac salem in ea etiam fecit et mandavit seminari, « ut nec rem, nec nomen aut titulum habeat civitatis. » Addit se « civitatem novam, ut senarius episcoporum numerus impleatur » construi fecisse, « prope jam dicte civitatis Penestrine destructe locum » quam appellari vult Civitatem Papalem « In ecclesia vero B. Agapiti martyris posita juxta eam, que quidem ante destructionem civitatis extitit ecclesia cathedralis » ordinat « construi altare in honorem B. Bonifatii ipsamque non illius sed hujusmodi nove Civitatis Papalis » esse vult ecclesiam cathedralem, « statuentes ut Civitas Papalis predicta sub sui expressione nominis episcopum habeat cardinalem. »

Dat. Anagnie, id. junii, anno quinto.

(POTTHAST, 24840.)

3417 (LXIIII) Même date.

Theodoricus, tituli S. Crucis in Jerusalem presbyter cardinalis, præficitur in episcopum Civitatis Papalis. (fol. 257 v°.)

Dilecto filio Theodorico, tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbytero cardinali, Civitatis Papalis electo. Digna nos movet —.

De statu « ecclesie Civitatis Papalis, quam nuper ad laudem Dei et honorem Romane Ecclesie construi » fecit, sollicitus, dominus papa ei regimen ipsius ecclesie committit ut eadem in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa « et rudis ipsius civitatis populus ac de novo ad catholice Ecclesie unitatem conversus de bono in melius proficere valeat. »

Dat. ut supra.

3418 (LXV) Anagni, 13 juin 1299.

Sententia adversus Johannem de Ceccano prolata. (fol. 257 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Publice utilitatis interesse conspicitur ut per vindictam coherceantur excessus, et pena sit speculum ultionis, ne blandiatur aliis ad offensam impunite transgressionis exemplar. Humane etenim corruptionis habundante malitia, impunitas scelerum dum illicite discurrit effrenis, insurgit in juris injuriam, claustra equitatis infringit, dampnat legem, et honesti privilegium permittit errori, ac sub spe impunitatis alios ad culpam allicit et invitat. Expedit igitur ut, erga sceleratos viros, sic justitia in judicium convertatur, quod eorum sceleritas confusa succumbat, ac contra eos ratio virtuose triumphet, lexque libera et circumspecta presidentis auctoritas animadvertant gravius et exerceatur condigne ultionis debitum in eosdem.

Sane injuriatur frequenter Apostolice Sedis memorie, conturbat ipsius ammiranter auditum, sauciat viscera, vexat mentem et animum provocat Johannis junioris, militis, nati quondam Anibaldi filii olim Landulphi de Ceccano, scelerata temeritas, qui, contra Deum et Romanam Ecclesiam ac fideles ipsius, cujus spiritualiter et temporaliter agnoscitur ditioni subjectus, paterne malitie imitator, violato fidelitatis debito quo eidem tenetur Ecclesie, continuatis ausibus nepharios actus exercens, ob culpas predicti ejus patris, et suas, sic se reddit obnoxium, quod non est ulterius absque gravis et debite castigationis ejusdem Sedis officio relinquendus. Habet enim, ut sumamus ab ipso Anibaldo principium, rei geste memoria quod, dum olim, tempore felicis recordationis Clementis pape quarti predecessoris nostri, quondam Corradinus, nepos olim Frederici dudum Romanorum Imperatoris, nequitiam suam, quam de nequam arboris radice protaxerat, satagens malignis ausibus demo[n]strare, fatua et falsa fictione se regem Sicilie nominaret, sibi regnum intitulando predictum, et, cum aliquibus inimicis Ecclesie, Lombardis, Tuscis, Marchianis, et Apulis, precipue de regno predicto profugis fraudulentis commertiis se implicans, ipsius turbare pacem Ecclesie, commovere populum et maxime prefatum Sicilie regnum occupare nequiter moliretur, in ejusdem Ecclesie et clare memorie Caroli, Sicilie regis, grave prejudicium et discrimen, idem predecessor, ipsius Corradini volens obviare malitiis, diversa monitiones, inhibitiones, precepta, processus, sententias et penas, tam contra ipsum Corradinum, quam contra fautores et adjutores ipsius, fecit, protulit et inflixit, et inter cetera, [ut] illos ex eis, qui ejusdem Ecclesie subjecti essent dominio temporali, preter penas alias illatas animadverteret gravius, prefatus predecessor, intendens ipsos, tamquam reos lese majestatis et ejusdem Ecclesie proditores, ab omnibus predictis terris Ecclesie in perpetuum relegatos, bonorum suorum omnium ammissione mulctavit et ea suo et ipsius Ecclesie dominio applicavit. Personas autem eorum, quas ubilibet in terris Ecclesie inveniri contingeret, omnibus Christi fidelibus, citra mortis et mutilationis periculum, exposuit capiendas, contra posteritatem eorum, clericos etiam, eorundem filios et nepotes, ad] beneficiorum suorum, tam habitorum quam habendorum, privationem actore Domino processurus, prout hec et alia in ipsius predecessoris sententiis et processibus, qui in ejusdem Archivo conservantur Ecclesie, plenius continentur. Predictus autem Anibaldus de Ceccano, tunc vivens, factus fame sue prodigus et salutis immemor, nec metuens Deum et eandem Ecclesiam matrem ejus, tam gravis tam enormis illationem criminis provocare, memorato Corradino ac nonnullis aliis sequacibus et fautoribus ejus, contra prefatam Romanam Ecclesiam et predictum Carolum, Sicilie regem, dedit in premissis contra inhibitionem predecessoris ejusdem, per se ac alios, auxilium et favorem, sic publice, patenter atque notorie, quod non potest nec potuit aliqua tergiversatione celari. Fuit enim personaliter, adjunctis etiam sibi nonnullis aliis suis in hac parte sequacibus, in predicti exercitu Corradini, quando Corradinus ipse ac idem Anibaldus cum eo prefatum Sicilie regem et eandem Ecclesiam, contra prefati predecessoris inhibitiones, comminationes et processus varios, diversas penas et sententias, spirituales et temporales, ac mulctas etiam continentes, ipsius etiam predecessoris tempore, predictum regnum hostiliter, in manu forti intrare, invadere ac occupare temere satagentes, eosdem regem et Ecclesiam ac gentes ipsorum, dictumque regnum impugnare graviter presumpserunt : propter quod certum est nullique in dubium vertitur prefatum Anibal-

dum premissas privationis et applicationis bonorum suorum omnium, aliasque sententias incurrisse, a qua privationis et applicationis sententia numquam extitit per Sedem Apostolicam liberatus. Prefatus vero Johannes, filius ejus, pro eo forsitan quod hujusmodi privationis et applicationis sententia contra eundem patrem ejus dudum non extitit executioni debite demandata, ex impunitate paterni delicti sumens audatiam delinquendi, ac, ex errore quasi paterno et agnitione fatua, privatus lumine sane mentis, nec agnoscens quanto ex hujusmodi delictis predicti patris ejus periculo subjacebat, nisus est sepius Campanie Maritimeque provintiam, quam sibi Sancta mater Ecclesia speciale pomerium devotionis et fidei perelegit, summovere fraudibus, subvertere scandalis et turbationibus conquassare, totaque die injustitiam cogitando gloriatus est in malitia factusque potens iniquitate, donec divina providentia, que superbis demum provocata resistit, suis decrevit iniquitatibus obviandum. Licet enim felicis recordationis Nicolaus papa quartus, predecessor noster, olim, dum viveret, propter gravia pericula, turbationes et scandala que, procurante pacis emulo, solito superseminare zizaniam, per non modicum temporis spatium, in civitate Terracinensi, tam intestinis quam extrinsecis utique dissidiis convulsa et lacerata, contigerant, futuris volens, que inde gravius timebantur imminere, periculis obviare, in sua ordinatione, quam fecit super reformatione pacis et concordie inter nobiles viros de domo Peruntorum, ex parte una, et Valenos, Sanguinos et Davinos, ex altera, concives civitatis ejusdem, ac super danda pace perpetua civitati et civibus memoratis, inter cetera duxisset districtius injungendum predictis Anibaldo et Johanni ac ipsorum filiis et nepotibus et eorum cuilibet, qui inter alios dicebantur fuisse causa seu fomentum dissidii prefate civitatis, per eorum auxilium et favorem prestitum alteri partium earundem in discordia fovendarum, ne ipsi vel eorum aliquis predictam civitatem Terracinensem, quavis occasione vel causa sive colore quesito, ingredi attemptarent, sub excommunicationis et confiscationis bonorum suorum omnium, que in terris Ecclesie obtinerent, penis, quas extunc in eos vel ipsorum quemlibet prefatus predecessor protulit, si mandatis ejus in hac parte contempnerent obedire : prelibatus tamen Johannes, contra hujusmodi ordinationem predicti predecessoris Nicolai temere veniens, mandata et penas in eadem ordinatione contenta vilipendendo penitus, associatis sibi nonnullis vassallis et familiaribus ejus, aliisque suis in hac parte sequacibus, in favorem et auxilium alterius dictarum partium, civitatem ipsam violenter intravit et, dirutis nonnullis relique partis domibus et edificiis, bonisque mobilibus, more predonum, exinde violenter ablatis, aliquibus etiam ex personis dicte relique partis immaniter cede cesis, et aliquibus vulneratis enormiter, reliquis fugientibus pre timore, civitatem prefatam, que consueverat abundare delitiis, multitudine civium reflorere prudentium, in statu pestilentie posuit mestisque tribulationibus laceravit, credens, ut ex verisimili conjectura presumitur, ex hiis illam sue posse subicere ditioni. Eodem autem predecessore Nicolao viam postmodum universe carnis ingresso, dum Apostolica Sedes per obitum vacaret ejusdem, dictus Johannes de Ceccano, temporis ut putabat oportunitate captata quo dirius posset prelibatam Ecclesiam suosque fideles memorate provintie turbationibus persequi, flagitare molestiis et injuriis lacessire, contra dilectum filium nobilem virum Ottavianum de Brunforte, militem, tunc temporis ipsarum Campanie Maritimeque rectorem, qui, juxta officii sui debitum, memoratum Johannem studebat a pravis, quibus continue insistebat, actibus et iniquo proposito revocare, contra monitiones, mandata, penas, sententias et processus, tam ipsius rectoris, quam etiam dilecti filii magistri Andree de Eugubio, canonici Tricaricensis, tunc rectoris in spiritualibus ipsarum Campanie et Maritime, insurrexit frequenter ilico et congregato nobilium et aliorum equitum et peditum in quantitate non modica exercitu armatorum, eundem Octavianum rectorem in castro Piperni, Terracinensis diocesis, tunc morantem, et castrum ipsum ac ejusdem castri homines, aliosque fideles Ecclesie de dictis Campania et Maritima, quos prelibatus Octavianus rector pro sua et dicti castri defensione, illuc juxta morem solitum convocaverat, hostiliter aggredi usque ad intima territorii dicti castri, et impugnare presumpsit. Ex quibus quidem aggressu et impugnatione, quot et quanta mala per strages hominum, dampna rerum, pericula personarum et animarum discrimina provenerunt, non est opus inserere litteris, cum sint in dicta provintia et vicinis partibus manifesta. Et subsequenter idem Johannes de Ceccano in faciem dicti rectoris in spiritualibus, dum rector ipse associaret clare memorie Carolum, regem Ungarie, tunc viventem et in itinere constitutum ad Sedem Apostolicam accedendi, inter Alatrinam et Ferentinatem civitates, in ipsius quasi presentia regis, sicut ex ejusdem assertione rectoris et ex testimonio fidedignorum accepimus, cum minis plurimis manus injecit, Dei timore postposito et in prefate Sedis obprobrium, temere violentas. Processu quoque temporis, apostolatus scilicet nostri tempore, prelibatus Johannes, antiquare satagens in malitia dies suos, pretextu rancoris, quem contra homines de Piperno gerebat, positis insidiis in territorio castri Setie quem-

dam familiarem dilecti filii nostri Petri, Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, et quosdam Pipernenses et alios qui septem vel novem numero fuisse dicuntur, dum recedentes de Urbe, ubi tunc nos cum nostra curia morabamur, versus Pipernum per dictum territorium castri Setie insimul pertransirent, personaliter capi fecit, ibidem in arboribus suspendi donec morte sevissima perierunt, sicut de hoc fame divulgantis assertio noscitur testimonium perhibere. Preterea prefatus Johannes, paterne malitie imitator, antiqui vulneris non formidans renovare scissuram et veteris flagitii reiterare memoriam, Frederico de Aragonia et Siculis, hostibus et rebellibus Ecclesie memorate necnon carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Sicilie illustris, prefati quondam Caroli Regis filii, contra prohibitiones, mandata, processus, sententias et penas, spirituales et temporales, quorundam predecessorum nostrorum et nostra, quas penas et sententias incurrisse conspicitur, dedit consilium, auxilium et favorem, ipsorum Frederici et Siculorum recipiendo nuntios, et faciendo conduci, ac transmittendo nuntios suos etiam ad eosdem, aliasque ipsis favorabiliter assistendo. Columpnensibus insuper, dum olim contra nos et eandem Ecclesiam in scismate ac rebellione manebant, contra quorum fautores, valitores, et adjutores, sicut contra hereticos ac fautores et adjutores ipsorum procedi secundum canonica et imperialia jura mandavimus, idem Johannes, ne in aliqua ipsius persecutionum Ecclesie dici posset innoxius, mala malis accumulatis et adjiciens culpas culpis, auxilium, consilium et favorem impendit, recipiendo etiam et conduci faciendo illorum nuntios, suosque ad eos nuntios destinando, sicut de hoc testatur fama publica contra eum. Almungaveros etiam et excommunicatos, ac prefate rebelles Ecclesie, idem Johannes, contra prohibitionem dicte Sedis, in terris quas tenebat in prefatis Campania et Maritima introduxit, receptavit et tenuit, in Ecclesie prefate contemptum et scandalum plurimorum. Nuper quoque, ratione terrarum, quas ad se in ipsis Campania et Maritima pertinere dicebat, totam fere patriam commovit, scandalis et turbationibus concitavit. Nos igitur tot et tanta, que non solum hostilia sed et tyrampnica possunt ascribi, delicta nequeuntes, sicut etiam nec debemus, preterire silentio et impunita relinquere, ne transeant in exempli pernitiem aliorum nosque debitam injuncti nobis a Domino curam pastoralis officii, velut pastor noxius, malorum conscius, negligere videamur, prefatum Anibaldum, propter premissas culpas ipsius, eandem sententiam predicti predecessoris nostri Clementis, privationis scilicet et applicationis omnium suorum bonorum, que, ipsius predecessoris processuum et sententiarum predictorum tempore, obtinebat, habebat, tenebat seu possidebat vel quasi, sive possidere vel quasi poterat vel debebat, denuntiamus auctoritate Apostolica firmiter incurrisse, ipsisque omnibus fuisse privatum; ac omnia bona de predictis, que, in terris temporali dominio Ecclesie memorate subjectis, nec non et ea que, per se vel alium, sive in feudum, aut locationis vel alterius concessionis, seu quovis titulo ab eadem Ecclesia habebat, tenebat et possidebat aut habere tenere, seu possidere, vel quasi poterat, extitisse ac esse prefate Romane Ecclesie applicata et etiam publicata, ipsaque nichilominus eidem publicamus et applicamus Ecclesie de Apostolice plenitudine potestatis, decernentes ipsius Anibaldi filios et nepotes, vel eorum aliquem, in bonis hujusmodi taliter confiscatis, sibi ex testamento vel ab intestato minime succedere potuisse, dictumque Johannem nullum jus habere vel sibi posse competere in eisdem, cum ante ipsius Anibaldi obitum, ad prelibate fiscum Ecclesie, fuissent, ut premittitur, devoluta. Denuntiamus quoque predictum Johannem prefatas excommunicationis et confiscationis omnium bonorum suorum, que obtinebat in terris Ecclesie memorate, penas, per dictum predecessorem Nicolaum latas in eum propter suum in prefatam civitatem Terracinensem ingressum, omnesque spirituales et temporales sententias et penas per predictos rectores et eorum quemlibet, seu quoscumque alios, Apostolice Sedis auctoritate rite prolatas seu per eandem Sedem etiam promulgatas in ipsum, tam occasione prefati ejus ingressus, quam et exercitus memorati, ac aliorum excessuum et maleficiorum, contra quoscumque homines de civitate Terracinensi predicta et contra comune ac homines predicti castri Piperni eorumque bona, necnon et ratione contumatiarum atque contemptuum, super hiis contra dictam Sedem vel prefatos rectores commissorum per eundem Johannem; penas insuper et sententias, spirituales et temporales, atque mulctas latas sive statutas per Sedem eandem vel per alios auctoritate ipsius Sedis, et maxime per nos vel auctoritate nostra per alios, contra omnes illos qui prefatis Frederico de Aragonia et Siculis, hostibus et rebellibus, auxilium, consilium vel favorem, publicum vel occultum, impenderent, necnon et contra fautores, valitores et adjutores scismaticorum Columpnensium predictorum, firmiter incurrisse ac eis omnibus fuisse ac esse ligatum. Et nichilominus omnia bona immobilia et jura, si qua etiam predicta confiscata ob culpas dicti patris ipsius, idem Johannes vel alius pro ipso, habet, tenet vel possidet, in quibusvis terris vel locis, ipsi Ecclesie mediate vel immediate subjectis; insuper omnia bona mobilia, que habet ubilibet vel quo-

modolibet ipsi debentur, eidem Ecclesie confiscamus et etiam applicamus: inhibentes ea tenentibus ut de ipsis nullatenus eidem respondeant, non obstantibus juramentis fidelitatis sibi prestitis aut obligationibus quomodolibet sibi factis, juramentorum, penarum, vel quavis alia firmitate vallatis. Districtius quoque universis et singulis inhibemus, ut Riccardo, filio dicti Johannis, aut ejus filie, de rebus et bonis ut premittitur publicatis, aut alii seu aliis, pro ipsis filio vel filia, aut ipsorum alteri in nullo respondeant, ipsique filio, sub pena forbannitionis de quibuslibet provintiis sive terris Ecclesie Romane subjectis et expositionis et captionis persone, citra mortis et mutilationis periculum, ut se nullatenus intromittat de bonis hujusmodi publicatis, necnon et sub aliis spiritualibus et temporalibus penis, de quibus videbimus expedire. Cumque mandavisse noscamur inquisitores heretice pravitatis contra fautores et adjutores tunc scismaticorum eorundem, sicut contra hereticorum fautores et adjutores, debere procedere, nos contra sepefatum Johannem, sicut contra hereticum et hereticorum fautorem et adjutorem, et specialiter per inquisitores hujusmodi faciemus procedi, prout viderimus expedire. Et, ut, preter mortis et mutilationis periculum, sint ipsi Johanni suarum pene limites offensarum, reddimus eum perpetuo noxium et infamem, sicut reum lese criminis majestatis, et etiam indignum ad omne officium publicum, quemvis honorem et dignitatem quamlibet obtinendam vel etiam exercendam. Intestabilem insuper, sic ut non testari valeat nec ullus, nec ipse ad alicujus successionem, ex intestato vel ex testamento aut ultima voluntate seu dispositione quavis, accedat omnesque sibi interdicimus legitimos actus. De omnibus quoque terris et locis Ecclesie Romane mediate vel immediate subjectis, ipsum in perpetuum forbannimus: districtius inhibentes ut nullus in terris vel locis ipsis recipiat vel receptet eundem, sine nostra et dicte Sedis licentia speciali. Dampnamus etiam ipsum ad carcerem decennalem, plus minusve, prout placuerit dicte Sedi, volentes eum, salvis sibi tamen membris et vita, per prefati Sicilie regis ministros et officiales, in ipsius regis carcere detineri et etiam custodiri. Ad hec, ut predicta cum pleniori observatione concurrant, districte precipimus ut nullus, contra premissa vel eorum aliquod, per se vel alium, publice vel occulte, memoratis Johanni aut filio prestet auxilium, consilium vel favorem. In omnes autem illos qui secus, scienter et ex proposito ac notabiliter, agere vel attemptare presumpserint, excommunicationis sententiam, quam ipso facto incurrant, auctoritate presentium, promulgamus et terras, que ipsos contra predicta scienter admiserint, ecclesiastico subicimus interdicto. Nulli ergo, et cetera, nostrarum denuntiationum, publicationis, applicationum, constitutionis, confiscationis, inhibitionis, forbannitionis, precepti et promulgationis, et cetera. Dat Anagnie, id. junii, anno quinto.

3419 (LXVI) Rome, dans la basilique de Saint-Pierre, le jour de la dédicace de cette basilique, 20 novembre 1299.

Processus contra Fredericum Aragonie et Siculos. (fol. 359 v°.)

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Pridem prout in multorum —.

Renovat processum contra Fredericum, quondam Petri olim Aragonie regis filium, et Siculos rebelles factum, cartas sive membranas hunc processum continentes in basilicæ Principis Apostolorum de Urbe ostiis seu super liminaribus appendi faciendo.

Actum Rome, in basilica supradicta, in festo dedicationis ejusdem basilice, pontificatus nostri anno quinto.

3420 (LXVII) Même date.

Processus contra Columpnenses. (fol. 259 v°.)

Processus contra Columpnenses. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. In communem notitiam credimus jam perductum qualiter hactenus contra Jacobum de Columpna et Petrum, nepotem ipsius, quondam Sacrosancte Romane Ecclesie cardinales, Agapitum, Stephanum, Jacobum dictum Sciarram, Johannem dictum de Sancto Vito, et Odonem, natos quondam Johannis de Columpna, fratris Jacobi, et patris Petri predictorum, propter scisma, rebellionem, culpas, excessus et contumatias eorumdem, ac contra ipsorum posteros ab eis per quamlibet lineam descendentes, ac fautores, adherentes et receptatores eorum, ac prestantes eisdem auxilium, consilium et favorem, publice, vel occulte, processus diversos et varios, per nos et alios, exigente justitia duximus faciendos ; qualiter etiam nuper, Anagnie, v non. octobris proximo jam transacti, proposuimus contra Jacobum et Petrum, Agapitum, Jacobum dictum Sciarram, Johannem et Odonem predictos, necnon Riccardum et Petrum de Montenigro, Jacobi memorati nepotes, qui eis in scisma et rebellionem hujusmodi adhesisse noscuntur, publice citationis edictum, ut ipsi et eorum quilibet, infra festum beati Martini confessoris proximo preteritum, se nostro conspectui personaliter presentarent, pro meritis recepturi, nostraque

audituri mandata et ea efficaciter impleturi, ac etiam acturi penitentiam salutarem, quam imponeremus eisdem, prout in dictis processibus plenius et seriosius continetur. Verum, quia prefati Jacobus et Petrus, olim, ut predicitur, cardinales, Agapitus ac alii supradicti, in suis malitiis persistentes, in statuto eis hujusmodi termino et post ipsum etiam expectati, comparere personaliter coram nobis contumaciter contempserunt, immo nec procuratorem aut excusatorem aliquem destinare curarunt, nos, contumacia et protervia exigentibus eorumdem, ipsos et eorum quemlibet nec non fautores, receptatores et sequaces ipsorum, dantesque illis auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, universas penas et sententias, spirituales et temporales, eis in predictis nostris processibus quomodolibet comminatas, impositas vel inflictas, prout imposite vel inflicte sive comminate noscuntur, presente hac fidelium multitudine copiosa, declaramus et denuntiamus, de fratrum nostrorum consilio, incurrisse ac eos fore ligatos, omnesque processus eosdem ac omnia et singula in illis contenta tamquam nominatim et singulariter repetita, ratificamus, approbamus et innovamus, plenumque robur obtinere volumus firmitatis, ac eadem sive similia illis infligimus et inpresentiarum de novo facimus contra eos. Insuper, premissis in sua firmitate manentibus, personas Jacobi et Petri, Agapiti, Stephani, Jacobi dicti Sciarre, Johannis et Oddonis, necnon Riccardi et Petri de Montenigro predictorum, ac etiam Johannis de Montenigro, fratris ipsorum Riccardi et Petri, eorumdem sequacium, ut comodius et efficacius eorum iniquitatibus obvietur, fidelium et universitatum, civitatum et quorumcumque locorum, velut in scisma et heresim relaxos, exponimus captioni, et in ipsis, et contra ipsos, veluti sic relaxos, servari, sine fraude et dolo, omnia et singula canonica instituta. Ut autem hujusmodi noster processus, et cetera usque : ita quod iidem scismatici et rebelles, et cetera usque in finem.

3421 (LXVIII) Même date.

Processus contra deferentes prohibita Sarracenis. (fol. 260.)

Processus contra deferentes arma et alia Sarracenis. Ad perpetuam rei memoriam. Contra illos falsos et impios Christianos, qui, contra Deum et Christianum populum, equos, arma, ferrum, lignamina, vasa, victualia vel alia quecumque mercimonia Sarracenis deferunt sive mittunt aut vendunt, vel de portubus suis, ut eisdem deferantur, extrahunt vel permittant extrahi, aut in pirraticis Sarracenorum navibus curam gubernationis exercent, vel in machinis aut alias eis, in Christianorum et maxime Terre Sancte dispendium, impendunt auxilium, consilium vel favorem, diversi et varii, quorum etiam aliqui in Corpore Juris habentur, et alii qui per litteras dicte Sedis apparent et in archivo Romane conservantur Ecclesie, in generalibus Apostolice Sedis conciliis et alias, diversis temporibus, per eandem Sedem, et per nos olim habiti sunt processus et solemniter publicati, excommunicationis et interdicti et alias, spirituales et temporales, penas et sententias seu mulctas, necnon monitiones, prohibitiones, comminationes, mandata, precepta, ordinationes et statuta diversa et varia continentes. Nunc autem, ad obviandum notius et efficatius in premissis, omnes processus hujusmodi ac omnia et singula in illis expressa, tamquam nominatim et singulariter repetita, presente hac multitudine copiosa fidelium, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, ratificamus, confirmamus et approbamus et etiam innovamus ac habere decernimus pleni roboris firmitatem, eaque jubemus inviolabiliter observari. Ut autem hujusmodi nostrorum ratificationis, confirmationis, approbationis, innovationis, et mandati processus, ad communem omnium notitiam deducatur, et cetera usque : ita quod hii quos processus ipse contingit, et cetera usque in finem.

3422 (LXVIIII) Latran, 31 octobre 1299.

Reservatur provisio monasterii S. Justinæ Paduani. (fol. 260.)

Ad futuram rei memoriam. Pridem monasterio Sancte Justine Paduano, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Rodulfi, abbatis ejusdem monasterii, pastoris regimine destituto et duabus in eodem monasterio electionibus, una videlicet de Orredico de Vico Ageris et alia de quondam N., ipsius monasterii monachis in discordia celebratis, negotium per appellationes ad Sedem Apostolicam interjectas ad eandem Sedem extitit devolutum.

Dicto Orredico negotium prosequi negligente, quondam N., persecutioni hujusmodi electionis insistens, diem clausit extremam apud Sedem Apostolicam. Provisio dicti monasterii reservatur.

Dat. Laterani, II kal. novembris, anno quinto.

3423 (LXX) Latran, 5 novembre 1299.

Reservatur provisio monasterii S. Prosperi Reginensis. (fol. 260 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Pridem monasterio —.

Monasterio Sancti Prosperi Reginensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, per obitum quondam Guillelmi abbatis pastoris regimine destituto, Albertus, monachus ejusdem monasterii, in abbatem electus fuit sed postea in manibus domini papæ resignavit. Reservatur provisio dicti monasterii.

Dat. Laterani, non. novembris, anno quinto.

3424 (LXXI) Latran, 7 novembre 1299.

Rerservatur provisio ecclesiæ Lectorensis. (fol. 260 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Pridem Lectorensi —.

Lectorensi ecclesia per obitum B. episcopi solatio destituta pastoris, Arnaldus de Monte Lutoso, ipsius ecclesiæ archidiaconus, fuit per capitulum concorditer electus sed postea in manibus domini papæ resignavit. Reservatur provisio dictæ ecclesiæ.

Dat. Laterani, VII id. novembris, anno quinto.

3425 (LXXII) Latran, 9 janvier 1300.

De nuntiis Frederici Aragoniæ a rege Carolo inscio Summo Pontifice receptis. (fol. 260 v°.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Actus tuos preteritos recensentes et recolentes tractatus quos in tuis agendis interdum hactenus tenuisti, de hiis quos tenes vel tenebis in antea merito formidamus. Nec sine ratione timemus : non enim excidit a nostra memoria qualiter, dum essemus in minori officio constituti, nos et venerabilis frater noster G[erardus], episcopus Sabinensis, in adjutorium tuum missi, quando, tempore felicis recordationis Nicolai pape IIII predecessoris nostri, obsidebatur Gaieta, tibique vicini, nobis irrequisitis et insciis, tractasti cum charissimo in Christo filio nostro Jacobo, nunc rege Aragonum, et perfecisti tractatum, contemptis in hoc non solum nobis et dicto episcopo sed et Romana Ecclesia matre tua. Non sumus obliti quam providos, quam discretos et utiles habuisti et firmasti tractatus cum prefato Jacobo, tunc hoste predicte Ecclesie atque tuo, pro tua et tuorum liberatione natorum. Ex quibus et aliis que memoriter retinemus experientia longa didicimus quod, te proprio sensui in arduis innitente, tibi male successit et hoc processus habiti circa missionem dilecti filii Philippi Tarentini principis, nati tui, in Siciliam nuper missi, manifeste declarant. Et utinam ex erroribus habitis in premissis tu solus detrimenta sentires, et nos et Ecclesia supradicta et Christianitas non sentiremus ex talibus nocumenta! Que prudentia, fili, fuit, quam reverentiam ad nos et dictam Ecclesiam habuisti, si, prout accepimus, nuper in quodam galione Frederici, nostri hostis ac tui, nuntios recepisti ipsosque remiseris, quid petierint quidve responderis ad nostram notitiam non perducto? Volentes igitur futuris ex tua precipitatione et subitatione periculis obviare, celsitudinem tuam monemus et hortamur attente per Apostolica scripta tibi, sub debito fidelitatis, quo nobis et Ecclesie Romane teneris, et excommunicationis pena, quam, si secus feceris, te incurrere volumus ipso facto, districte precipiendo mandantes quatinus cum Frederico predicto vel ejus nuntiis nullum tractatum, habitum vel habendum, firmare aut executioni mandare presumas, absque nostro speciali consensu, per nostras bullatas litteras apparente. Nos enim quicquid secus feceris ex nunc omnino cassamus et cassum et irritum decernimus et inane. Ceterum pro certo te tenere volumus quod, si te aliter quam hactenus feceris nostris beneplacitis non coaptes et si salubria mandata nostra contemnas, quantumcumque pro tuis relevandis oneribus et periculis evitandis innumerabiles quasi effuderimus pecunie quantitates, exquiremus vias et modos per quos, quamvis cum damno tuo, pax nobis cum prefato hoste proveniat, ne diutius Terre Sancta in manibus hostium fidei teneatur. Dat. Laterani, V id. januarii, anno quinto.

(POTTHAST, 24898.)

3426 (LXXIII) Latran, 3 janvier 1300.

Reservatur provisio ecclesiæ Treverensis. (fol. 260 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Cum sicut intelleximus —.

Reservatur dispositioni Apostolicæ « ex certis et rationabilibus causis que juste ad id animum nostrum movent » provisio ecclesiæ Treverensis, per obitum Boemundi archiepiscopi vacantis.

Dat. Laterani, II non. januarii, anno quinto.

3427 (LXXIIII) Latran, 15 janvier 1300.

De negotio Sicilie. (fol. 260 v°.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, Aragonie regi illustri. Adhibe, fili, quesumus allocutionibus paternis et monitis filialis promptitudinis intellectum, ut in te semina sparsa fructificent, mollescant dura que scribimus, et amara dulcescant. Si enim affectum nostrum intenta mente perspexeris et effectum ex nostra proventurum affectione pensaveris, fructum colliges spiritualis et temporalis comodi ex eisdem, noxia procul dubio vitaturus. Nosti quidem, non ut improperendo loquamur, quod te, dudum ambulantem in tenebris umbre mortis, ad lucis semitam, non absque immensitate sollicitudinum et laborum, viis ac modis utique salutiferis et utilibus exquisitis, provide curavimus revocare, ac, magnis ex munificentia Sedis Apostolice tibi collatis honoribus et muneribus gratiarum, vexillum Ecclesie matris tue, tibi duximus propriis manibus conferendum, ut illo, velut athleta Christi et pugil intrepidus,契 utereris fideliter, constanter et utiliter contra hostes. Sed qualem fiducia nostra super ulnas tuas super hoc obtinuit sessionem, quantum inde nobis et eidem Ecclesie ac tibi etiam quietis vel inquietis, obprobrii vel honoris, obvenerit, confideremus tue diffinitioni committere, si velles fidei servare decorem, ut eorum memoria nostri vel tui torqueret animam delinquentis. Numquid potest detestabilis error haberi dum in Sicilie partibus, magna tibi desuper collata victoria contra hostes, illa, ob tuam vel tuorum aut utrorumque culpam, uti regali constantia neglexisti? Dum post hostium mentes territas et animos consternatos, effectum victricis glorie ac gaudii triumphalis prosequi et sumere non curasti? Numquid incautus habebitur vel lese conscius voluntatis, qui, de procellarum fluctibus ad litora vectus incolumis, illas subito repetit inconsultus? Qui consistens in victoriosa prosecutione certaminis illam deserit et a consternati recedit facie inimici? Prudentum quidem tenet opinio et vulgaris habet assertio quod, si contra Fredericum et Siculos fuisses tuos victoriosos processus constanter et viriliter prosecutus, ipsi ad mandata Sedis Apostolice, coacti vel voluntarii, absque longi fractu temporis rediissent. Sed non absque ruboris et mentis amaricamine referimus, quod super hoc in te culpa obvenerit, tua est apud bonos et graves denigrata serenitas vel vacillat. Decuisset insuper ut finalem tuum nobis persignificasses abscessum et in eo saltem benedictionis nostre gratiam petiisses. Verumtamen nos, laudabilis et benivoli nostri prepositi memoriam retinentes, quia in bono malum nequaquam presumimus, nec odium in dilectione notamus, ac in tua et tuorum amplius innocentia delectamur quam letemur in culpa, celsitudinem regiam paterno monemus, rogamus et hortamur affectu, quatenus sic in antea circa ea per que nobis et dicte Sedi complaceas et maxime in hujusmodi negotio, a cujus eventu in maxima parte dependet Terre Sancte comoditas, disponas regie mentis intuitum, actus exponas, convertas studia et opem impendas et operam, quod tenebrosam caliginem, que in opinione vulgari tuam tuorumque famam operuit, prudenter abstergas, et te ac illos luce clarere facias puriori; futuris supplens operibus defectus, si quos tu vel tui potius hactenus commisistis. Et ut talem te opera representent, qualem nostra commonita comprehendunt, oriundos de regno et terris tibi subjectis, qui prefatis Frederico et Siculis erronice ac imprudenter adherent, ut ab eorum errore se revocent et a predictorum Frederici et Siculorum discedant obsequiis, efficaciter studeas compulsionis oportune remedio cohartare : districtius prohibens sub expedientibus penis ut nullus ex tibi subjectis ad ipsos Fredericum et Siculos accedat vel mittat, aut eis impendat publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem. Illos vero ex tuis subditis, qui cum venerabili fratre nostro G[erardo], episcopo Sabiniensi, Apostolice Sedis legato, et dilectis filiis nobilibus viris Roberto, duce Calabrie, cognato tuo, ac Rogerio de Lauria, qui tuis fidelis existit, in nostrum ac prefate Sedis servitium in ipsa Sicilia moram trahunt, diligentius exhorteris et efficaciter injungas eisdem, ut ipsis legato, duci et Rogerio ferventer assistant, et fideliter obsequantur, ita quod ipsi tuam et eorum inibi fidem, prudentiam et constantiam utiliter representent. Ceterum in fidelium Ecclesie fulcimentum morantium in Sicilia memorata et ad obtinendam victoriam contra hostes, ex consulta deliberatione processit, tibi, ut firmiter credimus, placitura, ut certus militum et galearum numerus egregie munitorum de terris tibi subjectis celeriter habeatur, et ad hec solemnes et speciales nuntii destinantur, quibus, sicut gratiam nostram diligis et honorem tuum illesum desideras conservare, oportunum ad id exhibeas et exhiberi facias, auxilium, consilium et favorem, ita quod, tuo fulcti suffragio, faciant et obtineant, comode, celeriter, et utiliter ad id ad quod extiterint destinati. Considera itaque, fili carissime, quanta te affectione prosequimur, et, confirmans ad obsequia Jhesu Christi et Sancte matris Ecclesie mentem tuam, sic te Deo, nobis et ipsi Ecclesie gratum, obsequiosum exhibeas et fidelem, quod perempnis vite premium, nostram et memorate Sedis benedictionem et gratiam ac humane laudis preconium, quibuslibet exclusis obstaculis, tamquam benedictionis

filius uberius consequi merearis. Dat. Laterani, xviii kal. februarii, anno quinto.

(Potthast, 24901.)

3428-9 (lxxv) Latran, 15 janvier 1300.

Reservatur provisio Moguntinæ et Coloniensis ecclesiarum. (fol. 271.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ex certis et rationabilibus causis que juste ad id animum nostrum movent, provisionem ecclesie Maguntine, si impresentiarum vacat vel quocumque modo eam vacare contigerit, hac vice dispositioni Sedis Apostolice reservamus —. Dat. Laterani, xviii kal. februarii, anno quinto.

In e. m. reservatur hac vice provisio ecclesie Coloniensis.

3430 (lxxvi) Latran, 21 janvier 1300.

Pro Gerardo, episcopo Sabinensi, solo in legatione Siciliæ permanente. (fol. 271.)

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato. Commisso dudum —.

Suprascripto et Landulpho, S. Angeli diacono cardinali, concesserat dominus papa facultatem recipiendi procurationes a personis ecclesiasticis et percipiendi fructus cathedralium vacantium vel vacaturarum regni Siciliæ et totius principatus Achayæ, durante eorum legationis tempore. « Verum, quia postmodum ex certa causa eundem L[andulphum] ab ipsa legatione » ad suam duxerit præsentiam revocandum, indulget ut quod ei una cum collega ante revocationem hujusmodi circa eas gratias licebat, liceat et competat ei soli.

Dat. Laterani, xii kal. februarii, pontificatus nostri, anno quinto.

3431 (lxxvii)[1] Latran, 18 décembre 1299.

Reservatur provisio ecclesiæ Brixinensis. (fol. 271 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Ut ecclesia Brixinensis —. Dat. Laterani, xv kal. januarii, anno quinto.

1. Post hoc capitulum legitur in margine lxxxviii, sed nihil reperitur in textu.

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM SEXTI ANNI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

3432 (I) Latran, 27 janvier 1300.

« Quod habeat commendatum G[odefridum], episcopum Parmensem, et ecclesiam sibi commissam. « (Reg. 49, fol. 271.)

Bonifatius, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio, nobili viro, Giberto de Corrigia, civi Parmensi, salutem et apostolicam benedictionem. Habet nostre fidutie — nostris. Sane venerabilis frater noster G[odefridus], Parmensis episcopus, abolim ante nostre promotionis auspitia, et post etiam, ejusdem Sedis et nostris obsequiis in Anglicanis partibus deputatus, sic prudenter et fideliter in commissis se habuit, sic in illis se gerere studuit, diligenter laborum onera non vitando, quod digne promeruit a nobis et ejusdem Sedis clementia precipuis attolli favoribus et spetialibus gratiis honorari. Cum itaque prefatum episcopum, claris suis exigentibus meritis, pridem fratrum nostrorum comunicato consilio, in Parmensem episcopum duxerimus promovendum, in hoc Parmensis ecclesie statum tranquillum et prosperum potissime attendentes, nobilitatem tuam rogandam attente duximus et hortandam quatinus, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, prefatum episcopum et ecclesiam sibi commissam habens propensius commendatos, sibi et ejus vicario, super conservatione et recuperatione libertatum, honorum et jurium ipsius ecclesie, oportunum tui favoris auxilium, cum super hoc ad te recursum habuerint, liberaliter largiaris, alias eidem episcopo, super hiis que ad jurisdictionem et officium ejus pertinent, benignius deferendo, ut ipse tuo fultus presidio ea liberius et utilius valeat exercere. Sic te in hiis efficaciter habiturus — attollamus. Dat. Laterani, vi kal. februarii, pontificatus nostri anno sexto.

In e. m. *dilecto filio, nobili viro, Bonifatio, marchioni de Sarranea, civi Parmensi.*

In e. m. *dilectis filiis, nobilibus viris, Guillelmo et Hugolino de Rubeis fratribus, civibus Parmensibus,* mutatis mutandis.

3433 (II) Latran, 26 janvier 1300.

Privilegium de clericis providendis. (fol. 271.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Tuam volentes honorare —.

Ei concedit facultatem recipiendi et recipere faciendi ex nunc in Burdegalensi quæ regularis existit tres personas, et in singulis cathedralibus seu regularibus ac collegiatis ecclesiis ejus civitatis et diocesis et provinciæ singulas personas ydoneas, etiamsi personæ ipsæ duo vel plura beneficia obtineant, cum vel sine cura, in canonicos et fratres, et providendi singulis earum de singulis præbendis.

Dat. Laterani, vii kal. februarii, anno sexto.

3434 (III) Latran, 25 janvier 1300.

Licentia conferendi canonicatus et præbendas. (fol. 271.)

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Tholetano. Habet in nobis —.

Concedit ei facultatem conferendi, hac vice, auctoritate Apostolica, personis ydoneis de quibus viderit expedire, etiamsi alias beneficiatæ existant, canonicatus et præbendas quos quondam Michael Eximini et quondam Alfonsus, natus quondam Alfonsi, infantis de Molina, in ecclesia Tholetana obtine-

bant, et qui per mortem ipsorum, pridem apud Sedem Apostolicam decessorum, Apostolicæ dispositioni subjecti sunt.

Dat. Laterani, viii februarii, anno sexto.

3435 (iv) Latran, 28 janvier 1300.

« Super dispensatione matrimonii quorumdam de diocesi Parmensi. » (fol. 271 v°.)

Venerabili fratri G[odefrido], episcopo Parmensi. Exhibita nobis —.

Committit ei ut, si allegatis veritas suffragetur et timeatur de periculis quæ narrantur, ad evitanda discordiarum pericula, dispenset de matrimonio cum Edoardo, nato Guillelmi de Vaggero, et Giolina, nata Manuelis de Valvisnerio, Parmensis diocesis, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno sexto.

3436 (v) Latran, 7 février 1300.

« Executoria de mutuo contrahendo. » (fol. 271 v° et 272.)

Dilectis filiis Titio, archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, ac . . preposito, et Lante Guidonis, canonico Pistoriensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum sex milium florenorum auri quos Gundisalvus, archiepiscopus Tholetanus, recepit a Lanfranco Jamdonati et Johanne Franchi, mutuantibus pro se, ac Martino et Marco Amannati, Neso et Totto Amannati, Dyno Johannis, Jacobo et Lante Agolantis, Johanne Jacobi, Meo Nesis, Conrado Lantis, Nerio Guidonis, Phylippo Franchi et Paulo Tegrini, ac ceteris de societate Amannatorum.

Dat. Laterani, vii id. februarii, anno sexto.

3437 (vi) Latran, 31 janvier 1300.

Concessio decanatus ecclesiæ Aniciensis. (fol. 272 v°.)

Dilecto filio magistro Jacobo Dueza, utriusque juris professo[ri], decano ecclesie Aniciensis. Quia venustate morum —.

Consideratione Caroli, regis Siciliæ, cujus clericus et familiaris existit, confert ei decanatum in Aniciensi ecclesia quem Petrus de Ferreriis, electus Lectorensis, in manibus domini papæ resignavit, et qui ideo Apostolicæ dispositioni subjectus est, et de illo providet, non obstante quod prædictus Jacobus in Albiensi et Sancti Frontonis Petragoricensi ecclesiis canonicatus et præbendas, ac archipresbyteratum ecclesiæ de Sarlato curam animarum habentem, et ecclesiam Sancti Andreæ de Senesive sine cura, Petragoricensis et Carcassonensis diocesium, obtineat, et quamdam pensionem quinquaginta librarum parvorum Turonensium ab . . abbate monasterii Cluniacensis percipiat annuatim.

Dat. Laterani, ii kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Aquensis, ac . . preposito Aptensis, et Hugoni de Rupe, canonico Lugdunensis ecclesiarum.*

3438 (vii) Latran, 1er février 1300.

« Mandatur judicibus quod exigant rationem a Bernardo de Monte Lauduno, archidiacono Lectorensi, super eo quod extitit procurator Lectorensis ecclesie. » (fol. 272 v° et 273.)

Venerabili fratri archiepiscopo Auxitano, et dilectis filiis . . abbati monasterii Grandissilve, Tholosane ac . . priori de Alariaco, Agennensis diocesium. Nuper, de fratrum nostrorum consilio, ecclesie Lectorensi, tunc pastore carenti, dilectum filium Petrum de Ferreriis, electum Lectorensem, tunc decanum Aniciensis ecclesie, auctoritate Apostolica prefecimus in episcopum et pastorem. Cum itaque prefatum electum, suis exigentibus meritis, spetiali prosequamur affectu, nostreque intentionis existit ut omnia que ad eum ratione ipsius Lectorensis ecclesie pertinere noscuntur integre assequantur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, dilectum filium Bernardum de Monte Lauduno, archidiaconum Lectorensem, qui, sicut asseritur, ejusdem Lectorensis ecclesie dum vacavit extitit procurator, ac singulas personas Lectorensis capituli et alios clericos cujuscunque ordinis, dignitatis, status vel conditionis existant, et laicos civitatis et diocesis Lectorensis et etiam aliunde, de quibus videritis expedire, ex parte nostra monere ac inducere studeatis ut, infra competentem terminum quem eis ad hoc duxeritis prefigendum, eidem electo, seu vicario vel procuratori suo, ejus nomine, de fructibus, redditibus, proventibus ac aliis omnibus bonis mobilibus, que fuerunt bone memorie G[eraldi], Lectorensis episcopi, predecessoris ipsius electi, et de hiis, que de bonis, ad mensam episcopalem Lectorensem spectantibus, post mortem dicti episcopi sunt percepta, rationem debitam reddere ac de illis ple-

nariam satisfactionem, prout tenentur, exhibere procurent, eos ad id per excommunicationis in personas ipsorum et interdicti in capitulum predictum sententias, si necesse fuerit, ratione previa compellendo; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio bracchii secularis. Dat. Laterani, kal. februarii, anno sexto.

3439 (VII *bis*) Latran, 3 février 1300.

Pro restauratione mensæ episcopalis Lectorensis. (fol. 273.)

Eisdem. Oblata nobis dilecti filii Petri de Ferreriis, electi Lectorensis, petitio continebat quod olim bone memorie G[eraldus], episcopus Lectorensis, predecessor suus, nonnulla feuda, terras, possessiones, domos, redditus, decimas, jura, jurisdictiones et alia bona ad mensam episcopalem Lectorensem spectantia, nonnullis clericis et laicis concedere, ac alias alienare et distrahere, dum adhuc viveret, pro sua voluntate curavit, in ipsius mense non modicum prejuditium et gravamen; super quibus prefatus electus sibi et eidem mense per Sedem Apostolicam de oportuno procurari remedio suppliciter postulavit. Nos igitur, ad ejusdem electi et ecclesie sibi commisse statum prosperum et votivum paterne sollicitudinis studio intendentes, ac volentes eorum indempnitatibus providere in hac parte, gerentes quoque de vestre discretionis industria fidutiam in Domino spetialem, vobis et vestrum cuilibet revocandi legitime, sine strepitu et figura judicii, ad jus et proprietatem ejusdem mense quecunque de bonis ipsius per eundem episcopum alienata et concessa inveneritis illicite vel distracta, necnon et contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam et liberam, presentium auctoritate, concedimus facultatem; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio bracchii secularis : non obstantibus, si personis aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, seu quibuscunque privilegiis et indulgentiis dicte Sedis de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris debeat fieri mentio spetialis. Dat. Laterani, III non. februarii, anno sexto.

3440 (VIII) Latran, 26 janvier 1300.

« Quod possit conferre beneficia ecclesiastica que tanto tempore vacarunt in sua civitate et diocesi. » (fol. 273.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Tuam volentes honorare —.

Ei concedit facultatem conferendi hac vice personis ydoneis, etiam si alias beneficiatæ existant, beneficia ecclesiastica, nulli alii de jure debita, etiamsi dignitates existant vel curam habeant animarum, in civitate et diocesi ejus, quæ tanto tempore vacaverunt quod eorum collatio ad Sedem Apostolicam legitime sit devoluta, videlicet singulis singula.

Dat. Laterani, VII kal. februarii, anno sexto.

3441 (VIIII) Latran, 5 février 1300.

« Super recolligendo residuo decime Terre Sancte subsidio deputate in regno Anglie. » (fol. 273.)

Venerabili fratri . . episcopo Wintoniensi et dilecto filio magistro Bartholomeo de Ferentino, canonico Londoniensi. Gerentes de vestre multiplicis industria et probate fidei puritate fidutiam in Domino spetialem, nostra et Ecclesie Romane negotia vobis secure committimus exequenda, firma credulitate tenentes quod circa executionem eorum operose sollicitudinis studium et efficacem solertiam impendetis. Cum igitur totum residuum decime, quam felicis recordationis Gregorius papa X, predecessor noster, in regno Anglie Terre Sancte subsidio deputavit, promptum et paratum habere intendamus omnino, et speremus indubie quod hujusmodi negotium per vestram circumspectam prudentiam et sollicitudinem diligentem ad effectum, favente Domino, celeriter perducetur, vobis petendi, recipiendi et recolligendi, per vos vel vestrum quemlibet, residuum supradictum, nostro et ejusdem Ecclesie nomine, a personis ecclesiasticis et religiosis ac aliis quibuslibet dicti regni, apud quas vel earum loca depositum esse dinoscitur residuum memoratum, necnon et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellendi, non obstante si personis eisdem vel aliquibus aliis, cujuscumque conditionis, status, ordinis vel dignitatis existant, comuniter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras dicte Sedis non facientes plenam, expressam et determinatam de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel spetiali, cujuscunque tenoris vel expressionis existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua plenam et expressam ac de verbo ad verbum oporteat in nostris litteris fieri mentionem, plenam et liberam pre

sentium auctoritate concedimus facultatem. Dat. Laterani, non. februarii, anno sexto.

3442 (x) Latran, 5 février 1300.

« Quod tradant predictum residuum mercatoribus de societate Mozorum de Florentia. » (fol. 273 v°.)

Eisdem. Cum nos totum residuum —.

Mandat ut totum quod de predicto residuo decimæ per Gregorium papam X in regno Anglie deputatæ Terræ Sanctæ beneficio, recolligere ac recipere illos continget, apud Thomam Spiliati et Johannem quondam Jacobi militis ac socios eorum, cives Florentinos, de societate Mozorum de Florentia, Romanæ Ecclesiæ mercatorum, integre assignent; « facientes de assignatione hujusmodi duo publica similia fieri instrumenta, quorum alterum penes vos retinere curetis, nobis reliquum per fidelem nuntium transmissuri; intimando nobis nichilominus, per vestras litteras spetiales, quid et quantum de predicto residuo, ac ubi et quando, prefatis mercatoribus duxeritis assignandum. »

Dat. ut supra.

3443 (xi) Latran, 5 février 1300.

« Super quibusdam excessibus commissis per Esculanos. » (fol. 273 v°.)

Dilecto filio . . Marchie Anconitane rectori vel ejus vicario. Gravis et onusta —.

Ei mandat ut Esculanos ad restituenda castra montis Passilli et Montis Cretatii Firmanis compellat eosque Romam citet.

Dat. Laterani, non. februarii, anno sexto.

(Potthast, 24907.)

3444 (xii) Latran, 9 février 1300.

« Executoria super mutuo contrahendo pro Johanne, abbate monasterii Sancti Prosperi Reginensis. » (fol. 273 v°.)

Dilectis filiis magistris Petro, archidiacono Claromontensi, et Roberto de Jalia, canonico Laudunensi. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum sexcentorum florenorum auri quos Johannes, abbas monasterii Sancti Prosperi Reginensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, recepit a Roberto, tituli Sanctæ Pudentianæ presbytero cardinali.

Dat. Laterani, v id. februarii, anno sexto.

3445 (xiii) Latran, 28 janvier 1300.

« Super relaxando interdicto in civitate Parmensi. » (fol. 273 v° et 274.)

Venerabili fratri G[odefrido], episcopo Parmensi. In nostra constitutus presentia retulisti quod cum pridem ad nostram notitiam pervenisset quod inter nobilem virum.., marchionem Estensem, et cives Parmenses, instigante pacis emulo incentore malorum, gravia erant guerra (*sic*) discrimina suscitata, nos paterne sollicitudinis studio hujusmodi obviare periculis ac animarum et corporum comodis providere salubriter intendentes, treuguas inter eos duximus indicendas, interdicti in terras et excommunicationis in personas eorum qui treuguas non servarent hujusmodi sententiis promulgatis. Verum quia nonnulli ex civibus ipsis, ut dicitur, treuguas non servarunt easdem, ab aliquibus dubitatur ne Parmensis civitas sit ecclesiastico supposita interdicto. Quare nobis humiliter supplicasti ut providere super hoc de Apostolice benignitatis clementia misericorditer dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, facultatem tibi relaxandi hac vice interdictum hujusmodi, si quod propterea incurrerunt, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. Laterani, v kal. februarii, anno sexto.

3446 (xiiii) Latran, 7 février 1300.

Pro consecratione Petri, electi Lectorensis. (fol. 274.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Neapolitano. Cum nos nuper —.

Concedit ei facultatem conferendi munus consecrationis Petro de Ferreriis, electo Lectorensi.

Dat. Laterani, vii id. februarii, anno sexto.

Forma juramenti.

Ego Petrus, episcopus Lectorensis, ab hac hora in antea, et cetera, ut in forma.

3447 (xv) Même date.

« Committitur Nerio Zacharie custodia et regimen castri Perete. » (fol. 274.)

Dilecto filio T[hedino], tituli Sancte Crucis in Jerusalem presbytero cardinali, Civitatis Papalis electo, patrimonii Beati Petri in Tuscia rectori. Sincere devotionis affectus quo dilectus filius Nerius Zacharie, civis Urbevetanus, nepos tuus, erga nos et Romanam viget Ecclesiam, digne meretur ut ad personam suam Apostolice munificentie dexteram extendamus. Volentes itaque sibi gratiam facere spetialem, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus custodiam et regimen castri Perete, Suanensis diocesis, ad demanium ejusdem Ecclesie pertinentis, cum omnibus juribus et proventibus in eodem castro et ejus pertinentiis ad Ecclesiam ipsam spectantibus, auctoritate nostra concedas et assignes eidem, usque ad nostre ac Sedis Apostolice beneplacitum voluntatis: mandans et faciens ab hominibus ejusdem castri obediri sibi in hiis que ad ejus spectant officium ac de juribus et proventibus supradictis integraliter responderi. Dat. ut supra.

3448 (xvi) Latran, 29 janvier 1300.

« Super collationibus quorumdam beneficiorum in ecclesia Gienniensi. » (fol. 274.)

Venerabili fratri Petro, episcopo, et dilectis filiis capitulo Giennensi. Sincere devotionis affectus — admittamus. Exposita siquidem nobis vestra petitio continebat quod, in ecclesia Giennensi, dignitatum et officiorum ejusdem ecclesie collatio ad Giennensem episcopum dignoscitur pertinere, quodque, vacante dudum archidiaconatu Beaciensi in eadem ecclesia, tu, frater episcope, in Sarracenorum captivitate existens, archidiaconatum ipsum Fernando Johannis, tunc archidiacono Ubetensi in predicta ecclesia, et archidiaconatum predicti Fernandi, Garsie Petri, ipsius ecclesie cantori, cantoriam vero ipsius Garsie, Fernando Martini, necnon thesaurariam ejusdem ecclesie, liberam et vacantem, nulli alii de jure debitam, Johanni Sancii, ecclesie predicte canonicis contulisti; quare suppliciter postulastis a nobis ut collationes predictas confirmare de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, collationes predictas, sicut alias provide facte sunt, ratas et gratas habentes, eas, non obstante nostra, per quam ad capitulum ecclesie, cujus episcopus sic detinetur captivus, in spiritualibus et temporalibus administratio pertinet, donec ipsum episcopum libertati restitui vel per Sedem Apostolicam aliud ordinari contingat, vel alia qualibet constitutione contraria, auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, et cetera usque : communimus. Nulli ergo, et cetera. Nostre confirmationis, et cetera. Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno sexto.

3449 (xvii) Latran, 29 janvier 1300.

« Super redemptione Petri, Giennensis episcopi, a Sarracenis. » (fol. 274.)

Dilectis filiis . . Bracensi et . . Ubetensi archidiaconis, ac thesaurario ecclesie Giennensis. Nuper ad nostrum pervenit auditum quod, dum venerabilis frater noster Petrus, Giennensis episcopus, pridem ad civitatem Giennensem fidutialiter remearet, tandem cum prope civitatem ipsam existeret, a Sarracenis vicinarum partium captus fuit et carceralibus vinculis mancipatus, qui adhuc in illis asseritur nequiter detineri. Nos autem episcopi prelibati angustiis et pressuris pio compatientes affectu, ejusque doloribus condolentes, operose sollicitudinis studium libenter impendimus ut ab hujusmodi vinculis celeriter liberetur. Cum itaque, sicut pro certo didicimus, prefatus episcopus, squaloribus carceris pregravatus, pro liberatione sua, quinque milia duplarum auri se promiserit soluturum, et ad hujusmodi pecuniam persolvendam Giennensis ecclesie non sufficiant facultates, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus duo milia duplarum auri, eorum omnium que beneficio crucis, ut patrie verbis utamur, pro redimendis captivis in Ispanie partibus exhibentur, dummodo in hujusmodi exhibitis tantum vel etiam plus existat, alioquin quantum reperitur in eis, eidem episcopo, vel procuratori seu procuratoribus, ejus nomine, in hujusmodi sue redemptionis seu liberationis subsidium convertenda, faciatis auctoritate nostra per vos vel per alium seu alios integraliter exhiberi. Contra, et cetera. Non obstante si aliquibus, cujuscunque ordinis, preminentie, conditionis aut status, a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excomunicari non possint per litteras dicte Sedis, non facientes plenam et expressam de indulto hujusmodi mentionem, et qualibet alia prefate Sedis indulgentia generali vel spetiali, cujuscunque tenoris existat, per quam, presentibus non expressam vel totaliter non insertam, effectus presentium, et cetera usque : mentionem. Dat ut supra.

3450 (XVIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 274.)

Venerabilibus fratribus universis archiepiscopis et episcopis, et dilectis filiis abbatibus et prioribus, exemptis et non exemptis, per Yspaniam constitutis. Paterne sollicitudinis cura —.

Illos rogat, hortatur et obsecrat ut gravibus episcopi Giennensis, a Sarracenis capti, angustiis et pressuris « quas sibi, prout verisimiliter creditur, feda detinentium ipsum conditio incrementat, » compatientes, eidem, per se suosque subditos religiosos et alios, curent celeriter et liberaliter subvenire.

Dat. ut supra.

3451 (XVIIII) Même date.

« Committitur sibi cura et administratio ecclesie Giennensis. » (fol. 274 v°.)

Decano ecclesie Giennensis. Ex debito pastoralis —.

Administrationem in temporalibus ejusdem ecclesiæ committit quousque episcopus Petrus, qui a Sarracenis detinetur captivus, « pristine restitutus extiterit libertati, aut circa statum ejusdem ecclesie per Apostolice Sedis circumspectam providentiam aliud contigerit ordinari. »

Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Giennensis.*

3452 (XX) Latran, 4 février 1300.

« Committitur castellania castri Colliscasalis domino Arlotto, militi Tudertino. » (fol. 274 v°.)

Dilecto filio nobili viro Arlotto quondam Rolandi de Pomonte, militi Tudertino, familiari nostro, castellano castri Colliscasalis, Balneoregensis diocesis. Sincere devotionis affectum —.

Ei castellaniam et custodiam castri Colliscasalis, Balneoregensis diocesis, committit.

Dat. Laterani, non. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis hominibus Castri Colliscasalis, Balneoregensis diocesis, nostris et Ecclesie Romane fidelibus.*

(POTTHAST, 24905.)

3453 (XXI) Latran, 11 février 1300.

« Conceduntur R[oberto], comiti Attrebatensi, legata indistincte et redemptiones votorum in terris suis, usque ad triennium, pro prosecutione negotii Sicilie contra Fredericum. » (fol. 274 v° et 275.)

Dilectis filiis . . Sancti Germani de Pratis Parisiensis, et . . Sancti Dionisii in Francia, ac . . Sancti Mauri de Fossatis, Parisiensis diocesis, monasteriorum abbatibus. Nuper ad nostrum pervenit auditum quod dilectus filius, nobilis vir Robertus, comes Atrebatensis, ob ingentis devotionis affectum quem erga Romanam gerit Ecclesiam, moleste ferens injurias, offensas et jacturas multiplices quas eidem Ecclesie Fredericus, quondam Petri, olim regis Aragonie, filius, abolim temere irrogavit et adhuc irrogare non cessat, Sicilie insulam, terram utique peculiarem ipsius Ecclesie, detinendo nequiter occupatam, intendit omnino, cum decenti et honorabili militum et aliorum armatorum etiam comitiva, in proximo ad partes Italie se conferre, contra prefatum Fredericum ejusque complices et fautores potenter et viriliter processurus. Cum itaque predicto comiti, occasione hujusmodi, expense multiplices immineant faciende, nos volentes propterea sibi subventionis gratiam impartiri ac per hoc ejus tam pium et laudabile propositum efficatius confovere, gerentes quoque de vestre discretionis industria fidutiam in Domino spetialem, vobis ut, per vos vel alium seu alios, legata indistincte a fidelibus defunctis in pios usus relicta, que alias persoluta non fuerint, necnon redemptiones votorum per locorum archiepiscopos vel episcopos prius factas in terris comitatus Atrebatensis, terrisque aliis ejusdem comitis, et illis etiam que ab ipso comite in Ambianensi, Cameracensi, Atrebatensi Morinensi et Cenomanensi episcopatibus mediate vel immediate tenentur, petere, exigere et recipere, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compellere valeatis, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum, et cetera usque : mentionem plenam, concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem quod ea que receperitis in hac parte, prefato comiti hujusmodi negotium juxta ipsius Ecclesie beneplacitum personaliter prosequenti, eoque propter hoc in itinere constituto, vel procuratori seu procuratoribus suis ejus nomine, integre assignetis, intimando nichilominus nobis, per vestras litteras speciales, quantitates quas de hujusmodi legatis et redemptionibus per vos recipi et jam dicto comiti contigerit exhiberi; presentibus per triennium ab assignatione ipsarum facienda vobis computandum minime valituris. Dat. Laterani, III id. februarii, anno sexto.

3454 (XXII) Même date.

« De usuris et rapinis in predictis locis et terris. » (fol. 275.)

Eisdem. Nuper ad nostrum pervenit auditum, et cetera, ut in proxima precedenti, usque : in Domino spetialem, ut in comitatu Atrebatensi et aliis terris ejusdem comitis, ac illis etiam que ab ipso in Ambianensi, Cameracensi, Atrebatensi, Morinensi et Cenomanensi episcopatibus mediate vel immediate tenentur, possitis per vos, vel alium seu alios, de usuris, rapinis et aliis male acquisitis et habitis a volentibus vobis illa restituere, dummodo, proposito prius in locis competentibus publice denuntiationis edicto, hii quibus premissorum restitutio fieri debeat omnino sciri et inveniri non possint, recipere libere satisfactionem plenariam, dictoque comiti hujusmodi negotium ipsius Ecclesie personaliter prosequenti ac eo propter hoc in itinere constituto, vel procuratori seu procuratoribus suis ejus nomine, integre assignare in hujusmodi suarum subsidium expensarum, plenam vobis et cuilibet vestrum concedimus auctoritate presentium facultatem ; ita quod illi a quibus ea sic receperitis ad restitutionem aliam, de eo dumtaxat quod sic in veritate dederint, minime teneantur sed pro eo remaneant absoluti. Volumus autem quod ea que taliter receperitis et que per vos eidem comiti assignari contigerit in hac parte, nobis per vestras speciales litteras intimetis ; presentibus et cetera ut supra. Dat. ut supra.

3455 (XXIII) Latran, 9 février 1300.

« Conceditur decima eidem comiti in predictis terris usque ad triennium pro eodem negotio. » (fol. 275.)

Eisdem. Fidedigne relationis assertio —.

Memorat, iisdem fere verbis quo supra capitulo, propositum Roberti, comitis Atrebatensis, se conferendi ad partes Italiæ, contra Fredericum et Siculos rebelles, et prosequitur :

Nos itaque, tam gratis et acceptis rumoribus intellectis, dignum et congruum arbitrantes ut eundem comitem in sue tam laudabilis intentionis proposito plenius et oportunis favoribus foveamus, considerantes etiam quod ipsum, occasione hujusmodi, gravia subire sumptuum onera oportebit, et propterea digne volentes eundem, ut premissa facilius et comodius ad effectum perducere valeat, prerogativa gratie prosequi specialis, spe nobis indubia suggerente quod idem comes, quanto personam ejus Apostolice Sedis benignitas uberioris dono gratie prosequatur, tanto propensius in ipsius Sedis obedientia et devotione concrescet, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fidutiam obtinemus, per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, usque ad triennium a facienda vobis representatione presentium inchoandum, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, tam religiosarum quam secularium personarum, comitatus Atrebatensis et aliarum terrarum ejusdem comitis, ac illarum etiam que ab ipso mediate immediate tenentur in Ambianensi, Cameracensi, Atrebatensi, Morinensi et Cenomanensi episcopatibus, colligatis et colligi faciatis, juxta tenorem declarationum et moderationum quas vobis sub bulla nostra transmittimus, et eidem comiti per dictum triennium hujusmodi negotium, juxta ejusdem Sedis beneplacitum, personaliter prosequenti, eoque propterea in itinere constituto, seu procuratori vel procuratoribus suis ejus nomine, in hujusmodi expensarum subsidium convertendam, presertim cum subsidium ipsum Terre Sancte negotium, ad cujus promotionem ferventer intendimus, probabiliter et aperte respicere dinoscatur, faciatis integraliter exhiberi ; non obstantibus si aliquibus cujuscunque ordinis, preminentie, conditionis aut status, a Sede Apostolica sit indultum quod ad solvendum cuiquam decimam de hujusmodi redditibus et proventibus, sive ad prestandum quevis subsidia seu subventiones aliquas exhibendum minime teneantur, quodque ad id coarctari, seu quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras dicte Sedis que de indulto hujusmodi, totaque ipsius continentia et ordinibus propriis ac locorum et personarum ipsorum nominibus specialem, plenam, certam, determinatam et expressam non fecerint mentionem, seu quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis [1] vel litteris, quibuscunque dignitatibus, ordinibus locis vel personis, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel expressione verborum, ab Apostolica Sede concessis, de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in presentibus specialis, plena et expressa mentio sit habenda, etiam si contineatur in illis quod, per aliquas Apostolicas litteras quevis obstantia removentes, eis nequeat in aliquo derogari. Contra, et cetera. Volumus insuper, ut supra solutione, seu exactione vel collectione dicte decime non invocetur brachium seculare, absque nostra speciali auctoritate vel licentia per nostras patentes litteras exprimenda, cum satis ad hoc censura ecclesiastica sufficere videatur. Sed nec

1. Ms. : indulgetiis.

pretextu defectus solutionum ipsius decime volumus quod ad calices, vasa sacra, libros, et vestes, et bona mobilia, divino usui dedicata, manus aliquatenus extendatur, et, si secus actum fuerit, illud ex nunc irritum decernimus et inane. Dat. Laterani, v id. februarii, anno sexto.

3456 (XXIIII) Latran, 15 février 1300.

« Super eodem negotio. » (fol. 275 v°.)

Dilecto filio Ysarno, priori de Bonavento, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, capellano nostro. Cum dilectus filius nobilis vir Robertus, comes Atrebatensis, sincerum et grandem erga Romanam Ecclesiam, matrem suam, gerens devotionis affectum, contra Fredericum et Siculos, nobis et ipsi Ecclesie ac carissimo in Christo filio nostro Carolo, Sicilie regi illustri, rebelles et hostes, ad Italie partes accedere, juxta Sedis Apostolice beneplacitum, tam potenter quam viriliter processurus, obtulerit se paratum, nosque te ad Gallicanas partes et ad dictum comitem, cum diversis nostris litteris, quarum alique, ad relevationem oneris expensarum gravium quas eum subire propterea oportebit, certis executoribus super diversis articulis diriguntur per te presentandis ipsi comiti, destinemus, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatenus prefatas nostras litteras dicto comiti, vel eisdem executoribus, seu eorum alicui, aut alii vel aliis, aliquatenus non assignes nisi prius prefatus comes, tibi recipienti nomine nostro et Ecclesie memorate, ad quod tibi plenam concedimus auctoritate presentium facultatem, prestiterit corporaliter juramentum, et se ac bona sua specialiter obligabit quod, infra festum Nativitatis beati Johannis Baptiste proximo futurum a prestatione juramenti et obligationis hujusmodi, viriliter et potenter, cum honorabili armatorum, militum et aliorum equitum comitiva, causa prosecutionis negotii hujusmodi, iter arripiet, ac deinde personaliter, fideliter et efficaciter, negotium ipsum, juxta prefate Sedis beneplacitum, vita comite prosequetur. Nos enim, si contra hujusmodi mandatum nostrum fieri, vel predictam juratoriam et obligatoriam cautionem non prestari, aut eam prestitam non servari contigerit, predictas nostras licteras directas executoribus memoratis, et omnem earum effectum, ex nunc prout ex tunc, nullius esse decernimus firmitatis. Super prestatione autem et receptione cautionis hujusmodi, si eam praestari contigerit atque recipi, confici facias duo publica consimilia instrumenta, quorum unum penes te retineas ad cautelam, reliquum nobis transmissurus fideliter vel per te ipsum etiam portaturus —. Dat. Laterani, anno sexto.

3457 (XXV) Latran, 26 janvier 1300.

Quod non possit a delegato papæ excommunicari. (fol. 275 v°.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Paci et tranquillitati —.

Indulget ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo executor vel conservator auctoritate litterarum Apostolicarum, excepto quam pro debitis nuper ab illo apud Sedem Apostolicam contractis, in personam ejus excommunicationis, suspensionis seu interdicti sententias promulgare possit.

Dat. Laterani, VII kal. februarii, anno sexto.

3458 (XXVI) Latran, 26 janvier 1300.

« Quod non teneatur usque ad triennium ad solutionem debitorum, et cætera. » (fol. 275 v° et 276.)

Eidem. Indempnitati tue et ecclesie Burdegalensi paterna volentes sollicitudine precavere, auctoritate tibi presentium indulgemus ut non tenearis ad solutionem debitarum per predecessores tuos, Burdegalenses archiepiscopos, ipsius Burdegalensis ecclesie nomine contractorum, etiam si in hujusmodi debitorum contractibus consensus capituli ecclesie Burdegalensis accesserit, nisi ea in utilitatem ipsius ecclesie conversa fuisse legitime probaverint creditores, vel auctoritate Apostolica sint contracta, nec ad ipsa volvenda compelli possis, nisi postquam triennium excesserit, in quo procurationes in pecunia numerata tibi in civitate et diocesi ac provintia Burdegalensi per nostras litteras usque ad triennium duximus concedendas; ita tamen quod ipsarum procurationum, sicut singulis annis eos perceperis, ita illas in solutionem debitorum ipsorum convertas, medietate ipsarum tibi pro tuis necessariis reservata; non obstantibus decernimus inanes. Ab istis autem nostris litteris et indulgentia hujusmodi, debita que nuper apud Sedem Apostolicam contraxisti, et processus et sententias pro eisdem consequendis habitos et habendos, prorsus excipimus, volentes quod ita efficaciter tenearis ad solutionem ipsarum, sicque nullum per eos creditoribus tuis in predictis debitis prejudicium fiat, sicut si has litteras et indulgentiam nunquam habuisses a nobis. Nulli ergo, etc... nostre concessionis, suspensionis et concessionis, etc... — Dat. ut supra.

3459 (XXVII) Latran, 6 février 1300.

« Committitur rectoria Vallis Topine Raynaldo, militi Tudertino. » (fol. 276.)

Nobili viro Raynaldo quondam Ugolini de Susmano, militi Tudertino, Vallis Topine et ville Bulsane, Fulginatis et Nucerine diocesium, rectori. De fidelitate tua —.

Ei rectoriam et regimen Vallis Topinæ et villæ Bulsanæ, Fulginatis et Nucerinæ diocesium, committit.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno sexto.

(POTTHAST, 24908.)

3460 (XXVIII) Latran, 17 février 1300.

Confirmatio electionis. (fol. 276 v°.)

Dilecto filio Gualpertino, abbati monasterii Sancte Justine Paduani, ordinis sancti Benedicti. Licet ea que de mandato nostro fiunt plenum robur obtineant, nos tamen illis interdum, ut magis illibata persistant, adicimus Apostolici muniminis firmitatem —.

Negotium, de quo agitur infra, similibus fere verbis exponit, mandatum memorat quo illud cardinalibus infrascriptis commisit, et quicquid ab illis actum est confirmat, tenorem litterarum ab eisdem cardinalibus confectarum inserendo.

« Miseratione divina frater Matheus, Portuensis et Sancte Rufine episcopus, frater Nicolaus, tituli Sancte Sabine presbyter, et Ricciardus, Sancti Eustachii diaconus, cardinales, religioso viro fratri Gualpertino, abbati monasterii Sancte Justine Paduani, ordinis sancti Benedicti, salutem et sinceram in Domino caritatem. Vacante dudum monasterio Sancte Justine Paduano per mortem quondam fratris Rodulphi, abbatis ejusdem monasterii, et in eodem monasterio duabus electionibus, una videlicet de fratre Nicolao, primo, et alia postmodum de fratre Henrico, ipsius monasterii monachis, in discordia celebratis, negotium dictarum electionum per appellationes ad Sedem Apostolicam interjectas ad eandem Sedem extitit devolutum; et propter hoc dictus frater Nicolaus ad Sedem se conferens supradictam, apud Sedem ipsam diem clausit extremum; dictus vero frater Henricus, quia non venit ad Sedem eandem pro sue electionis prosequendo negotio, licet ad impugnandam electionem de dicto fratre Nicolao factam procuratorem miserit, a jure suo noscitur cecidisse. Cumque deinde sanctissimus pater, dominus noster, dominus Bonifatius divina providentia papa VIII, provisionem ipsius monasterii ea vice dispositioni sue ac dicte Sedis specialiter reservasset, et decrevisset irritum et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contingeret attemptari, postmodum nobis commisit oraculo vive vocis, in consistorio, coram fratribus suis, ut nos, considerantes statum predicti monasterii Sancte Justine, cujus reformatio noscitur plurimum oportuna, et alias circumstantias sollicite metientes, eidem monasterio Sancte Justine providere ipsa vice auctoritate sua de pastore ydoneo curaremus, quodque illum de quo provideremus, si habilitatione aliqua indigeret, habilitare eadem auctoritate possemus. Nos igitur ad personam tuam, de cujus scientia, prudentia, spiritualium et temporalium providentia, laudabile testimonium perhibetur, nostre considerationis intuitum convertentes, firma spe fidutiaque concepta quod prefatum monasterium Sancte Justine, per tue diligentie studium, gratia cooperante divina, in spiritualibus et temporalibus laudabiliter crescet, te, olim priorem monasterii Sancti Pauli Paduani, ordinis sancti Augustini, per priorem soliti gubernari, quem nos auctoritate predicta nobis, ut predicitur, in hac parte commissa, habilitamus ad hoc, si aliqua habilitatione nosceris indigere, pro eo quod olim existens monachus monasterii Sancte Marie de Vangaditia, ordinis Camaldulensis, ab ipso monasterio discessisti, et conferens te Paduam et in monasterio Sancti Pauli predicti, tanquam forensis existens, ac studens ibidem in jure canonico, in ipso tuo priori habitu monachali, per . . Paduanum episcopum qui tunc erat, factus fuisti prior monasterii de Orbana, monachorum alborum, per priorem soliti gubernari, Paduane diocesis, ac demum vacante monasterio Sancti Pauli, similiter solito gubernari, ad prioratum ipsius fuisti, auctoritate predicti episcopi Paduani, translatus, eidem monasterio Sancte Justine Paduano eadem auctoritate in abbatem preficimus et pastorem. Tolle igitur jugum Domini tam leve collis humilibus quam grave superbis, et in caritate Dei pascendas suscipe oves tuas, super quas, noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber invadendi aditus non pateat invasori, confidens quod, cursu consumato qui tuo labori proponitur, et eorum fide servata qui tue sollicitudini committuntur, te Dominus immarcessibili corona justitie decorabit. Nos autem in hujus rei testimonium presentes litteras mandavimus nostrorum sigillorum appensione muniri. Dat. Rome, die VII februarii, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno sexto. » —. Nulli ergo, etc. —. Nostre confirmationis, etc. —. Dat. Laterani, XIII kal. martii, anno sexto.

3461 (XXVIIII) Latran, 26 janvier 1300.

« Quod possit petere subsidium pecuniarium ». (fol. 276.)

Venerabili fratri Bertrando, archiepiscopo Burdegalensi. Personam tuam — diligentes —, petitiones tuas — favorabiliter exaudimus, in hiis presertim per que tu, et Burdegalensis ecclesia tue cure commissa, possitis a dispendiis preservari. Cum itaque, sicut nobis exponere curavisti, tu et predicta ecclesia magno sitis debitorum onere pregravati, nos volentes, ex nostre provisionis gratia, tibi et eidem ecclesie illius subventionis auxilium provenire per quod possitis ab eodem onere facilius relevari, tuis supplicationibus inclinati, fraternitati tue, imponendi auctoritate nostra universis episcopis, abbatibus, prioribus ceterisque prelatis, conventibus, capitulis et collegiis, ac quibuscunque personis ecclesiasticis, tam religiosis cujuscunque sint ordinis, quam secularibus, exemptis et non exemptis, tuarum civitatis et diocesis ac provintie Burdegalensis, subsidium pecuniarium moderatum, prout pensatis eorum facultatibus videris expedire, dummodo ad id eorum voluntas accedat, ac recipiendi dictum subsidium a volentibus tantum, liberam concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, VII kal. februarii, anno sexto.

3462 (XXX) Latran, 26 janvier 1300.

« Quod possit recipere procurationes usque ad triennium in pecunia ». (fol. 276 v° et 277.)

Eidem. Considerantes magne devotionis — honoremus. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod tua Burdegalensis ecclesia, propter grandia debitorum onera quibus per bo. me. H[enricum], predecessorem tuum, archiepiscopum Burdegalensem, pregravata dinoscitur, et etiam ob multimoda guerrarum discrimina, et occupationes ac invasiones bonorum ipsius ecclesie a nonnullis dampnabili temeritate presumptas, adeo in perceptione fructuum, reddituum et proventuum, fore dinoscitur diminuta, quod ex eis non potes absque nostre provisionis auxilio de debitis satisfacere supradictis, nec juxta dignitatis archiepiscopalis decentiam comode substentari.

Indulget ut, usque ad triennium, ecclesias, monasteria et loca ecclesiastica civitatis, diocesis et provinciæ Burdegalensis, quæ hactenus per archiepiscopos Burdegalenses visitari, et a quibus ipsi procurationes recipere consueverunt, per aliquam seu aliquas personam seu personas in dignitate seu personatu constitutas, facere visitari, et procurationes moderatas in pecunia numerata recipere possit.

Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Adorensi, et dilectis filiis Petro Roderici, abbati Fusellensis Palentine, camere nostre clerico, et P..., archidiacono de Savenesio, Auxitane ecclesiarum.*

3463 (XXXI) Latran, 15 février 1300.

Concessio rectoriæ. (fol. 277.)

Dilecto filio magistro Reginaldo de Sancto Albano, rectori ecclesie de Scobelle, Eboracensis diocesis. Dum conditiones — commendatur. Dudum siquidem bo. me. Alamannus, archiepiscopus Arborensis, inquisitor heretice pravitatis, de mandato nostro Ranerium Giberti de Florentia, rectorem ecclesie de Stobesle, Eboracensis diocesis, ex certis et rationabilibus causis, omnibus ecclesiis et aliis beneficiis ecclesiasticis quibuscunque que tunc noscebatur obtinere apud Apostolicam Sedem, privare curavit, nosque illa, a die privationis hujusmodi, ea vice collationi Sedis ejusdem duximus reservanda.

Suprascripto Reginaldo, contemplatione M[athei], episcopi Portuensis et R[icciardi], Sancti Eustachii diaconi, cardinalium, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarii, pro illo eorum capellano supplicantium, ecclesiam de Stobesle, curam animarum habentem, quam dictus Ragnerius, tempore privationis suæ obtinebat, confert et de illa eum providet, nonobstante quod de Chelchuche et de Riptone, Londoniensis et Lincolniensis diocesium, ecclesias, curam animarum habentes, ex dispensatione Apostolica, necnon alias canonicatum et prebendam in Suwellensi et portionem in Bitone, Eboracensis diocesis, ecclesiis, noscatur obtinere.

Volumus tamen quod alteram dictarum de Chelchuche et de Riptone ecclesiarum quam malueris, postquam prefatam ecclesiam de Stochesle assecutus fueris, omnino dimittere tenearis. — Dat. Laterani, XV kal. martii, anno sexto.

3464 (XXXII) Latran, 31 janvier 1300.

Concessio decanatus. (fol. 277.)

Dilecto filio magistro Petro dicto Gageul, decano ecclesie Cenomanensis. Ad tui honoris—.

Vacante decanatu ecclesiæ Cenomanensis per promotionem seu consecrationem R[oberti], Cenomanensis episcopi, ipsius ecclesiæ tunc decani, duæ electiones, una videlicet de suprascripto Petro et alia de Carolo de Bellomonte, canonicis ipsius ecclesiæ, fuerunt a capitulo celebratæ. Quarum electionum negotio per appellationes ad Sedem Apostolicam devoluto, ambo sponte ac libere in manibus domini papæ resignarunt, et provisio ea vice fuit Apostolicæ Sedis reservata. Hunc decanatum sic vacantem, suprascripto Petro, consideratione Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, pro eo capellano suo supplicantis, confert et de illo providet, non obstante quod in eadem Cenomanensi et Sancti Mederici de Linais, Parisiensis diocesis, ecclesiis, canonicatus et præbendas, ac parochialem ecclesiam Beatæ Mariæ de Charneyo, Cenomanensis diocesis, noscatur obtinere.

Dat. Laterani, II kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano Aurelianensis, et archidiacono Algie, Lexoviensis, et magistro Tittio, capellano nostro, archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, ecclesiarum.*

3465 (XXXIII) Latran, 6 février 1300.

« Transfertur de ecclesia Olenensi ad Ymolensem ». (fol. 277 v° et 278.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Ymolensi. Inter cetera sollicitudinum —.

Transfertur de ecclesia Olenensi ad Ymolensem. Ymolensi ecclesia per obitum bo. me. Benedicti, olim episcopi, vacante, et capitulo ejusdem ecclesiæ, per viam procedente compromissi, Grifo, prepositus ipsius ecclesiæ, unanimiter compromissarius electus, Bandinum, priorem sæcularis ecclesiæ de Populeto, Faventinæ diocesis, in Ymolensem episcopum postulaverat, sed eam postulationem, ob ætatis defectum quem dictus prior sustinere dinoscebatur, dominus papa non duxit admittendam, et provisionem dictæ ecclesiæ Apostolicæ dispositioni ea vice reservaverat.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesiæ Ymolensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis.*

3466 (XXXIIII) Latran, 6 février 1300.

« Conceditur privilegium exemptionis ». (fol. 278.)

Dilectis filiis . ., abbati et conventui monasterii Sancti Augustini Cantuariensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Circumspecta Sedis Apostolice providentia — affectibus amplectimur. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod, licet monasterium vestrum, a principio fundationis ipsius, a tempore cujus memoria non existit, cum omnibus membris suis existentibus ubicumque, fuerit exemptum per specialia privilegia Sedis Apostolice a jurisdictione qualibet ordinaria, prout evidentius in ipsis privilegiis continetur, vobis tamen, postmodum nunc hinc nunc inde vexationibus et angustiis fatigatis, super hujusmodi exemptionibus et libertatibus contentis in ipsis, inter bo. me. Riccardum, archiepiscopum Cantuariensem, cum sui consensu capituli, ex parte una, et quondam Rogerium, tunc abbatem, cum consensu conventus dicti monasterii, ex altera, primo, et postmodum inter quondam Symonem de Langedono, archidiaconum Cantuariensem, cum consensu sancte memorie beati Edmundi, archiepiscopi Cantuariensis, successoris dicti Riccardi, et capituli ecclesie Christi Cantuariensis, et quondam Robertum, abbatem ipsius monasterii, cum consensu dicti sui conventus, ac deinde inter prefatos Edmundum archiepiscopum et archidiaconum ac eosdem Robertum abbatem et conventum quedam compositiones inite facte seu habite fuisse noscuntur, quarum una scilicet cum eodem Edmundo habita etiam fuit per Sedem Apostolicam ex certa scientia confirmata. Verum cum per hujusmodi compositiones predictis vestris privilegiis et libertatibus non modicum derogetur, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis et ipsi monasterio super hiis paterna sollicitudine dignaremur, vos et illud ad quietis immunitatis, libertatis et exemptionis plenitudinem reducendo. Nos igitur monasterium ipsum condignis efferre honoribus et comunire libertatibus cupientes, ut quominus aliorum molestiis turbatum fuerit eo amplius divina favente gratia prosperetur, vestris supplicationibus inclinati, hujusmodi privilegia, exemptiones et libertates, eidem monasterio et vobis a predicta Sede concessa, in suo volumus et decernimus robore permanere, ac nichilominus, ut in dicte Sedis sinu plenius quiescatis, vos et monasterium ipsum, cum omnibus membris suis et ecclesiis, capellis, cenodochiis, hospitalibus, cantariis necnon castris, villis, maneriis, domibus, grangiis et possessionibus, terris, redditibus et quibuscumque bonis ad vos et prefatum monasterium impresentiarum spectantibus, ac hiis que ex largitione principum, collatione fidelium, et aliis justis modis et titulis imposterum, dante Domino, poteritis adipisci, in quibuscumque fuerint diocesibus contituta, et omnibus

personis vestri ordinis, et aliis subjectis vobis degentibus in eisdem, ab omni potestate, jurisdictione, subjectione atque dominio, tam venerabilis fratris nostri.. archiepiscopi, et dilecti filii capituli Cantuariensis, qui nunc sunt et qui pro tempore fuerint, quam quorumlibet archiepiscoporum, episcoporum, capitulorum, abbatum et prelatorum, et officialium suorum, et aliarum quarumlibet ecclesiasticarum personarum, absolvimus, eximimus et perpetuo liberamus, de Apostolice plenitudine potestatis, ac ea omnia totaliter et immediate soli dumtaxat Romano pontifici et prefate Sedi decernimus subjacere; ita quod nec idem archiepiscopus Cantuariensis, jure metropolitico seu diocesano, aut legationis vel tuitionis pretextu quas in provintia Cantuariensi habere se asserit, nec prior et capitulum dicte ecclesie Christi, occasione hujusmodi tuitionis quam in dicta provintia tempore vacationis ecclesie Cantuariensis sibi vendicare dicuntur, nec quivis alius jurisdictionem quamlibet ordinariam in diocesi seu provintia Cantuariensibus hujusmodi tempore vacationis exercens, neve idem archiepiscopus vel quivis ex eisdem archiepiscopis, episcopis seu prelatis, officialibus seu ministris, nec quevis alia persona ecclesiastica, in vos, abbatem et conventum et predictum monasterium, aut quevis membra, vel loca seu bona, ad vos et monasterium ipsum spectantia, seu que spectabunt in posterum quoquomodo, vel in vestros et ejusdem monasterii subditos et personas prefatas, cujuscumque status vel conditionis existant, utpote omnino libera et exempta, et prefate Sedi Apostolice dumtaxat immediate subjecta, possint ullatenus, ex quacumque occasione vel causa, jurisdictionem aliquam vel potestatem sive dominium sibi vendicare, exactiones facere, collectas imponere, obedientias vel procurationes exigere, visitationes vel correctiones facere aut censuram ecclesiasticam quomodolibet exercere, sine mandato predicte Sedis Apostolice spetiali. Nos enim excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias quas contra tenorem exemptionis hujusmodi promulgari, et processus quoslibet quos contra premissa fieri contigerit et haberi, ex nunc irritos decernimus et inanes, ac nullius penitus existere firmitatis. Preterea crisma, oleum sanctum, consecrationes altarium, ordinationes monachorum et clericorum qui ad sacros ordines fuerint promovendi a Cantuariensi suscipiatis archiepiscopo, si gratiam et comunionem prefate sedis habuerit, et ea gratis et absque pravitate aliqua vobis voluerit impertiri. Alioquin quemcunque volueritis adeatis antistitem catholicum, qui, nostra fretus auctoritate, quod postulatur indulgeat, nec id vobis audeat aliquatenus denegare; non obstantibus predictis et quibuscumque aliis compositionibus, ordinationibus, constitutionibus et consuetudinibus seu factis super hoc in contrarium, quocunque modo vel tempore, hactenus habitis, editis vel obtentis, aut quod in compositione nominata superius, que fuit per Sedem Apostolicam, ut predicitur, confirmata, inter alia continetur, quod si qua partium predictarum contra ipsam compositionem aliquid impetrasset vel impetraret miposterum, illud inane et irritum haberetur, et confirmatio ipsa robur firmum nichilominus obtineret, aut appellationibus interjectis, seu quibuscumque processibus habitis, et specialiter causis nunc motis inter venerabilem fratrem nostrum Robertum, archiepiscopum Cantuariensem, ex parte una, et vos, ex altera, super ecclesiis de Leanham, Plumstede, Tenderdenne, Sellynge, Prestone, Litheburne, Sancti Pauli Cantuariensis, hospitali Sancti Laurentii ac cantaria pro magistri Hamonis Doge anima ordinata, seu super aliis quibuscumque ecclesiis vobis a sede appropriatis eadem, etiam si causa pendeat super premissis in quocumque foro, vel coram quocumque judice, aut quibuscumque litteris et indulgentiis Apostolicis in quacunque forma verborum obtentis, de quibus quorumque totis tenoribus deberet in nostris litteris fieri mentio specialis. Ad indicium autem hujusmodi percepte a Sede Apostolica libertatis, volumus ut prefatum monasterium unam marcham sterlingorum, nomine census, in festo Resurrectionis Dominice persolvat nobis nostrisque successoribus annuatim. Nulli ergo etc. Nostre absolutionis, exemptionis, liberationis, irritationis, voluntatis et constitutionis etc. Dat. Laterani, IIII kal. martii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis .. Westmonasterii .. de Waltham, et .. de Sancto Eadmundo monasteriorum abbatibus, Londoniensis et Norwicensis diocesium.* Circumspecta etc. Dat. ut supra.

3467 (XXXV) Latran, 17 février 1300.

« Mandatur diversis collectoribus decime quod tradant decimam predictam mercatoribus de societate Spinorum ». (fol. 278 v° et 279.)

Venerabili fratri .. episcopo Pistoriensi, collectori decime in provintia Thuscie. Cum in provintia Tuscie decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane, per triennium duximus imponendam, teque in ea fecimus ipsius decime collectorem, fraternitatem tuam mo-

nemus et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes quatinus totam pecuniam per te, vel alium seu alios de mandato tuo, pro tertio anno solutionis ipsius decime, ex ipsa decima colligendam, dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine, ac eorum sociis, civibus et mercatoribus Florentinis, de societate de Spinis, nostre camere mercatoribus, aut ipsorum alicui, vel aliquibus, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem ad hoc ab eis specialiter constitutis, has nostras deferentibus litteras, nomine nostro et ipsius Ecclesie assignes et facias assignari, per eos nobis ad nostrum beneplacitum in Romana curia persolvendam, faciens de singulis assignationibus hujusmodi singula confici publica instrumenta, illa nobis, penes te retentis similibus, per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nichilominus, per tuas litteras harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeris faciendum. Sic itaque in premissis sollicite ac diligenter te habere procures quod diligentiam tuam exinde commendare merito valeamus. Dat. Laterani, XIII kal. martii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Nepesino, collectori decime in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, ducatu Spoletano ac Perusina, Tudertina et Narniensi civitatibus et diocesibus* —. In. e. m. *venerabili fratri . ., episcopo Novariensi, collectori decime in Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provintiis necnon in eisdem Mediolanensi et Januensi ac Papiensi et Placentina civitatibus et diocesibus* —. In. e. m. *venerabili fratri . ., episcopo Massiliensi, collectori decime in Arelatensi et Aquensi civitatibus et diocesibus atque provintiis* —. In. e. m. *venerabili fratri . ., archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime in Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provintiis, ac in ea parte Lugdunensis provintie que est citra Rodonum* (sic) *extra regnum Francie constituta.* — In. e. m. *venerabili fratri . ., episcopo Bononiensi, collectori decime in Marchia, Tervisina, Aquilegensi et Gradensi civitatibus et diocesibus, patriarchatibus atque provintiis.* — In. e. m. *venerabili fratri . ., episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Maritime, Sabinieque provintiis, nec non in Ostiensi, Velletrensi, Papali, Tusculana, Portuensi, Albanensi ac Reatina, Interamnensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus ac monasteriorum Sublacensis, Farfensis et Sancti Salvatoris abbatiis et earum territoriis.* — In. e. m. *venerabili fratri . ., episcopo Faventino, collectori decime in provincia Ravennati, marchia Anconitana et Massa Trabaria, nec non in eadem Ravennati, Ferrariensi, Ariminensi, Sancti Leonis et Urbinati civitatibus et diocesibus ac Pomposiano et Galliate monasteriis seu abbatiis, et Sancte Marie de Balneo et Sancte Agathe plebibus ac earum et etiam monasterii Farfensis terris in Marchia ipsa et partibus Romaniole consistentibus.*

3468 (XXXVI) Latran, [17 février] 1300.

« Super eodem ». (fol. 279.)

Dilectis filiis Rogerio et Lapo, ac ceteris eorum sotiis de societate Spinorum de Florentia, mercatoribus camere nostre. Per diversas nostras certi tenoris litteras, universis et singulis collectoribus deputatis ad colligendam decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, per nos pridem pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per triennium impositam in Italia, excepto regno Sicilie, dedimus districtius im mandatis ut totam pecuniam, per ipsos vel alios de mandato eorum, pro primo et secundo anno solutionis ipsius decime ex decima ipsa collectam, statim, absque dilationis obstaculo, necnon et totum residuum pro hujusmodi primo et secundo anno ex decima dicta colligendum successive, celeriter vobis aut vestrum alicui, vel aliquibus seu procuratori vel procuratoribus vestris ad hoc a vobis specialiter constitutis, predictas nostras inde confectas litteras deferentibus, nomine nostro et ipsius ecclesie assignarent et facerent assignari per vos nobis in Romana curia, ad nostrum beneplacitum persolvenda. Cum igitur carissimo in Christo filio nostro Carolo, regi Sicilie illustri, pro imminenti negotio ipsius regni Sicilie, ad cujus promotionem ferventer intendimus, triginta milia florenorum auri nuperrime, de mandato nostro, noscamini de vestra pecunia persolvisse, nos volentes indempnitati vestre super hoc paterna sollicitudine precavere, presentium vobis tenore concedimus quatinus pro satisfactione seu restitutione facienda vobis per nos et dictam Ecclesiam de dicta quantitate pecunie per vos, ut premittitur, persoluta, possitis vobis, de hujusmodi pecunia predicte decime trium annorum quam ex hujusmodi assignatione facienda vobis seu procuratoribus vestris per collectores eosdem ad manus vestras vel procuratores eorumdem provenire contigerit, eandem quantitatem triginta milium florenorum auri, de pecunia dicte decime Italie, licite ac libere retinere, nec ad restitutionem aliam faciendam, de pecunia dicte decime quam sic retinueritis, aliquatenus teneamini, neque ad id a quoquam compelli vel coartari quomodolibet valeatis. Dat. Laterani, anno sexto.

3469 (XXXVII) Latran, 20 février 1300.

Super eodem. (fol. 279 v°.)

Eisdem. Per diversas nostras certi tenoris litteras, universis et singulis collectoribus deputatis ad colligendam decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum per nos pridem, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per triennium imposita in Italia, excepto regno Sicilie, ac in Aquensi, Arelatensi, Viennensi, Tarantasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provintiis, et in ea parte Lugdunensis [1] provintie que est citra Rodanum extra regnum Frantie constituta, dedimus diversis temporibus in mandatis ut totam pecuniam per ipsos, vel alios de mandato eorum, pro primo et secundo anno solutionis ipsius decime tam tunc collectam quam pro eisdem primo et secundo anno et etiam pro futuro tertio anno solutionis ejusdem decime colligendam ex decima supradicta, vobis aut vestrum alicui, vel aliquibus, seu procuratori vel procuratoribus vestris ad hoc a vobis specialiter constitutis, predictas nostras inde confectas litteras deferentibus, nomine nostro et ipsius Ecclesie assignarent et facerent assignari per vos nobis in Romana curia ad nostrum beneplacitum persolvendam; cumque nos dudum post ipsius impositionem decime carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri, pro imminenti negotio ipsius regni Sicilie, ad cujus promotionem votis ferventibus et intentis studiis aspiramus, triginta unum milia et ducentos quadraginta octo florenos auri et quatuor turonenses grossos de argento in una manu, et postmodum alia quindecim milia florenorum auri in alia manu, et deinde alia triginta milia florenorum auri in alia manu, de mandato nostro noscamini de vestra pecunia persolvisse, nos vobis, pro singulis hujusmodi pecuniarum summis per vos taliter persolutis rehabendis a nobis et Ecclesia Romana, certas cautelas super pecunia dicte decime primi et secundi anni dumtaxat, pro securitate vestra per tres alias nostras litteras duximus faciendas, sicut in ipsis tribus litteris plenius continetur; cum autem de mandato sitis, ultra predictas summas eidem regi, vel venerabili fratri nostro . . episcopo Ravellensi, et dilecto filio fratri Guillelmo de Curia, ordinis Fratrum Minorum, nuntiis dicti regis, vel eorum alteri pro ipso rege, decem et octo milia librarum turonensium parvorum, que pro quatuor milibus unciarum auri sibi juxta computum super hoc jam habitum volumus computari, de vestra pecunia, nostro et camere nostre nomine, apud civitatem Nemausensem, usque ad exitum mensis martii futuri proximo, pro prefato negotio soluturi; nos volentes indempnitati vestre super hiis omnibus paterna sollecitudine precavere, presentium vobis auctoritate concedimus quatenus, pro satisfactione seu restitutione facienda vobis per nos et dictam Ecclesiam de omnibus predictis pecuniarum summis per vos dicto regi, ut premittitur, jam solutis, et quam Nemausi, ut supradicitur, ipsi regi vel dictis episcopo et fratri Guillelmo, ejus nuntiis, vel eorum alteri persolvetis, possitis vobis, de hujusmodi pecunia predicte decime trium annorum quam, ex hujusmodi assignatione tam facta quam facienda, vobis seu procuratoribus vestris, per collectores eosdem, ad manus vestras vel procuratorum eorundem pervenire contigerit, omnes predictas, jam solutas dicto regi et solvendas Nemausi sibi vel prefatis ejus nuntiis, seu alteri eorum, per vos, ut premissum est, pecuniarum summas libere ac licite retinere, nec ad restitutionem aliam faciendam de ipsis quas sic retinueritis aliquatenus teneamini, neque ad id a quoquam compelli vel coartari quomodolibet valeatis. Ne autem inter presentes ac predictas alias tres cautelarum nostras litteras inculcatio vel nodus ambiguitatis emergat, volumus ut eedem alie tres littere nostre ad presentium effectum et computum reducantur et intelligantur esse reducte. Dat. Laterani, x kal. martii, anno sexto.

1. *Ms.* Lugunensis.

3470 (XXXVIII) Latran, 20 février 1300.

Super eodem. (fol. 279 v°.)

Venerabili fratri. . archiepiscopo Auxitano. Cum tu et venerabiles fratres nostri episcopi suffraganei tui, ac dilecti filii electi, abbates, ceterique prelati sive rectores ecclesiarum Auxitane provintie, nobis, pro nostris et Ecclesie Romane necessitatibus et oneribus, decimam unius anni omnium vestrorum ecclesiasticorum reddituum et proventuum duxeritis concedendam, nosque tibi, exigendi et colligendi, per te ac alios de quibus expedire putaveris, per hujusmodi annum, nostro et ipsius Ecclesie nomine, dictam decimam ab omnibus personis et locis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, exemptis et non exemptis, provintie memorate, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, concesserimus per alias nostras sub certa forma litteras potestatem; nos de fide ac legalitate dilectorum filiorum Rogerii et Lapi Spine, ac aliorum sociorum suorum, civium et mercatorum Florentinorum, de societate de Spinis, nostre camere mercatorum, plenarie confidentes, fraternitatem tuam rogamus et horta-

mur attente, per Apostolica tibi scripta mandantes, quatenus totam pecuniam ipsius decime, per te ac alios de mandato tuo jam collectam et in antea colligendam, predictis mercatoribus aut eorum alicui vel aliquibus, sive procuratori seu procuratoribus eorumdem has nostras deferentibus litteras, nomine nostro et ejusdem Ecclesie assignes et facias integraliter assignari, faciens de assignatione hujusmodi confici publicum seu publica instrumenta, illud vel illa nobis, retentis pene te simili vel similibus, fideliter transmissurus, ac rescripturus nobis nichilominus per tuas litteras quicquid super hiis duxeris faciendum. Dat. ut supra.

3471 (XXXVIII *bis*) Latran, 17 février 1300.

Super eodem. (fol. 280.)

Eidem. Gratum in nostra memoria retinemus quod vos et venerabiles fratres nostri episcopi suffraganei tui ac dilecti filii electi, abbates, ceterique prelati sive rectores ecclesiarum Auxitane provintie, pridem in Auxitano provintiali concilio congregati, gerentes ad nos et Romanam Ecclesiam, matrem vestram, zelum reverentie filialis, et compatientes nostris et ejusdem Ecclesie oneribus expensarum et necessitatibus quibus premimur, nedum modernis sed etiam preteriti temporis, malitia faciente, nobis, in hujusmodi onerum et necessitatum subsidium, unius anni decimam omnium vestrorum ecclesiasticorum reddituum et proventuum deliberatione provida concessistis. Verum cum negotii qualitas accelerationem exquirat, nos volentes ut hujusmodi subventio eo celerius, comodius et efficatius habeatur quo plenius ad id oportune poterit officium executionis impendi, fraternitati tue, de qua fidutiam gerimus in Domino pleniorem, exigendi et colligendi per dictum annum, per te ac alios de quibus expedire videris, prefatam decimam in civitate, diocesi et provintia Auxitana ab omnibus personis et locis ecclesiasticis, religiosis et secularibus, exemptis et non exemptis, provintie memorate, cujuscunque dignitatis, ordinis, conditionis et status extiterint, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus quibuslibet privilegiis, indulgentiis vel gratiis, eis vel eorum aliquibus, aut dignitatibus seu ordinibus eorumdem, sub quacunque verborum forma seu expressione ab eadem Sede concessis, etiam si contineatur in eis quod de ipsorum totis tenoribus seriatim vel de verbo ad verbum, seu de impetrantium aut obtinentium nominibus propriis plenam et expressam seu explicatam quantumcunque oporteat in nostris litteris fieri mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia cujuscunque tenoris, forme vel expressionis existat, per quam presentibus non insertam aut nominatim et singulariter non expressam effectus earum impediri quovis modo valeat vel differri, concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Laterani, XIII kal. martii, anno sexto.

3472 (XXXIX) Latran, 29 janvier 1300.

« Super tradendis XV millibus solidis Barchinonensium mercatoribus de societate Spinorum. » (fol. 280.)

Venerabili fratri Raymundo, episcopo Elnensi. Cum, sicut ex tenore cujusdam instrumenti quod nobis transmisisti, percepimus quindecim milia solidorum Barchinonensium coronatorum, que recepisti ex pretio domus et loci fratrum Penitentie Jhesu Christi de villa Perpiniani, per te dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii Sancti Michaelis de Cuzano, tue diocesis, auctoritate Sedis Apostolice venditorum, apud dilectos filios Guillelmum de Bardolio et Petrum Riparie de Perpiniano mercatores, nomine nostro et Sedis Apostolice, deponenda duxeris, restituenda tibi aut nobis vel nostro seu tuo certo nuntio, nos de legalitate dilectorum filiorum Rogerii et Lapi Spine, de societate de Spinis de Florentia, nostre camere mercatorum, plenarie confidentes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatenus Bellando Gualdutii, Gerardo Hugonis, Johanni Grandonis et Tittio Cochi, eorum sociis, mercatoribus sotietatis ejusdem, aut eorum alicui vel aliquibus, has nostras deferentibus litteras, predicta quindecim milia solidorum nobis vel eidem Sedi ad nostrum et ejusdem Sedis beneplacitum per eos vel eorum socios in Romana curia persolvenda, facias, nostro et prefate Sedis nomine, per predictos Guillelmum et Petrum, aut alios quibus pro eis restitutio predictorum incumbat, sine mora integraliter assignari, eos ad id, si necesse fuerit, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, faciens de assignatione hujusmodi duo consimilia confici publica instrumenta, quorum unum penes te retineas ad cautelam, reliquum nobis per fidelem nuntium illico transmissurus, ac rescripturus nichilominus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid super hoc duxeris faciendum. Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno sexto.

3473 (XL) Latran, 18 février 1300.

« Littera prelatorum et aliorum contra religiosos. » (fol. 280.)

Ad perpetuam rei memoriam. Super cathedram preeminentie —.

Statuit et ordinat, ut Prædicatorum et Minorum ordinum fratres in ecclesiis et locis suis ac in plateis communibus libere valeant clero et populo prædicare ac proponere verbum Dei; in studiis generalibus, ubi sermones ad clerum ex more fieri solent, ad funera etiam mortuorum et in festis specialibus suis possint iidem fratres libere prædicare, etc. Adjicit ut dicti fratres in ecclesiis vel locis suis ubilibet constitutis liberam habeant sepulturam, etc.

Dat. Laterani, XII kal. martii, anno sexto.

(POTTHAST, 24913).

3474 (XLI) Latran, 4 février 1300.

« Conceditur castrum Montisvecli. » (fol. 281.)

Dilecto filio Guillelmo Novello, comiti Palatino in Tuscia, familiari nostro. Considerantes attentius quod —.

Ei castrum Montisvecli, Forosinfroniensis diocesis, committit.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno sexto.

(POTTHAST, 24906.)

3475 (XLII) Latran, 9 mars 1300.

« Preficitur in archiepiscopum Eboracensem. » (fol. 281.)

Venerabili fratri Thome, archiepiscopo Eboracensi. Celestis dispositione consilii —. Dudum siquidem Eboracensi ecclesia, per obitum bone memorie Henrici, Eboracensis archiepiscopi, solatio destituta pastoris, — capitulum — per viam scrutinii procedere eligentes, tres de dicto capitulo fidedignos, videlicet : dilectos filios Johannem de Metingham, Johannem de Cadomo et Robertum de Pykeringam, ejusdem ecclesie canonicos, assumere curaverunt qui vota — scrutarentur.

Quidam ipsius ecclesiæ canonicus electus fuit; sed pro confirmatione electionis ad Sedem Apostolicam se conferens, in manibus domini papæ renuntiavit, et Eboracensis ecclesia Apostolicæ dispositioni reservata fuit. Eumdem preficit in archiepiscopum, ei per manus suas consecrationis munus impendens, et palleo ei per Matthæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, Neapoleonem, Sancti Adriani, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin et Petrum, Sanctæ Mariæ Novæ, diaconos cardinales, exhibito.

Dat. Laterani, VII id. martii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Eboracensis, — clero, — populo, — universis vassallis, — universis suffraganeis, — Eduardo, regi Anglie.*

3476 (XLIII) Latran, 7 et 10 mars 1300.

« Quod possit contrahere mutuum. » (fol. 282.)

Venerabili fratri Thome, archiepiscopo Eboracensi. Cum sicut in nostra —.

Largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium et quingentarum marcharum sterlingorum.

Dat. Laterani, non. martii, anno sexto.

In e. m. *conceditur eidem Thome, archiepiscopo Eboracensi, de alia summa duorum milium et quingentarum marcharum sterlingorum sub* : Dat. Laterani, VI id. martii, anno sexto.

3477 (XLIIII) Latran, 5 mars 1300.

Confirmatio electionis factæ in monasterio Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellano. (fol. 282.)

Dilecto filio Johanni, abbati monasterii Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellani, ordinis sancti Benedicti. Licet ea que de mandato nostro — presidio. Dudum siquidem, vacante monasterio Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellano, ordinis sancti Benedicti, per mortem quondam fratris Martini, ejusdem monasterii abbatis, conventus ipsius monasterii, die ad eligendum prefixa, fratrem Johannem Michaelis, priorem claustralem prefati monasterii, abbatem concorditer elegerunt; et cum iidem electus et conventus a vicariis venerabilis fratris nostri R[oderici], Compostellani archiepiscopi, confirmari electionem hujusmodi petiissent, ipsi vicarii, id facere denegantes, de Johanne Martini, tunc abbate monasterii de Podio, Compostellane diocesis, eidem monasterio de Antealtaria, auctoritate dicti archiepiscopi, prout asseritur, providerunt, a quibus confirmationis denegatione et provisione per eos facta, pro parte Johannis Michaelis electi et conventus predictorum, fuit pluries ad Sedem Apostolicam legitime appellatum, ac

demum, negotio dictarum electionis et provisionis ad Sedem eandem per appellationes hujusmodi devoluto, nos in causis earum venerabilem fratrem nostrum J[ohannem], episcopum Tusculanum, deputavimus auditorem, qui, visis juribus utriusque partis et diligenter inspectis, habitoque consilio sapientum, auctoritate nostra sibi specialiter in hac parte commissa, prefatum Johannem Martini omni jure, si quod sibi erat quesitum per provisionem predictam de eo factam in abbatem predicti monasterii de Antealtaria, pronuntiavit esse privatum, articulos datos pro parte archiepiscopi et capituli Compostellani contra personam dicti Johannis Michaelis, defectus et crimina continentes, exigente justitia repellendo. Tandem, cum ab hujusmodi pronuntiatione, pro parte archiepiscopi, decani et capituli Compostellani, ac Johannis Martini, ad eandem Sedem esset appellatio interjecta, nos episcopo commisimus supradicto ut appellationem ipsam reiceret, si foret reicienda de jure, sibi dilectos filios nostros J[ohannem], tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbyterum, ac G[uillelmum], Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, diaconum, cardinales, in hac parte nichilominus adjungendo, ut de ipsorum consilio pronuntiaret in negotio supradicto. Qui siquidem episcopus, de ipsorum cardinalium consilio et assensu, et de nostra licentia speciali, pronuntiavit in scriptis per eum bene pronuntiatum fuisse, et per procuratorem archiepiscopi, decani et capituli, ac Johannis Martini predictorum, fore injuste et perperam appellatum. Verum procuratore archiepiscopi, decani et capituli predictorum dictum J[ohannem] Michaelis electum, occasione juris quod idem archiepiscopus in providendo dicto monasterio de abbate se habere dicebat, coram eodem episcopo impugnante, factaque nobis in consistorio de predictis per ipsum episcopum relatione fideli, nos eisdem episcopo et cardinalibus commisimus ut, vel electionem celebratam de Johanne Michaelis predicto auctoritate nostra confirmarent, vel renuntiatione ab eodem recepta de omni jure, si quod sibi competebat ratione electionis prefate, de ipso J., si persona esset ydonea, eidem monasterio providerent. Et si dictus archiepiscopus, nomine ecclesie sue, de jure proprietatis vel de jure eligendi seu providendi eidem monasterio de abbate agere vellet, et causa de sui natura esset, in curia audiretur ita tamen quod impetraret a nobis in causa hujusmodi auditorem. Porro Johanne Martini prefato interim sublato de medio, vivente tamen Johanne Michaelis, electo predicto, et adhuc causa hujusmodi sic pendente, dictus archiepiscopus de Martino Martini, quondam abbate monasterii de Burgundo, dicte Compostellane diocesis, de facto monasterium de Antealtaria sepedicto providit. Facta igitur nobis per eundem episcopum relatione plenaria de predictis, nos prefatis J., episcopo, et G., cardinalibus mandavimus ut antequam procederent ad actum provisionis faciende de dicto Johanne Michaelis, juxta commissionem, ut premittitur, eis factam, cassarent auctoritate nostra provisionem factam de predicto Martino Martini per archiepiscopum memoratum. Demum vero, prefato Johanne Michaelis nature debitum exolvente, iterato commisimus eidem J. episcopo ut super cassatione provisionis facte de dicto Martino Martini et provisione de abbate eidem monasterio de Antealtaria faciendis, ex dilectis filiis nostris J[ohanne], tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbytero, P[etro], Sancte Marie Nove, L[andolpho], Sancti Angeli et R[ichardo], Sancti Eustachii, diaconis, cardinalibus, duos assumeret de quorum consilio ad cassationem et provisionem procederet supradictas. Qui episcopus dictos J., tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbyterum, et R. Sancti Eustachii, diaconum, cardinales, ad id assumpsit, et una cum eis diligenter audivit et vidit jura et allegationes partium earundem, et eis discussis, de ipsorum cardinalium consilio et assensu, justitia exigente, cassavit, irritavit et annullavit, et cassam et irritam nuntiavit provisionem factam de Martino Martini predicto per Compostellanum archiepiscopum supradictum, dicto Martino Martini super abbatia prefati monasterii de Antealtaria perpetuum silentium imponendo. At nos deinde eisdem J. episcopo et J., tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbytero, et R., Sancti Eustachii, diacono, cardinalibus, commisimus oraculo vive vocis ut ipsi, considerantes statum predicti monasterii de Antealtaria, cujus reformatio noscebatur plurimum oportuna, et alias circumstantias sollicite metientes, eidem monasterio de Antealtaria providere, ea vice, auctoritate nostra de pastore ydoneo procurarent. Qui ad personam tuam, cui de vite munditia, religionis zelo, disciplina morum, prudentia spiritualium et temporalium providentia laudabile testimonium perhibetur, sue considerationis intuitum convertentes, firma spe fiduciaque concepta quod prefatum monasterium de Antealtaria per tue diligentie studium, gratia cooperante divina, in spiritualibus et temporalibus laudabiliter crescet, te, tunc ejusdem monasterii monachum, auctoritate nostra eis, ut premittitur, in hac parte concessa, prefecerunt in abbatem monasterii de Antealtaria supradicti, prout in patentibus litteris inde confectis dictorum episcopi et cardinalis sigillis munitis plenius continetur. Nos itaque tuis supplicationibus inclinati, quod super hoc ab eisdem episcopo et cardinalibus factum est ratum et gratum habentes, id auctoritate Apostolica confirmamus, etc., usque : communimus, tenorem

predictarum litterarum ipsorum episcopi et cardinalium de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« Miseratione divina Johannes, Tusculanus episcopus, Johannes, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbyter, et Ricciardus, Sancti Eustachii, diaconus, cardinales, religioso viro Johanni, abbati monasterii Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellani, ordinis sancti Benedicti, salutem et sinceram in Domino caritatem. Vacante dudum monasterio Sancti Pelagii de Antealtaria Compostellano, ordinis sancti Benedicti, per mortem quondam fratris Martini, abbatis ejusdem monasterii, conventus ipsius monasterii, die ad eligendum prefixa, fratrem Johannem Michaelis, priorem claustralem ipsius monasterii, in dicti monasterii abbatem concorditer elegerunt. Cumque iidem electus et conventus a . . vicariis venerabilis patris domini R., Compostellani archiepiscopi, confirmari electionem hujusmodi petiissent, ipsi vicarii id facere denegantes, de Johanne Martini, tunc abbate monasterii de Podio, Compostellane diocesis, eidem monasterio de Antealtaria auctoritate, prout asseritur, dicti archiepiscopi providerunt, a quibus confirmationis denegatione et provisione per eos facta, cum pro parte Johannis Michaelis, electi et conventus predictorum, ad Sedem Apostolicam pluries legitime appellatum fuisset, negotium dictarum electionis et provisionis ad Sedem eandem extitit devolutum. Quarum causis nobis Johanni, episcopo Tusculano, ut audiremus eas, per sanctissimum patrem dominum Bonifacium, divina providentia papam VIII, commissis, dictoque Johanne Michaelis, electo, suo et procuratorio nomine dicti conventus, ex parte una, et procuratore dicti archiepiscopi, decani et capituli Compostellanorum, ac Johannis Martini, ex altera, comparentibus coram nobis episcopo, productis quoque et exhibitis hinc et inde que exhibere et producere voluerunt, ac per nos episcopum facta ipsi domino nostro de premissis in consistorio relatione fideli, idem dominus noster iterato nobis commisit ut in ipsis causis procederemus et justitiam faceremus. Visis igitur et diligenter utriusque partis juribus habitoque diligenti consilio sapientum, auctoritate dicti domini nostri specialiter nobis episcopo in hac parte commissa, prefatum Johannem Martini omni jure, si quod sibi erat quesitum, per provisionem predictam de eo factam in abbatem monasterii de Antealtaria supradicti, pronuntiavimus in scriptis esse privatum, articulos pro parte dictorum archiepiscopi et capituli Compostellanorum contra personam dicti Johannis Michaelis, defectus et crimina continentes, exigente justitia repellendo. Verum, cum ab hujusmodi nostra pronuntiatione, pro parte archiepiscopi, decani et capituli, ac Johannis Martini, predictorum, ad eundem nostrum Summum Pontificem appellatum fuisset, idem dominus nobis episcopo commisit ut appellationem reiceremus eandem, si foret reicienda de jure. Super quo, eisdem partibus comparentibus coram nobis episcopo, ac diligenter auditis allegationibus et juribus earundem, factaque super hiis eidem domino nostro per nos episcopum in consistorio relatione fideli, idem dominus noster venerabiles patres dominos Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbyterum, ac Guillelmum, Sancti Nicolai in carcere Tulliano, diaconum, cardinales, ut pronuntiare de ipsorum consilio deberemus in ipso negotio, nobis episcopo sepedicto adjunxit. Nosque una cum ipsis plene vidimus et intelleximus jura partium predictarum, ac de ipsorum cardinalium consilio et assensu, et de speciali licentia dicti domini nostri, specialiter super hoc a nobis obtenta, pronuntiavimus in scriptis per nos bene pronuntiatum fuisse, et per procuratorem archiepiscopi, decani et capituli, ac Johannis Martini, fore injuste et perperam appellatum. Porro procuratore archiepiscopi, decani et capituli predictorum, Johannem Michaelis, electum prefatum, occasione juris quod idem Compostellanus archiepiscopus in providendo dicto monasterio de abbate se habere dicebat, coram nobis episcopo postmodum impugnante, auditis allegationibus et juribus utriusque partis, factaque per nos eidem domino nostro relatione fideli, idem dominus noster nobis episcopo ac eidem domino Guillelmo commisit ut, vel electionem celebratam de Johanne Michaelis predicto auctoritate sua confirmaremus, vel renuntiatione ab eodem recepta de omni jure, si quod sibi competebat ratione electionis prefate, de ipso Johanne si persona esset ydonea, monasterio provideremus eidem. Si vero dictus archiepiscopus, nomine ecclesie sue, de jure proprietatis seu de jure eligendi vel providendi eidem monasterio de abbate agere vellet, et causa de sui natura esset, in curia audiretur, ita tamen quod auditorem ab ipso domino Summo Pontifici impetraret. Verum, Johanne Martini pretacto interim sublato de medio, vivente tamen Johanne Michaelis electo predicto, et adhuc causa hujusmodi sic pendente, dictus archiepiscopus de Martino Martini, quondam abbate monasterii de Burgundo, dicte Compostellane diocesis, de facto monasterium de Antealtaria supradicto providit. Facta igitur per nos episcopum eidem domino nostro super predictis relatione plenaria, idem dominus nobis episcopo et prefato domino Guillelmo iterato commisit atque mandavit ut, antequam ad actum provisionis faciende per nos episcopum et dictum dominum Guillelmum, juxta commissionem predictam, de eodem Johanne

Michaelis procederemus, provisionem factam eidem monasterio per dictum archiepiscopum de dicto Martino Martini auctoritate cassaremus ipsius. Demum vero, Johanne Michaelis, electo predicto, nature debitum exsolvente, factaque relatione super hiis in consistorio eidem domino nostro, ipse dominus nobis episcopo iterato commisit ut, super cassatione provisionis facte de Martino Martini predicto et provisione de abbate eidem monasterio de Antealtaria faciendis, ex venerabilibus patribus dominis Johanne, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbytero, Petro, Sancte Marie Nove, Landulpho, Sancti Angeli et Ricciardo, Sancti Eustachii, diaconis, cardinalibus, duos nos episcopus assumeremus nobiscum, de quorum dominorum consilio ad cassationem et provisionem procederemus easdem. Sicque dominis Johanne, tituli Sanctorum Marcellini et Petri, presbytero, et Ricciardo, Sancti Eustachii, diacono, cardinalibus memoratis, ad id per nos episcopum assumptis, una cum ipsis diligenter audivimus et discussimus jura et allegationes partium earundem, et de ipsorum cardinalium consilio et assensu provisionem factam de Martino Martini predicto per Compostellanum archiepiscopum memoratum, nos episcopus, justitia exigente cassavimus, irritavimus et annullavimus, et cassam et irritam esse in scriptis pronuntiavimus, perpetuum dicto Martino Martini super abbatia monasterii de Antealtaria supradicti silentium imponentes. Verum nos Johannes, Tusculanus episcopus, Johannes, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyter ac Ricciardus, Sancti Eustachii diaconus, cardinales prefati, quibus idem dominus noster Summus Pontifex ultimo in consistorio coram fratribus suis commisit oraculo vive vocis, ut, considerantes statum predicti monasterii de Antealtaria, cujus reformatio noscebatur plurimum oportuna, et alias circumstantias sollicite metientes, eidem monasterio de Antealtaria providere hac vice auctoritate sua de pastore ydoneo procuraremus, ad personam tuam, de cujus vite munditia, religionis zelo, disciplina morum, prudentia, spiritualium et temporalium providentia, laudabile testimonium perhibetur, considerationis nostre intuitum convertentes, firma spe fiduciaque concepta quod prefatum monasterium de Antealtaria, cujus es monachus, per tue diligentie studium, gratia cooperante divina, in spiritualibus et temporalibus laudabiliter crescet, te, auctoritate Apostolica nobis in hac parte concessa, eidem monasterio de Antealtaria in abbatem preficimus et pastorem. Tolle igitur jugum Domini, tam leve collis humilibus quam grave superbis, et in caritate Dei pascendas suscipe oves tuas, super quas, noctis vigilias diligens sollicitusque custodi, ut liber invadenti aditus non pateat invasori, confidens quod, cursu consumato qui tuo labori preponitur et eorum fide servata qui tue sollicitudini committuntur, te Dominus immarcessibili corona justitie decorabit. In cujus rei testimonium presentes litteras mandavimus nostrorum sigillorum appensione muniri. Dat. Laterani, IIII id. februarii, pontificatus ejusdem sanctissimi patris domini Bonifatii pape VIII anno sexto. » —. Nulli ergo etc. Nostre confirmationis etc. Dat. Laterani, III non. martii, anno sexto.

3478 (XLV) Latran, 6 mars 1300.

« Super concessione castri Capalbii ». (fol. 283 v° et 284.)

Dilectis filiis nobilibus viris Manjanti, nato quondam Raynerii, et Massarotto, nato quondam Ormanni, de Cabalbio, consobrino ejusdem Manjantis, Castrensis diocesis. Petitio vestra nobis exhibita continebat quod dilectus filius.. abbas monasterii Sancti Anastasii de Urbe, ordinis Cisterciensis, de consensu conventus ejusdem monasterii, castrum Capalbii, Castrensis diocesis, ad monasterium ipsum pertinens — tibi, fili Manjante, pro duabus partibus, tibi vero, fili Massarotte, pro tertia parte, pro indiviso, ac vestris heredibus utriusque sexus usque in tertiam generationem, in emphyteosim, sub certis pactis et conditionibus, ad certum annuum censum concessit, recepta propter hoc a vobis quadam pecunie quantitate, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur. Nos itaque — id auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus, — non obstantibus quod ex quadam constitutione, auctoritate Apostolica, ut dicitur, edita, prohibetur ne aliquis abbas ejusdem monasterii alienet, locet vel in emphyteosim concedat possessionem sive aliquam rem ad ipsum monasterium pertinentem —, sive quod inter ipsos abbatem et conventum, ex parte una, et nobiles viros Ildribandinum, Fatium, Ubertum, Henricum, Guillelmum et Guidonem, comites de Sancta Flore, ex altera, lis pendet super eodem castro, in quo iidem comites se asserunt jus habere, coram dilecto filio nostro Neapoleone, Sancti Adriani diacono cardinali, auditore a nobis in causa hujusmodi deputato ; ita tamen quod per hujusmodi nostram confirmationem neutri partium accrescat jus aliquod vel decrescat.

Tenor instrumenti inseritur, incipiens : « In nomine Domini amen. Anno Domini M°CCC°, tempore sanctissimi patris et domini Bonifatii, pape VIII, die ultimo mensis februarii, XIII indictione, in presentia mei » et finiens : « Actum apud die-

tum monasterium, in parlatorio, presentibus domino Hugolino domini Boncontis, de Urbeveteri, domino Angelo Malaspina, legum doctore, de Urbe, domino Corsino Gerardi de Ungiali, cive Pisano, Johanne Bartholomei de Vasthis, de Urbe, notariis, Petro Raynutii, de Urbeveteri, Crescentio Raynerii, de Montealto, Masseo Raynerii, de Urbeveteri, testibus ad hec vocatis et rogatis. Et ego Angelus Compangni de Montealto... scripsi et publicavi ».

Dat. Laterani, II non. martii, anno sexto.

3479 (XLVI) Latran, 9 mars 1300.

« Conceditur eis villa seu castrum Barraneri cum ecclesia Sancti Ypoliti ». (fol. 284 v°.)

Dilectis filiis Gerardo nato quondam Johannis Picalotti, militi, et Stephano dicto Picalotto, patruo ejus, de Paliano, familiaribus nostris et successoribus eorum. Grate devotionis —.

« Villam seu castrum Barraneri, omnesque domos, habitationes, terras, possessiones ceteraque bona stabilia, necnon homines, vasallos, omniaque jura et jurisdictiones dudum ad domum, fratres et ordinem Militie Templi Jerosolimitani, ratione ecclesie Sancti Ypoliti, Civitatis Papalis, spectantia, nunc vero ad eandem Romanam Ecclesiam, ex donatione fratris Jacobi de Molay, magistri ejusdem ordinis, facta, nobis et eidem Ecclesie per eunden pertinentia in eadem diocesi, et alibi per Campaniam constituta, » eis concedit in feudum, ea conditione ut exhibeant consueta servitia militaria, et quinque solidos provisinorum, « annis singulis, infra quindenam Resurrectionis Dominice, cum ostensione presentium litterarum, » cameræ Apostolicæ, seu rectori Campaniæ et Maritimæ persolvant, et ut ecclesiam Sancti Ipoliti per ydoneum presbyterum suis sumptibus continuo deserviri faciant.

Dat. Laterani, VII id. martii, anno sexto.

In. e. m. *dilecto filio nobili viro Loffrido Gaitani, nepoti nostro, comiti Fundano, Campanie Maritimeque rectori, vel ejus vicario.*

Ut suprascriptis, fidelitatis solitæ recepto juramento, prædictum feudum assignare procuret.

3480 (XLVII) Latran, 9 février 1300.

« Preficitur in rectorem Masse Trabarie ». (fol. 284 v° et 285.)

Dilecto filio nobili viro Curso de Donatis, militi Florentino, Masse Trabarie, terre Sancte Agathe ac pertinentarium earumdem rectori. Quia exigente pastoralis —.

Rectoriam prædictarum terrarum ei committit usque ad suum et Apostolicæ Sedis beneplacitum exercendam.

Dat. Laterani, V id. februarii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus, ceterisque personis secularibus terrarum et locorum per Massam Trabariam, terram Sancte Agathe ac ipsarum pertinentias constitutis.*

3481 (XLVIII) Latran, 18 mars 1300.

« Licentia contrahendi mutuum per procuratorem pro capitulo ecclesie Eboracensis ». (fol. 285.)

Dilecto filio magistro Guillelmo de Amellone, decano Eboracensi. Circumspecta Sedis Apostolice —.

Dudum dominus papa volens Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem, priusquam esset in cardinalem assumptus, in ecclesia Eboracensi honorare, dignitatem eidem reservaverat quam duxisset acceptandam inf. a unum mensem postquam de vacatione ejus ei innotesceret. Postmodum, cum decanatus prædictæ ecclesiæ vacavisset, unus ex executoribus huic negotio deputatis, eidem Francisco, infra statutum tempus acceptanti, hunc decanatum contulit eumque de illo investivit.

Verum dicti capitulum ejusdem Eboracensis ecclesie, licet premissorum notitiam obtinerent, sequentes proprie voluntatis arbitrium, hujusmodi reservatione, inhibitione ac decreto nostris, non sine multa temeritate, contemptis, te, tunc archidiaconum ejusdem Eboracensis ecclesie, in decanum Eboracensem, non sine consensu bo. me. Herrici, Eboracensis archiepiscopi, tunc viventis, eligere presumpserunt, idemque archiepiscopus electionem hujusmodi temere attemptatam, auctoritate ordinaria, ut dicitur, confirmavit, sicque, cum tu decanatum ipsum detinere dicereris propterea occupatum, nos archiepiscopum, et te, ac subdecanum et capitulum Eboracenses, ex parte nostra fecimus sub certa forma citari, ut idem archiepiscopus, et tu, ac subdecanus predictus, personaliter, capitulum vero, per procuratorem ydoneum, curaretis nostro vos conspectui presentare. Cumque demum predicti capitulum certum procuratorem ipsorum ad hoc ab eis specialiter constitutum, tuque, ab hujusmodi personali comparitione ex certis impedimen-

tis et occasionibus te excusans, procuratorem tuum, ad hoc constitutum a te, ad nostram duxisseris presentiam destinandos, eisdem procuratoribus nomine ipsorum capituli et tuo se nostro super hoc conspectui presentantibus, ac supponentibus vos in hac parte nostris beneplacitis et mandatis, nos, ex certis considerationibus excitati, ad evitanda litigia super hiis, et ad providendum salubrius decanatui et ecclesie memoratis, dictique cardinalis decentiam conservandam, inter alia mandandum et ordinandum duximus ac etiam statuendum, ut idem cardinalis predictum decanatum, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, ac omne jus quod sibi competebat in ipso, libere ac absolute dimitteret, ac aliam dignitatem seu alium personatum nulli alii de jure debitam seu debitum in memorata Eboracensi ecclesia, si tunc vacabat ibidem vel proximo vacaturam aut vacaturum, etiam si apud Sedem Apostolicam tunc vacabat vel vacaret in posterum, quam vel quem duceret acceptandam vel acceptandum, idem cardinalis assequeretur in ecclesia memorata, prout in litteris nostris inde confectis plenius continetur. Cum igitur prefatus cardinalis juxta ordinationem et statutum hujusmodi dictum decanatum dimiserit, ac propterea decanatus ipse apud eandem Sedem vacavisse noscatur, — nos volentes erga te benigne procedere, tibique, ad omne super hoc dubium excludendum, gratiam facere specialem, decanatum predictum sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, Apostolica tibi auctoritate conferimus et de illo etiam providemus, non obstantibus — seu quod archidiaconatum ejusdem ecclesie Eboracensis et quasdam ecclesias seu alia ecclesiastica beneficia curam animarum habentia nosceris obtinere. Preterea tecum ex uberioris dono gratie dispensamus ut decanatum predictum, cum illum fueris assecutus, una cum unica vel unico ex hujusmodi curatis, ecclesiis seu beneficiis, que obtines, quam vel quod duxeris eligendum, excepto archidiaconatu predicto, possis licite retinere, qualibet constitutione contraria non obstante. Volumus autem quod prelibatum archidiaconatum, et cetera hujusmodi beneficia, et ecclesias cum cura, que, ut premittitur, obtines, preter illud vel illam quod vel quam cum ipso decanatu elegeris retinere, postquam decanatum predictum fueris pacifice assecutus, omnimodo dimittere tenearis. Omnem insuper maculam sive infamiam, et quamlibet aliam inhabilitatis notam, si quam contraxisti ex receptione archidiaconatus, ecclesiarum et beneficiorum curatorum predictorum, et retentione ipsorum, ac eorum perceptione fructuum, quos fructus tibi donamus, de gratia speciali a te totaliter abolemus —. Proviso quod prefatus decanatus, et ecclesia seu beneficium cum cura, quam vel quod cum ipso decanatu ex hujusmodi dispensatione nostra retinueris, ut prefertur, debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in eis nullatenus negligatur —. Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . Westmonasterii Londoniensis, et . . Sancte Marie Eboracensis monasteriorum abbatibus, ac magistro Titio, capellano nostro, archipresbytero plebis de Colle, Vulterrane diocesis.*

3482 (XLVIIII) Latran, 11 mars 1300.

« Licentia contrahendi mutuum per procuratorem pro capitulo ecclesie Eboracensis ». (fol. 285 v°.)

Dilectis filiis Rogerio de Mar, succentori Eboracensi, et Reginaldo de Sancto Albano, canonico Suwellensi, Eboracensis diocesis, procuratoribus dilectorum filiorum capituli ecclesie Eboracensis, per ipsum capitulum ad Romanam Ecclesiam destinatis. Exposuistis nobis quod dilecti filii, capitulum ecclesie Eboracensis, vos et Hugonem Sansonis, rectorem ecclesie de Brochim, Eboracensis diocesis, procuratores suos pro suis negotiis dudum ad Romanam curiam destinando, dederunt vobis vel duobus vestrum contrahendi mutuum in dicta curia, ipsorum capituli nomine, a mercatoribus quibuscunque, usque ad summam quingentarum et sexaginta marcharum bonorum sterlingorum, et ipsum capitulum propterea obligandi, plenariam per eorum patentes litteras potestatem —.

Eisdem largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad predictam summam.

Dat. Laterani, v id. martii, anno sexto.

3483 (L) Latran, 21 mars 1300.

« Executoria super eodem ». (fol. 285 v°.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii de Waltham, et magistris Titio, capellano nostro, archipresbytero plebis de Colle, Vulterrane diocesis, ac Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori ecclesie Morinensis. Exponentibus pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum quingentarum et sexaginta marcharum bonorum sterlingorum quas receperunt procuratores capituli Eboracensis a Symone Gerardi, de societate Spinorum de Florentia, mutuante pro se ac pro Rogerio Lapo, Philippo et Spina de Spinis, Nero Cambii, Johanne Mas-

sey, Guidone Bertaldi, Philippo Gerardini, Andrea Bonaventura, Bonoincuntro Jacobi, Bartholo Johannis, Bonifatio Rogerini et Gerardo Rustici ac ceteris.

Dat. Laterani, XII kal. aprilis, anno sexto.

3484 (LI) Latran, 19 mars 1300.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Thoma, archiepiscopo Eboracensi. » (fol. 286.)

Eisdem. Exponente pridem nobis —.

Notificatur mutuum quinque milium marcharum sterlingorum quas Thomas, archiepiscopus Eboracensis, ab eisdem mercatoribus quam in precedenti recepit ; « dictarum marcharum summa in quadam florenorum auri quantitate certis eisdem mercatoribus loco et terminis persolvenda ».

Dat. Laterani, XIIII kal. aprilis, anno sexto.

3485 (LII) Latran, 23 mars 1300.

« Licentia de mutuo contrahendo. » (fol. 286.)

Venerabili fratri Sicardo, episcopo Caturcensi. Cum sicut in nostra —.

Largitur licentiam mutuum contrahendi usque ad summam quinque milium florenorum auri.

Dat. Laterani, x kal. aprilis, anno sexto.

3486 (LIII) Latran, 14 mars 1300.

« Preficitur in episcopum Terrealbensem. » (fol. 286.)

Dilecto filio fratri Oddoni, electo Terre Albensis. Inter sollicitudines alias — lesionem. Dudum siquidem Terrealbensi ecclesia, per obitum bo. me. Furati, Terrealbensis episcopi, sponsi solatio destituta — archipresbyter et capitulum ipsius ecclesie, pro futuri substitutione pastoris, die ad hoc prefixa, ut moris est, convenientes in unum, ac deliberantes ad id per viam procedere compromissi, quibusdam canonicis Terrealbensis providendi, ea vice, dicte ecclesie de pastore concesserunt unanimiter potestatem ; iidemque compromissarii, hujusmodi potestate recepta, dilectum filium Marianum de Ruo, canonicum Arborensem, in Terrealbensem episcopum postularunt. Cumque hujusmodi postulatio non posset, ob certam causam, nisi per Apostolicam Sedem, vel auctoritate ipsius admitti, tam idem postulatus, quam procuratores dictorum archipresbyteri et capituli, ad Sedem accedentes eandem, nobis cum instantia supplicarunt ut postulationem prefatam admittere dignaremur. Nos autem postulationem non admisimus prelibatam, sed cupientes eidem ecclesie de persona ydonea provideri, que sciret et posset illi preesse salubriter et prodesse, provisionem ipsius ea vice dispositioni Sedis duximus reservandam —.

Suprascriptum Oddonem, tunc priorem Fratrum Prædicatorum Pisanum, preficit prædictæ ecclesiæ in episcopum.

Dat. Laterani, II id. martii, anno sexto.

In e. m. . . *archipresbytero et capitulo ecclesie Terrealbensis — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis — Johanni, judici Arboree.*

3487 (LIIII) Latran, 18 mars 1300.

« Licentia de mutuo contrahendo. » (fol. 286 v°.)

Dilecto filio Johanni de Colleone, canonico ecclesie Sancti Symphoriani Remensis, procuratori venerabilis fratris nostri Roberti, archiepiscopi Remensis, in Romana curia constito (sic). Exposuisti nobis —.

Largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad summam sex milium et septingentorum florenorum auri nomine prædicti archiepiscopi, qui ei ad hoc plenariam dedit potestatem.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno sexto.

3488 (LV) Latran, 3 avril 1300.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Sicardo, episcopo Caturcensi. » (fol. 286 v° et 287.)

Dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, et . . thesaurario Cathalaunensis, ac . . offitiali Nemausensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum quinque milium florenorum auri, quos Sycardus, episcopus Caturcensis, a Baldo Raynerii, Anselmo Meliorati et Andrea Merguliesis, mutuantibus pro se ac Clarentino Anselmi, Merguliese Brachii, Puttio de Floravantibus, Marsupino de Clarentibus, Johanne Brachii, Bonino et Radulpho Gerardini, Lapo Baldi Raynerii, Bartholomeo Franconis et Nello Andreæ, et cæteris de societate Clarentum Pistoriensium.

Dat. Laterani, III non. aprilis, anno sexto.

3489 (LVI) Latran, 28 mars 1300.

« Licentia de mutuo contrahendo. » (fol. 287.)

Venerabili fratri Bosoni, episcopo Convenarum. Cum sicut in nostra —.

Largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad summam sex millium florenorum auri.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno sexto.

3490 (LVII) Latran, 5 avril 1300.

« Executoria de mutuo contrahendo per procuratorem pro Roberto, archiepiscopo Remensi. » (fol. 287.)

Dilectis filiis magistris Jacobo Normandi de Urbe, archidiacono Narbonensis, et Titio, archipresbytero plebis de Colle, Vulterrane diocesis, capellanis nostris, ac Petro de Eugubio, camere nostre clerico, cantori Morinensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum sex milium et septingentorum florenorum auri quos procurator Roberti, archiepiscopi Remensis, receperit a Symone Gerardi et Johanne Massei, de societate Spinorum de Florentia, mutuantibus pro se ac pro Rogerio Lapo, Philippo et Spina de Spinis, Nerio Cambii, Andrea Bone Aventure, Bonoincontro Jacobo, Masseo Clarissimi, Rainuco Hugonis, Bartholomeo Johannis et Bonifatio Rogerini.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno sexto.

3491 (LVIII) Latran, 12 mars 1300.

« Confertur decanatus ecclesie Aniciensis Ludovico de Pictavia, canonico Lugdunensi. » (fol. 287 v°.)

Dilecto filio Ludovico, nato dilecti filii nobilis viri Addemarii de Pictavia, comitis Valentini, canonico Lugdunensi, cappellano dilecti filii nostri Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis. Apostolice Sedis benignitas —. Sane vacante dudum decanatu ecclesie Aniciensis, per liberam resignationem Petri de Ferreriis, electi Lectorensis, tunc decani Aniciensis, factam in manibus nostris et per nos admissam, nos volentes dilectum filium Jacobum de Ozio, utriusque juris professorem, speciali prosequi gratia et favore, decanatum ipsum sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, eidem Jacobo litterarum nostrarum auctoritate contulimus —. Cum autem ignoretur utrum idem Jacobus suum prestiterit hujusmodi provisioni sibi facte consensum, ac nuper dictus Jacobus ad Forojuliensem ecclesiam, pastoris solatio destitutam, concorditer, sicut accepimus, in episcopum sit electus seu etiam postulatus, nos cupientes ut de predicto decanatu per dispositionem nostram et Apostolice Sedis salubriter disponatur —, nec non consideratione dilecti filii nostri Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, pro te, capellano suo, nobis in hac parte humiliter supplicantis —, decanatum predictum —, si forsan vacat ad presens, vel quam primum vacaverit, sive per consecrationem electi predicti, aut per lapsum temporis de consecrandis episcopis a canone diffiniti, seu alio quocunque modo, conferendum tibi, donatione nostra ac dicte Sedis ex tunc auctoritate Apostolica, specialiter reservamus —; non obstantibus — seu quod in Lugdunensi et Vivariensi ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere, ac a venerabili fratre nostro . . episcopo Vivariensi, octuaginta librarum Viennensium perceperis annuam pensionem, aut quod pateris in ordinibus et etate defectum, licet jam vicesimum etatis tue annum exegisse noscaris —. Dat. Laterani, IIII id. martii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . preposito Barjolensis, Forojuliensis diocesis, et . . archidiacono, ac Raymundo de Garcia, canonico Vivariensis ecclesiarum.*

3492 (LVIIII) Latran, 16 mars 1300.

Concessio plebanatus Sancti Leonini de Panzano. (fol. 287 v° et 288.)

Dilectis filiis . . de Quarazano et . . de Sancto Pancratio plebium plebanis, Lucane et Florentine diocesium, ac magistro Perfecto de Castro Florentino, canonico Florentino. Significavit nobis dilectus filius Johannes, natus dilecti filii nobilis viri Cianghi de Montespatuli, plebanus plebis Sancti Leonini de Panzano, Fesulane diocesis, quod nos olim, volentes ei gratiam facere specialem, vobis nostris dedimus litteris in mandatis ut vos, vel duo aut unus vestrum —, eidem Johanni —, in ecclesia vel diocesi Fesulana, providere de aliquo ecclesiastico beneficio, prebendali vel alio, cum cura vel sine cura, etiam si dignitas vel personatus existeret —, prout idem Johannes, infra unum mensem postquam de vacatione hujusmodi beneficii sibi constaret —, duceret acceptandum, si tunc vacaret ibidem, vel quam primum ad id se offerret oportunitas, curaretis —, facientes ipsum ad hujusmodi beneficium, si prebendale foret, in canonicum recipi et in

fratrem, si vero personatus vel dignitas, ut est moris, admitti, ac dispensaretis eadem auctoritate cum ipso ut, non obstante defectu quem patiebatur, sicut adhuc patitur, in ordinibus, scientia et etate, posset hujusmodi beneficium, etiam si dignitas vel personatus existeret, licite retinere, contradictores, appellatione postposita, compescendo. Tu vero, fili, plebane de Quartazano, inhibuisti, auctoritate hujusmodi litterarum, universis et singulis ad quos in ecclesia et diocesi predictis hujusmodi beneficiorum collatio, presentatio, electio seu provisio pertineret, ne hujusmodi beneficium, quod tunc vacaret, vel cum ad id se facultas offerret, nisi priusquam eis constaret quod Johannes vel procurator ejus predicti illud acceptare nollent, cuiquam conferrent, vel alicui providerent de ipso, nec quemquam ad illud eligerent, vel etiam presentarent, reservando illud donationi tue, prefato Johanni, cum ipsum vacare contingeret et ab eo, ut predicitur, acceptatum existeret, conferendum, ac decernens ex tunc irritum et inane si secus super hoc contingeret attemptari. Cumque postmodum plebanatus dicte plebis, per mortem quondam Peponis, ejusdem plebis plebani, vacasset, capitulum dicte plebis, obicientes eidem Johanni quod hujusmodi gratia facta sibi, ratione hujusmodi defectus etatis, ordinum et etiam scientie quem patiebatur, ad plebanatum predictum, qui hominem requirebat mature etatis et sufficientis scientie ut animarum curam, jurisdictionem ecclesiasticam et alia sibi incumbentia exercere valeret, non debebat extendi, ac propter hoc, ab hujusmodi processu tuo dicti plebani de Quartazano ad Sedem Apostolicam appellantes, dilectum filium Spinellum, prepositum Aretinum, capellanum nostrum, in dicte plebis elegerunt plebanum : sane dicto Johanne plebanatum eundem infra hujusmodi mensis spatium acceptante, vos, plebane de Quartazano ac magister Perfecte predicti, appellationem hujusmodi frivolam reputantes, plebanatum ipsum sibi auctoritate litterarum hujusmodi contulistis, dispensando juxta formam ipsarum nichilominus cum eodem, ut ipse illum, defectu hujusmodi scientie, etatis et ordinum non obstante, posset licite retinere. Verum, quia dicti capitulum eundem Johannem adipisci possessionem plebanatus ipsius occasione hujusmodi nullatenus permittebant, ex parte ipsius Johannis ad nos in hac parte habitus est recursus, ac humiliter supplicatum ut providere sibi super premissis paterna sollicitudine dignaremur. Cum autem ex parte ejusdem prepositi, omni juri, si quod ei, ex hujusmodi electione facta, de ipso fuerat acquisitum, renuntiatum fuerit coram nobis, nos, volentes predictam gratiam factam per nos eidem Johanni, hujusmodi electione et objectionibus nequaquam obstantibus, cujuscumque idem Johannes fuerit etatis, ad plebanatum predictum extendi, et quod hujusmodi provisio de eodem plebanatu per vos, plebane de Quartazane et magister Perfecte predicti, sibi, ut premittitur, facta, quamvis, sicut predicitur, appellatum fuerit et per te, plebane prefate, solum, negotium inchoatum sortiatur effectum, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus vos — eundem Johannem — in corporalem possessionem dicti plebanatus — inducatis —. Dat. Laterani, XVII kal. aprilis, anno sexto.

3493 (LX) Latran, 7 février 1300.

Exemptio pro Nucerinis. (fol. 288.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni Nucerinis. Devotionis antique sinceritas —.

Eis indulget ne in curia comitis, quem rector ducatus Spoletani ipsis constituerit, respondere teneantur.

Dat. Laterani, VII id. februarii, anno sexto.

(POTTHAST, 24910.)

3494 (LXI) Latran, 3 avril 1300.

Licentia de mutuo contrahendo. (fol. 288).

Dilecto filio Johanni Bustayn, rectori ecclesie de Vivonia, Pictavensis diocesis. Cum sicut in nostra —.

Cum Bartholomeus, Eduensis episcopus, per suas litteras sigillo munitas, plenam ei concesserit facultatem contrahendi mutuum, pro suis et ecclesiæ Eduensis negotiis expediendis, usque ad summam quatuor milium et ducentorum florenorum auri et quingentarum et quinquaginta librarum turonensium parvorum, largitur licentiam contrahendi mutuum nomine prædicti episcopi usque ad prædictam summam.

Dat. Laterani, III non. aprilis, anno sexto.

3495 (LXII) Latran, 1er avril 1300.

« Relaxatio cujusdam sententie excommunicationis late per . . episcopum Massiliensem in Guillelmam de Cadro et cetera ». (fol. 288.)

Dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis. Significavit nobis Guillelma de Cadro, relicta

quondam Geraldi Alamanni, civis Massiliensis, quod quondam Bertrandus de Cadro, patruus ejus, civis Massiliensis, condens in ultimis testamentum, legavit in eo de bonis suis mille libras regalium minutorum, erogandas per manus dicte Guillelme, quam sibi heredem universalem instituit, in subsidium Terre Sancte, de quibus venerabilis frater noster .. episcopus Massiliensis, tanquam collector hujusmodi legatorum in illis partibus deputatus a nobis, ab eadem herede jam septingentas tres libras sex solidos et octo denarios, nostro et Ecclesie Romane nomine, recepit. Et licet ipsa Guillelma pluries obtulerit residuum hujusmodi legati se eidem episcopo plenarie soluturam, dummodo idem episcopus, legatum predictum se recepisse nostro et Ecclesie Romane nomine recognoscens, de illo sibi quietationem faceret, ne posset in posterum impeti super eo, idem tamen episcopus, asserens de hujusmodi legato deberi sibi canonicam portionem, dictumque propter hoc residuum non pro nobis vel Ecclesia Romana predicta, sed pro ipso, ratione portionis ipsius, exigere satagens, recognitionem et quietationem hujusmodi sibi facere pro sue voluntatis libito recusavit, quin potius eam, auctoritate propria, monuit ut idem residuum dicto episcopo certo termino, ratione portionis hujusmodi, exhiberet, et demum .. capellanus ecclesie Sancte Marie de Ancaris Massiliensis, in dictam heredem, pro eo quod ipsum residuum dicto termino pro eadem dicto episcopo non solverat portionem, quamvis, ut predicitur, parata esset, si ipse [1], ut debebat, pro nobis et Ecclesia Romana predicta recipere, ac dictas recognitiones et quitationem facere voluisset, illud integraliter exhibere, dictus episcopus, ut dicebat, auctoritate sibi in hac parte commissa excomunicationis sententiam proferens, eam excomunicatam publice nuntiavit, dictusque episcopus ipsam fecit et facit tanquam excomunicatam, occasione hujusmodi, artius evitari. Cum autem ex parte ipsius heredis super hoc ad nos habitus sit recursus, nos volentes quod hic, etiam si consuetudine loci contrarium esset obtentum, hujusmodi deductio portionis locum non habeat, eidem episcopo nostris damus litteris in mandatis ut, si est ita, prefatam sententiam, sine qualibet difficultate, relaxet, dictumque residuum, nostro et sepefacte Romane Ecclesie nomine, ab eadem herede recipiens, sibi recognitionem et quitationem hujusmodi, nostro et ejusdem Ecclesie Romane nomine, facere non omittat. Quocirca, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatenus, si dictus episcopus mandatum nostrum in hac parte, postquam super hoc fuerit requisitus, neglexerit adimplere, tu, extunc hujusmodi residuo per te ab eadem herede nomine nostro et Ecclesie Romane recepto, sententiam relaxes eandem, ipsique heredi recognitionem et quitationem hujusmodi facias nomine supradicto. Volumus tamen quod residuum ipsum mercatoribus camere nostre de societate Clarentium de Pistorio, Nemausi commorantibus, eodem nomine, studeas assignare, et de assignatione hujusmodi duo fieri facias publica consimilia instrumenta, continentia quantum pro dicto residuo, et quantum assignaveris mercatoribus memoratis, quorum unum penes te remaneat, reliquum vero transmittas predicte nostre camere assignandum. Dat. Laterani, kal. aprilis anno sexto.

1. Ms : ipsum.

3496 (LXIII) Latran, 30 mars 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 288 v°).

Dilecto filio nobili viro Guichardo, domino de Bellojoco, nepoti dilecti filii nobilis viri Amedei, comitis Sabaudie, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Johanne, nate dilecti filii nobilis viri Amedei, comitis Gebennensis. Precellens auctoritas Apostolica —.

Ad inimicitias inter parentes terminandas indulget ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, III kal. aprilis, anno sexto.

3497 (LXIIII) Latran, 28 mars 1300.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 288 v° et 289.)

Magistro Antonio de Brandeneye, presbytero, canonico Wellensi. Apostolice Sedis consueta —.

Cum olim de Bauderippe, curam animarum habentem, primo ante generale concilium Lugdunense novissime celebratum, et post dictum concilium de Dychezsete et de Thachram, Saresbiriensis et Bathoniensis diocesium, ecclesias, similem curam habentes, sine Apostolicæ Sedis dispensatione recipiens, tenuerit et fructus perceperit ex eisdem, indulget ut, prædicta ecclesia de Baudrippe dimissa, ceteras duas, una cum canonicatu et præbenda quos in ecclesia Wellensi obtinet, retinere possit; fructus minus juste perceptos eidem donat et omnem notam abolet.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno sexto.

3498 (LXV) Latran, 11 avril 1300.

« Conceditur monasterium Sancte Marie de Quinquemiliis ». (fol. 289.)

Venerabili fratri Frederico, episcopo Valvensi. Fraternitatis tue sincera devotio — oportunam. Cum itaque, sicut ex parte tua fuit propositum coram nobis, redditus episcopalis mense Valvensis adeo sint tenues et exiles quod Valvenses episcopi, qui sunt pro tempore, non possunt ex eis secundum episcopalis exigentiam dignitatis congrue substentari, cum ad sexaginta unciarum auri valorem annuum non ascendant, nos tibi et eidem mense super hoc de alicujus subventionis remedio providere dictosque redditus ampliare volentes, tuis supplicationibus inclinati, monasterium Sancte Marie de Quinquemilliis, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, in quo, sicut asseris, est quasi collapsa regula monachalis, cum juribus et pertinentiis suis, tibi tuisque successoribus et eidem mense in usus proprios auctoritate Apostolica deputamus atque concedimus de gratia spetiali; ita tamen quod . . abbas et monachi, qui nunc sunt ejusdem monasterii, de illius proventibus pro substentatione ipsorum, quoad vixerint et ibi remanere voluerint, congruam percipiant portionem; tuque ad successores predicti, postquam monasterium ipsum ab eisdem. . abbate et monachis fuerit derelictum, in divinis officiis teneamini in eo facere congrue deserviri. Nulli ergo etc.. Nostre deputationis et concessionis etc... Dat. Laterani, III id. aprilis, anno sexto.

3499 (LXVI) Latran, 7 avril 1300.

Conceditur Templariis monasterium de Mormanto. (fol. 289.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus domus Militie Templi Jerosolimitani. Considerantes attentius —.

Monasterium de Mormanto, ordinis sancti Augustini, Lingonensis diocesis, « adeo propter incuriam multamque dessidiam abbatum et canonicorum ipsius qui fuere pro tempore » in spiritualibus et temporalibus collapsum « quod vix adicere poterit ut resurgat », Templariis concedit ac domui eorum incorporat et annectit, ea lege ut abbati et canonicis monasterii supradicti, quamdiu in illo manere voluerint, vitæ necessaria congrue ministrent, et, illis recedentibus vel mortuis, « aliquas personas ydoneas ad celebrandum ibidem divina officia, et ad porrigendum Altissimi Filio devota orationum suffragia pro animabus illorum qui predictum fundaverunt monasterium et dotarunt, continue tenere » curent, utque, « necessariis deductis expensis pro ipsius monasterii negotiis annis singulis faciendis, totum residuum fructuum, redditúum, proventuum et obventionum monasterii prelibati in Terre Sancte subsidium » studeant convertere.

Dat. Laterani, VII id. aprilis, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Onniaco, Lingonensis diocesis, et . . decano Lingonensis, ac magistro Huguitioni de Vercellis, subdiacono et capellano nostro, canonico Brugensis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum.*

3500 (LXVII) Latran, 13 avril 1300.

« Executoria de mutuo contrahendo per procuratorem pro Bartholomeo, episcopo Eduensi ». (fol. 289.)

Dilectis filiis . . preposito Pistoriensis, ac . . thesaurario Cathalaunensis, et . . offitiali Parisiensis ecclesiarum. Exposuit pridem nobis —.

Eis notificatur executorio nomine mutuum quatuor millium et ducentorum florenorum auri et quingentarum et quinquaginta librarum turonensium parvorum, quos Johannes Bustayn, procurator episcopi Eduensis, recepit a Baldo Raynerii, Anselmo Meliorati, Andrea Mergulliesis et Nello Andree, mutuantibus pro se et Clarentino Anselmi, Margullieso Bracchii, Puttio Raynerii, Marsupino Meliorati, Symone et Lotto Anselmi, Phylippo et Johanne Floravantis, Bonino Gerardini, Paulo Johannis et Lapo Bracchii, ac ceteris de societate Clarentium de Pistorio.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno sexto.

3501 (LXVIII) Latran, 7 avril 1300.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Bosone, episcopo Convenarum. » (fol. 289 v°.)

Dilectis filiis magistris Titio, archipresbytero plebis de Colle, Vulterane diocesis, capellano nostro, et Petro de Eugubio, cantori Morinensis, clerico camere nostre, ac . . offitiali Nemausensis ecclesiarum. Exponente pridem nobis —.

Notificatur eis executorio nomine mutuum sex millium florenorum auri quos Boso, episcopus Convenarum, recepit a Symone Gerardi, mutuante pro se ac Rogerio, Lapo, Phylippo et Spina de Spinis, Nero Cambii, Ranutio et Gerardo Hughi, Bellando Gualdutii, Tutio Cocchi, Johanne Mathei et Bononcontro Jacobi, ac ceteris de societate Spinorum de Florentia.

Dat. Laterani, VII id. aprilis, anno sexto.

3502 (LXVIIII) Latran, 2 avril 1300.

« Super bonis arrestatis Petri de Malaspina, canonici Massiliensis, et.. prioris ecclesie Sancti Laurentii de Arboribus ». (fol. 289 v°.)

Dilectis filiis.. preceptori et fratribus Domus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani de Aquis. Dudum venerabilis frater noster A[ndreas], Avinionensis episcopus, de mandato nostro sibi facto oraculo vive vocis, per suas mandavit litteras .. vicario et officialibus suis ut omnia bona dilecti filii Petri de Malaspina, canonici Massiliensis, et. . prioris ecclesie Sancti Laurentii de Arboribus, Avinionensis diocesis, arrestata de mandato episcopi memorati, vobis, nostro et Ecclesie Romane nomine, sublata difficultate qualibet, assignarent, ac vobis per nostras certi tenoris litteras mandavimus ut bona ipsa ad manus vestras recipere nomine supradicto et penes vos deberetis sub diligenti custodia conservare, quousque de bonis ipsis duceremus aliud ordinandum. Vos vero postmodum, bona predicta, vobis ab eisdem vicario et officialibus assignata, juxta mandatum nostrum hujusmodi, recepistis, prout in transmisso per vos nobis super hoc instrumento, in quo bona describuntur eadem, continetur. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus eadem bona memorato priori, vel procuratori suo, ejus nomine, sine difficultate qualibet, assignetis, cum ab eo, vel procuratore predicto, super hoc fueritis requisiti. Dat. Laterani, IIII non. aprilis, anno sexto.

3503 (LXX) Latran, 15 mars 1300.

« Collatio superstantie in certis ecclesiis civitatis Mediolanensis. » (fol. 289 v°.)

Dilecto filio Johanni Lanzerotti de Lampugnano, civi Mediolanensi. Cum, sicut ex parte tua fuit expositum coram nobis, in Majori, Sancti Ambrosii, Sancte Tecle, Sancti Laurentii majoris et Sancti Stephani ecclesiis Mediolanensibus, in singulis videlicet earum, sit officium perpetuum super administratione bonorum que ad ipsarum ecclesiarum fabricam deputantur, quod superstantia vulgariter appellatur, consuetum per venerabilem fratrem nostrum . ., archiepiscopum Mediolanensem, non solum clericis sed et laicis aliquando assignari, nos — unum de dictis officiis, si quod in aliqua dictarum ecclesiarum vacat ad presens, vel cum ipsum vacare contigerit, conferendum tibi qui adhuc in duodecimo tue etatis anno vel circa consistis — reservamus. Dat. Laterani, id. martii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Victoris ad Corpus, et . . Sancti Laurentii majoris, ac . . Sancti Georgii in palatio, ecclesiarum prepositis Mediolanensium.*

3504 (LXXI) Latran, 31 janvier 1300.

« Super venditione quorumdam jocalium pro exoneratione debitorum. » (fol. 290.)

Dilecto filio Phylippo, abbati monasterii Sancti Medardi Suessionensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Quia debitorum onera, ex mora de more crescentia, quanto diutius proferuntur tanto gravant durius debitores, nobis humiliter supplicasti ut, cum monasterium tuum Sancti Medardi Suessionensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, gravi prematur ad presens onere debitorum, a quibus non potest absque nostre provisionis auxilio comode liberari, providere tibi et eidem monasterio super hoc paterna sollicitudine curaremus; nos itaque, tuis supplicationibus benignius annuentes, discretioni tue vendendi omnia bona mobilia, tam jocalia quam alia, que quondam Gerardus, predecessor tuus, ipsius monasterii abbas, conventui dicti monasterii in sua ultima voluntate reliquit [1], vel que, de jure seu consuetudine, ipsi conventui, ex ipsius predecessoris obitu, remanserunt, vel alias quovis modo ad conventum pervenerunt eundem, in solutionem debitorum hujusmodi convertenda, dummodo non sint aliquibus spiritualibus usibus deputata, nec non et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Non obstantibus —. Dat. Laterani, II kal. februarii, anno sexto.

3505 (LXXII) Latran, 15 février 1300.

« Super francatione sua a servitute. » (fol. 290.)

Theodoro de Coles, laico, Nimociensis diocesis. Cum a nobis petitur, etc... usque : effectum. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod quondam frater Johannes de Villers, magister Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, ad preces quondam fratris Bonifatii de Calamandrana, generalis preceptoris dicti Hospitalis, cujus camerarius existebas, te, tunc hominem dicti Hospitalis, ab omni servitute et angaria in quibus Hospitali predicto tenebaris, francavit, exemit et totaliter liberavit, ac deinde frater Guillelmus, magister ipsius Hospitalis,

1. Ms : reliquid.

ejusdem fratris Johannis successor, quod per eundem predecessorem suum in hac parte actum fuerat approbans, similem tibi francisiam, exemptionem et liberationem concessit, prout in patentibus litteris dictorum magistrorum super hoc confectis, et ipsorum sigillis munitis, plenius dicitur contineri —.

Prædictam francisiam auctoritate Apostolica confirmat, omnem defectum, si quis forsitan extiterit, eadem auctoritate supplendo.

Dat. Laterani, xv kal. martii, anno sexto.

3506 (LXXIII) Latran, 18 mars 1300.

Facultas conferendi beneficia. (fol. 290.)

Venerabili fratri Thome, archiepiscopo Eboracensi. Ut benivolentiam spetialem —.

Concedit ei facultatem providendi sex personis ydoneis, etiam si unum vel plura beneficia obtineant, de sex beneficiis ecclesiasticis consuetis ab olim clericis secularibus assignari, ad collationem religiosarum personarum ejus diocesis spectantibus, si vacant ad præsens vel proximo vacaverint.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno sexto.

3507 (LXXIII *bis*) Latran, 18 mars 1300.

Facultas conferendi tabellionatus officium. (fol. 290 v°.)

Eidem. Ex parte tua —.

Largitur facultatem concedendi quatuor personis ydoneis tabellionatus officium.

Dat. ut supra.

3508 (LXXIIII) Latran, 18 mars 1300.

Facultas conferendi beneficia. (fol. 290 v°.)

Eidem. Tuam volentes honorare —.

Concedit facultatem conferendi hac vice personis ydoneis beneficia ecclesiastica, etiam si personatus et dignitates existant, et eis cura immineat animarum, quæ in ejus civitate et diocesi tanto tempore vacaverunt ut eorum collatio sit ad Sedem Apostolicam devoluta.

Dat. ut supra.

3509 (LXXV) Latran, 18 mars 1300.

Facultas conferendi tribus clericis jam beneficiatis beneficia altera. (fol. 290 v°.)

Eidem. Meritis tue devotionis —.

Concedit facultatem dispensandi cum tribus clericis suæ civitatis et diocesis, ut, præter beneficia curam animarum habentia quæ ipsi canonice obtinent, possit quilibet ipsorum aliud beneficium curatum, etiam si personatus vel dignitas existat, licite recipere et retinere, si ei canonice offeratur.

Dat. ut supra.

3510 (LXXVI) Latran, 31 janvier 1300.

« Super conferendis tribus portionibus et majori capellania in ecclesia Tholetana. » (fol. 290 v°.)

Venerabili fratri Gundisalvo, archiepiscopo Tholetano. Tua nobis fraternitas —.

Licentiam largitur conferendi ea vice tres portiones et majorem capellaniam consuetas clericis secularibus assignari, quæ tanto tempore in ecclesia ejus vacaverunt ut earum collatio sit ad Sedem Apostolicam devoluta.

Dat. Laterani, II kal. februarii, anno sexto.

3511 (LXXVII) Latran, 31 janvier 1300.

« Super dispositione et ordinatione quarumdam abbatiarum in diocesi Toletana. » (fol. 290 v°.)

Eidem. In nostra constitutus presentia retulisti quod Sancte Leucadie extra muros Tholeti et Sancti Vincentii de Laserra abbatie, Tholetane diocesis, in quibus canonici regulares ordinis sancti Augustini consueverunt retroactis temporibus commorari, sunt ipsis canonicis penitus destitute, unde cum predicte abbatie, propter negligentiam seu desidiam predecessorum tuorum, archiepiscoporum Tholetanorum, incipiant, ut asseris, subjacere ruine, nos qui super hoc ex officii nostri debito salubriter intendimus providere, de tue circumspectionis industria gerentes in Domino fidutiam spetialem, fraternitati tue disponendi et ordinandi de abbatiis predictis et pertinentiis earumdem, prout tua viderit expedire discretio, super quibus intendimus tuam conscientiam onerare, ita tamen quod eas penes te nequaquam retineas, plenam et liberam auctoritate presentium concedimus facultatem. Dat. ut supra.

3512 (LXXVIII) Latran, 8 mars 1300.

« Super quibusdam domibus emendis in castro Aritie. » (fol. 290 v° et 291.)

Dilecto filio Nicolao de Sklerico, civi Romano. Exposita nobis tua petitio continebat quod inter te et dilectum filium Jacobum dictum Tyneosum de Urbe, militem, fratrem quondam magistri Angeli, Apostolice Sedis notarii, tractatus est habitus de quibusdam domibus in castro Ricie, Albanensis diocesis, et possessionibus suis in civitate Albanensi et ejusdem castri territoriis positis, a te emendis ab ipso, pro certa pecunie quantitate in dotes duarum filiarum suarum, quas ad presens intendit tradere nuptui, convertenda. Sed quia prefatus magister Angelus, qui dicto Jacobo domos et possessiones easdem in suo testamento legavit, eas alienari expresse prohibuit, et si secus de illis attemptari contingeret, domus et possessiones predicte ad usum pauperum elemosine Romani Pontificis, et ad ipsam elemosinam transferrentur et etiam devenirent, prout in testamento predicto noscitur plenius contineri, dubitas domos et possessiones emere prelibatas. Quare nobis humiliter supplicasti ut tibi super hoc de oportuno remedio providere dignaremur. Nos itaque, magne devotionis affectum quem erga nos et Romanam geris Ecclesiam benignius attendentes, et volentes te propter hoc favore prosequi gratioso, tuis supplicationibus inclinati, tibi, ut domos et possessiones easdem a predicto Jacobo libere emere valeas et licite retinere, ac fructus percipere ex eisdem, prohibitione hujusmodi aliquatenus non obstante, nec aliquid a te vel heredibus tuis in perpetuum, occasione prohibitionis ejusdem, a quoquam peti vel exigi valeat, nomine pauperum vel elemosine predictorum, presentium auctoritate concedimus de gratia spetiali. Nulli ergo, etc... Nostre concessionis, etc... —. Dat. Laterani, VIII id. martii, anno sexto.

3513 (LXXVIIII) Latran, 18 mars 1300.

Facultas recipiendi personatum vel dignitatem non obstante defectu natalium. (fol. 291.)

Dilecto filio magistro Willelmo de Irton, canonico Cicestrensi. Illegitime genitos —.

Consideratione R[ichardi], archiepiscopi Dublinensis, cujus nepos existit, indulget ut, non obstante defectu natalium quem patitur, de soluto genitus et soluta, personatum vel dignitatem, etiam si curam animarum habeat, citra tamen episcopalem dignitatem, libere recipere ac licite retinere valeat, si ei canonice offeratur, gratiam ei jam a bo. me. Portuensi episcopo, tunc Sancti [Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, et in regno Angliæ Apostolicæ Sedis legato, concessam ampliando.

Dat. Lateranl, xv kal. aprilis, anno sexto.

3514 (LXXX) Latran, 7 avril 1300.

« Quod possint visitare et corrigere in monasterio Turris Majoris. » (fol. 291.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus Domus Militie Templi Jerosolimitani. Habet in vobis —.

Indulget ut frater eorum ordinis, capellanus deputatus vel deputandus in monasterio Turris Majoris, ordinis sancti Benedicti, Civitatensis diocesis, quod eis duxit concedendum et uniendum, prioris vices gerens, possit in monasterio ipso libere instituere et destituere, visitare et corrigere clericos aliasque personas ecclesiasticas monasterio prædicto subjectas, prout consueverunt abbates ejusdem monasterii.

Dat. Laterani, VII id. aprilis, anno sexto.

3515 (LXXXI) Latran, 7 avril 1300.

Exemptio pro Templariis ab omni jurisdictione ac lege diocesana. (fol. 291.)

Eisdem. Paterne considerationis —.

Decernit et declarat eos et eundem ordinem fuisse ac esse plenarie ab omni jurisdictione ac lege diocesanorum quorumlibet ordinariorum exemptos ac Sedi Apostolicæ immediate subjectos.

Dat. ut supra.

3516 (LXXXII) Latran, 7 avril 1300.

Concessio ecclesiarum. (fol. 291.)

Eisdem. Onerosa nimis —.

Concedit in usus proprios ecclesias de Romayns et de Maruherin, Remensis et Eboracensis diocesium, in quibus jus patronatus habent.

Dat. ut supra.

3517 (LXXXIII) Latran, 7 avril 1300.

Exemptio prestationis cujuslibet decimæ. (fol. 291 v°.)

Eisdem. Reducentes ad sedule —.

Eximit domum prædictam cum omnibus membris, domibus, grangiis et locis ipsius, a præstatione cujuslibet decimæ, occasione quacumque, in quibuslibet partibus, per Apostolicæ Sedis vel legatorum ejusdem litteras jam impositæ ac etiam imponendæ.

Dat. ut supra.

3518 (LXXXIIII) Latran, 7 avril 1300.

« Quod concedat Templariis quod possint extrahere victualia et res alias de regno suo. » (fol. 291 v°.)

Carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri. Habet, fili carissime, nostra firma credulitas jam ad tuam pervenisse notitiam rumores felices et prosperos qui de transmarinis partibus, hiis diebus, a fidedignorum affatibus, referuntur, nec ambigimus, quin potius certi sumus, quod tu, tanquam princeps catholicus et devotus, in hujusmodi rumoribus quam plurimum delectaris, et ad recuperationem omnimodum Terre Sancte fervens dirigitur desiderium cordis tui. Cum itaque dilectus filius . . magister et fratres Domus Militie Templi Jerosolimitani, ad oportunum et acceleratum predicte Terre subsidium et succursum votis ardentibus aspirantes, intendant ad partes illas de regno tuo victualia et res alias quamtotius destinare, nosque predicte Terre negotium cordi potissime habeamus, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris quatenus, ob divinam et Apostolice Sedis ac nostram reverentiam, tueque salutis augmentum, eisdem magistro et fratribus, quod hujusmodi victualia et res alias de regno predicto, libere et absque alicujus exactionis onere, vel requisitione regii officialis cujuslibet dicti regni, per se vel alios extrahere valeant et ad partes ultramarinas deferre seu mittere, plenam et benignam licentiam, per triennium duraturam, de regie liberalitatis munificentia, largiaris; sic te in hiis, ut cupimus et articulus necessitatis exposcit, prompte ac efficaciter habiturus, ut crescas exinde meritorum cumulo apud Deum, tueque fame preconium apud gentium populos augeatur. Dat. ut supra.

3519 (LXXXV) Latran, 29 mars 1300.

Concessio prebendæ in ecclesia Sancti Laurentii Florentina. (fol. 291 v°.)

Dilecto filio Jacobo, nato dilecti filii nobilis viri Nastasii de Bardis, canonico ecclesie Sancti Laurentii Florentine. Ut tua et tuarum —.

Dictos canonicatum et præbendam, quibus, sicut ceteris beneficiis suis, Cambius de Panchis de Florentia, dudum exigentibus demeritis, fuit Apostolica auctoritate privatus, et quæ reservata fuerunt Apostolicæ dispositioni, confert suprascripto, non obstante quod præfata præbenda sacerdotalis existat et quod patiatur in ordinibus et ætate defectum.

Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancte Marie Florentine, et . . Sancti Miniatis ad Montem prope Florentiam monasteriorum abbatibus, ac . . priori Sancti Florentis ad Ema, Florentine diocesis.*

3520 (LXXXVI) Latran, 26 mars 1300.

« Preficitur in episcopum Olenensem. » (fol. 292.)

Dilecto filio Leonardo, electo Olenensi. Militanti ecclesie —.

Eum, tunc archidiaconum Patracensem, præficit in episcopum ecclesiæ Olenensi, per translationem Johannis, Imolensis, tunc Olenensis, episcopi, vacanti et Apostolicæ dispositioni ea vice reservatæ.

Dat. Laterani, VII kal. aprilis, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo Olenensi — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie Olenensis.*

3521 (LXXXVII) Latran, 28 janvier 1300.

Facultas percipiendi fructus beneficiorum. (fol. 292 v°.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Majoricarum illustri. Personam tuam —.

Indulget ut sex clerici ejus familiares et domestici, præsentes et posteri, quos duxerit eligendos, quamdiu obsequiis ejus

duxerint insistendum, fructus et proventus beneficiorum suorum in absentia percipere valeant.

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancte Marie de Regali prope Majoricas, et . . Sancti Michaelis de Cuxan, ac . . de Sancto Genesio, Elnensis diocesis, monasteriorum abbatibus.*

3522 (LXXXVIII) Latran, 25 mars 1300.

« Executoria super monachatu pro Alasia, nata Stephani de Marziaco. » fol. 292 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo, et dilectis filiis . . decano ac Ludovico de Marchaant, canonico Lugdunensibus. Ex parte dilecte —.

Mandat ut Alasiam, natam Stephani de Marziaco, militis, puellam litteratam, faciant recipi in monacham et sororem ab abbatissa et conventu monialium Sancti Petri Lugdunensis, ordinis sancti Benedicti, quæ, inobedientes Apostolicis litteris prius eis directis, non solum id efficere contempserunt, sed propositis, coram decano suprascripto, priorum litterarum executore, contra dictam Alasiam, frivolis exceptionibus, occasione ejus ad audientiam domini papæ appellarunt.

Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno sexto.

3523 (LXXXVIIII) Latran, 31 janvier 1300.

« Mandatur quod inquisitores supersedeant super inquisitione facienda ad presens in monasterio Sancti Medardi Suessionensi. » (fol. 292 v° et 293.)

Dilectis filiis . . Sancti Cornelii Compendiensis, et . . Premostratensis monasteriorum abbatibus, Suessionensis et Laudunensis diocesium, ac preposito de Tyngleyo in ecclesia Sancti Aniani Aurelianensi. Pie sollicitudinis cura nos excitat ut monasterium Sancti Medardi Suessionense, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinens, ordinis sancti Benedicti, favorabili prosequentes affectu, ad bonum statum ejus quietum et prosperum intendamus. Sane dilecti filii . . abbas et conventus ipsius monasterii nuper ad notitiam nostram perducere curaverunt quod nos hactenus intellecto quod monasterium ipsum (*sic*) adeo in spiritualibus et temporalibus per negligentiam et malitiam, tam abbatis ipsius monasterii, quam aliarum personarum in ipso degentium, dicebatur esse collapsum, quod vix posset adicere ut resurgeret, nisi celeriter succurreretur eidem. Nos dilectis filiis . . de Longo Ponte, Cisterciensis ordinis, Suessionensis diocesis, et . . Sancti Johannis Laudunensis, prefati ordinis sancti Benedicti, monasteriorum abbatibus, nostris dedimus litteris in mandatis ut ad prefatum monasterium Sancti Medardi personaliter accedentes, et habentes pre oculis solum Deum, inquirerent super premissis diligentius veritatem, et quod eos invenire contingeret, nobis fideliter intimarent, ut, per eos instructi, plenius in hac parte possemus super hiis salubre consilium adhibere. Sed, licet iidem inquisitores super premissis quandam inquisitionem duxerint faciendam, quia tamen, propter appellationes tempore inquisitionis hujusmodi interjectas, aliaque diversa et varia, que ambiguitatem in predictis apertius ingerebant, vix poterat de veritate negotii per inquisitionem eandem plene liquere, nos postmodum vobis per alias nostras injunximus litteras ut ad dictum monasterium Sancti Medardi vos personaliter conferentes, super premissis omnibus, tam in capite quam in membris, curaretis diligenter inquirere veritatem, nobis quod inveniretis ibidem fideliter rescripturi, ut per vos plenarie informati possemus super hoc eidem monasterio Sancti Medardi de oportuno remedio providere, contra et cetera; et si omnes hiis exequendis interesse forsitan non possetis, duo vestrum ea nihilominus exequi procurarent; cumque vos, filii, Sancti Cornelii et Premostratensis abbates, te, fili preposite, nequeunte hujusmodi inquisitionis negotio comode interesse, teque super hoc legitime excusante, ad dictum monasterium Sancti Medardi personaliter accedere curassetis, in hujusmodi inquisitionis negotio, juxta formam vobis traditam processuri, monachi ejusdem monasterii Sancti Medardi qui, contra predictum ipsius monasterii abbatem, ad Sedem Apostolicam appellarant, et etiam in hac parte adherentes eisdem, voluntarie appellationibus ab eis ad eandem Sedem emissis renuntiare curarunt, se correctioni abbatis ejusdem et regularis ordinis discipline, apertis penitentie signis in eis nichilominus apparentibus, totaliter submittendo, dictusque abbas Sancti Medardi eos benigne suscepit, et inter abbatem et monachos ac adherentes eosdem pacis bonum et concordie unitas provenerunt, in quibus, prout speratur et creditur, monasterium ipsum, temporis successu continuo, largiente Domino, permanebit, presertim cum hujusmodi actores discordie et factores zizanie principales de medio sint sublati, prout in litteris vestris nobis directis plenius prospeximus contineri; nos itaque monasterium ipsum, in quo Apostolica Sedes sincere devotionis affectum et zelum reverentie specialis se hactenus invenisse commemorat, favorabi-

liter prosequentes, et cupientes ut illud per nostre provisionis auxilium ad comoda prosperitatis pristine reducatur, volentes quoque benignius ipsorum abbatis et conventus laboribus et sumptibus parcere in hac parte, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatenus, si vobis constiterit quod inter abbatem et monachos ac adherentes predictos sit pacis et concordie reformatio subsecuta, que speretur successu temporis stabiliter permansura, et eidem monasterio expedire videritis, inquisitioni predicte adpresens supersedere curetis. Quod si non omnes, etc... duo vestrum, etc. —. Dat. Laterani, II kal. februarii, anno sexto.

3524 (LXXXX) Latran, 28 mars 1300.

« Preficitur in episcopum Venafranum. » (fol. 293.)

Dilecto filio Decibili de Sarmineto, electo Venafrano. Rationis oculis intuentes —.

Eum, tunc archipresbyterum ecclesiæ Sanctæ Mariæ de Sarmineto, Terracinensis diocesis, ecclesiæ Venafranæ, per obitum bo. me. Jordani, episcopi, vacanti et dispositioni Apostolicæ ea vice reservatæ, preficit in episcopum.

Dat. Laterani, v kal. aprilis, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Venafrane — clero — populo civitatis et diocesis.*

3525 (LXXXXI) Latran, 25 mars 1300.

Quod possit, non obstante defectu natalium, ad omnes ordines promoveri. (fol. 293)

Sergio Adelasie, clerico Terracinensi. Laudanda probitatis —.

Dispensat cum eo super defectu natalium quem patitur, de conjugato genitus et soluta, ut possit ad omnes ordines promoveri, et ecclesiasticum beneficium obtinere, si illi canonice offeratur.

Dat. Laterani, VIII kal. aprilis, anno sexto.

3526 (LXXXXII) Latran, 4 février 1300.

« Mandatur judicibus super provisione facienda Nicolao nato Jacobutii Violantis de Jovo, de aliquo beneficio ecclesiastico in civitate vel diocesi Tudertina. » (fol. 293.)

Dilectis filiis . . abbati secularis ecclesie Sancti Secundi, Amelyensis, et . . Sancte Marie de Luco, Ortane, ac . . de Sancta Victoria, Tudertine diocesium, prioribus. Sincere devotionis —.

Consideratione devotionis quam nobilis vir Violant de Jovo ad Romanam Ecclesiam habere dinoscitur, mandat ut Nicolao, nato Jacobutii, ipsius Violantis filii, scolari, cupienti ascribi militiæ clericali, de aliquo beneficio præbendali, etiam si dignitas et in cathedrali ecclesia existat, in civitate vel diocesi Tudertina, postquam fuerit clericali caractere insignitus, providere curent, si vacat ad præsens vel cum proximo vacaverit.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno sexto.

3527 (LXXXXIII) Latran, 14 mars 1300.

« Super revocatione bonorum alienatorum spectantium ad episcopum et ecclesiam Imolensem. » (fol. 293 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Bononiensi, et . . Faventino episcopis. Oblata nobis —.

Concedit facultatem legitime, summarie, de plano et sine strepitu judicii, ad jus et proprietatem mensæ episcopalis Imolensis, quæcumque de bonis ipsius per prædecessores Johannis, præsentis Imolensis episcopi, alienata et concessa invenerint illicite vel distracta revocandi, et contradictores compescendi per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio bracchii sæcularis.

Dat. Laterani, II id. martii, anno sexto.

3528 (LXXXXIIII) Latran, 14 mars 1300.

Pro restitutione castri Gauderentii ad ecclesiam Imolensem facienda. (fol. 293 v°.)

Dilectis filiis . . potestati, capitaneo, consilio et communi Bononiensibus. Firma nobis credulitas —.

Mandat ut eorum concivem, Guidutium quondam Andreæ Castelloni, ad restitutionem castri Gauderentii, Imolensis diocesis, ad Imolensem ecclesiam pertinentis, quod pro suæ voluntatis libito detinet occupatum, tradita illis potestate, cogant.

Dat. ut supra.

3529 (LXXXXV) Latran, 5 février 1300.

« Quod absolvat certos clericos et religiosos ab excommunicatione quam incurrerunt pro eo quod non integre solverunt decimam. » (fol. 293 v° et 294.)

Venerabili fratri Guillelmo, archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime in Viennensi, Tarentasiensi, Bisuntina et Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provintiis, ac in ea parte Lugdunensis provintie que est citra Rodanum extra regnum Frantie constituta. Te nuper accepimus intimante quod quamplures clerici et religiosi locorum in quibus tibi collectio decime, oneribus et necessitatibus Romane Ecclesie per triennium deputate, a Sede Apostolica est commissa, excomunicationis sententiam incurrisse noscuntur, pro eo quod hujusmodi decimam suorum ecclesiasticorum proventuum et reddituum integre aut in statutis terminis non solverunt. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum clerici et religiosi predicti parati sunt decimam integre solvere, ut tenentur, eorum providere saluti de benignitate Sedis Apostolice dignaremur. Nos itaque de tue circumspectionis industria fiduciam gerentes in Domino specialem, fraternitati tue presentium auctoritate concedimus ut a clericis et religiosis eisdem, plena de hujusmodi decima non soluta satisfactione impensa, eis valeas auctoritate nostra, juxta formam Ecclesie, munus absolutionis impendere ac dispensare cum ipsis super irregularitate, si quam celebrando divina vel temere immiscendo se illis exinde forsitan incurrerunt, injuncto eis quod de jure fuerit injungendum. Dat. Laterani, non. februarii, anno sexto.

3530 (LXXXXVI) Latran, 18 mars 1300.

« Super reconciliatione ecclesiarum et cimiteriorum. » (fol. 294.)

Venerabili fratri Riccardo, archiepiscopo Dublinensi —.

Ei concedit ut cimiteria suæ diocesis, per effusionem sanguinis vel seminis violata, reconciliare possit.

Dat. Laterani, xv kal. aprilis, anno sexto.

(POTTHAST, 24930).

3531 (LXXXXVII) Latran, 18 mars 1300.

« Quod possit conferre duabus personis ydoneis tabellionatus officium. » (fol. 294.)

Eidem. Ex parte tua —.

Largitur facultatem concedendi tabellionatus officium duabus personis ydoneis.

Dat. ut supra.

3532 (LXXXXVIII) Latran, 29 janvier 1300.

Committitur provisio canonicatus et prebendæ in ecclesia Veronensi. (fol. 294.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Januensi, ac . . Saonensi, et . . Naulensi episcopis. Desiderantibus ascribi militie —.

Mandat ut Dominicum, natum nobilis viri Francisci de Gateluxiis, scolarem Januensem, desiderantem ascribi militiæ clericali, postquam fuerit clericali caractere insignitus, in ecclesia Veronensi faciant recipi in canonicum et fratrem, eique de præbenda provideant, si qua vacat ad præsens vel proximo vacaverit, quam duxerit acceptandam.

Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno sexto.

3533 (LXXXXVIIII) Latran, 5 février 1300.

Committitur provisio ecclesiastici beneficii in diocesi Perusina. (fol. 294.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Viti Vallis Oppli, et . . plebano plebis de Monte Ubiano, Tudertine et Perusine diocesium, ac Johanni de Tuderto, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe. Sincere devotionis affectus —.

Consideratione devotionis quam nobilis vir Johannes de Collemedio, Tudertinæ diocesis, ad Ecclesiam Romanam habere dinoscitur, mandat ut Angelo, nato ipsius Johannis, clerico, in civitate vel diocesi Perusina de aliquo ecclesiastico beneficio præbendali, etiamsi dignitas existat, consueto clericis secularibus assignari, si vacat ad præsens vel proximo vacaverit, quod duxerit acceptandum, providere curent, non obstante quod nondum sit in sacris ordinibus constitutus nec vicesimum primum annum, in quo dicitur constitutus, exegerit.

Dat. Laterani, non. februarii, anno sexto.

3534 (LXXXXIX *bis*) Latran, 6 février 1300.

Licentia retinendi plures ecclesias. (fol. 294 v°.)

Tudino Odonis Oradei de Tuderto, rectori ecclesie Sancti Quirici Tudertini. Merita tue devotionis —.

Indulget ut unam parrochialem ecclesiam, curam animarum habentem, si ei canonice conferatur, recipere, ac simul cum ecclesia Sancti Quirici de Tuderto retinere possit.

Dat. Laterani, VIII id. februarii, anno sexto.

3535 (C) Anagni, 24 avril 1300.

« Super revocatione quorumdam excessuum illatorum per commune Florentinum contra Symonem Gerardi, de societate Spinorum. » (fol. 294 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Florentino. Pridem ad nostram perducto notitiam quod dilecti filii potestas, capitaneus, priores artium, vexillifer justitie, consilium et comune Florentie contra dilectum filium Symonem Gerardi, de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatorem ac familiarem nostrum, et Cambium de Sexto, procuratorem in audientia nostra, ac Noffum Quintavallis, pretextu cujusdam prave delationis habite contra eos, duxerant procedendum, nos attendentes quod talis delatio, que nos etiam respicere videbatur, processerat ex solo fomite odiorum, eosdem potestatem, capitaneum, priores, vexilliferum, consilium et comune duximus, per nostras sub certa forma litteras, monendos attentius et hortandos, eisque dedimus in mandatis ut a quibuslibet in hac parte processibus abstinerent omnino, et revocarent seu revocari facerent id quod super hoc fuerat attemptatum. Nuper autem accepimus quod, licet hujusmodi littere ipsis fuerint presentate, non tamen apud eos exauditionis habuerunt effectum, nam, inter alias indecentias que super hoc intervenisse noscuntur, prefati Symon, Cambius et Noffus, licet absentes, ex eadem causa condempnati extiterunt in non modica pecunie quantitate, certo dato eis termino ad hujusmodi pecuniam persolvendam. Cum igitur ex hiis causa nobis admirationis, quin immo turbationis non modice, ingeratur, et gravamina que preter nostrum assensum nostris officialibus inferuntur in nostram et Apostolice Sedis noscantur injuriam redundare, nos, quantumcumque civitatem et comune Florentie geramus in visceribus caritatis, nolentes tamen ut id ex aliquorum astutia in nostrum dedecus inpingatur, fraternitati tue per Apostolica scripta, in virtute obedientie ac sub excommunicationis pena districte precipiendo, mandamus quatenus, per te vel alium seu alios, statim receptis presentibus, prelibatis potestati, capitaneo, prioribus, vexillifero, consilio et comuni, ex parte nostra mandes districtius et injungas ut hujusmodi condempnationem, omnesque processus, et quicquid per eos vel aliquos ipsorum contra memoratos Symonem, Cambium et Noffum, vel alium seu alios, occasione ipsorum, aut bona eorum, ex hujusmodi causa extitit attemptatum, statim, absque difficultatis obstaculo, revocare seu revocari facere procurent; et si quid ab eis, pretextu prefate condempnationis vel alias, ipsi vel aliqui eorum exegerint, aut dampnum aliquod eisdem duxerint inferendum, ipsis integre restituant et reficiant cum effectu, nec contra ipsos Symonem, Cambium et Noffum, vel alium seu alios, eorum occasione vel causa, aut ipsorum bona, propter hoc vel ex alia causa inde sumpta vel qualitercumque conficta, ulterius quoquomodo procedat, vel procedi faciant seu permittant sine nostra licentia speciali; alioquin in eosdem potestatem, capitaneum, priores, vexilliferum et consiliarios, ac in singulares personas de dicto comuni obedientes vel intendentes dictis potestati, capitaneo, prioribus, vexillifero et consiliariis, excommunicationis et in prefatam civitatem interdicti sententias proferre procures, decernendo irritos et inanes omnes sententias et processus ipsorum, quos, hujusmodi excommunicatione durante, protulerint, vel quoquomodo, in quibuscumque negotiis et causis, et contra quoscumque duxerint faciendos, ac etiam Lapum Saltarelli, Bondonem Gerardi, notarium, et Lippum Ranutii Becca, cives Florentinos, tam inique et pernitiose delationis hujusmodi, ut dicitur, auctores precipuos, ex parte nostra peremptorie cites ut, sub excommunicationis pena et perpetue inhabilitatis ad omnes honores et quecumque officia, quam ipso facto incurrant si non paruerint, infra quindecim dierum spatium post citationem hujusmodi personaliter nostro se conspectui representent, recepturi pro meritis, nostrisque mandatis et beneplacitis parituri. Diem vero hujus citationis, et cetera, Dat. Anagnie, VIII kal. maii, anno sexto.

(Edita a GUIDO LEVI *Bonifazio VIII e Firenze* in *Archivio della Società Romana di Storia patria,* t. V, p. 90.)

3536 (CI) Latran, 12 février 1300.

Dispensatio matrimonii. (fol. 295.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Neapolitano. Sedis Apostolice providentia — expedire. Exhibita siquidem nobis venerabilis fratris nostri . ., archiepiscopi, et dilectorum filiorum universitatis Amalfitane petitio continebat quod ipsi, ad sedandas antiquas inimicitias que insurrexerunt hactenus, ac scandala evitanda que de

novo possent in illis partibus suboriri, precipue propter guerrarum discrimina que per hostes Romane Ecclesie in partibus nutriuntur eisdem, nonnullos nobiles civitatis Amalfie, quorum adinvicem enutrita dilectio valere plurimum et prodesse potest pacifico statui civitatis ejusdem, cupiunt per matrimonialem copulam, strictioris amoris vinculo, insimul colligari, et specialiter inter alios dilectos filios, nobilem virum Laurentium Andree Sorrentini, et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem Jacobam, quondam Jacobi Pacca, cives Amalfitanos, desiderant hujusmodi vinculo, predictorum consideratione, invicem copulari.

Mandat suprascripto ut, si præmissis veritas suffragatur, cum eisdem Laurentio et Jacoba dispenset ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, matrimonium licite insimul contrahere valeant.

Dat. Laterani, II id. februarii, anno sexto.

3537 (CII) Latran, 12 février 1300.

Dispensatio matrimonii. (fol. 295.)

Eidem. Sedis Apostolice —.

Mandat ut nobilis vir Riccardus de Guiczone et nobilis mulier Letitia, quondam Mathæi de Gariofolo, cives Amalfitani, qui ignari quod se quarto affinitatis gradu contingerent pro eo quod dicta Letitia fuit uxor quondam Musci Branciæ, cum eodem Riccardo quarto consanguinitatis gradu conjuncti, dispenset ita quod in matrimonio contracto licite remanere valeant.

Dat. ut supra.

3538 (CIII) Latran, 12 février 1300.

Dispensatio matrimonii. (fol. 295.)

Eidem. Sedis Apostolice —.

Mandat, eisdem verbis quibus utitur in secunda superiori, ut cum nobili viro judice Jacobo de Gariofolo et nobili mulieri Helisabeth, nata Johannis Branche, civibus Amalfitanis, de consanguinitate dispenset.

Dat. ut supra.

3539 (CIIII) Latran, 1er avril 1300.

Super negotio decimæ. (fol. 295.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii de Waltam, Londoniensis diocesis, et . . decano ecclesie Londoniensis. Cum nuper in collectione decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum, Cantuariensis et Eboracensis provintiarum, quam fe. rec. Nicolaus papa IIII, predecessor noster, concesserat per sex annorum spatium carissimo in Christo filio nostro Eduardo, regi Anglie illustri, ad persecutionem commodiorem et efficatiorem negotii Terre Sancte, quod idem rex assumpserat personaliter persequendum, duxerimus vos, per nostras sub certa forma litteras, venerabilibus fratribus nostris J., Wintoniensi, et Giffredo, Parmensi, episcopis, dudum ejusdem decime collectoribus, subrogandos, vobisque colligendi et exigendi decimam ipsam, tam solutam quam que soluta non esset, nec non legata et obventiones in dictis provintiis quomodocumque Terre Sancte subsidio deputata, concesserimus per ipsas nostras litteras facultatem, nos, ut decimam, legata et obventiones hujusmodi habere possimus in promptu, discretioni vestre, per Apostolica scripta districte precipiendo, mandamus quatenus totam pecuniam quam de decima, legatis et obventionibus supradictis ad manus vestras, vel illorum quos ad hujusmodi collectionis et exactionis ministerium deputabitis, provenire contigerit, dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine, Symoni Gerardi, Guidoni Bertaldi et Phylippo Gerardini, de societate Spinorum de Florentia, vel eorum sociis, nostre camere mercatoribus, de quorum legalitate confidimus, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem, ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus, predicte societatis nomine, specialiter constitutis, aut ipsorum mercatorum vel procuratorum alicui vel aliquibus has nostras deferentibus litteras, nomine omnium predictorum mercatorum ac societatis, sine diminutione qualibet, integre, omni occasione, difficultate ac mora postpositis, nostro et Ecclesie Romane nomine assignare curetis, facientes de assignatione confici publica instrumenta, que, ipsorum similibus penes vos retentis, una cum vestris litteris continentibus quod, et quantum, et quibus de predicta decima duxeritis assignandum, nobis per fidelem nuntium transmittatis; sic vos in hac parte ac in executione officii prelibati vigilanter, fideliter et efficaciter habituri quod redargui de negligentia non possitis, sed debeatis potius de diligentia commendari. Dat. Laterani, kal. aprilis, anno sexto.

3540 (cv) Latran, 1er avril 1300.

De eodem negotio. (fol. 295.)

Eisdem. Cum nuper in collectione decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum totius regni Scotie, et cetera ut supra in proxima usque : sub certa forma litteras, venerabilibus fratribus nostris . . Carleolensi et bo. me . . . Cathanensi episcopis dudum, et cetera usque : et obventiones in dicto regno quomodocumque Terre Sancte subsidio deputata, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

3541 (cvi) Latran, 16 mars 1300.

De eodem negotio. (fol. 295 v°.)

Eisdem. Felicis recordationis Nicolaus papa IIII, predecessor noster, collectionem decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum totius regni Scotie, quam, per sex annorum spatium, carissimo in Christo filio nostro E., regi Anglie illustri, ad prosecutionem comodiorem et efficaciorem negotii Terre Sancte, quod idem rex assumpserat personaliter prosequendum, duxit olim venerabilibus fratribus nostris . ., Carleolensi, et bone memorie . ., Cathanensi, tunc viventi, episcopis, per suas sub certa forma litteras committendam. Verum, quia dictus episcopus Cathanensis est postmodum viam universe carnis ingressus, et ipsius collectio decime in parte non modica dicitur esse neglecta, nos, cupientes quod decime prefate negotium processu provido dirigatur, de vestre quoque probitatis industria plenarie confidentes, vos et vestrum quemlibet in ministerio collectionis ipsius decime in toto regno Scotie supradicto eisdem collectoribus et eorum cuilibet auctoritate Apostolica subrogamus et constituimus ipsius decime collectores, juxta tenorem litterarum predicti predecessoris Nicolai, dudum eisdem Carleolensi et Cathanensi episcopis et eorum cuilibet, super ejusdem negotio decime, processuros; quem quidem Carleolensem episcopum, cujus volumus ulterius parcere laboribus in premissis, post redditam nobis ab eo debitam et plenariam rationem, absolvimus a commisso sibi dudum officio in hac parte. Quocirca, discretioni vestre per Apostolica scripta precipiendo mandamus quatenus, juxta predictarum litterarum ejusdem predecessoris tenorem, in negotio memorato exacta diligentia procedatis, et nichilominus super ipso negotio et contingentibus illud generaliter et specialiter, prout qualitas facti suaserit et vobis videbitur, ex officio vestro diligentius inquirentes, super quo vobis, auctoritate presentium, plenam et liberam concedimus facultatem, prefatum Carleolensem episcopum, et executores testamenti vel ultime voluntatis predicti Cathanensis episcopi, et quoscunque alios, de quibus videritis expedire, quod vobis quaslibet Apostolicas litteras dudum eisdem Carleolensi et Cathanensi episcopis super collectione predicta directas, omnesque scripturas per eos vel de mandato seu commissione ipsorum inde confectas, vel quas ipsi aut eorum aliqui quomodolibet detinerent, exhibeant, et quod idem episcopus Carleolensis dictique executores, quantum ipsi Carleolensis et Cathanensis episcopi collectores et eorum quilibet per se ac alios receperunt de decima supradicta, et penes quos, ac ubi, quando et qualiter, et sub quibus securitatibus seu cautelis pecuniam ab eis in hac parte receptam deponere curaverunt, quantum adhuc de ipsa decima, et in quibus restat locis seu partibus colligendum, quantum etiam, quando, et qualiter, et ubi de ipsa decima expenderunt in prosequendis his que contingebant eandem, et si ab eis, vel ab aliis quibus interdum super hujusmodi collectionis negotio vices suas, vel in eo executionem aliquam commiserunt, extat adhuc aliquid de collectis forsitan assignandum, ac super aliis omnibus negotium contingentibus memoratum, de quibus expedire videritis, reddant diligentem et plenariam rationem. Episcopos insuper et abbates, priores, rectores ceterosque prelatos et clericos, ac personas ecclesiasticas dicti regni, cujuscunque status seu dignitatis existant, quos vobis constiterit per inquisitionem quam super hiis duxeritis faciendam, et probabilibus seu verisimilibus conjecturis, [de] prefatis eorum proventibus minus debito notabiliter, ita quod super hoc suspecti merito sint habendi, de decima persolvisse, necnon et eos ex episcopis et abbatibus, prioribus, rectoribus, clericis et ecclesiasticis personis prefatis quos vobis, ob premissas causas, excommunicationis sententiam, in, nullo modo, aut scienter non integre, vel non in constitutis super hoc terminis, solventes decimam, sive fraudem adhibentes circa solutionem ipsius, seu alias prestantes impedimentum quominus ipsa decima solveretur, prolatam per Apostolicam Sedem vel per collectores predictos, aut eorum aliquem, constiterit incurrisse, ut de proventibus suis hujusmodi decimam cum integritate persolvant, et de impedimento hujusmodi, vobis, pro dicte Terre subsidio, plenam et debitam satisfactionem impendant, necnon et quoscunque depositarios dicte decime ut deposita recepta per eos, et tam predictos Carleolensem episcopum et executores quam quoslibet alios, de pecunia dicte decime, alias quomodolibet detinentes, quod hujusmodi pecuniam per eos

detentam, cessante difficultate qualibet, vobis exhibere procurent infra competentes terminos a vobis super hiis, pro qualitate facti, juxta vestre discretionis arbitrium, eis omnibus vel ipsorum cuilibet statuendos, ex parte nostra moneatis et efficaciter inducatis. Et nichilominus illos ex eisdem personis qui paruerint vestris monitis in hac parte, ab excomunicationis sententiis, si quas propter predicta incurrisse noscantur, auctoritate nostra, juxta formam Ecclesie, absolvatis et dispensetis cum eis super irregularitate, si quam, predictis ligati sententiis, divina officia celebrando, vel immiscendo se illis, forsitan contraxerint. Quod si tales infra premissos terminos vestris monitis parere forte contempserint, vos eos auctoritate predicta nominatim censura ecclesiastica percellatis. Et si per unum mensem sustinuerint hujusmodi censuram animis induratis, extunc peremptorie citetis eosdem, ut, infra competentis termini spatium a vobis prefigendum eisdem post citationem vestram, per se vel per procuratores ydoneos, aut etiam personaliter, illi de quibus personalem citationem merito videritis emanandam, compareant coram nobis, nostris super hoc mandatis et beneplacitis parituri, ac facturi et recepturi quod justicia suadebit. Diem vero citationis et prefixionis hujusmodi, et quicquid inveneritis et feceritis in predictis, nobis per vestras litteras et nichilominus per scripturam autenticam harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Ceterum, ut officium vobis in hac parte comissum utilius et efficacius exequendi valeatis, compellendi, si opus fuerit, prelatos aliasque personas ecclesiasticas regni prefati ad providendum vobis, et nunciis vestris, ac illis quos ad hujusmodi decimam colligendam duxeritis deputandos, vel quibus interdum executionem aliquam comiseritis in negotio memorato, de securo conductu, cum super hoc a vobis vel ab illis extiterint requisiti, exigendi quoque in regno predicto legata et obventiones quomodocunque predicte Terre subsidio deputata, et procedendi in omnibus et singulis, et ea omnia et singula exequendi per vos ac alios, qualiter et quotiens putaveritis expedire, plenam vobis et cuilibet vestrum auctoritate presentium concedimus facultatem. Non obstante, etc. Dat. Laterani, XVII kal. aprilis, anno sexto.

3542 (CVII) Latran, 16 mars 1300.

De eodem negotio decime. (fol. 296.)

Eisdem. Felicis recordationis Nicolaus papa IIII, predecessor noster, collectionem decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum Cantuariensis et Eboracensis provintiarum, concesse per sex annorum spatium, et cetera usque : prosequendum, olim duxit venerabilibus fratribus nostris J., Wintoniensi et bo. me. .. Lincolniensi, tunc viventi, episcopis, per suas sub certa forma litteras committendam. Verum, quia postmodum idem Lincolniensis episcopus asserebat se nobis super hoc ex certis occasionibus impeditum, nos venerabilem fratrem nostrum Giffredum de Vezano, episcopum Parmensem, tunc canonicum Cameracensem, nuntium nostrum in Anglia, ipsi Lincolniensi episcopo, quem propterea ab officio hujusmodi collectionis absolvimus, duximus per nostras sub certa forma litteras subrogandum et constituendum, una cum dicto Wintoniensi episcopo, ipsius decime collectorem. Cum autem nuper eundem Giffredum duxerimus in Parmensem episcopum promovendum, et ipse, tum propter promotionem hujusmodi, tum quia in Italicis agens partibus, et ex aliis certis occasionibus impeditus, comode nequeat amplius circa collectionem intendere memoratam, nos, nolentes ut hujusmodi collectionis negotium negligatur, vos et vestrum quemlibet, de quorum circumspectione confidimus, eidem J[ohanni], Wintoniensi, cujus volumus ulterius parcere laboribus in premissis, et predicto G[iffredo], Parmensi episcopis, qui G[iffredus] jam nobis seu camere nostre, super hiis que gessit in predictis, reddidit plenariam rationem, nosque ipsum ab officio predicte collectionis absolvimus, in eodem officio, auctoritate presentium, subrogamus et constituimus ipsius decime collectores, juxta tenorem litterarum predicti predecessoris Nicolai, dudum dictis Wintoniensi et Lincolniensi episcopis seu aliis super collectione predicte decime directarum, super ejusdem negotio decime processuros ; quem quidem Wintoniensem episcopum, post redditam nobis ab eo debitam et plenariam rationem, absolvimus a commisso sibi dudum officio in hac parte. Quocirca discretioni vestre, et cetera ut in proxima superiori usque : facultatem, prefatum Wintoniensem episcopum, et quoscunque alios de quibus videritis expedire, quod vobis quaslibet Apostolicas litteras dudum eisdem Wintoniensi et Lincolniensi episcopis seu aliis super collectione predicta directas, omnesque scripturas per quoscumque inde confectas, vel quas ipse aut eorum aliqui quomodolibet detinerent, exhibeant, et quod idem episcopus Wintoniensis, quantum per se ac alios, vel cum aliis, simul vel separatim, receperit de decima supradicta, et penes quos, ac ubi, quando, et qualiter, et sub quibus securitatibus seu cautelis, pecuniam ab eis in hac parte receptamipse ac dicti alii deponere curaverunt, et cetera usque : plenariam rationem. Archiepiscopos insuper et episcopos, abbates, priores, rectores, ceterosque

prelatos et clericos, ac personas ecclesiasticas dictarum provintiarum, cujuscumque status seu dignitatis existant, quos vobis, et cetera usque : necnon et eos ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, et cetera usque : recepta per eos, et tam predictum Wintoniensem episcopum quam quoslibet alios, et cetera usque : aliasque personas ecclesiasticas predictarum provintiarum, ad providendum vobis, et cetera usque : extiterint requisiti, exigendi quoque in eisdem provintiis legata, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

3543 (CVIII) Latran, 27 mars 1300.

De eodem negotio. (fol. 296 v°.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Coloniensi. Inter cetera que —.

Postquam decimam pro subsidio Terræ Sanctæ Gregorius papa X, sacro Lugdunensi approbante concilio, per certi temporis spatium duxisset deputandam, et cum ad hujusmodi decimam colligendam in Alamaniæ, Ungariæ, Boemiæ, Poloniæque regnis et partibus, tam per ipsum Gregorium X quam, post ejus obitum, certis temporibus per Apostolicam Sedem certi collectores deputati fuissent, quorum aliqui talem collectionem in toto, nonnulli in parte neglexerunt, ad negotium hoc melius prosequendum, eum instituit in dictis partibus decimæ illius collectorem, jubetque ut pecuniam ab ipso collectam certis mercatoribus de Florentia et Pisa tradere festinet.

Dat. Laterani, VI kal. aprilis, anno sexto.

(POTTHAST, 24933.)

3544 (CVIIII) Latran, 29 mars 1300.

De eodem negotio. (fol. 296 v°.)

Eidem. Cum te nuper —.

Mandat ut totam pecuniam quam de decima, legatis et obventionibus collectis pro subsidio Terræ Sanctæ in partibus Alamaniæ, Ungariæ, Boemiæ, Poloniæque ad manus suas provenire contigerit, Rogerio et Lapo Spine de Spinis, ac Symoni Gerardi, de societate Spinorum de Florentia, Jacobo Gaytani, Johanni Falconis et Guidoni Balsano, de societate Benedicta de Pisis, integraliter nomine domini papæ et Terræ Sanctæ deponat et assignet.

Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno sexto.

3545 (CX) Latran, 16 mars 1300.

De eodem negotio. (fol. 296 v°.)

Dilectis filiis Jacobo Normandi de Urbe, archidiacono Narbonensis, et Grimerio de Placentia, canonico Parisiensis ecclesiarum. Dudum per speciales —.

Eis mandat ut, cum [Raynaldus], episcopus Vicentinus, in proximo ad Sedem Apostolicam sit rediturus, ac propterea commissum sibi officium prosequi personaliter nequeat, archiepiscopos, episcopos et alias personas ecclesiasticas per regnum Franciæ constitutos requirant ut intollerabilibus Ecclesiæ Romanæ oneribus relevandis subveniant, et festinum subsidium cum effectu præbeant.

Dat. Laterani, XVII kal. aprilis, anno sexto.

(POTTHAST, 24928.)

3546 (CXI) Latran, 16 mars 1300.

De eodem negotio. (fol. 296 v° et 297.)

Bonifatius etc. *venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus,* etc. (mutato accusativo in dativo) *per regnum Francie constitutis, salutem* etc. Dudum per speciales nostras certi tenoris litteras, vos, quorum voluimus gratitudinem etc. ut supra usque : negligatur, confisi de circumspectione dilectorum filiorum Jacobi Normanni de Urbe, archidiaconi Narbonensis, et Grimerii de Placentia, canonici Parisiensis ecclesiarum, ipsos et ipsorum quemlibet eidem episcopo, super hoc, per nostras litteras, redeunte ipso, subrogavimus, et ad hujusmodi requirendum et recipiendum, nomine nostro et Ecclesie prefate, subsidium a vobis in prefato regno Francie etc. usque : spetiales. Universitatem itaque vestram attente monemus, affectuose rogamus et obsecramus in Domino Jhesu Christo, quatinus, tamquam devotionis et benedictionis filii, ad nos et predictam Ecclesiam, matrem vestram, debite gratitudinis et devotionis aperientes viscera cum effectu, ad requisitionem predictorum Jacobi et Grimerii, vel alterius eorundem, quibus hoc duximus committendum, aut alicujus vel aliquorum ad hoc deputandorum ab ipsis vel eorum altero, tale ac tam festinum subsidium nobis et dicte Sedi efficaciter prebeatis quod devotionem vestram et promptitudinem assequendi exinde merito commendare possimus, et nos et Sedes eadem in effectu vestram gratitudinem sentiamus, et reddamur ad vestra et ecclesiarum vestrarum comoda promptiores. Dat. ut supra.

3547 (CXII) Latran, 7 mars 1300.

« Super liberatione magistri Guillelmi Vallispirii de castro Perpiniani. » (fol. 297.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Majoricarum illustri. Habet, fili carissime, ad personam tuam nostre puritatis affectus, ut, qui premines ex dono superne deitatis in terris, mansuetudine floreas, et ex laudabilium executione virtutum apud Deum et homines exalteris, cujuslibet in hiis adversi nubilo turbinis profugato. Dudum siquidem, ex querelosa insinuatione pro parte dilecti filii magistri Guillelmi Vallispirii, de castro Perpiniani, qui se clericum asserebat, Elnensis diocesis, facta coram nobis, accepimus quod Hugo Sanbors, laicus ejusdem diocesis, tunc bajulus dicti castri, non attendens quod laicis in clericos et personas ecclesiasticas nulla erat attributa potestas, eundem magistrum Guillelmum ad contribuendum in talliis et collectis que imponebantur laicis ejusdem castri, compellere temeritate propria nitebatur. Et quia idem magister Guillelmus, penam constitutionis nostre super hoc promulgate formidans, in eisdem talliis contribuere recusabat, predictus bajulus, asserens quod ipse magister Guillelmus aliis dicti castri clericis de non contribuendo in ipsis talliis et collectis materiam exhibebat, eum occasione hujusmodi capi fecit et carceri mancipari. Et licet Guillelmus Goffredi, officialis venerabilis fratris nostri Raymundi, Elnensis episcopi, cui legitime constitit eum fore clericum, et in possessione vel quasi clericatus existere, et per longa tempora extitisse, fecisset eundem a predicto carcere liberari, dictus tamen bajulus et Jacobus Catelli, qui tunc pro ejusdem castri judice se gerebat, eundem magistrum Guillelmum gravi odio persequentes, ac ad bona vehementer anelantes illius, ei quedam mendaciter imponendo, per que ipsum dicebant non debere gaudere privilegio clericali, iterato ipsum tali pretextu mancipari fecerunt carceri supradicto, ac deinde bona ejus, tam mobilia quam immobilia, usque ad valorem quinque milium librarum turonensium parvorum temeritate propria occupantes, plura ex eis pro sue voluntatis libito distraxerunt; cumque pro parte dicti magistri Guillelmi ad episcopum et officialem predictos fuisset recursus habitus super hiis, ac petitum humiliter ut eum restitui facerent libertati, dictique episcopus et officialis eisdem bajulo et judici, contra Deum et justitiam deferentes, id efficere recusassent, ac propter hoc et ex aliis certis sufficientibus gravaminibus fuisset ab eodem episcopo, pro parte dicti magistri Guillelmi, ad Narbonensem curiam, loci metropolitanam appellatum, et in ea pronuntiatum postmodum eundem magistrum Guillelmum in possessione vel quasi clericatus existere, et debere gaudere privilegio clericali, ac iidem episcopus et bajulus a pronuntiatione hujusmodi ad Sedem Apostolicam appellassent, nos, in causa hujusmodi appellationis et negotii principalis, certum in nostra curia deputavimus auditorem, qui de mandato nostro duxit eidem episcopo, inter cetera, per suas litteras injungendum ut prefatum bajulum, vel alium, si quis esset, qui predictum magistrum Guillelmum taliter detineret, monere ac inducere procuraret ut eum infra certum terminum restitueret pristine libertati, sibique bona taliter occupata restitueret, ac de injuriis et dampnis ei super hoc illatis satisfactionem congruam exhiberet, et prefatum magistrum Guillelmum, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, una cum quodam clerico et ejusdem notario auditoris, quem illuc auditor ipse cum dictis litteris transmittebat, ad Romanam Curiam destinaret. Sed idem episcopus, non solum ea que sibi mandabantur exequi non curavit, quin immo prefatum denegans auditorem, prefatos clericum et notarium, necnon et Petrum Vallispirii, clericum dicte diocesis, ipsius magistri G. procuratorem, per familiares Petri de Bardolio, tunc bajuli dicti castri, capi procuravit, et tandiu detineri captivos donec, pro liberatione sua, coacti fuerunt quasdam non modicas solvere pecunie quantitates. Cum autem pro parte dicti magistri Guillelmi, qui et adhuc ejusdem carceris squalore conteritur, humiliter peteretur a nobis ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur, nos predicta, que non tam in ipsius grave periculum quam in dicte Sedis contemptum redundare noscebantur, nequeuntes sub dissimulatione transire, predictos episcopum et officialem, Hugonem et Petrum, tunc bajulos, et Jacobum Catelli, nec non alium, si quis esset in ejusdem bajulatus officio eidem Petro postmodum substitutus, qui dictum magistrum Guillelmum taliter detineret, peremptorie citare mandavimus, eisque injungi districtius, sub excommunicationis pena, quam, si secus agerent, incurrerent ipso facto, ut ipsi episcopus, officialis, Hugo, Petrus et Jacobus Catelli, ac substitutus prefatus, si quis foret, infra certum terminum post citationem et mandatum hujusmodi, una cum dicto magistro Guillelmo, quem libertati et possessioni bonorum suorum, ut premittitur, occupatorum, cui, tempore quo, ut predicitur, secundo captus extitit, incumbebat, plenarie restitutum, secum in eorum expensis decenter adducerent, et cum omnibus actis, juribus et munimentis, tam coram eodem episcopo in hujusmodi negotio habitis, quam alias ipsum negotium contingentibus, Apostolico se conspectui presentarent, recepturi pro meritis, et mandatis nostris plenarie parituri, ac facturi et recepturi

quod ordo exigeret rationis. Comparentibus itaque predictis episcopo et officiali ejus, personaliter pro se ipsis, necnon et eisdem Hugone, et Petro, et Johanne Vitalis, ipsi Petro in baliatus officio substituto, qui inventi citati fuerunt, per procuratorem eorum ad hoc specialiter constitutum, in hujusmodi termino, super eodem negotio coram nobis, eisque propter hoc in nostra presentia constitutis, et eodem procuratore ipsorum Hugonis, Petri et Johannis negante prefatum Guillelmum Vallispirii clericum, et in possessione predictorum, predictarum captionum temporibus, extitisse vel tunc fore, quin immo eum fuisse ac esse bigamum asserente, procuratore autem ipsius Guillelmi super hoc contrarium affirmante, nos, auditis hinc inde propositis, per viam compendii in hujusmodi negotio procedere proponentes, duximus hac vice per infrascriptum modum super eodem negotio providendum; personales siquidem citationes et representationes relaxavimus supradictas, et voluimus ut omnes et singuli citati predicti possint per procuratores eorum apud Sedem Apostolicam prosequi negotium memoratum, quodque prelibatus magister Guillelmus Vallispirii restituatur pristine libertati, ut prosecutioni dicte cause possit, si voluerit, personaliter interesse, salvo tamen in omnibus jure regio, ut si ex eventu cause predictum magistrum Guillelmum de foro esse constiterit seculari, nullum per hujusmodi relaxationem seu restitutionem ipsius tibi prejudicium generetur. Rogamus igitur celsitudinem regiam, et hortamur attente quatenus provisionem nostram hujusmodi, regiis sensibus gratam, applicans, et nobis super hoc liberaliter acquiescens, et attente considerans provisionem eandem, pro tui honoris tueque salutis comodo firmiter processisse, Guillelmum ipsum juxta provisionem predictam sic efficaciter mandes et facias hujusmodi restitui libertati, quod ex hoc Deo ac nobis et eidem Sedi complaceas, nosque providentiam regiam condigne commendationis titulis attollamus. Dat. Laterani, non. martii, anno sexto.

3548 (CXIII) Latran, 28 janvier 1300.

Concessio indulgentiarum Jacobo, regi Majoricarum. (fol. 297 v°.)

Universis presentes litteras inspecturis. Quoniam, ut ait Apostolus —.

Omnibus vere penitentibus et confessis qui ad capellam Jacobi, regis Majoricarum illustris, in castro Perpiniani, infra septa domus regiæ constitutam, in qua sanctæ Crucis et sanctæ Mariæ Magdalenæ altaria dicuntur esse constructa, in Nativitatis et Resurrectionis Dominicæ, ac in singulis beatæ Virginis, et Pentecosten, et earumdem sanctæ Crucis et sanctæ Mariæ Magdalenæ festivitatibus, ac per octavas earum, causa devotionis, annuatim accesserint, unum annum et XL dies de injunctis illis pœnis relaxat.

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno sexto.

In e. m. pro capella ejusdem regis in Montepesulano, infra septa domus regie constituta, in qua beate Virginis et sancti Andree ac sancti Antonii altaria dicuntur esse constructa, in Nativitatis et Resurrectionis Domince, ac in singulis ejusdem Virginis, et Pentecosten, et eorumdem sancti Andree et sancti Antonii festivitatibus, ac per octabas, et cetera, unum annum et XL dies, et cetera. Dat. ut supra.

In e. m. pro capella ejusdem regis in civitate Majoricarum, infra septa domus regie constituta, in qua altare beati Jacobi dicitur esse constructum.

3549 (CXIIII) Latran, 28 janvier 1300.

Quod non possit excommunicari absque speciali Sedis Apostolicæ mandato. (fol. 298.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Majoricarum illustri. Apostolice Sedis —.

Indulget ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo, executor vel conservator a Sede Apostolica deputatus, in personam ejus excommunicationis sententiam promulgare valeat absque speciali ejusdem Sedis mandato.

Dat. ut supra.

3550 (CXV) Latran, 27 janvier 1300.

Licentia habendi altare portatile. (fol. 298.)

Eidem. Votis tuis libenter —.

Concedit facultatem habendi altare portatile.

Dat. Laterani, VI kal. februarii, anno sexto.

3551 (CXVI) Latran, 28 janvier 1300.

Licentia faciendi celebrare sibi officia divina tempore interdicti. (fol. 298.)

Eidem. Pium et congruum —.

Indulget ut, cum ad loca ecclesiastico interdicto supposita declinare contigerit, possit sibi divina officia facere celebrari.

Dat. Laterani, v kal. februarii, anno sexto.

3552 (CXVII) Latran, 28 janvier 1300.

Concessio indulgentiarum. (fol. 298.)

Eidem. Ut eo ferventius —.

Indulget ut, quotienscumque in aliqua trium capellarum suarum infra septa domorum regiarum Majoricarum, Perpiniani et Montispesulani constitutarum, vel alibi, missarum solemniis contigerit interesse, ac inibi fuerit propositum verbum Dei, is qui verbum ipsum duxerit proponendum quadraginta dies de injunctis pœnis relaxare audientibus valeat.

Dat. ut supra.

3553 (CXVIII) Latran, 1er février 1300.

« Super ampliatione loci, gardini et conventus Fratrum Minorum Neapolitanorum. » (fol. 298.)

Venerabili fratri episcopo Aversano. Ex parte dilectorum . . guardiani et conventus Fratrum Minorum ordinis sancti Laurentii Neapolitani, fuit nuper expositum coram nobis quod dilecte in Christo filie . . abbatissa et moniales monasterii Sancti Gregorii Neapolitani, ordinis sancti Benedicti, siti prope dictos fratres, habeant quendam ortum immediate juxta locum ipsorum Fratrum; quo quidem orto fratres ipsi, tam pro honestate quam etiam pro necessitate sive commoditate ipsorum, plurimum indigere noscuntur, pro eo maxime quod tam ipse moniales quam interdum alii seculares utriusque sexus ad hunc ortum accedunt, quorum accessus, sic dicto loco contiguus vel vicinus, multum ipsorum religiosorum derogat honestati, absque eo quod, licet iidem fratres ex parte illa dormitorium eorum construxerint, cum ex aliqua alia parte sine ipsorum incomoditatibus et inconvenientiis pluribus construere non valerent, nondum tamen cellas ibi distribuere voluerunt, ne, propter fenestras respicientes eundem ortum, aliqua suspitiose cogitationis materia cuiquam preberetur. Cujus rei consideratione, predicti fratres, ortum ipsum ab eisdem monialibus, quasi necessitate compulsi, per competentem ac etiam superhabundantem compensationem acquirere voluerunt. Set ipse intendentes se, sine ipso orto, sufficientem ortum alibi non habere, vel ex alia causa, ortum ipsum concedere recusarunt. Unde postmodum ad opus ipsorum fratrum emptus extitit quidam alius ortus, non solum prope dictum monasterium, set juxta murum claustri monialium predictarum, qui ortus predicto monialium orto equivalere dicitur, ac etiam prevalere, ut per acquisitionem orti hujusmodi congrue posset fieri permutatio predictorum ortorum inter fratres et moniales eosdem. Set moniales ipse, super hoc difficiles se reddentes, adhuc omnino renuunt permutare, non obstante quod ipse ad illum ortum earum accedere nequeant, nisi transeant quandam viam publicam que est inter locum fratrum et monasterii monialium predictarum, quodque ipsi fratres paratos se dicant ultra ortum hujusmodi pro eis taliter acquisitum, in pecunia vel alias, compensationem se velle facere competentem, si et quantum predictus monialium ortus videbitur plus valere. Quare predicti fratres fecerunt nobis humiliter supplicari ut permutationem ipsam fieri modo congruo mandaremus. Nos igitur, qui inter singulos religiosorum ordines sic vigere cupimus et ostendi mutue caritatis affectum quod eis alternis vicissitudinibus comoditas oportuna resultet, et aliis edificationis utilitas et virtutis exhibeatur exemplum, honestati et oportunitatibus fratrum et monialium predictorum, quantum digne possumus, intendentes, ac gerentes de tue circumspectionis industria fiduciam in Domino pleniorem, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, si honestati, aut necessitati vel etiam comoditati fratrum et monialium predictorum videris expedire, super quo tuam intendimus conscientiam onerare, moniales ad permutationem faciendam, ac fratres ipsos ad compensationem hujusmodi predictis monialibus imponendam, auctoritate nostra compellas. Contradictores, etc. Non obstante si predictis monialibus, de non alienando prefato orto, seu quibuslibet bonis ad monasterium ipsarum spectantibus, prestiterint juramentum, aut si, tam eis quam dictis fratribus, comuniter vel divisim, sive quibuscunque aliis, a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, etc. Dat. Laterani, kal. februarii, anno sexto.

(Potthast, n° 24904.)

3554 (CXVIIII) Latran, 1er avril 1300.

« Super assignatione subsidii mercatoribus de societate Spinorum. » (fol. 298 v°.)

Venerabili fratri R[aynaldo] episcopo Vicentino. Dudum

per speciales nostras litteras, et cetera ut supra capit. cx. usque : et Apostolica Sedes —.

Mandat ut totum et quicquid per archiepiscopos, episcopos, et personas ecclesiasticas in regno Franciæ pro subsidio contigerit conferri, statim Rogerio et Lapo Spinæ, Symoni Gerardi, Ranutio Hugonis et Gerardo Rustici et aliis eorumque sociis de societate Spinorum, cameræ Apostolicæ mercatoribus, assignet. Ipso autem redeunte, Jacobo Normanni de Urbe, archidiacono Narbonensis, et Grimerio de Placentia, canonico Parisiensis ecclesiarum, assignet quicquid fuerit pro executione hujusmodi ministerii assignandum.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis Jacobo Normanni de Urbe, archidiacono Narbonensis, et Grimerio de Placentia, canonico Parisiensis ecclesiarum.* — Dat. ut supra.

(Potthast, n° 24934.)

3555 (cxx) Anagni, 29 avril 1300.

Indulgentiæ concessæ capellis de Persaneto, de Quatuormare et de Chambliaco, in honorem beati Ludovici fundatis. (fol. 298 v°.)

Universis presentes litteras inspecturis. Sanctorum honoranda sunt corpora et uberibus laudum preconiis attollenda que gloriosis operibus et miraculorum insigni majestate omnium Conditor honorat, ut et nos, illorum adjuti precibus, suffragiis confulti, apud Regis Eterni clementiam, post vite presentis excursum, statum stabilem non habentes, delictorum facilius obtenta venia, superne beatitudinis gaudia, perpetuis duratura temporibus, consequamur. Cum itaque dilectus filius nobilis vir Petrus de Chambliaco, cambellanus carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, sicut ex parte ipsius expositum extitit coram nobis, ipse in honore Beati Lodovici, gloriosissimi confessoris, quandam capellam in loco qui Persanetum vulgariter nuncupatur, Belvacensis diocesis, de bonis propriis fundare curaverit et dotare, nos cupientes ut capella ipsa congruis honoribus frequentetur, omnibus vere penitentibus et confessis, qui capellam eandem, in festo ejusdem sancti, annum unum et quadraginta dies, eis vero qui capellam ipsam per octo dies predictum festum immediate sequentes annis singulis venerabiliter visitarint, centum dies, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, de injunctis sibi penitentiis misericorditer relaxamus. Dat. Anagnie, iii kal. maii, anno sexto.

In e. m. pro capella in loco qui Quatuormare vulgariter nuncupatur, Rothomagensis diocesis.

In e. m. pro capella in loco qui Chambliacum vulgariter nuncupatur, Belvacensis diocesis.

3556 (cxxi) Anagni, 27 avril 1300.

« Indulgentia concessa ecclesie Beate Marie Magdalene de Monte. » (fol. 298 v°.)

Eisdem. Vite perennis gloria —.

Omnibus vere penitentibus et confessis qui ecclesiam Beatæ Mariæ Magdalenæ de Monte, Suessionensis diocesis, « in qua magna pars cranei capitis ejusdem sancte haberi dicitur », in festo ipsius sanctæ devote visitaverunt annuatim, unum annum et xl dies de illis injunctis pœnitentiis relaxat.

Dat. Anagnie, v kal. maii, anno sexto.

3557 (cxxii) Même date.

Concessio dignitatis in ecclesia Carnotensi. (fol. 298 v° et 299.)

Odardo nato dilecti filii Hugonis de Bonvilla, canonico Carnotensi. Inducunt nos tue —.

Dignitatem in ecclesia Carnotensi confert, si vacat ad præsens et de jure nulli alii debeatur, vel conferendam cum vacaverit reservat, non obstante quod in Carnotensi et Parisiensi, Senonensi ac sancti Martini Turonensis ecclesiis, canonicatus, et præbendas, et quædam alia beneficia ecclesiastica, sine cura noscatur obtinere, aut quod patiatur in ordinibus et ætate defectum.

Dat. Anagnie, ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Narbonensi, et . . episcopo Carcassonensi, ac magistro Benedicto de Aquino, notario nostro, archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi.*

3558 (cxxiii) Anagni, 29 avril 1300.

« Conceditur sibi quedam domus que Vallis Garsilie nuncupatur. » (fol. 299.)

Venerabili fratri Guidoni, episcopo Suessionensi. Considerantes attentius — intendamus. Exposita siquidem nobis tua petitio continebat quod dilectus filius... prior prioratus Sancti Pauli in Nemore, ordinis sancti Benedicti, Suessionensis diocesis, monasterio de Silva, ejusdem ordinis, Burdegalensis diocesis, immediate subjecti, quandam domum, in eodem Suessionensi diocesi consistentem, que Vallis Garsilie vulgariter nuncupatur, obtinere dinoscitur, quam prefatus prior et . ., ejusdem monasterii abbas, simul et etiam separatim, prout de ipsorum voluntate procedit, fecerunt hactenus et jugiter faciunt per laicos gubernari. Cum autem, sicut fidedigna relatione didicimus, predictam domum, ac bona et jura ipsius, bo. me. Henricus, Burdegalensis archiepiscopus, dum vixit, tenuerit et possederit pacifice et quiete, nos volentes te, claris tuis exigentibus meritis, favore prosequi gratioso, tuis supplicationibus inclinati, prefatam domum cum omnibus bonis, juribus et pertinentiis suis, Apostolica tibi auctoritate concedimus, a te, quoad vixeris, tenendam, habendam ac etiam possidendam. Nulli ergo, et cetera Nostre concessionis, et cetera... Dat. Anagnie, III kal. maii, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Morinensi, et dilectis filiis . . decano Laudunensis, ac . . cantori Aurelianensis ecclesiarum.*

3559 (CXXIII) Anagni, 27 avril 1300.

Quod non possit excommunicari absque Sedis Apostolicæ mandato speciali. (fol. 299 v°.)

Eidem. Paci et tranquillitati —.

Concedit ut nullus delegatus vel subdelegatus executor vel conservator, in eum excommunicationis et interdicti sententias promulgare valeat absque Sedis Apostolicæ mandato speciali.

Dat. Anagnie, V kal. maii, anno sexto.

3560 (CXXV) Même date.

Licentia absolvendi. (fol. 299 v°.)

Eidem. Tua nobis fraternitatis —.

Concedit ut clericis et laicis suæ civitatis et diocesis, propter violentam manuum injectionem in viros religiosos et clericos sæculares excommunicatos, ea vice absolutionis et dispensationis beneficium impertiatur.

Dat. ut supra.

3561 (CXXVI) Anagni, 29 avril 1300.

Facultas impendendi munus benedictionis abbatibus et abbatissis Suessionensis diocesis. (fol. 229 v°.)

Eidem. Habet in nobis — tuis. Hinc est quod nos, tuis devotis supplicationibus inclinati, fraternitati tue, ut abbatibus et abbatissis monasteriorum tuorum civitatis et diocesis, qui per te et predecessores tuos, Suessionenses episcopos, consueverunt hactenus benedici, possis, in locis quibuslibet ejusdem diocesis, quos ad hoc ydoneos reputabis, munus benedictionis impendere, ac eos dilectis filiis capitulo Suessionensi, tam per te quam per alium seu alios, si te impedimento canonico detineri contigerit, presentare, statuto seu consuetudine contraria Suessionensis ecclesie nequaquam obstante, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Dat. Anagnie, III kal. maii, anno sexto.

3562 (CXXVI) Anagni, 1er mai 1300

Licentia providendi de canonicatibus et præbendis in ecclesiis Sanctorum Mauritii et Clementis de Compendio. (fol. 299 v°.)

Eidem. Habet exposite nobis tue petitionis assertio, quod pridem tibi faciendi recipi auctoritate nostra, per te vel alium seu alios, tam in cathedrali quam in aliis collegiatis ecclesiis tuarum civitatis et diocesis, personas ydoneas, in singulis videlicet singulas, de quibus expedires (*sic*), in canonicos et in fratres, ac provideri earum singulis de singulis prebendis nulli alii de jure debitis, si tunc vacarent ibidem vel quam primum ad id se facultas offerret, et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, per nostras concessimus litteras facultatem. Cum itaque, sicut asseris, in Sanctorum Mauritii et Clementis ecclesiis de Compendio, dicte diocesis, in quibus . . abbas monasterii Compendiensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, ejusdem diocesis, jus patronatus noscitur obtinere, duabus personis ydoneis de canonicatibus et prebendis, juxta formam litterarum ipsarum, duxeris providendum, licet de jure te facere minime potuisse, propositis rationibus

aliquibus, abbas asserat supradictus, nos id ad presens non intendentes diffinire, sed volentes tecum benigne agere in hac parte, ut provisiones hujusmodi robur obtineant firmitatis, predictas litteras ad easdem Sanctorum Mauritii et Clementis ecclesias hac vice extendi volumus de gratia speciali. Dat. Anagnie, kal. maii, anno sexto.

3563 (CXXVIII) Anagni, 27 avril 1300.

Licentia condendi testamentum. (fol. 299 v°.)

Eidem. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, v kal. maii, [anno sexto].

3564 (CXXVIIII) Même date.

« Super permutatione prebendarum, personatuum et dignitatum, pro sex clericis Phylippi, regis Francorum. » (fol. 299 v° et 300.)

Venerabilibus fratribus . . Autisiodorensi et . . Meldensi ac . . Carnotensi episcopis. Ex parte carissimi in Christo filii nostri Phylippi, regis Francorum illustris, nuper expositum extitit coram nobis quod sex ex clericis suis canonicatus, prebendas, personatus, dignitates et alia beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, in nonnullis ecclesiis partium illarum habentes, cupiunt cum sex aliis clericis ipsarum partium, similia vel dissimilia beneficia in aliis diversis cathedralibus et collegiatis ecclesiis habentibus, hujusmodi canonicatus, prebendas, personatus, dignitates et beneficia ad invicem permutare. Quare prefatus rex a nobis suppliciter postulabat ut permutationes hujusmodi admittere dignaremur.

Mandat ut permutationibus prædictis negotium impendant.

Dat. ut supra.

3565 (CXXX) Même date.

Dispensatio super pluralitate beneficiorum. (fol. 300.)

Magistro Roberto Fabri, physico, rectori parochialis ecclesie Sancti Martini de Albigniaco, Constantiensis diocesis. Apostolice Sedis benignitas —.

Consideratione Philippi, regis Francorum illustris, pro eo gratiam implorantis, cujus clericus et physicus esse dinoscitur, indulget ut, præter ecclesiam prædictam Sancti Martini, curam animarum habentem, unicum aliud ecclesiasticum beneficium, etiam si dignitas sit vel curam animarum habeat, recipere, si ei canonice offeratur, et licite retinere valeat.

Dat. ut supra.

3566 (CXXXI) Latran, 11 février 1300.

« Quod non teneatur ad residentiam in eadem ecclesia [Aretina]. » (fol. 300.)

Dilecto filio Johanni, nato dilecti filii nobilis viri Francisci de Interamne domicelli et familiaris nostri, canonico Aretino. Tue probitatis studia —.

Consideratione patris ejus, indulget ut præbenda in Aretina ecclesia quam obtinet ab onere sacerdotalis ordinis ac residentiæ personalis, quod requirit, sit libera, quamdiu eam duxerit retinendam, et ut fructus ejus in absentia usque ad triennium percipere, et ad firmam dare seu vendere, et possessiones ipsius locare valeat, non obstante statuto ejusdem ecclesiæ « in quo contineri dicitur ut nullus ejusdem Aretine ecclesie canonicus prebendam, quam in ipsa Aretina ecclesia obtinet, locare seu ad firmam dare non potest, absque consensu prepositi et capituli ipsius ecclesie seu majoris partis ipsius licentia speciali. »

Volumus tamen et presentium auctoritate decernimus ut prebenda non sacerdotalis proximo in eadem Aretina ecclesia vacatura, per totum hujusmodi tempus quo eandem prebendam tuam a sacerdotii onere duximus, ut predicitur, eximendam, sacerdotalis efficiatur immediate post vacationem ipsius, et interim ei sacerdotii onus incumbat, ipsoque finito tempore, utraque ipsarum prebendarum in statum pristinum revertatur —. Dat. Laterani, III id. februarii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . preposito Sancti Salvatoris Interampnensis, et Hugolino de Marsiano, archidiacono Alnisiensi, Xanctonensis, ac Bertuldo de Labro, Carnotensis canonico ecclesiarum, capellano nostro*.

3567 (CXXXII) Anagni, 7 mai 1300.

« Quod impendat munus consecrationis B[ertaudo], electo Aurelianensi. » (fol. 300 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Senonensi. Pridem Aurelianensi —.

Mandat ut magistro Bertaudo de Sancto Dionisio, electo Aurelianensi, munus consecrationis impendat, duobus vel tribus catholicis episcopis adscitis.

Dat. Anagnie, non. maii, anno sexto.

Forma juramenti. Ego B[ertaudus], episcopus Aurelianensis, ab hac hora in antea et cetera, ut in forma.

3568 (CXXXIII) Latran, 11 avril 1300.

« Quod impendat munus consecrationis Odoni, electo Terrealbensi. » (fol. 300 v°.)

Venerabili fratri.. archiepiscopo Pisano. Cum nos pridem —.

Mandat ut Odoni, priori Fratrum Predicatorum Pisanorum, electo Terrealbensi, munus consecrationis impendat, duobus aut tribus catholicis episcopis adscitis. « Per hoc autem Arborensi ecclesie, cui prefata Terrealbensis ecclesia metropolitico jure dinoscitur esse subjecta, nolumus aliquod prejudicium generari. »

Dat. Laterani, III id. aprilis, anno sexto.

[*Forma juramenti*]. Ego Odo, episcopus Terrealbensis, et cetera.

3569 (CXXXIV) Anagni, 28 avril 1300.

« Conceditur Jacobo, regi Aragonie, decima regnorum ac aliarum terrarum suarum per biennium ». (fol. 300 v°.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Aragonie illustri. Paterna fiducia quam —. Sane pro parte tua nuper accepimus quod tu, dudum de beneplacito nostro prosequens negotium Sicilie contra hostes, gravia subiisti propterea onera expensarum, et nonnullis tuis fidelibus es astrictus, propter que etiam tibi ad magnam pecunie quantitatem solvendam carissimum in Christo filium nostrum C., illustrem regem Sicilie, obligasti; proponis quoque gentem et homines regnorum Aragonie et Valentie, aliarumque terrarum tue ditioni mediate vel immediate subjectarum, qui in favorem et subsidium Frederici et Siculorum rebellium se in Siciliam transtulerunt et morantur ibidem, exinde festinanter et penitus, pro tuis viribus, revocare, ac tam eos quam alios de regnis et terris eisdem efficaciter cohercere ut prefatis Frederico et Siculis in rebellione durantibus nullum de cetero contra nos et Romanam Ecclesiam et Siciliam regem impendant auxilium, consilium vel favorem; decrevisti etiam personis tibi mediate vel immediate subjectis liberam licentiam impertiri ut cum equis, armis et navigio, libere valeant ipsi regi Sicilie succurrere ac servire contra Fredericum et Siculos memoratos. Nos igitur, volentes illa te munificentia prosequi per quam comodius implere valeas que in subventione prefati regis Sicilie concepisti, et hujusmodi tuum laudabile acceptumque propositum efficatius prosequi, et eundem Sicilie regem in satisfactione ab eo tibi prestanda liberalius sublevare, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum predictorum regnorum et terrarum tuorum, per biennium, a festo Nativitatis beati Johannis Baptiste futuro proximo inchoandum, tibi, premissa efficaciter adimplenti, duximus auctoritate presentium concedendam. Quod si eadem adimplere neglexeris vel contempseris, nullum ex hujusmodi concessionis gratia comodum consequaris. Templarios autem et Hospitalarios, et eorum bona regnorum et terrarum eorundem, cum prosecuturi sint de nostro beneplacito negotium Terre Sancte, ad prestationem dicte decime volumus non teneri. Sic itaque, fili carissime, impensam tibi hujusmodi gratiam recognoscas, et que in hac parte laudabiliter polliceris observes, quod Deo, nobis et Ecclesie te magis reddas acceptum, et non indigne nos et ipsam Ecclesiam in tuis constituas profectibus promptiores. Dat. Anagnie, IIII kal. maii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri R[aimundo], episcopo Valentino, et dilecto filio Pontio, preposito ecclesie Celsonensis, Urgellensis diocesis.*

Deputantur dictæ decimæ collectores.

Dat. ut supra.

3570 (CXXXV) Anagni, 15 mai 1300.

« Mandantur citari .. potestas et comune Florentinum et alii pro facto Symonis Gerardi, mercatoris camere. » (fol. 301.)

Venerabili fratri .. episcopo Florentino, ac dilecto filio .. inquisitori heretice pravitatis in provincia Tuscie. Perlato pridem —. Dat. Anagnie, id. maii, anno sexto [1].

1. Edita fuit a GUIDO LEVI, *Bonifazio VIII e le sue relazioni col comune di Firenze*, Documenti n° IV, in *Archivio della società Romana di storia patria*, vol. V, p. 455.

3571 (CXXXVI) Anagni, 11 mai 1300.

« Quod possit recipere munus consecrationis. » (fol. 301.)

Dilecto filio fratri D[ythero], electo Treverensi. Cum nuper Treverensi —.

Cum non commode potest accedere coram domino papa, concedit facultatem munus consecrationis recipiendi a quocumque voluerit episcopo illarum partium.

Dat. Anagnie, v id. maii, anno sexto.

3572 (CXXXVII) Même date.

Concessio pallei. (fol. 301 v° et 302.)

Eidem. Vacante dudum ecclesia —.

Notum facit se palleum, quod per fratres Bernardum de Monte Policiano et Alexandrum de Metis, ordinis Predicatorum, nuntios suos, postulavit, .. Metensi et .. Tullensi episcopis destinavisse, eidem post consecrationem ejus assignandum.

Dat. ut supra.

In. e. m. *venerabilibus fratribus .. Metensi et .. Tullensi episcopis.*

Forma juramenti. Ego frater D[ytherus], electus in archiepiscopum Trevirensem et cetera.

Forma dandi palleum. Ad honorem Dei omnipotentis, et beate Marie Virginis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et domini pape Bonifatii, et sancte Romane Ecclesie, nec non et ecclesie sibi commisse, tradimus tibi palleum de corpore beati Petri sumptum, plenitudinem videlicet pontificatis officii, ut utaris eo, infra ecclesiam tuam, certis diebus que exprimuntur in privilegiis ab Apostolica ei Sede concessis.

3573 (CXXXVIII) Même date.

« Quod restituat castra et possessiones que tenet predicto D[ythero], electo Treverensi. » (fol. 302.)

Dilecto filio Henrico de Wernebori, preposito Coloniensi. Si tibi velles recte consulere in exequendo que scribimus, non deberes expectare mandatum, sed ea potius exequi per te ipsum. Vacante siquidem dudum ecclesia Treverensi et cetera ut supra usque : attemptari. Et demum de persona dilecti filii fratris D[ytheri], electi Treverensis, nobis et fratribus nostris, ob suorum exigentiam meritorum, accepta, ecclesie memorate providimus, preficiendo ipsum eidem ecclesie in archiepiscopum et pastorem. Verum tu, sicut accepimus, pretextu cujusdam electionis de te per capitulum ejusdem ecclesie post reservationem nostram hujusmodi attemptate, administrationi ecclesie predicte te ingerens, castra, terras, possessiones et alia bona ipsius ecclesie diceris detinere, in tue salutis dispendium dictorumque electi et ecclesie detrimentum. Nos autem, qui electum et ecclesiam prelibatos affectione paterna prosequimur, grave gerentes quicquid eis injurie irrogatur, ac intendentes ipsis in premissis assistere, et prout expedierit de remedio consulere oportuno, discretionem tuam monemus et hortamur attente, tibi nichilominus sub pena excommunicationis ac privationis personatuum, dignitatum et quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum que obtines, necnon inhabilitatis ad illa et quecumque alia in posterum obtinenda, districte precipiendo mandantes, quatinus omnia castra, terras, possessiones et quecumque bona dicte ecclesie, per te vel alium nomine tuo detenta, prefato electo, absque more dispendio et difficultatis obstaculo, restituere et assignare procures. Sic ergo monita et mandata predicta studeas adimplere quod de obedientie ac devotionis promptitudine possis merito commendari. Dat. ut supra.

3574 (CXXXVIIII) Anagni, 14 mai 1300.

« Prorogatur sibi terminus consecrationis. » (fol. 302.)

Dilecto filio fratri D[ythero], electo Trevirensi. Cum nos nuper —.

Cum non possit commode Apostolicam Sedem adire pro consecrationis suæ munere recipiendo, prorogat tempus consecrationis a canonibus definitum, infra quod adhuc fore dinoscitur, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo subsequens.

Dat. Anagnie, II id. maii, anno sexto.

3575 (CXL) Anagni, 13 mai 1300.

« Committitur rectoria civitatis Urbinatis. » (fol. 302.)

Dilecto filio Gerardino de Tuderto, militi, familiari nostro, civitatis Urbinatis rectori. Affectus pure devotionis —.

Ei rectoriam civitatis Urbinatis concedit.

Dat. Anagnie, III id. maii, anno sexto.

(Potthast, 24954.)

In. e. m. *dilectis filiis populo et singularibus personis civitatis Urbinatis.*

3576 (CXLI) Anagni, 12 mai 1300.

Committitur rectoria quinque castrorum Urbinatis diocesis. (fol. 302.)

Magistro Paulo Petri de Gualdo, castrorum Durantis, Saxi Corbarii, Insule Planetie, Turris Abbatie ac Pilii, Urbinatis diocesis, et aliorum locorum et terrarum que olim fuerunt districtus et comitatus Urbini, et pertinentiarum eorumdem rectori. Devotionis et fidei —.

Ei curam et regimen castrorum prædictorum committit.

Dat. Anagnie, IV id. maii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis baronibus aliisque nobilibus, potestatibus seu rectoribus, comunitatibus et universitatibus, ceterisque personis secularibus per castra Durantis, Saxi Corbarii, Insule Planetie, Turris Abbatie ac Pilii, Urbinatis diocesis, aliaque loca et terras que olim fuerunt districtus et comitatus Urbini, earumque pertinentias constitutis.*

(Potthast, 24952.)

3577 (CXLII) Latran, 14 février 1300.

Dispensatur super matrimonio. (fol. 302.)

Dilecto filio nobili viro Tegrino, comiti in Tuscia palatino. Romani Pontificis precellens —.

Cum, ad sedanda odia quæ inter eum ac consanguineos ejus, ex parte una, et nobiles viros Manfredum et Guillelmum, fratres, ac Guidonem Novellum, nepotem ipsorum, comites in Tuscia palatinos et eorum consanguineos, ex altera, exorta fuisse noscuntur, desideret se cum nobili muliere Johanna, sorore Guidonis et nepote Manfredi et Guillelmi, matrimonialiter copulari, indulget ut, non obstante tertio et quarto consanguinitatis gradibus quibus inter se contingant, hoc matrimonium complere valeat.

Dat. Laterani, XVI kal. martii, anno sexto.

3578 (CXLIII) Anagni, 15 mai 1300.

« Committitur cura archiepiscopatus Januensis duobus canonicis Januensibus. » (fol. 302 v°.)

Dilectis filiis Jacobo de Cucurno, majoris, et Henrico de Castellione, Sancte Marie de Castello, Januensium ecclesiarum, canonicis. Recte agitur et salubriter negotiis providetur, cum ea illis de quorum probitate confiditur committuntur. Cum igitur ecclesia Januensis pastore vacare noscatur ad presens, nos, volentes ejusdem ecclesie bona et jura per dispositionem nostram salubriter dirigi et feliciter prosperari, vobis [1], de quorum diligentia circumspecta, sollicitudine vigili et legalitate pura, ex testimonio fidedignorum vobis apud nos exhibito super hiis, plene confidimus, ejusdem Januensis ecclesie curam, ad colligendum et conservandum fructus, reddibus, proventus et jura, in civitate, diocesi et tota provincia Januensi ad archiepiscopalem sedem et ecclesiam ipsam Januensem spectantia, et tam dicte sedi quam ipsi ecclesie debita et debenda, auctoritate presentium duximus committendam, vos super hiis in procuratores eidem ecclesie concedentes quousque super hiis aliud duxerimus ordinandum. Quocirca discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus curam et procurationem hujusmodi sic diligenter gerere, sic utiliter exequi studeatis, quod predicta ecclesia sub vigilantia vestra votivis amplietur comodis, et vos possitis exinde apud Deum et homines merito commendari. Nos enim petendi, exigendi, colligendi, recipiendi et conservandi fructus, redditus, proventus et jura predicta, per vos vel alium seu alios, quousque super hiis aliud duxerimus ordinandum, et contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, non obstante si aliquibus a Sede Apostolica sit indultum quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras Apostolicas et cetera usque : mentionem, vobis et vestrum cuilibet concedimus auctoritate persentium facultatem. Dat. Anagnie, id. maii, anno sexto.

3579 (CXLIIII) Même date.

« Mandatur eisdem quod satisfaciant creditoribus de bonis ejusdem archiepiscopatus. » (fol. 302 v°.)

Eisdem. Vacante nuper ecclesia Januensi per cessionem fratris Porchetti, olim archiepiscopi Januensis, fuit expositum coram nobis quod idem frater Porchettus,

1. *Ms* : vos.

dudum, dum ipse Januensis ecclesie regimini presidebat, a certis personis quasdam pecuniarum recepit mutuo quantitates, tam pro suis necessariis quam pro ejusdem ecclesie negotiis utiliter pertractandis, de quibus pecuniarum summis nondum creditoribus extitit satisfactum. Quare fuit nobis humiliter supplicatum ut eisdem creditoribus satisfieri super hiis de bonis dicte ecclesie mandaremus. Cum igitur, ad recolligendum et conservandum fructus, redditus et proventus ejusdem ecclesie, per nostras sub certa forma litteras vos ipsi ecclesie in procuratores duximus concedendos, nolentes ut dicti creditores, propter vacationem ecclesie memorate, suis juribus defraudentur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrum qui predicte procurationis officium exercebit, hujusmodi creditoribus, de omni quantitate pecunie in qua legitime vobis constiterit ad satisfactionem eis teneri, premissorum occasione, Januensem ecclesiam prelibatam, et de qua nondum ipsis fuerit satisfactum, satisfactionem debitam de hujusmodi fructibus, redditibus et proventibus, ejusdem ecclesie nomine, impendatis, facientes eandem ecclesiam et futuros archiepiscopos Januenses, ac eorum bona, per dictos creditores ab omni obligatione in qua ipsis, pro hiis de quibus eis satisfeceritis, ut prefertur, astricta essent, plenarie liberari. Dat. ut supra.

3580 (CXLV) Anagni, 8 mai 1300.

« Committitur custodia et regimen civitatis Nepesine Nerio Zacharie. » (fol. 303.)

Nerio Zacharie, civi Urbevetano. Devotionis et fidei puritatem, quam tu et tui erga nos et Romanam Ecclesiam gessistis et geritis, benigna meditatione pensantes, dignum duximus ut personam tuam prerogativa favoris et gratie honoremus. De tue igitur devotionis, fidelitatis et circumspectionis industria plenarie confidentes, ac sperantes quod ea que tibi a Sede Apostolica committuntur, fideliter ac sollicite prosequaris, custodiam et regimen civitatis Nepesine, ad Romanam Ecclesiam pertinentis, Apostolica tibi auctoritate committimus usque ad dicte Sedis beneplacitum voluntatis. Volentes ut ejusdem civitatis homines et incole tuis monitis et mandatis pareant et intendant, tibique pro nobis et ipsa Ecclesia de fructibus, redditibus, proventibus et juribus universis, in eadem civitate ac ejus territorio et districtu ad Ecclesiam ipsam spectantibus, integre respondere procurent. Alioquin sententias sive penas quas temporaliter rite tuleris vel inflexeris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Per hoc autem jurisdictioni rectoris Patrimonii Beati Petri in Tuscia, qui est pro tempore, non intendimus derogare. Volumus insuper ut fructus, redditus et proventus supradictos, pro imminentibus tibi, ratione custodie ac regiminis predictorum, necessariis et expensis valeas retinere. Dat. Anagnie, VIII id. maii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis universitati seu populo, consilio et comuni Nepesinis.*

3581 (CXLVI) Latran, 15 mars 1300.

Concessio vallis de Staffilis. (fol. 303.)

Dilecto filio Nicolao Transmundi, de Civitate Papali laico. Considerantes benignius —.

Vallem de Staffilis, in Civitatis Papalis territorio positam, et ad Romanam Ecclesiam pertinentem, concedit, ab eo ac heredibus perpetuis temporibus possidendam, sub solutione duorum solidorum provisinorum infra quindenam Nativitatis Dominicæ, nomine census, cum ostensione harum litterarum.

Dat. Laterani, id. martii, anno sexto.

3582 (CXLVII) 1er octobre 1299.

Licentia condendi testamentum. (fol. 303.)

Dilecto filio Thome, tituli Sancte Cecilie presbytero cardinali. Quia presentis vite —. Dat. kal. octobris, anno quinto.

3583 (CXLVII *bis*) Anagni, 12 mai 1300.

« Super pluralitate beneficiorum. » (fol. 303.)

Magistro Roberto de Vanna, canonico capelle regie de Winburnmister, Saresbiriensis diocesis. Apostolice Sedis benignitas —.

Consideratione Leonardi, episcopi Albanensis, cujus capellanus existit, indulget ut ecclesiam de Kirkebithar, Karleolensis, curam animarum habentem, et ecclesiam de Siranctone, Lincolnensis diocesium, similem curam habentem, quas canonice oblatas recepit, et absque dispensatione per quinque an-

nos et amplius tenuit, retinere licite valeat, et fructus ex illis minus juste perceptos eidem donat.

Dat. Anagnie, IIII id. maii, anno sexto.

3584 (CXLVIII) Anagni, 20 mai 1300.

Quod annis singulis Jacobo de Atrebato, ipsorum commonacho, cc florenos auri persolvant. (fol. 303 v°.)

Dilectis filiis . . abbati . . priori et . . cellerario, ac conventui monasterii de Valcellis, Cisterciensis ordinis, Cameracensis diocesis. Laudanda multiplicis —.

Eos rogat et hortatur, sub pena etiam excommunicationis, quam ipso facto incurrent, si hoc mandatum implere non curaverint, ut fratri Jacobo de Atrebato, monacho eorum monasterii, capellano domini papæ, de redditibus dicti monasterii, in festo Omnium Sanctorum proximo futuro, et annis singulis in eodem festo, ducentos florenos auri, ad ejus subventionem sumptuum, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, persolvant.

Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno sexto.

3585 (CXLVIIII) Anagni, 20 mai 1300.

Dispensatio super pluralitate, non obstante defectu natalium (fol. 303 v°.)

Magistro Johanni de Turrego, subdiacono, canonico Constantiensi. Inlegitime genitos —.

Licet, de presbytero genitus et soluta, jam super defectu natalium dispensationem receperit, ex ampliori gratia indulget ut, non obstante hoc defectu, ad dignitates et honores quoslibet ecclesiasticos, episcopalibus et supra dignitatibus tamen exceptis, promoveri valeat.

Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno sexto.

3586 (CL) Anagni, 23 juin 1300.

« Reservatur plebanatus plebis de Buiano, Aretine diocesis. » (fol. 303 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Ut plebanatus plebis de Buiano, Aretine diocesis, cum eum vacare contigerit, prolixe vacationis non exponatur incomodis, sed illi celeriter de tali provideatur persona que sciat et possit illum salubriter gubernare, collationem ipsius plebanatus, ea vice, certis ex causis que ad id rationabiliter animum nostrum movent, dispositioni Sedis Apostolice reservamus; decernentes exnunc irritum et inane si quid contra hujusmodi nostram reservationem per quoscumque scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo et cetera. Nostre dispensationis et cetera. Dat. Anagnie, x kal. junii, anno sexto.

3587 (CLI) Latran, 11 avril 1300.

Concessio cujusdam hospitalis in diocesi Niciensi siti. (fol. 304.)

Dilectis filiis magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Exposita nobis vestra petitio continebat quod, in litore fluminis Delvar (*sic*), Niciensis diocesis, quoddam hospitale situm esse dinoscitur, quamdam in ipso flumine barcam habens qua flumen ipsum transire solent seu transvei viatores. Sed cum hospitali predicto facultates non suppetant ad retinendum ibidem barcam ipsam paratam et promptam, ut expedit, viatoribus memoratis, plerumque, quinimmo frequentius, ob hujusmodi barce defectum, submersionis periculum in eodem flumine prefati viatores incurrunt. Cum autem, prout asseritis, salubre ac utile fore noscatur, ad hujusmodi periculum evitandum, ut hospitale predictum Hospitali vestro Sancti Johannis Jerosolimitani, domos et possessiones habenti flumini supradicto vicinas per quas onera sumptuum quos assidua dicte barche conservatio exigit possunt supportari facilius, et in hospitali predicto pietatis opera commodius exerceri, et jam super hoc etiam persone in eodem hospitali degentes cum nonnullis ex vobis tractatum habuerint, ut hospitale predictum eidem Hospitali vestro per unionis vinculum copuletur, nobis humiliter supplicastis ut, vobis divine pietatis intuitu specialem gratiam facientes, predictum hospitale vobis et Hospitali vestro prefato concedere dignaremur. Nos itaque, vestris devotis supplicationibus inclinati, et volentes vos favoribus prosequi gratiosis, predictum hospitale, situm in litore memorato, cum omnibus bonis, juribus et pertinentiis suis, ubilibet constitutis, eidem Hospitali vestro, veris existentibus supradictis, Apostolica auctoritate concedimus, annectimus et unimus, ab ipso et vobis illud perpetuis futuris temporibus retinendum. Nulli ergo et cetera. Nostre concessionis, annexionis et unionis et cetera. Dat. Laterani, III id. aprilis, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Vic-*

toris Massiliensis et . . preposito ecclesie Arelatensis. Dat. ut supra.

In. e. m. *eisdem judicibus.* Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno sexto.

3588 (CLII) Même date.

Quod restituat Hospitalariis possessiones eorum quas occupari fecit in regno suo. (fol. 304.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Aragonie illustri. Inter ceteros regularis ordinis professores, dilectos filios . . magistrum et fratres Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani pro eo potissime sincera caritate diligimus — dinoscuntur. Oblata siquidem nobis eorum petitio continebat quod, occasione dotis carissime in Christo filie nostre B., regine Aragonie illustris, consortis tue, terras et res alias Hospitalis ejusdem in regno Aragonie consistentes, tibi ipsas pro eadem dote asserens obligatas, occupari et regio detineri nomine mandavisti, super quo jamdicti magister et fratres, ad Apostolice Sedis clementiam humiliter recurrentes, suppliciter postularunt a nobis ut super hoc celsitudini regie nostras dirigere litteras dignaremur. Cum itaque, sicut regalis sublimitas non ignorat, jam dicta dos tibi integre sit soluta, et propterea prefati magister et fratres non sunt, occasione hujusmodi, molestandi, excellentiam regiam rogamus et hortamur attente quatinus, ob divinam et Apostolice Sedis reverentiam, memoratos magistrum et fratres clementer prosequens et benigne pertractans, terras et res predictas eis facias, sublata difficultate, restitui sive reddi, nec permittas ut ipsi occasione predicta ulterius molestentur ; sic te in hiis efficaciter habiturus ut crescas exinde meritis apud Deum, penes nos gratia, et apud homines clara fama. Dat. ut supra.

In. e. m. *eidem regi pro . . magistro et fratribus Domus Militie Templi Jerosolimitani.*

3589 (CLIII) Même date.

« Quod observet ordinationem factam inter ipsum et prelatos ac religiosos ejusdem regni. » (fol. 304.)

Carissimo in Christo filio Henrico, regi Cypri illustri. Circa illa te convenit, fili carissime, opem et operam exhibere sollicitam, que Divine Majestati complaceant, tue salutis incrementa procurent, tuique regni statum respiciant prosperum et tranquillum. Sane fidedigna relatione comperimus quod ordinationem piam et providam, quam pro tua et ipsius regni quiete pridem inter te ac prelatos et religiosos ejusdem regni auctoritate Apostolica duximus faciendam, pro tua voluntate non servas (*sic*), nec facias ab aliis observari, propter quod verisimilis dubitationis causa suggeritur ne occasione hujusmodi gravis in regno predicto turbationis materia suscitetur. Cum igitur, ad tuam dictique regni pacem et quietem continuam, more pii patris quem non pretereunt filiorum incomoda, sollicitis studiis intendamus, excellentiam regiam rogandam attente duximus et hortandam quatinus, pro divina et Apostolice Sedis reverentia, tuique honoris augmento, predictam ordinationem indesinenter observes et inconcusse facias observari, illam super hoc efficatiam impensurus ut exinde, preter laudis humane preconium, a Domino premium consequaris, nosque regie devotionis promptitudinem non immerito commendemus. Dat. ut supra.

3590 (CLIIII) Anagni, 9 mai 1300.

« Super recipiendo homagio a Rizardo de Ferentino, archidiacono Suessionensi. » (fol. 304.)

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Suessionensi. Pridem dilecto filio Rizardo de Ferentino, archidiacono ecclesie Suessionensis, capellano nostro, archidiaconatum ejusdem ecclesie contulimus tunc vacantem. Verum, quia de consuetudine ipsius ecclesie, ut dicitur, est statutum quod quicumque dignitatem vel personatum in dicta ecclesia fuerit assecutus, antequam ad dignitatem et personatum hujusmodi in prelibata ecclesia admittatur, episcopo Suessionensi, qui est pro tempore in predicta ecclesia, teneatur personaliter facere homagium manuale, quodque dictus episcopus fructus, redditus et proventus dignitatis vel personatus hujusmodi suos faciat, donec ab eo qui dignitatem aut personatum assecutus extiterit dictum homagium recipiat in ecclesia supradicta, nos volentes per te dicto archidiacono Apostolici favoris auxilio, in hac parte gratiam fieri specialem, te a juramento quod de statuto et consuetudine hujusmodi observandis asseris prestitisse, quoad receptionem homagii dicti archidiaconi, hac vice duximus absolvendum ; tuque postmodum de mandato nostro vive vocis oraculo tibi facto apud Sedem Apostolicam ab eodem archidiacono recepisti. Ne igitur ex receptione homagii tibi a prefato archidiacono exhibiti apud Sedem predictam tibi et successoribus tuis, Suessionensibus

episcopis, ac dicte ecclesie possit inposterum prejudicium generari, volumus ut statuta et consuetudines ipsa, hujusmodi receptione homagii non obstante, in suo robore permaneant sicut prius, quodque predictus archidiaconus, cum ad ecclesiam ipsam accesserit, nichilominus prefatum homagium tibi, vel episcopo Suessionensi qui erit pro tempore, personaliter facere teneatur. Dat. Anagnie, VII id. maii, anno sexto.

3591 (CLV) Anagni, 15 mai 1300.

Concessio canonicatus et prebendæ. (fol. 304 v°.)

Dilecto filio Johanni dicto de Vayseyo de Lingonis, canonico ecclesie Sancti Machuci (sic) de Barro super Albam, Lingonensis diocesis. Grata tue devotionis —.

Consideratione Petri, Sanctæ Mariæ Novæ diaconi cardinalis, pro eo supplicantis, canonicatum et prebendam in ecclesia predicta Sancti Machuti vacantes confert, aut vacaturos reservat, non obstante quod oculum, ex quadam infirmitate, dinoscatur amisisse.

Dat Anagnie, id. maii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Anagnino, et dilectis filiis . . priori Sancti Petri de Barro super Albam, Lingonensis diocesis, et magistro Bartholomeo de Archionibus, canonico ecclesie Lingonensis.*

3592 (CLVI) Latran, 29 mars 1300.

Licentia recipiendi beneficium. (fol. 304 v° et 305.)

Dilecto filio Thegnayo, nato dilecti filii nobilis viri comitis de Cavalcantibus, clerico Florentino. Ut tua et tuorum —.

Consideratione nobilis viri Guelfi, militis Florentini, patrui ejus, pro eo supplicantis, cum eo super defectu quem patitur in scientia, ordinibus et ætate dispensat, ut, eo nonobstante, unicum ecclesiasticum beneficium, etiam si curam animarum habeat vel dignitas existat, recipere ac retinere valeat.

Dat. Laterani, IIII kal. aprilis, anno sexto.

3593 (CLVII) Anagni, 8 juin 1300.

Preces pro Templariis et Hospitalariis super facto decimæ. (fol. 305.)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Frantie illustri. Nosti, fili carissime, tibique facti evidentia patefecit, quod dilecti filii . . magister et fratres Domus Militie Templi Jerosolimitani, Summi Regis obsequiis, quibus salubri ducti consilio adheserunt, studiis immorantur sollicitis, se et sua pro eis exponere non verentes. Quamobrem a te ceterisque regibus et principibus christianis præcipuis sunt confovendi favoribus et specialibus gratiis prosequendi. Cum itaque prefatos magistrum et fratres, propter hujusmodi eorum laudabilia studia et alia ipsorum merita grandia, favorabili prosequamur affectu, et ad statum ipsorum tranquillum et prosperum paterne diligentie studio intendamus, regalem magnificentiam rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Filio Dei Patris, quatinus pro divina et Apostolice Sedis reverentia, tueque salutis augmento, predictos magistrum et fratres, utpote servos Christi, habens benignius commendatos, eos de mansuetudine regia, occasione concessionis cujuslibet tibi de decima vel alio quovis subsidio per nos facte, non graves, nec gravari, vel quomodolibet molestari permittas, cum ipsi, prout ad tuam creditur pervenisse notitiam, propter accelerationem (*sic*), succursum et subsidium Terre Sancte, quibus ab eis ferventer insistitur ad presens, non modicum pregraventur; sic te in hiis prompte ac efficaciter habiturus ut exinde retributionis condigne premium a Domino consequi merearis, et regie laudis preconium amplum suscipiat incrementum. Dat. Anagnie, VI non. junii, anno sexto.

In. e. m. *eidem regi pro magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani,* sub : Dat. Laterani, III id. aprilis, anno sexto.

3594 (CLVIII) Anagni, 23 mai 1300.

« Super pluralitate. » (fol. 305.)

Dilecto filio magistro Johanni de Thurego, subdiacono, canonico Constantiensi. Providentia Sedis Apostolice —.

Dignitatem in civitate et diocesi Constantiensibus, vel etiam Argentinensibus, si vacat ad præsens vel proximo vacaverit, quam infra viginti dierum spatium duxerit acceptandam, reservat, non obstante quod in Gebistorf et in Diessenhoven ecclesias, Constantiensis diocesis, curam animarum habentes, et in Constantiensi, Sancti Thomæ Argentinensis, et Turicensi ecclesiis, predictæ Constantiensis diocesis, canonicatus et præbendas, et capellam in Gelenhusen, Maguntinæ diocesis, sine cura, ex dispensatione Apostolica noscatur obtinere.

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis Henrico de Biblio, archidiacono Nicosiensis, capellano nostro, et . . preposito de Wizzemburg, Spirensis diocesis, ac . . cantori Basiliensis ecclesiarum.*

3595 (CLVIIII) Anagni, 2 juin 1300.

Licentia condendi testamentum. (fol. 305 v°.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Spoletano. Quia presentis vite —. Dat. Anagnie, IIII non. junii, anno sexto.

3596 (CLX) Anagni, 27 mai 1300.

« Quod non teneantur solvere nisi quartam limitatam et taxatam rectoribus seu curatis ecclesiarum. » (fol. 305 v°.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus ordinis Predicatorum. Nuper ut materia —.

Eis concedit ut, de funeralibus obventionibus, nonnisi quartam partem parochialibus sacerdotibus exhibeant.

Dat. Anagnie, XI kal. junii, anno sexto.

In. e. m. conceditur *dilectis filiis . . ministro generali et fratribus ordinis Minorum.* Nuper ut discordie —.

(POTTHAST, 24958 et 24959.)

3597 (CLXI) Anagni, 20 mai 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 305 v°.)

Dilecto filio nobili viro Radulpho dicto Hage, militi, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Sophye, nate quondam Eltardi, comitis de Warestein, uxori ejus, Augustensis diocesis. Licet matrimonii contractum —.

Precibus nobilis viri Ludowici, comitis de OEtingen, pro illis supplicantis, inclinatus, indulget ut in matrimonio quod, ignorantes quod quondam Elisabeth, olim uxor Radulphi, Sophyæ quarto consanguinitatis gradu attinebat, contraxerunt, licite remanere possint.

Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno sexto.

3598 (CLXII) Même date.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 305 v° et 306.)

Dilecto filio nobili viro Hulrico de Rechperch, militi, et dilecte in Christo filie Sophie, nate Herdengeni de Grindelach, militis, uxori ejus, Augustensis diocesis. Intenta salutis operibus —.

Supplicationibus inclinatus nobilis viri Ludowici, comitis de OEtingen, pro illis præsentialiter supplicantis, indulget ut in matrimonio quod ignorantes, non obstante quarto consanguinitatis gradu contraxerunt, licite remanere valeant.

Dat. ut supra.

3599 (CLXIII) Anagni, 20 mai 1300.

Dispensatur super irregularitate. (fol. 306.)

Dilecto filio Lupoldo, subdiacono, monacho monasterii Halsprunensis, Cistertiensis ordinis, Eystetensis diocesis. Exhibita nuper nobis —.

Ei qui, post generale concilium Lugdunense, existens archidiaconus ecclesiæ Herbipolensis, per octo annos et amplius archidiaconatum suum per alium visitavit, ratione visitationis procurationes in pecunia numerata recepit, nec sibi per restitutionem dupli providit, et qui ante et post professionem regularem, suspensione quam incurrebat non obstante, se divinis immiscuit, beneficium absolutionis, consideratione nobilis viri Ludowici, comitis de OEtingen, impendit et cum eo super irregularitate dispensat.

Dat. Anagnie, XIII kal. junii, anno sexto.

3600 (CLXIIII) Même date.

« Super vitio symonie. » (fol. 306.)

Eisdem. Ex parte tua fuit nuper expositum coram nobis quod olim in Herbipolensi ecclesia, cujus tunc eras canonicus, de antiqua, licet prava, consuetudine habebatur ut canonici ejusdem ecclesie, de prebendis in ipsa ecclesia vacaturis, quarum collatio, cum vacant, ad capitulum ejusdem ecclesie pertinet, possent suis consanguineis vel aliis providere ; sicque inter se ipsi canonici minus provide ordinabant ut tres et tres vel bini et bini aliquas vacaturas in ecclesia ipsa prebendas conferrent, pro eorum libito voluntatis ; reliquis vero canonicis ejusdem ecclesie, qui in collatione hujusmodi vacaturarum prebendarum participes non fiebant, dabantur posses-

siones ejusdem ecclesie, propter hoc, vel personatus aliqui, si vacabant, vel, si erant ipsi capitulo in aliquibus obligati seu etiam debitores, debitum hujusmodi remittebatur eisdem per capitulum supradictum; et, ut Herbipolensis episcopus suum in hoc prestaret assensum, potestatem conferendi duas vel plures prebendas in ipsa ecclesia vacaturas dicti canonici concedebant eidem. Unde, cum hec in partibus illis etiam publica et notoria fuisse et esse noscantur, tuque, tanquam tunc unus de capitulo memorato, premissis, que etiam labem sapiunt symonie, cum fiebant, interfueris, et tuum etiam publice consensum prestiteris, ac postmodum, ad prefatum monasterium te conferens, in eo professionem emiseris regularem, et, a tempore predicti tui consensus, tam ante assumptionem regularis ordinis quam postmodum, immiscueris te divinis in tuis ordinibus ministrando, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hiis de oportuno remedio dignaremus. Nos itaque, saluti tue in hac parte consulere cupientes, dilecti filii nobilis viri Ludowici, comitis de Oetingen, qui pro te apud nos super hoc suppliciter institit, et tuis supplicationibus inclinati, super premissis omnibus, quod eis nequaquam obstantibus ad omnes superiores ordines valeas promoveri, tecum, auctoritate Apostolica, de speciali gratia, dispensamus : omnem notam sive maculam, propter premissa vel aliquod premissorum, per te contractam, a te penitus abolentes de Apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo et cetera. Nostre dispensationis et abolitionis et cetera. Dat. ut supra.

3601 (CLXV) Anagni, 20 mai 1300.

« Super eodem. » (fol. 306.)

Eidem. Exhibita nuper nobis tua petitio continebat quod venerabilis frater noster, M[angoldus], Herbipolensis episcopus, alienare spiritualia pro temporalibus non formidans, jus patronatus quod habebat in quadam parrochiali ecclesia, et ipsam ecclesiam cum omnibus juribus et pertinentiis suis, de consensu capituli Herbipolensis ecclesie, cujus tunc canonicus existebas, dilectis filiis , . abbati et conventui monasterii Eberacensis, predicti ordinis, Herbipolensis diocesis, nomine ipsius monasterii Eberacensis, duxit in usus proprios concedendi, receptis propter hoc, ex causa permutationis, ab eisdem abbate et conventu, quibusdam possessionibus Eberacensis monasterii memorati —.

Cum, tanquam unus ex capitulo, huic permutationi, que labem symonie sapit, consenserit, et postea, tam ante quam post professionem regularem, se divinis immiscuerit, dispensat cum eo et omnem inhabilitatem exinde conceptam abolet.

Dat. ut supra.

3602 (CLXVI) Même date.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 306.)

Dilecto filio Cunrado, nato nobilis viri Ludovici, comitis de Oetingen, canonico Bambergensi. Matris Ecclesie gratiosa —.

Ei qui, contra Lateranense concilium, patiens in ætate defectum, parrochiales ecclesias in Mistelbach et in Mœtingen et in Tanhusen, Pataviensis et Augustensis diocesium, assecutus fuit, et eas insimul absque dispensatione retinuit, fructus ex illis percipiens, consideratione patris ejus, fructus minus juste perceptos donat, et indulget ut præfatas ecclesias, quas ei de novo confert ad cautelam, una cum canonicatibus et præbendis Augustensis, Bambergensis et Eystatensis ecclesiarum, licite retinere valeat, non obstante defectu quem patitur in ordinibus et ætate, cum sit in minoribus ordinibus et infra decimum octavum ætatis suæ annum, licet quintum decimum jam peregens, constitutus.

Dat. ut supra.

3603 (CLXVII) Même date.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 306, v°.)

Dilecto filio Henrico de Helguangen, rectori de Crawelzheim, clerico et familiari dilecti filii nobilis viri Ludowici, comitis de Oetingen. Exhibita nuper nobis —.

Ei qui dudum, post generale concilium Lugdunense, ecclesias de Crawelzheim et de Elemberch et de Ringingen, Herbipolensis et Augustensis diocesium, curam animarum habentes, quarum fructus quadraginta marcharum argenti, secundum communem æstimationem patriæ, valorem annuum non excedunt, assecutus fuit, et eas insimul absque dispensatione retinuit, fructus ex illis percipiens, necdum etiam se fecit secundum statuta dicti concilii ad sacerdotium promoveri, consideratione patris ejus, indulget ut præfatas ecclesias, insimul cum fructibus minus juste perceptis ex illis, et una cum eis canonicatum ecclesie Onolspacensis, Herbipolensis diocesis, in qua sub exspectatione canonicus receptus est, et prebendam in ea ei debitam, retinere possit, et omnem inhabilitatem ab eo abolet, proviso quod animarum cura nullatenus negligatur, quodque se faciat, infra annum a data presentium

computandum, ad omnes sacros ordines, prout ipsarum curatarum ecclesiarum cura requirit, statutis temporibus promoveri.

Dat. ut supra.

3604... (CLXVIII) Même date.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 306, v°.)

Dilecto filio Henrico, decano ecclesie Onolspacensis, Herbipolensis diocesis. Exhibita nobis —. Dat ut supra.

3605 (CLXVIIII) Même date.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 307.)

Magistro Johanni de Thurego, subdiacono, canonico Constantiensi. Nuper ad presentiam —.

Ei qui dudum, post generale concilium Lugdunense, ecclesiam in Gebistorf primo et postmodum ecclesiam de Dissenhoven, Constantiensis diocesis, curam animarum habentes, assecutus fuit, ipsasque absque dispensatione retinens insimul fructus ex eisdem, qui triginta marcharum argenti annuum valorem non excedunt, communiter percepit, nec etiam se fecit ad sacros ordines promoveri, indulget ut præfatas ecclesias, quas ei de novo confert ad cautelam, cum fructibus ex ipsis perceptis, et una cum eis canonicatus et prebendas Constantiensis, Sancti Thomæ, Argentinensis et Turricensis, Constantiensis diocesium, ecclesiarum et capellam de Gelenhusem, Maguntine diocesis, cui cura non imminet animarum, quos obtinet et quorum omnium redditus sexaginta marcharum argenti, sicut asserit, valorem annuum non excedunt, licite retinere possit.

Dat. ut supra.

In. e. m. *dilectis filiis Henrico, archidiacono Nicosiensi, capellano nostro, ac . . preposito de Wizzemburg, Spirensis diocesis, ac . . cantori Basiliensis ecclesiarum.*

3606 (CLXX) Anagni, 31 mai 1300.

« Mandatur citari personaliter Jacobus Juliani, clericus chori ecclesie Aniciensis. » (fol. 307.)

Dilectis filiis . . abbati secularis Sancti Petri de Ture (sic) in ecclesia Anitiensi, ac . . priori de Briva, Lemovicensis diocesis, et Guillelmo Munescalci, canonico Anitiensi. Significavit nobis dilectus filius Petrus Avellana, canonicus ecclesie Sancti Agripani Aniciensis, quod licet olim sibi de prebenda, que in dicta vacavit ecclesia per mortem quondam Jacobi Planchamp, ecclesie predicte canonici, canonice fuerit Apostolica auctoritate provisum, Jacobus tame Juliani, clericus chori ecclesie Aniciensis, asserens eandem prebendam sibi per duos ex canonicis ejusdem ecclesie Sancti Agripani, in qua collatio prebendarum ad capitulum ejusdem ecclesie Sancti Agripani pertinere dicitur, fuisse collatam, illam, talis collationis pretextu, laïcali fulctus potentia occupavit et detinet occupatam, in anime sue periculum dictique Petri non modicum detrimentum. Quare idem Petrus ad Apostolice Sedis super hoc recurrens providentiam, nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hoc paterna sollicitudine curaremus. Cum autem idem Jacobus Juliani, prout idem Petrus nobis exposuit, labe sit symoniaca maculatus ac usurarius manifestus, utpote qui in civitate Aniciensi decem milia florenorum auri et amplius jam extorsit per usurariam pravitatem, et incestus crimine labefactus, utpote qui Johannam dictam Gaselas, mulierem Aniciensem, sibi conjunctam in gradu prohibito publice detinet concubinam, duas preterea ecclesias curam animarum habentes quas fuit, post generale Lugdunense concilium, assecutus, absque dispensatione Sedis predicte retineat, nec se fecerit infra annum post assecutionem ipsarum secundum constitutionem dicti concilii ad sacerdotium promoveri, alia insuper tam verbo quam facto enormia plura commiserit, prout memoratus Petrus hec omnia se obtulit legitime probaturum, nos, super premissis et eidem Petro de oportuno remedio providere, et ipsius Jacobi Juliani superbiam et malitiam, si predicta veritate nitantur, prout expediens fuerit, cohibere volentes, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem Jacobum Juliani ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem vestram, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium super dicta prebenda contingentibus, compareat personaliter coram nobis, mandatis nostris et beneplacitis pariturus, ac alia super premissis facturus, et recepturus quod justitia suadebit. Diem vero hujus citationis et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimetis. Dat. Anagnie, II kal. junii, anno sexto.

3607 (CLXXI) Latran, 11 avril 1300.

Concessio canonicatus et prebendæ. (fol. 307.)

Menazato Nitioli quondam Jacomini de Perusio, canonico ecclesie Sancte Trinitatis de Pregio, Perusine diocesis. Tue probitatis meritis —.

Canonicatum et præbendam in ecclesia præfata, si qua vacant ad præsens, ei confert, vel proximo vacaverint reservat, cum eodem dispensans ut, non obstante defectu quem patitur in ætate et ordinibus, præbendam eamdem, si sacerdotalis fuerit vel aliquem sacrum ordinem exegerit, libere recipere valeat, nec teneatur, donec ad legitimam ætatem pervenerit, ad aliquos sacros ordines promoveri.

Dat. Laterani, III id. aprilis, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Pauli Vallispontis, et . . plebano plebis Sancti Martini, ac . . archipresbytero ecclesie Sancti Valentini, Perusine diocesis.*

3608 (CLXXII) Anagni, 15 mai 1300.

Committitur castellania castri Egiptii. (fol. 307 v°.)

Symoni Bentenvegne de Aquasparta, ostiario nostro, castellano castri Egiptii, Viterbiensis et Tuscanensis diocesium. Tue devotionis et fidei —.

Consideratione Mathæi, Portuensis et Sanctæ Rufinæ episcopi, ac Petri, Sanctæ Mariæ Novæ diaconi, cardinalium, pro eo supplicantium, castellaniam et custodiam suprascripti castri, ad demanium Romanæ Ecclesiæ pertinentis, committit usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum. « Per hoc autem jurisdictioni rectoris Patrimonii in Tuscia non intendimus derogare. »

Dat. Anagnie, id. maii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis hominibus castri Egiptii, Viterbiensis et Tuscanensis diocesium.*

3609 (CLXXIII) Latran, 15 avril 1300.

« Quod possit recipere et retinere aliud beneficium ecclesiasticum una cum prepositura, etiamsi curam animarum habeat. » (fol. 307 v° et 308.)

Dilecto filio Spinello, preposito Aretino. Exigunt tue laudabilia —.

Indulget ut unicum aliud ecclesiasticum beneficium, in civitate vel diocesi Aretina, si vacat ad præsens vel proximo vacaverit, Aretinæ preposituræ, ad vitam tantum, annectere ac unire valeat.

Dat. Laterani, XVII kal. maii, anno sexto.

3610 (CLXXIIII) Anagni, 31 mai 1300.

« Mandatur inquisitio fieri in monasterio Sancte Trinitatis Fiscanensi. » (fol. 308.)

Venerabili fratri . . episcopo Lexoviensi, et dilectis filiis . . decano Parisiensis, ac . . archidiacono Narbonensis ecclesiarum. Gerentes in desideriis ut loca divino cultui deputata, religiosa precipue, salutaribus jugiter proficiant incrementis, ac persone degentes in eis sibi per vite meritum aliis proficiant per exemplum, decet ut ad ipsorum reformationem locorum et correctionem hujusmodi personarum, cum expedire conspicimus, studium Apostolice sollicitudinis apponamus. Sane per Robertum de Plumetot, de Nongento, Johannem dictum Morant, Sancti Cervasii *(sic)* prope Rothomagum, prioratuum priores, ad monasterium Sancte Trinitatis Fiscanense spectantium, Benedictum de Sancto Gabriele, cellerarium, Robertum Barbem, Guillelmum Ardouin, monachos ejusdem monasterii, ordinis sancti Benedicti, Rothomagensis diocesis, in presentia nostra fuit expositum quod cum ipsi Thomam, ipsius monasterii abbatem, super quibusdam criminibus et excessibus denuntiare intenderent, ac iter aripuissent propter hoc ad Sedem Apostolicam veniendi, abbas ipse, contra eos et quosdam alios ipsius monasterii monachos in hac parte adherentes eisdem, occasione hujusmodi graviter provocatus, quosdam ex ipsis, administrationes habentes, hujusmodi administrationibus, absque alia causa rationabili, contra justitiam, pro sue voluntatis libito spoliavit, preferendo nichilominus excommunicationum sententias in aliquos eorundem. Porro, quia non solum ex parte ipsorum priorum, cellerarii et monachorum, de prefato abbate, sed etiam ex parte ipsius abbatis, de prioribus, cellerario et monachis prelibatis, multa in nostra et fratrum nostrorum presentia sunt relata, que, si veritate nitantur, in eorum redundant fame dispendium et salutis, scandalum hominibus generant, ipsique monasterio pariunt detrimentum, nos, qui monasterium ipsum paterna dilectione prosequimur, nolentes illa, prout etiam nec debemus, sub dissimulatione transire, plenamque gerentes de vestra circumspectione fiduciam, qui super hiis habere poteritis notitiam pleniorem, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, personaliter accedentes ad locum et habentes pre oculis

solum Deum, illis quos vobis taliter spoliatos fore constiterit ad predictas administrationes, prout justum fuerit, restitutis, ac relaxatis hujusmodi sententiis ad cautelam, ne illarum pretextu hujusmodi negotii prosecutio valeat impediri, super articulis hinc inde datis, quos vobis bulla nostra mittimus interclusos, veritatem ac alias etiam in eodem monasterio, tam in capite quam in membris, quecumque videritis inquirenda, studiose, plene ae sollicite, etiam interim dum hujusmodi pendet restitutio, inquiratis, memorato abbati omni alienationis genere eodem pendente negotio penitus interdicto; que vero super hiis inveneritis, fideliter in scriptis redacta nobis quamtotius destinare curetis, prefixo partibus termino peremptorio competenti quo per se vel procuratores ydoneos coram nobis compareant, nostris in hac parte beneplacitis et mandatis plenarie pariture, ac alias facture et recepture circa premissa quod justitia suadebit. Diem vero prefixionis hujusmodi et quicquid inde duxeritis faciendum, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Quod si non omnes et cetera, duo vestrum et cetera. Dat. Anagnie, II kal. junii, anno sexto.

3611 (CLXXV) Anagni, 2 mai 1300.

« Super jure patronatus. » (fol. 308.)

Dilectis filiis nobilibus viris Johanni, Nicole et Lanfranco, ac aliis de Spinolis, civibus Januensibus, patronis ecclesie Sancti Luce Januensis. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod numerus parrochianorum ecclesie Sancti Luce Januensis, in qua jus patronatus habetis, adeo jam excrevit quod omnes nequeunt infra parrochiam dicte ecclesie habitare, sed in domibus quas habetis extra dictam parrochiam habitant quandoque aliqui eorumdem. Nos autem, vestris supplicationibus inclinati, quod parrochiani predicti, extra dictam parrochiam domos vestras taliter inhabitantes easdem, possint in eadem ecclesia ac si infra dictam parrochiam habitarent audire divina officia, ac a rectore qui pro tempore fuerit ejusdem ecclesie ecclesiastica recipere sacramenta, sine juris prejudicio alieni, vobis vestrisque posteris ex vobis descendentihus, ad quos hujusmodi jus patronatus devenerit, auctoritate presentium indulgemus. Nulli ergo et cetera. Nostre concessionis et cetera. Dat. Anagnie, VI non. maii, anno sexto.

3612 (CLXXVI) Latran, 1er mars 1300.

Concessio prebendæ. (fol. 308.)

Bonacurso dicto Coscio nato dilecti filii nobilis viri Guidutii Chitoli de domo Lanfrancorum, canonico Pisano. Tue probitatis meritis — liberales. Dudum siquidem ad nostram deducto fidedigna relatione notitiam quod Bonacursus Malepa, de domo Lanfrancorum de Pisis, tunc plebanus plebis de Sancto Casciano, Pisane diocesis, et Pisanus canonicus, tanquam in reprobum sensum datus et ad actus nepharios operaque scelesta dispositus, culpas culpis et excessus excessibus, quos tunc ex causa noluimus (*sic*) preterire, in offensam Dei, proprie salutis dispendium et fidelium plurimorum adicere minime verebatur, nos, cum talia tam gravia tamque horrenda toleranda non essent, ne cederet aliis in exemplum, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Pisano dedimus per nostras sub certa forma litteras in mandatis ut, sublato more dispendio, plebanum eundem, per se vel per alium seu alios, ex parte nostra, sub pena excommunicationis et privationis plebis ejusdem, canonicatuum, et prebendarum, et aliorum omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto eum incurrere volumus, si quod mandabamus omitteret adimplere, peremptorie citare curaret, ut infra certum terminum post citationem hujusmodi compareret personaliter coram nobis, recepturus pro meritis et nostris beneplacitis pariturus —.

Cum autem dictus Bonacursus Malepa omiserit comparere nec se excusarit, sicque prædictam pœnam privationis omnium suorum beneficiorum incurrerit, reservatione eorum facta, suprascripto Bonacurso Coscio canonicatum et prebendam, quos dictus Bonacursus Malepa in ecclesia Pisana obtinebat, confert et providet de illis.

Dat. Laterani, kal. martii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Pisano, et dilectis filii . . abbati monasterii Sancti Savini prope Pisas, ac Johanni de Tuderto, canonico basilice Principis Apostolorum de Urbe.*

3613 (CLXXVII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 308 v°.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni Pisanis. Ad nostram dudum —.

Litterarum proximarum tenorem memorat et addit :

Et nichilominus postmodum de canonicatu et prebenda ecclesie Pisane predictis alii duximus providendum, prout in litteris Apostolicis plenius et seriosius

continetur. Ne igitur processus, privatio et provisio hujusmodi per nos facti videantur per aliquorum contemptibilem dissimulationem vel actus contrarios esse nulli, vacui et inanes, quin immo inviolabiliter comprobentur observatione teneri, predicto archiepiscopo et dilectis filiis capitulo Pisanis per alias nostras certi tenoris damus litteras in mandatis ut prefatum Bonacursum, sic suis exigentibus meritis et culpa privatum, ad aliquod canonicatus et prebende aut aliud jus ecclesie Pisane, sive quodcunque aliud participium non admittant, et quod idem archiepiscopus, in ipsis canonicatu et prebenda, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, vel in ipsis ecclesiis in quibus aliqua beneficia in civitate vel diocesi Pisanis ante privationem hujusmodi obtinebat, non sinat recipi vel morari set ab illis tanquam contagiosum pecus a gregibus ejici faciat et vitari; contradictores, et cetera, ac invocando ad hoc si opus fuerit auxilium brachii secularis. Quocirca universitatem vestram rogandam duximus et hortandam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatinus eidem Bonacurso nullum contra hujusmodi nostre privationis tenorem, aut contra id quod nostre voluntatis in hac parte creditis existere vel honoris, prestetis directe vel indirecte, publice vel occulte, consilium, auxilium vel favorem, quinimo eidem archiepiscopo, si propter hoc brachium vestri auxilii requirendum duxerit, pro nostra et prefate Sedis reverentia, favorabiliter ac efficaciter assistatis. Vos in hoc taliter habituri quod, vestre devotionis promptitudinem per effectum operis agnoscentes, illam merito in Domino commendare possimus. Dat. ut supra.

3614 (CLXXVIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 309.)

Venerabili fratri .. archiepiscopo, et dilectis filiis .. capitulo Pisanis. Ad nostram dudum —.

Mandat ut Bonacursum Malepam in illis ecclesiasticis beneficiis quæ antea obtinebat in civitate vel diocesi Pisanis morari non sinant.

Dat. ut supra.

3615 (CLXXVIIII) Anagni, 13 juin 1300.

« Quod possit emere in comitatu Sabinensi. » (fol. 309.)

Nobili viro Oddoni de Sancto Eustachio de Urbe. Devotionis tue sinceritas quam ad nos et Romanam geris Ecclesiam promeretur ut nos, personam tuam paterna benivolentia prosequentes, votis[tuis] favorabiliter annuamus. Hinc est quod nos, tuis supplicationibus inclinati tibi emendi a quibuscunque personis comitatus Sabinensis, de vassallis, possessionibus et bonis et juribus que in eodem obtinent comitatu, nec non personis ipsis hujusmodi vassallos, possessiones, bona et jura, si voluerint, tibi vendendi, quibusvis inhibitionibus vel constitutionibus contrariis, si que per rectores ejusdem comitatus qui fuerunt pro tempore aut alias Apostolica seu quacumque alia auctoritate facte forsitan existerent, vel fieri contingeret in futurum, nequaquam obstantibus, plenam et liberam presentium auctoritate concedimus facultatem, presentibus post unum annum minime valituris. Dat. Anagnie, id. junii, anno sexto.

3616 (CLXXX) Anagni, 13 juin 1300.

« Preficitur in episcopum Burgensem. » (fol. 309.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Burgensi. Summi providentia Principis — illucescat. Dudum siquidem Burgensi ecclesia per obitum bo. me. Fernandi, episcopi Burgensis, solatio destituta pastoris, dilecti filii .. decanus et capitulum ipsius ecclesie — certa die ad eligendum prefixa, prout est moris, insimul convenerunt, et tandem — per viam deliberantes procedere compromissi, dilectis filiis Symoni, archidiacono, et Martino Roderici ac Fernando Tellii, ecclesie predicte canonicis, providendi ea vice ipsi ecclesie de pastore concesserunt unanimiter et concorditer plenam et liberam potestatem —. Prefati vero archidiaconus et ejus in hac parte college — in te, tunc ipsius ecclesie Burgensis canonicum, ac in diaconatus ordine constitutum, direxerunt unanimiter vota sua —. Presentato itaque tibi hujusmodi electionis decreto per certos procuratores seu nuntios decani et capituli predictorum ad hoc specialiter constitutos, tu, circa electionem hujusmodi de te factam, consensum et dissensum tuum in voluntate ac dispositione nostra infra tempus a jure statutum totaliter ponere curavisti. Postmodum autem, procuratoribus seu nuntiis ipsis in nostra presentia constitutis, ac electionem predictam a nobis suppliciter petentibus confirmari, nos electionem ipsam, quia decanus et canonici supradicti ejusdem electionis tempore erant excomunicationis sententia innodati, non duximus admittendam. Et demum, gerentes ad prefatam Burgensem ecclesiam specialis dilectionis affectum, et ad ejus tranquillum statum et prosperum

paternis studiis intendentes, ab eadem sententia decanum et capitulum absolvimus supradictos, nonnullis postmodum canonicis ipsius ecclesie tunc apud Sedem Apostolicam constitutis, ne prefatam ecclesiam diutius vacare contingeret, eligendi aliquam personam ydoneam, nomine suo et dictorum decani et capituli, ad ejusdem ecclesie regimen, plenam liberamque licentiam de Apostolice plenitudine potestatis vive vocis oraculo concedentes; qui tandem, deliberatione inter se prehabita diligenti, te tunc, sicut premittitur, ipsius ecclesie Burgensis canonicum, in ipsius ecclesie Burgensis episcopum unanimiter et concorditer elegerunt. Nos itaque sollicita consideratione pensantes quod ex tua multiplici probitate processit, quod per jamdictos compromissarios in ecclesie ipsius episcopum concorditer, et postmodum per dictos canonicos, sicut predicitur, apud Sedem constitutos eandem, voluntate unanimi ad prefatam electus ecclesiam extitisti, attendentes etiam grata et accepta servitia que nobis abolim familiariter impendisti et impendere studiose non desinis, considerantes quoque merita grandia et virtutum insignia, nostris utique non ignota sensibus, quibus nosceris insignitus, volentes insuper obviare dispendiis que solent viduatis ecclesiis ex diutine vacationis instantia imminere, te, tunc Burgensem canonicum, prout superius est expressum, de fratrum nostrorum consilio et predicte Apostolice plenitudine potestatis eidem ecclesie Burgensi in episcopum prefecimus et pastorem, curam et administrationem ipsius tibi spiritualiter et temporaliter committentes, tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum Ostiensem et Velletrensem episcopum munus consecrationis impendi. Dat. Anagnie, id. junii anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Burgensis, clero civitatis et diocesis, populo civitatis et diocesis, universis vassallis ecclesie.*

3617 (CLXXXI) Anagni, 5 juin 1300.

Mandat ut observet canonica instituta contra clericos conjugatos qui negotiationes seculares clericis interdictas exercent, ac procedat in ceteris, per comitatum Venaysinum, secundum consuetudines ejusdem comitatus et statuta, si quæ sint, auctoritate Sedis Apostolicæ edita. (fol. 309 v°)

Dilecto filio . . rectori comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis. Cum nos comitatum Venaysinum, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantem, paternis studiis prosequamur, cupientes ut ejusdem incole comitatus prosperitatis gaudeant ubertate, ad ea libenter intendimus ex quibus ipsis quies et commodum valeant provenire. Accedentes siquidem ad presentiam nostram dilecti filii Bertrandus de Mornatio et Giraudus Martini, clerici jurisperiti, ac Raymundus de Libra, miles, syndici et ambaxatores comunitatum comitatus ipsius, nobis exponere curaverunt quod in eodem comitatu nonnulli sunt clerici conjugati, qui licet negotiationes exerceant seculares clericis interdictas, subire tamen cum laicis consueta onera contradicunt. Statuta etiam in eadem comitatu edita proponebant inter alia continentia quod nichil post appellationem fore interpositam innovandum et innovata revocari deberent; et quod nemo posset personaliter detineri qui paratus esset de juri parendo prestare ydoneam cautionem, nisi talem commisisse diceretur excessum, quod esset inde personaliter puniendus; quod etiam capitula sive articuli et processus copia deberent ei contra quem inquiritur exhiberi; quodque nullus subjiceretur tormentis absque cause cognitione precedente [1] in ejus presentia facienda; preterea de non spoliando aliquem nisi per magistratum et de restituendo spoliatos de plano et sine strepitu aliquo judiciorum; et de registris et cartulariis ubi sunt prothecolla seu note spectantia ad homines dicti comitatus extra comitatum eundem non extrahendis, ac remissionibus in causis hominum dicti comitatus extra comitatum eundem nullatenus faciendis; quod animalia insuper aratoria, vel panni de lectis, dummodo alia bona reperirentur, non deberent capi pro debitis quibuscunque. Proposuerunt preterea syndici et ambassiatores predicti quod, postquam regimen dicti comitatus ad manus Ecclesie predicte pervenit, multa in universitatum et hominum dicti comitatus prejudicium fuerant attemptata. Quare syndici et ambaxatores prefati nobis humiliter supplicabant ut, contra hujusmodi clericos conjugatos oportunum adhibere remedium, dictisque statutis et aliis in eodem comitatu editis, de quibus constare dicebant per publica documenta, confirmationis robur adicere, ac mandare attemptata predicta, postquam de illis tibi de plano et sine strepitu judiciorum constaret, per te in statum debitum revocari, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos autem statuta in eodem comitatu absque auctoritate Sedis Apostolice non immerito respuentes, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, cum circa hujusmodi clericos conjugatos plura jam emanaverint canonica instituta, ex quibus apparet quod sit in talibus observandum, illa circa prefatos clericos conjugatos ipsuis comitatus observes ac innovata hujusmodi, prout justum fuerit,

1. *Ms* : presidente.

revocare procures. In ceteris vero premissis et aliis que occurrent, secundum jura et etiam statuta, si qua sint in eodem comitatu auctoritate dicte Sedis edita, ac ejusdem comitatus laudabiles et approbatas consuetudines procedas et judices, ac per officiales quoscumque dicti comitatus procedi facias et etiam judicari, prout salubri statui sepefati comitatus videris expedire. Dat. Anagnie, non. junii, anno sexto.

3618 (CLXXXII) Même date.

Indulget ut, quamdiu coram ordinariis aut rectori comitatus Venaysini stare juri parati fuerint, non valeant per litteras Apostolicas coram diversis judicibus ad judicium evocari. (fol. 309 v° et 310.)

Venerabilibus fratribus episcopis, et dilectis filiis clericis et religiosis, nobilibus viris, baronibus, comunitatibus quoque, ac hominibus universis habitatoribus comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis. Sicut ad nostrum pervenit auditum, nonnulli clerici et laici vos coram diversis judicibus per litteras Apostolicas faciunt ad judicium evocari, et fatigant plerisque laboribus et expensis, quanquam ordinarii vestri super causis ad eorum forum spectantibus, ac rector comitatus Venaysini per Sedem Apostolicam deputatus, super hiis que ad juridictionem suam pertinent, de vobis parati existant cuilibet conquerenti exhibere justitie complementum. Nos igitur, quieti vestre ne taliter impetamini providere volentes, vobis auctoritate presentium indulgemus ut, quamdiu coram dictis ordinariis et rectore ac suis officialibus parati fueritis, ut premittitur, stare juri, per hujusmodi litteras impetratas, quarum auctoritate nullus habitus est processus, et etiam impetrandas, que de presentibus non fecerint mentionem, super premissis molestari ab aliquibus nullatenus valeatis. Nos enim excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias, ac quicquid contra hujusmodi indulti nostri tenorem, in vos comuniter, seu aliquos vel aliquem vestrum, ab aliquo contigerit promulgari decernimus non tenere. Ad Judeos autem, habitatores ipsius comitatus, quique in posterum ibi elegerint incolatum, nolumus quod indultum hujusmodi aliquatenus extendatur. Nulli ergo, et cetera. Nostri indulti, et cetera. Dat. ut supra.

3619 (CLXXXIII) Même date.

Mandat ut, in comitatu Venaysino, regimen tam spiritualium quam temporalium exerceat. (fol. 310.)

Magistro Mathie de Theate, canonico de Theate, canonico Morinensi, rectori comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis. Devotionis et fidei promptitudo, quam erga nos et Romanam Ecclesiam habere te novimus, spem nobis uberem promittit ut, que tibi committuntur a nobis, sic prudenter et fideliter exequaris, quod Ecclesie prelibate honor inde consurgat, et comodum tibi laudis et glorie proveniat incrementum. Dudum siquidem regimen comitatus Venaysini, ad dictam Ecclesiam pleno jure spectantis, tibi duximus in temporalibus committendum. Nunc autem, spectantes quod idem comitatus etiam in spiritualibus possit per tue circumspectionis industriam, gratia tibi suffragante divina, salubriter et prospere gubernari, te in illo rectorem quo ad ipsa spiritualia duximus deputandum, nec propterea revocare intendimus jurisdictionem tibi per nos in eodem comitatu in temporalibus attributam; quin immo ipsius comitatus regimen ad laudem Dei et ipsius honorem Ecclesie exercere te volumus in utrisque. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, in ejusdem comitatus regimine tam spiritualium quam temporalium salubriter exercendo, sic te exhibeas studiosum quod comitatus ipse rectori provido gaudeat se commissum; tuque proinde nostre benedictionis gratiam uberius consequi merearis. Dat. ut supra.

3620 (CLXXXIIII) Même date.

Licentia faciendi novam in comitatu Venaysino cudi monetam. (fol. 310.)

.. *Rectori comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis.* Ad statum felicem et prosperum comitatus Venesini, Romane Ecclesie pleno jure subjecti, sollicitis studiis intendentes, opem solerter impertimur et operam ut comitatus ipse honoris et comodi votivum suscipiat incrementum. Nuper siquidem, ex parte tua et universitatis hominum comitatus ejusdem, fuit nobis supplicatum ut in comitatu ipso novam cudi monetam auctoritate Apostolica faceremus, cum exinde dicto comitatui cumulus honoris accederet ac fructus commoditatis multiplicis proveniret. Nos autem, qui paterne sollicitudinis studio, non solum comitatus ipsius, sed etiam terrarum omnium ejusdem Romane Ecclesie subjectarum, libenter comoda procuramus, prefati comitatus affectantes augmentum, tuis et hominum predictorum supplicationibus inclinati, faciendi novam cudi monetam, sic bonam quod non oporteat inposterum revocari, in comitatu predicto, si ejus statui et ipsorum

hominum ac etiam alienigenorum utilitati videris expedire, plenam et liberam, presentium auctoritate, concedimus facultatem. Dat. ut supra.

3621 (CLXXXV) Même date.

Mandat ut expellat de comitatu Venaysino alienigenas et Judæos usuras exercentes. (fol. 310.)

.. *Rectori comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis.* Cum sicut ex parte dilectorum filiorum comunitatum terrarum comitatus Venaysini, ad Romanam Ecclesiam pleno jure spectantis, fuit expositum coram nobis quod multi Christiani in eodem comitatu sint alienigene, usurarii manifesti, multique Judei, exercentes usuras, ex quibus comitatus ejusdem incolis multa dampna et rerum dispendia provenire noscuntur, nos, qui comitatum eundem affectione paterna prosequimur, nolentes ut incole prelibati, propter moram quam iidem usurarii et Judei contrahunt, supradicta dampna hujusmodi et dispendia patiantur, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus hujusmodi alienigenas, et alios non oriundos de comitatu predicto, ac Judeos, pecuniam fenebrem exercentes publice aut exercere volentes, de predicto comitatu expellas, numquam aliquos tales in comitatu predicto de cetero admissurus. Dat. ut supra.

3622 (CLXXXVI) Anagni, 3 juin 1300.

« Committitur administratio ecclesie Acherontine. » (fol. 310.)

Dilecto filio fratri Gentili, electo Cathaniensi, administratori ecclesie Acherontine. Apostolice sollicitudinis studium — gratuletur. Sane vacante nuper Acherontina ecclesia per obitum sui archiepiscopi, nos provisionem et ordinationem ejusdem ecclesie Acherontine hac vice dispositioni nostre ac Sedis Apostolice duximus reservandam, decernentes irritum et inane si secus per quoscumque scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Attendentes igitur quod tu, proventibus tuis episcopalibus Cathaniensis ecclesie tue, per inimicos Ecclesie qui occupata ipsam ecclesiam et ejus bona hactenus detinebant, fuisti per non modici temporis spatium destitutus, et pro iminentibus tibi tam dudum quam inpresentiarum necessariis et expensis gravi et importabili premeris onere debitorum, quodque ipsius ecclesie Acherontine regimen poterit per te salubriter exerceri, et tibi exinde competens subsidium pro substentatione tua et tue familie provenire, donec Sedes Apostolica circa statum persone tue aliter duxerit providendum, ac intendentes in hac parte tam utilitati dicte Acherontine ecclesie providere quam tuis necessitatibus paterna diligentia subvenire, curam et administrationem plenam, generalem et liberam, predicte ecclesie Acherontine ac bonorum et jurium ipsius, in spiritualibus et temporalibus, gerendas a te usque ad Sedis ejusdem beneplacitum tibi auctoritate presentium duximus committendas —, non obstante quod venerabili fratri nostro G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato, ut fructus, redditus et proventus omnium vacantium ecclesiarum regni Sicilie, durante officio legationis in eo sibi commisse, percipere posset, dudum duximus per nostras sub certa forma litteras concedendum —. Dat. Anagnie, III non. junii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Acherontine.*

In. e. m. *clero civitatis et diocesis.*

In. e. m. *populo.*

In. e. m. *universis vassallis ecclesie.*

3623 (CLXXXVII) Même date.

« Transfertur Albertus de Terracinensi ad Capuanam. » (fol. 310, v°)

Venerabili fratri Alberto, olim episcopo Terracinensi, in archiepiscopum Capuanum electo.

Eum de Terracinensi transfert ad Capuanam ecclesiam.

Dat. ut supra.

In. e. m. *decano et capitulo — clero — populo — universis vassallis — universis suffraganeis; — carissimo in Christo filio C[arolo], regi Sicilie illustri.*

(POTTHAST, 24947.)

3624 (CLXXXVIII) Latran, 5 mai 1300.

« Preficitur in episcopum Terracinensem. » (fol. 310 v° (?)

Johanni, electo Terracinensi. Licet continuato —.

Eum ex canonico Bononiensi eligit in Terracinensem episcopum.

Dat. Laterani, III non. maii, anno sexto.

(POTTHAST, 24949.)

3625 (CLXXXVIII) Anagni, 1er juin 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 311.)

Gerelmo de Lelare, laico, et Anescete de Attio, uxori ejus, Tornacensis diocesis. Licet in quarto —.

Eis qui, ignorantes quod quondam Margarita, olim uxor Gerelmi, quarto consanguinitatis gradu Anescetam contingeret, matrimonium contraxerunt, indulget ut possint in dicto matrimonio licite remanere.

Dat. Anagnie, kal. junii, anno sexto.

3626 (CLXXXX) Latran, 13 avril 1300.

« Quod revocent statuta edita contra clerum Bononiensem. » (fol. 311.)

Dilectis filiis . . potestati, . . capitaneo, antianis, et communi Bononiensibus. Cum vos et —.

Eos hortatur ut statuta contra clerum Bononiensem edita revocent, restituendo quamdam terram, quæ Sancti Johannis in Persiceto vulgariter appellatur, ecclesiæ Bononiensi, et faciendo nonnullas ecclesias civitatis et diocesis Bononiensis, a nobilibus et potentibus prædictarum civitatis et diocesis detentas, omnino dimitti, ac eisdem ecclesiis possessiones restitui.

Dat. Laterani, id. aprilis, anno sexto.

(POTTHAST, 24944.)

3627 (CLXXXXI) Anagni, 5 juin 1300.

« Quod non permittat molestari illos de comitatu Venaysino. » (fol. 311 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Aurasicensi. Intellecto dudum quod —.

Indulti tenorem supra in capitulo CLXXXII contenti memorat et mandat suprascripto ut habitatores comitatus Venaysini contra hujus indulti tenorem molestari non permittat, molestatores per censuram ecclesiam, appellatione postposita, compescendo.

Dat. Anagnie, non. junii, anno sexto.

3628 (CLXXXXII) Anagni, 8 juni 1300.

« Super quodam arbitrio ferendo inter quosdam mercatores Lucanos. » (fol. 311 v° et 312.)

Venerabili fratri . . episcopo Pistoriensi. Provenit ex tua probitate multiplici, que multorum fidedignis relatibus commendatur, quod ea tibi libenter exequenda committimus que Romanam Ecclesiam contingere dinoscuntur. Sane gravis et honusta dispendiis dilectorum filiorum Labri Vupelli, Henrici de Podio ac Riccardini Gottori, et sociorum suorum de societate Riczardorum de Luca, nuper ad audientiam nostram querela perduxit, quod quamplures societatis predicte socii et factores, cives Lucani, pridem minus fideliter se gerentes et ad dissipationem omnimodam societatis aspirantes ipsius, quasdam de pecunia societatis ejusdem quantitates non modicas temere subtraxerunt, eas propriis ipsorum usibus applicando, ipsique, in sue prave intentionis proposito nequiter obfirmati, quantitates ipsas prefate societati restituere contradicunt, licet super hoc pluries ab eisdem Labro, Henrico et Riccardino, suisque sociis, fuerint requisiti. Verum dilecti filii . . potestas, . . capitaneus, . . major, . . syndicus, antiani, priores societatum, consilium et comune Lucani, ex benivolentie specialis affectu quo societatem prosequuntur eandem, ad statum ejus prosperum sollicitis studiis intendentes, dilectos filios Homodeum Phiadoni, Bartholomeum Thoringuelli et Gratiam Callarelli, eorum concives, de consensu partium arbitros elegerunt, ut ipsi de quantitatibus supradictis, ac etiam illorum nominibus qui quantitates dicuntur subtraxisse prefatas, diligenter et solerter inquirerent veritatem, et illos, de quibus per inquisitionem hujusmodi constaret eisdem quod in hac parte culpabiles extitissent, ad restitutionem quantitatum ipsarum societati predicte integraliter faciendam compellere non differrent. Set, quanquam eisdem arbitris per inquisitionem predictam de hujusmodi nominibus et quantitatibus prelibatis constiterit evidenter, subtractores tamen hujusmodi ad restitutionem quantitatum ipsarum pro suo libito cogere pretermittunt, in predictorum Labri, Henrici ac Riccardini, et sociorum suorum, dicteque Romane Ecclesie, cui predicta societas in magnis pecuniarum summis obligata dinoscitur, grave prejudicium et jacturam. Quare nobis iidem Labrus, Henricus ac

Riccardinus, et socii, humiliter supplicarunt ut super hoc oportune provisionis adhibere remedium dignaremur. Nos itaque, diligenti consideratione pensantes quod prenominata societas camere ipsius Romane Ecclesie in magnis pecuniarum summis est, sicut premittitur, obligata, et propterea hujusmodi negotium nostrum et ejusdem Ecclesie proprium ex hujusmodi considerationibus non immerito reputantes, fraternitati tue, per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus, per te, vel alium seu alios predictos arbitros, ad ferendum arbitrium et sententiam super hujusmodi negotio inter partes, ac alias etiam in eodem negotio efficaciter procedendum, juxta formam commissionis hujusmodi ab eodem comuni, sicut predicitur, sibi facte, ac illos insuper quos iidem arbitri ad restituendas eidem societati quantitates predictas duxerint sententialiter condempnandos, per censuram ecclesiasticam, auctoritate nostra ad id, appellatione postposita, compellere non postponas ; invocato ad hoc si opus fuerit, auxilio brachii secularis ; sic te in premissis efficaciter habiturus, ut tue sollicitudinis studium exinde non immerito commendemus. Dat. Anagnie, vi id. junii, anno sexto.

3629 (CLXXXXIII) Même date.

« Super eodem. » (fol. 312.)

Dilectis filiis . . potestati, . . capitaneo, . . majori, . . syndico, anttianis, prioribus societatum, consilio et comuni Lucanis. Considerantes attentius —.

Eos rogat ut arbitros, deputatos ad exequendum negotium quod exponitur in proxima superiori, temporali districtione de qua viderint expedire cogant.

Dat. ut supra.

3630 (CLXXXXIIII) Même date.

« Mandantur vendi quedam possessiones quorumdam sociorum de societate Riczardorum de Luca. » (fol. 312.)

Dilectis filiis . . priori Sancti Fridiani Lucani, et . . plebano plebis de Vurno, Lucane diocesis. Exposita nobis dilectorum —.

Memorat eisdem, fere verbis quibus supra, negotium quod vertitur intra societatem Riczardorum et quamplures socios et factores ipsius societatis, Lucanos cives, et addit :

Quorum aliqui, prout habet fidedigne relationis assertio, libenter societati predicte super hoc debitam satisfactionem impenderent si voluntati potentia responderet, et licet ipsi certam partem de possessionibus et bonis eorum propter hoc vendere sint parati, ut societati predicte satisfacere valeant in hac parte, quia tamen tam ipsorum quam aliorum omnium sociorum societatis ejusdem possessiones et bona omnia, pro certis pecuniarum summis in quibus memorata societas camere Romane Ecclesie teneri conspicitur, sunt eidem camere obligata, nullus occurrit, ut dicitur, qui empturum se aliquid offerat de bonis et possessionibus supradictis : super quo iidem Labrus, Henricus et Riccardinus, et ipsorum socii, per nos adhiberi remedium suppliciter postularunt.

Concedit suprascriptis facultatem præstandi Apostolica auctoritate consensum, et interponendi decretum, prout expedire videbitur, in venditionibus possessionum et bonorum ipsorum, ac concedendi super hoc plenariam potestatem illis qui ea emere voluerunt, ac insuper deponendi, ejusdem camere nomine, in aliquo tuto loco totam pecuniam quam de possessionibus et bonis eisdem hujusmodi occasione vendendis ab eorum emptoribus contigerit exhiberi.

Volumus autem quod de ipsius depositione pecunie duo publica instrumenta fieri faciatis, quorum alterum penes vos retinentes nobis reliquum destinetis, nichilominus nobis ejusdem quantitates pecunie per vestras comunes litteras fideliter intimando. Dat. ut supra.

3631 (CLXXXXV) Anagni, 3 juin 1300.

« Preficitur in episcopum Parmensem. » (fol. 312.)

Venerabili fratri Papiniano, episcopo Parmensi. Militanti ecclesie —.

Eum de Novariensi ad Parmensem transfert ecclesiam.

Dat. Anagnie, III non. junii, anno sexto.

(POTTHAST, 24961.)

3632 (CLXXXXVI) Anagni, 17 juin 1300.

Licentia contrahendi mutuum, (fol. 312 v°.)

Venerabili fratri Petro, episcopo Burgensi. Cum sicut in nostra —.

Concedit facultatem contrahendi mutuum usque ad summam

duorum millium quingentorum et quinquaginta florenorum auri.

Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno sexto.

In. e. m. pro Fernando, episcopo Calaguritano, de duobus milibus florenis auri, sub eadem data.

3633 (CLXXXXVII) Anagni, 4 mai 1300.

« Quod possit sibi eligere confessorem. » (fol. 312 v°.)

Dilecto filio fratri Gottifrido, magistro Hospitalis Sancte Marie Theotonicorum. Ut per confessionis lavacrum —. Dat. Anagnie, IIII non. maii, anno sexto.

3634 (CLXXXXVIII) Anagni, 12 juin 1300.

« Preficitur in episcopum Cordubensem. » (fol. 312 v°.)

Venerabili fratri Ferdinando, episcopo Cordubensi. Ad regimen universalis —.

Ecclesia Cordubensi per obitum bo. me. Egidii episcopi vacante, et canonicis capituli, sexdecim numero, electioni futuri pastoris per viam scrutinii procedentibus, novem ex ipsis in magistrum Ferdinandum, ejusdem ecclesiæ archidiaconum, septem vero in magistrum Stephanum Alfonsi, decanum ecclesiæ Toletanæ, consenserunt. Et licet postmodum predictus decanus electioni de se celebratæ noluerit consentire, tamen electores ejus ad Apostolicam Sedem appellarunt; postea vero archidiaconus prædictus omne jus, si quod ei ex electione competebat, libere resignavit. Qua resignatione recepta, provisionem ecclesiæ Cordubensis dispositioni Apostolicæ ea vice duxit reservandam dominus papa, et eidem suprascriptum, tunc archidiaconum de Bayeza in ecclesia Giennensi, præficit in episcopum, faciens ei per N[icolaum], Ostiensem episcopum, consecrationis munus impendi.

Dat. Anagnie, II id. junii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Cordubensis — clero civitatis et diocesis — populo.*

In. e. m. *universis vassallis ecclesie.*

In. e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Toletano.*

3635 (CLXXXXIX) Anagni, 13 juin 1300.

« Preficitur in episcopum Calaguritanum. » (fol. 313.)

Venerabili fratri Ferdinando, episcopo Calaguritano. Pastoralis officii cura —.

Ecclesiæ Calaguritanæ per translationem Almorandi episcopi ad Yspalensem vacanti, et ea vice dispositioni Apostolicæ reservatæ, eum, archidiaconum Cordubensem, præficit in episcopum, ei faciens per N[icolaum], Ostiensem et Velletrensem episcopum, munus consecrationis impendi.

Dat. Anagnie, id. junii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Calagurritane*

In. e. m. *clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie.*

3636 (CC) Latran, 25 janvier 1300.

« Statuitur certus numerus canonicorum in ecclesia Sancte Marie de Fumone, Alatrine diocesis. » (fol. 313 v°.)

Dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo ecclesie Sancte Marie de Fumone, Alatrine diocesis. Gregis dominici —. Sane pro parte vestra nuper accepimus quod in ecclesia vestra, in qua fuerunt et sunt octo tantum beneficia distincta licet inequalia, fuit olim per Sedem Apostolicam octonarius clericorum seu canonicorum numerus institutus, licet legitima documenta super hoc obtenta, cum sint ammissa, in lucem producere nequeatis. Verum venerabilis frater noster Nicolaus, episcopus Alatrinus, et nonnulli predecessores ejus qui fuerunt pro tempore, quamplures in clericos seu canonicos ultra predictum numerum instituerunt, vel institui mandarunt seu recipi in ecclesia memorata, et preceperunt quod de comunibus ipsius ecclesie proventibus sicut aliis ejusdem ecclesie clericis seu canonicis responderetur eisdem; quorum etiam aliqui ad hujusmodi mandatum in clericos seu canonicos in ipsa ecclesia sunt recepti, et, ut alii ejusdem ecclesie clerici seu canonici, portionem hujusmodi comunium proventuum percipiunt in eadem; contra reliquos vero fuerunt interdum nonnulle appellationes ad Sedem Apostolicam interjecte, ac inde nonnulla litigia sunt exorta, et coram nonnullis judicibus seu auditoribus agitantur, propter que prefata ecclesia oppressionibus et incomodis ac expensarum oneribus adeo pregravatur, quod nisi celeriter succurratur eidem ad statum miserabile deducetur. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere vobis et eidem ecclesie super hiis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque, vobis et eidem ecclesie super premissis benigno compatientes affectu, et volentes super hiis remedium apponere opor-

tunum, vestris supplicationibus inclinati, hujusmodi octonarium canonicorum, te, fili archipresbyter, computato, et totidem beneficiorum scilicet predictorum numerum in ecclesia ipsa taxamus; statuentes ut eodem numero sit decetero ecclesia ipsa contenta, nec aliquis recipiatur ibidem donec vestrum collegium ad dictum numerum sit redactum et infra predictum numerum canonicatus et beneficium vacaverint in eadem, et nulli cujuscunque auctoritate recipiendo exnunc in dicta ecclesia ultra predictum numerum teneamini, per litteras Sedis Apostolice, vel legatorum ipsius seu ordinarii, aut cujuscunque alterius impetratas vel etiam impetrandas, de quibuscunque proventibus ipsius ecclesie vel cotidianis distributionibus providere, nec ad assignandum alicui stallum in choro et locum in capitulo, quandiu sub expectatione vacaturi beneficii fuerit, per eas compelli aliquatenus valeatis, nisi eedem littere Apostolice de hac indulgentia et statuto hujusmodi plenam et expressam fecerint mentionem. Decernimus autem nullius esse valoris si secus actum fuerit etc. Hujusmodi autem octonarium canonicorum numerum [1] de illis esse intendimus in presenti qui canonicatus et predicta beneficia nunc pacifice obtinent in ecclesia memorata. Reliqui [2] vero ex jam receptis in eadem ecclesia, deservientes ibidem, de cotidianis distributionibus et aliis comunibus proventibus vel obventionibus ejusdem ecclesie percipiant sicut et percipiunt, ut premittitur, velut alii residentes in ea clerici sive canonici, portionem, et vocem habeant in capitulo, et beneficia, cum vacabunt ibidem, secundum institutionum et receptionum suarum ordinem assequantur. Hii autem qui sunt instituti quacunque auctoritate et non recepti in ecclesia memorata, vel ut instituantur et recipiantur ex favore juris insistunt, nichil percipere aut tenere valeant, pretextu institutionum suarum, ab ecclesia supradicta; set, si qua tenent, ea dimittere teneantur. Attamen ipsi, postquam predicti reliqui sua beneficia in ipsa ecclesia fuerint, ut predicitur, assecuti, cum canonicatus et beneficia processu temporis vacaverint in eadem, admittantur ad illa, prout ex suis institutionibus jure fuerint et tempore potiores. Et si qui eorum tunc sive inter se sive contra vos voluerint de suo jure contendere, suam coram competenti judice, secundum acta retro habita, justitiam prosequantur. Nos autem interim omnes institutiones et provisiones eorum, et effectus ipsarum, immo omnes causas hinc inde exortas ac processus super hiis, volumus in suspenso manere. Omnes insuper excomunicationis, suspensionis et interdicti sententias, in vos comuniter vel divisim, aut etiam nominatim, seu prefatam ecclesiam, per quascunque et quacunque auctoritate prolatas, premissorum occasione vel alicujus eorum, ad omnem dubium excludendum, auctoritate Apostolica relaxamus etc. Nulli ergo etc. Nostre taxationis, statuti, constitutionis, intentionis, voluntatis, remissionis, relaxationis, absolutionis et dispensationis etc. Dat. Laterani, VIII kal. februarii, anno sexto.

1. *Ms* : numerus.
2. *Ms* : reliquos.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Ferentinati, et dilecto filio Henrico de Labro, capellano nostro, canonico Ferrariensi, ac . . abbati secularis ecclesie Sancti Angeli de Fumone, Alatrine diocesis.* Gregis dominici etc. Dat. ut supra.

3637 (CCI) Latran, 28 janvier 1300.

« Super relaxatione magistri Guillelmi Vallispirii de castro Perpiniani. » (fol. 314.)

Venerabilibus fratribus . . Biterrensi, et . . Agathensi episcopis. Dudum ex querelosa —.

Memorat negotium in epistola CXII expositum eisdem verbis usque : prejudicium generetur.

Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, eodem magistro Guillelmo Vallispirii libertati pristine, ut premittitur, restituto, vos vel alter vestrum, per vos, vel alium seu alios eisdem episcopo et officiali ejus, Hugoni et Petro, Jacobo Catelli ac Johanni substituto, a quibuslibet excommunicationum et interdicti sententiis, tam per vos quam per predictum auditorem, in eos, occasione hujusmodi, promulgatis, si in eas ipsi vel eorum aliqui inciderunt, nec non tam eis quam quibuscunque officialibus seu bajulis et aliis de gente dicti regis, clericis vel laicis, a sententia canonis, si eam ipsi vel eorum aliqui, occasione hujusmodi captionis et detentionis magistri Guillelmi, Petri Vallispirii ac notarii predictorum, forsitan incurrerunt, auctoritate nostra absolutionis beneficium impendatis; et si qui ex eis, occasione sententiarum hujusmodi, irregularitatis maculam forsitan contraxerunt, celebrando divina vel immiscendo se illis, dispensetis misericorditer cum eisdem, ad omne super hujusmodi sententiis et irregularitate dubium excludendum, spiritualibus penis seu penitentiis per vos vel alium, de mandato nostro, hujusmodi occasione, imponendis eisdem, in eventum cause nobis specialiter reservatis. Dat. Laterani, V kal. februarii, anno sexto.

3638 (CCII) Anagni, 19 avril 1300.

« Super dispensatione matrimonii cum quibusdam de Perusio. » (fol. 314.)

Dilecto filio nobili viro Phylippo, nato dilecti filii Guidonis de Cornia, legum doctoris, civi Perusino, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Lumie, nate nobilis viri Petrutii quondam Hugolini de Bitonio, Asisinatis diocesis. Inter cetera nostre —.

Ad tollendam livoris materiam inter eorum parentes, indulget ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, possint matrimonium invicem contrahere.

Dat. Anagnie, XIII kal. maii, anno sexto.

3639 (CCIII) Anagni, 5 juin 1300.

« Quod non permittant molestare abbatissam et conventum monasterii Romaricensis, Tullensis diocesis. » (fol. 314.)

Dilectis filiis . . priori Sancti Pauli, et . . decano Sancti Stephani, ac . . cantori Sancti Johannis ecclesiarum Bisuntinarum. Obviare malitiis perversorum —.

Mandat, cum abbatissæ et conventui monasterii Romaricensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Tullensis diocesis, grave ac dispendiosum existat, super singulis bonorum occupationibus, gravaminibus et violentiis quibus molestantur a nonnullis personis, tam ecclesiasticis quam nobilibus, militibus et laicis, de predicto loco Romaricensi et circumposita regione, ad Sedem Apostolicam habere recursum, ut eisdem abbatissæ et conventui protectionis, tuitionis et defensionis auxilium impendant, adversus occupatores et molestatores « cujuscumque sint preminentie, conditionis aut status, etiamsi pontificali prefulgeant dignitate. »

Dat. Anagnie, non. junii, anno sexto.

3640 (CCIIII) Anagni, 6 juin 1300.

« Conceditur sibi feudum in castro Orcle, Viterbiensis diocesis. » (fol. 314 v°.)

Constantio de Fulgineo, domicello et familiari nostro. Ut tua sincera et obsequiosa —.

Feudum quod quondam Gerardus de Viterbio, miles, in castro Orcle ac ejus territorio, Viterbiensis diocesis, a Romana Ecclesia obtinebat, nuper per ipsius obitum ad eandem Ecclesiam devolutum, concedit quoad vixerit retinendum, ita tamen quod debita servitia exhibeat nec quidquam de feudo prædicto alienet.

Dat. Anagnie, VIII id. junii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri Theoderico, Civitatis Papalis episcopo, Patrimonii Beati Petri in Tuscia rectori.*

3641 (CCV) Anagni, 21 juin 1300.

« Scribitur diversis collectoribus quod debeant dare decimam collectam et colligendam mercatoribus camere. » (fol. 314 v°.)

Venerabili fratri episcopo Pistoriensi, collectori decime in provintia Tuscie. Cum in provintia Tuscie decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane, per triennium duxerimus imponendam, teque in ea fecerimus ipsius decime collectorem, fraternitati tue monemus et hortamur attente, per Apostolica tibi scripta districte precipiendo mandantes, quatinus totam pecuniam, per te vel alium seu alios de mandato tuo, ex decima ipsa, tam collectam, que nondum sit ad mandatum nostrum alicui vel aliquibus mercatoribus assignata, quam etiam sive pro preterito sive pro futuro tempore colligendam, dilectis filiis Thome Spiliati, et Vanni Jacobi, de Mozorum, Rogerio et Lapo Spine, de Spinorum, de Florentia, Clarentino Anselmi, Mergollese Brachii, Pucio Floravantis et Marsoppino Clarenti, de Clarentum, de Pistorio societatibus, vel eorum sociis, nostre camere mercatoribus, de quorum legalitate confidimus, vel procuratori seu procuratoribus eorundem, ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus predictarum societatum nomine specialiter constitutis, aut ipsorum mercatorum vel procuratorum alicui vel aliquibus has nostras deferentibus litteras, nomine omnium predictorum mercatorum et societatum, pro nobis et eadem Ecclesia, et nostro ac ipsius Ecclesie nomine, assignes et facias assignari, per societates ipsas equis portionibus conservandam, et nobis persolvendam in Romana curia ad nostrum beneplacitum et mandatum; faciens de singulis assignationibus hujusmodi singula confici publica instrumenta, illa nobis, penes te retentis similibus, per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nichilominus per tuas litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeris faciendum, non obstante quocumque mandato nostro contrario dudum tibi facto per litteras nostras de tota hujusmodi pecunia vel aliqua ejus parte prefatis

de societate Spinorum mercatoribus assignanda. Dat. Anagnie, xi kal. julii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri episcopo Massiliensi, collectori decime in Arelatensibus et Aquensibus civitatibus et diocesibus atque provinciis.*

In. e. m. *venerabili fratri archiepiscopo Ebredunensi, collectori decime in Viennensi, Tarentasiensi, Bisuntina ac Ebredunensi civitatibus et diocesibus atque provinciis, et in ea parte Lugdunensis provincie que est citra Rodanum extra regnum Francie constituta.*

In. e. m. *venerabili fratri episcopo Anagnino, collectori decime in Campanie, Marittime Sabinieque provinciis, nec non Ostiensi, Velletrensi, civitatis Papalis, Tusculana, Portuensi, Albanensi ac Reatina, Interamnensi et Tiburtina civitatibus et diocesibus, ac monasteriis Sublacensi, Farfensi et Sancti Salvatoris abbatiis, et eorum terris.*

In. e. m. *venerabili fratri episcopo Novariensi, collectori decime in Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provinciis, nec non in eisdem Mediolanensi et Januensi, Papiensi et Placentina civitatibus et diocesibus.*

In. e. m. *venerabili fratri episcopo Bononiensi, collectori decime in Marchie, Tervisina, Aquilegensi et Gradensi civitatibus et diocesibus, patriarcatibus atque provinciis.*

In. e. m. *venerabili fratri episcopo Nepesino, collectori decime in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, ducatu Spoletano, ac Perusina, Tudertina et Narniensi civitatibus et diocesibus.*

In e. m. *venerabili fratri episcopo Faventino, collectori decime in provincia Ravennati, Marchia Anconitana, et Massa Trabaria, nec non in eadem Ravennatensi, Ferrariensi, Ariminensi, Sancti Leonis et Urbinati civitatibus et diocesibus, ac Pomposiano et Galliate monasteriis seu abbatiis, et Sancte Marie de Balneo et Sancte Agate plebibus, ac earum et etiam monasterii Farfensis terris in Marchia ipsa et partibus Romaniole consistentibus.* Dat. ut supra.

3642 (CCVI) Anagni, 3 juillet 1300.

« Scribitur de subsidio regni Francie. » (fol. *315*.)

Dilectis filiis Jacobo Normanni de Urbe, archidiacono Narbonensis, et Grimerio de Placentia, canonico Parisiensis ecclesiarum. Dudum per speciales nostras certi tenoris litteras venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos et cetera, ut supra capitulo CX° usque : et preberent festinum subsidium cum effectu ; et eidem episcopo per ipsas litteras nostras injunximus ut ad id, ex parte nostra, requireret, rogaret, excitaret et induceret ipsos, juxta prudentiam a Domino sibi datam. Cum autem dictus episcopus crederetur in proximo ad nostram presentiam de nostro beneplacito rediturus, vos, de quorum diligentia et circumspectione confidimus, ipsi episcopo super hoc per alias nostras sub certa forma litteras eo redeunte duximus subrogandos, et ad hujusmodi requirendum et recipiendum, nomine nostro et Ecclesie prefate, subsidium in predicto regno Francie, civitate, diocesi et provincia Auxitana dumtaxat exceptis, in quibus venerabili fratri nostro archiepiscopo Auxitano duximus hujusmodi ministerium committendum, constituimus nostros et ipsius Ecclesie nuntios speciales. Ut igitur id quod ex hujusmodi subsidio et subventione in commissis vobis dicti regni locis et partibus ad manus vestras pervenire contigerit habere facilius et comodius valeamus, cum imminentia negotia super hoc accelerationem maximam ex sui qualitate requirant, discretioni vestre per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus totum et quicquid per archiepiscopos, prelatos et personas ecclesiasticas supradictos, pro hujusmodi subsidio et subventione, vobis vel alteri vestrum, aut illi vel illis quem vel quos ad hoc vos vel alter vestrum deputaveritis, de cetero contigerit erogari, statim, absque difficultatis obstaculo, dilectis filiis Thome Spiliati, Vanni Jacobi, Gerardo de Boscolis, Nicolao Borghi, Guarente Jacobi, Lapo Pitti, Bartholomeo Gerardi, Gualgano Boccaleonis et Banchello Angelotti, de Mozorum, Rogerio et Lapo Spine, Symoni Gerardi, Ranutio Hugonis et Gerardo Rustici, de Spinorum, de Florentia, Clarentino Anselmi, Mergullese Brachii, Putio Floravantis, Marsoppino Clarenti, Symoni Anselmi, Paulo Johannis, Bonino Gherardini, Lapo Brachii et Philippo Floravantis, de Clarentum, de Pistorio societatibus, vel eorum sociis, nostre camere mercatoribus, de quorum legalitate confidimus, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus predictarum societatum nomine specialiter constitutis, aut ipsorum mercatorum vel procuratorum alicui vel aliquibus has nostras deferentibus litteras, nomine omnium predictorum mercatorum et societatum, pro nobis et eadem Ecclesia, et nostro ac ejusdem Ecclesie nomine, integraliter assignetis et faciatis penitus assignari, per societates ipsas equis portionibus conservandum ; facientes de omnibus et singulis, tam eroga-

tationibus quam assignationibus supradictis, confici publica instrumenta, illa nobis per vos vel alium assignaturi fideliter, et penes vos similia retenturi nichilominus ad cautelam, et rescripturi per vestras litteras harum seriem continentes quicquid super hiis duxeritis faciendum, non obstante mandato nostro dudum vobis facto per speciales nostras litteras, de toto hujusmodi subsidio prefatis de societate Spinorum mercatoribus assignando. Dat. Anagnie, v non. julii, anno sexto.

3643 (CCVII) Même date.

« De decima regni Anglie. » (fol. 315 v°)

Dilectis filiis . . abbati monasterii de Waltam, Londoniensis diocesis, et . . decano ecclesie Londoniensis. Cum pridem in collectione decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum Cantuariensis et Eboracensis provinciarum, quam felicis recordationis Nicolaus papa IIII^us^, predecessor noster, concesserat per sex annorum spatium, carissimo in Christo filio nostro E., regi Anglie illustri, ad prosecutionem commodiorem et efficatiorem negotii Terre Sancte, quod idem rex assumpserat personaliter prosequendum, duxerimus vos per nostras litteras venerabilibus fratribus nostris J[ohanni], Wintoniensi, et Giffrido, Parmensi episcopis, dudum ejusdem decime collectoribus, subrogandos, vobisque colligendi et exigendi decimam ipsam, tam solutam quam que soluta non esset, necnon legata et obventiones in dictis provinciis quomodocumque Terre Sancte subsidio deputata, concesserimus per ipsas nostras litteras facultatem, nos, ut decimam, legata et obventiones hujusmodi habere possimus in promptu, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus totam pecuniam quam de decima, legatis et obventionibus supradictis exnunc ad manus vestras pervenire contigerit, dilecto filio Thome Spiliati et cetera, ut in proxima superiori usque : vel eorum sociis, nostre camere mercatoribus, de quorum legalitate confidimus, vel procuratori seu procuratoribus eorundem ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus predictarum societatum nomine specialiter constitutis, aut ipsorum mercatorum vel procuratorum alicui vel aliquibus has nostras deferentibus litteras, nomine omnium predictorum mercatorum et societatum, sine diminutione qualibet, integre, omni occasione, difficultate ac mora postpositis, nostro et Ecclesie Romane nomine assignare curetis, per societates ipsas equis portionibus conservandam ; facientes de assignatione hujusmodi confici publica instrumenta, que, ipsorum similibus penes vos retentis, una cum vestris litteris continentibus quid, et quantum, et quibus de predicta decima duxeritis assignandum, nobis per fidelem nuntium transmittatis, non obstante mandato nostro dudum vobis facto per speciales nostras litteras de tota hujusmodi pecunia prefatis de societate Spinorum mercatoribus assignanda. Dat. ut supra.

3644 (CCVIII) Même date.

« De decima regni Scotie. » (fol. 315 v°.)

Eisdem. Cum pridem, et cetera, et obventionum totius regni Scotie, quam, et cetera, venerabilibus fratribus nostris.. Carleolensi, et bone memorie Cathanensi episcopis, dudum ejusdem decime collectoribus, subrogandos, vobisque colligendi, et cetera, in dicto regno quomodocunque Terre Sancte subsidio deputata, et cetera ut supra in proxima usque in finem. Dat. ut supra.

3645 (CCVIIII) Anagni, 13 juin 1300.

« Preficitur in episcopum Pacensem. » (fol. 315 v° et 316.)

Venerabili fratri Bernardo, episcopo Pacensi. Inter cetera sollicitudinum —.

Pacensi ecclesia per obitum Ægidii episcopi vacante, et canonicis electioni futuri pastoris per viam scrutinii procedentibus, quamplures ex illis in Alfonsum Roderici, reliqui vero in Johannem dictum de Acre, ipsius ecclesiæ Pacensis canonicos, direxerunt vota sua.

Ac postmodum ab eisdem electis hujusmodi eorum electionibus dilecto filio . . vicario venerabilis fratris nostri R[oderici], archiepiscopi Compostellani, loco metropolitani, tunc sicut et nunc commorantis apud Sedem Apostolicam, presentatis pro confirmationis munere obtinendo, idem vicarius, quia prefatus archiepiscopus tunc per nos erat, sicut et adhuc esse dinoscitur, ex certis rationabilibus causis a spiritualium executione suspensus, electos ipsos non duxit super hoc aliquatenus audiendos, iidemque electi hujusmodi eorum electionum negotium coram nobis per annum et amplius omiserunt prosequi negligenter. Cumque postmodum ad Apostolice Sedis notitiam ecclesie memorate [status] pervenisset, ac iidem electi vel procuratores eorum aut alii pro eis, coram nobis minime comparerent, nos, non injuste declarantes alterutrum dictorum electorum per hujusmodi eorum omissionem ab omni jure, si quod ei forsitan competebat ex electione facta de ipso, ut premittitur,

cecidisse, dicto archiepiscopo nobis cum instantia supplicante ut ecclesie predicte dignaremur de persona ydonea providere, ordinationem ipsius ecclesie hac vice nobis et Apostolice Sedi duximus reservandam.

Suprascriptum tunc canonicum Compostellanum ipsi ecclesiæ Pacensi præficit in episcopum, faciens ei per N[icolaum], Ostiensem et Velletrensem episcopum, munus consecrationis impendi.

Dat. Anagnie, id. junii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . decano et capitulo ecclesie Pacensis.*

In. e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Pacensis.*

3646 (CCX) Latran, 9 février 1300.

« Super recipienda resignatione ecclesie Sancti Martini de Campis in Pusaya, Autisiodorensis diocesis. » (fol. 316.)

Francisco, Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali. Cum dilectus filius —.

Cum Michael, clericus et familiaris domini papæ, rector parrochialis ecclesiæ Sancti Martini de Campis in Pusaya, Autisiodorensis diocesis, ecclesiam ipsam libere resignare proponat, concedit suprascripto facultatem recipiendi hanc resignationem, eaque recepta ipsam ecclesiam personæ ydoneæ de qua expedire viderit conferendi.

Dat. Laterani, v id. februarii, anno sexto.

3647 (CCXI) Anagni, 1er août 1300.

« Preficitur in episcopum Lucanum ». (fol. 316.)

Venerabili fratri Henrico, episcopo Lucano. Romani pontificis quem — gratulanter. Sane dudum ecclesia Lucana per obitum bo. me. Paganelli, episcopi Lucani, pastoris solatio destituta, nos provisionem ipsius ecclesie ea vice dispositioni nostre ac Sedis Apostolice duximus reservandam, decernentes — attemptari. Sed postmodum dilectis filiis . . archidiacono et capitulo dicte ecclesie Raynerium de Montemagno, ejusdem ecclesie canonicum, in Lucanum episcopum, de facto, contra reservationem hujusmodi eligentibus, dictoque Raynerio hujusmodi electioni de se facte, utpote de facto presumpte, consentire nolente, nos — ad personam tuam — direximus aciem nostre mentis, teque, ordinis Fratrum Minorum professum, eidem ecclesie Lucane preficimus in episcopum, — tibique postmodum fecimus per venerabilem fratrem nostrum N[icolaum], Ostiensem et Velletrensem episcopum, munus consecrationis impendi —. Dat. Anagnie, kal. augusti, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . archidiacono et capitulo ecclesie Lucane.*

In. e. m. *clero civitatis et diocesis*; — *populo* — *universis vassallis ecclesie.*

POTTHAST, 24971.)

3648 (CCXII) Anagni, 5 juillet 1300.

« Preficitur in episcopum Seguntinum. » (fol. 316 v° et 317.)

Venerabili fratri Symoni, episcopo Seguntino. Ad exequendum pastoralis — illucescat. Ecclesia siquidem Seguntina per obitum bo. me. Garsie, Seguntini episcopi, solatio destituta pastoris, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie, — die ad eligendum prefixa, — insimul convenerunt et tandem dilectum filium Johannem, archidiaconum Seguntinum, quasi per inspirationem divinam, in suum et ipsius ecclesie episcopum concorditer et unanimiter elegerunt. Cumque dilecto filio Gundisalvo, electo Tholetano, metropolitano loci, electio fuisset hujusmodi presentata, per eum, prout ad ejus pertinebat officium, confirmanda, demum negotium electionis ipsius per appellationem ad Sedem ipsam extitit legitime devolutum, et, appellantibus ipsis pretactum negotium apud Sedem prosequentibus supradictam, prelibatus Johannes, per se vel procuratorem, aut alium ejus nomine, predictum negotium coram nobis [prosequi] ut debuit negligenter omisit, etiam post tempus a jure statutum diutius expectatus. Verum nos propter hoc declaravimus dictum electum jure, si quod ei ex dicta electione fuisset quesitum, esse privatum.

Provisione ecclesiæ ejusdem ea vice dispositioni Apostolicæ reservata, suprascriptum, tunc archidiaconum Burgensem, præficit in episcopum, faciens ei per N[icolaum], Ostiensem et Velletrensem episcopum, munus consecrationis impendi.

Dat. Anagnie, III non. julii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Seguntine.*

In. e. m. *dilectis filiis populo civitatis et diocesis Seguntine.*

3649 (CCXIII) Anagni, 4 août 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 317.)

Dilecto filio Johanni, Arturis primogeniti Johannis, ducis Britannie, et dilecte in Christo filie Ysabelle, Caroli, Andegavie comitis, dilectorum filiorum nobilium virorum natis. Romani Pontificis precellens — exposcit. Sane petitio dilectorum filiorum nobilium virorum Caroli, Andegavie comitis, et Johannis, ducis Britannie, genitorum vestrorum, nobis exhibita continebat quod, cum comitatus Andegavie ac ducatus Britanie sint contingui, ipsi attendentes quod ex contiguitate locorum et ex promiscuis usibus quos contiguitas ipsa parit solent dissensiones oriri, insurgere odia et scandala provenire, ac propterea volentes evitare salubriter et remediis occurrere oportunis ne inter ipsos ac vos et alios vestros, hujusmodi contiguitatis predictorum comitatus et ducatus occasione vel causa, dissensiones et scandala valeant temporibus futuris emergere, desiderant vos invicem matrimonialiter copulari, ut per nexum mutue dilectionis et indissolubilis caritatis, nedum via malorum eventibus precludatur sed hinc et inde preparetur et consolidetur gaudiorum et comoditatis et pacis, dante Domino, firmamenta. Verum quia obsistente quarto consanguinitatis gradu, quo vobis ad invicem attinetis, id non potest absque dispensatione Sedis Apostolice legitime provenire, nobis humiliter supplicarunt ut providere super hoc de oportuno dispensationis remedio dignaremur. Nos itaque genitorum eorumdem et vestre ac aliorum de regno Francie, in quo erga Deum et Romanam Ecclesiam plena consuevit vigere devotio, quietis et pacis adesse incrementa felicia cupientes, — vobiscum ut, impedimento hujusmodi consanguinitatis non obstante, sponsalia et matrimonium invicem contrahere ac in contractis remanere licite valeatis, auctoritate Apostolica de speciali gratia dispensamus —. Dat. Anagnie, II non. augusti, anno sexto.

3650 (CCXIIII) Latran, 1er avril 1300.

« Conceditur sibi medietas decimarum pridem nomine subsidii vel subventionis domino pape per personas ecclesiasticas regni Francie concessarum. » (fol. 317.)

Dilecto filio nobili viro Carolo, comiti Andegavensi. Circa personam tuam —.

Ei medietatem omnium decimarum pridem ipsi, subsidii vel subventionis nomine, per prælatos et personas ecclesiasticas regni Franciæ concessarum, concedit, ita tamen ut infra quindenam festivitatis Omnium Sanctorum futuræ proximo, iter arripiat veniendi in subsidium Ecclesiæ Romanæ et Caroli, regis Siciliæ.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno sexto.

(Potthast, 24935.)

3651 (CCXV) Latran, 1er avril 1300.

« Super eodem. » (fol. 317 v°.)

Dilecto filio Raynaldo, Vicentino, Apostolice Sedis nuntio, ac venerabilibus fratribus, . . Ambianensi et . . Autisiodorensi episcopis. Dudum vobis duximus —.

Eis mandat ut procedant ad dispensationem Caroli, comitis Andegavensis, fratris Philippi, regis Francorum, et Caterinæ, imperatricis Constantinopolitanæ, puellæ, ut matrimonium invicem licite contrahere possint, dummodo dictus Carolus, infra quindenam festivitatis Omnium Sanctorum futuræ proximo, iter arripuerit veniendi in subsidium Ecclesiæ Romanæ et Caroli, Siciliæ regis.

Dat. Laterani, kal. aprilis, anno sexto.

(Potthast, 24936).

3652 (CCXVI) Anagni, 25 juillet 1300.

« Conceditur et locatur heredibus quondam Adenulphi de Comite castrum Juliani, Velletrensis diocesis, sub annuo censu. » (fol. 317 v°.)

Dilectis filiis Paulo, Carnotensis, Petro, Lichefeldensis, Ildebrandino, Senonensis canonicis ecclesiarum, et Johanni, filiis et heredibus quondam Adenulfi de Comite, fratribus, dominis de castro Vallismontonis, Signine diocesis. Magne devotionis sinceritas —.

Eis concedit castrum Juliani, Velletrensis diocesis, sub annuo censu XX solidorum provisinorum.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno sexto.

(Potthast, 24970).

3653 (CCXVII) Même date.

« Super facto castri Gabiniani, Signine diocesis. » (fol. 318.)

Eisdem. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat

quod cum quondam Johannes de Comite, avus vester, castrum Gabiniani, Signine diocesis, tunc ad nobiles mulieres Phylippam et Johannam, filias et heredes quondam Johannis de Gabiniano, domini ejusdem castri, pertinens, pro certo emisset pretio eisdem mulieribus persolvendo, bo. me. P[etrus] Tripolitanus episcopus, tunc vivens, cui dictus Johannes de Comite, pro solutione hujusmodi facienda, castra sua Fluminarie et Sacci dictis mulieribus propter hoc titulo pignoris obligavit, quorum fructus et proventus hac de causa per plures annos percepit, et hujusmodi pretium pro magna parte creditur persolvisse. Ne vero, pretextu venditionis hujusmodi, super hiis que per memoratum episcopum pro dicto pretio sunt soluta vos impeti vel molestari quoquomodo contingat, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque vestris supplicationibus favorabiliter annuere intendentes, presentium auctoritate decernimus ut quicquid apparebit pro dicto pretio solutum vel satisfactum per episcopum suprascriptum, quocumque modo, tam prefatis mulieribus ac executoribus, legatariis et fide commissariis testamenti predicti Johannis de Gabiniano, quam etiam Perne, mulieri relicte ipsius Johannis, pro restitutione dotis sue, per memoratum episcopum solutum vel etiam datum, quocumque titulo, jure vel causa, fuisse, in eodem pretio computetur, rebus illis omnibus que in ecclesia Sancte Sabine de Urbe deposita fuisse noscuntur exceptis, vobis auctoritate Apostolica nichilominus indulgentes ut ad solutionem illius dictis mulieribus seu quibuslibet aliis faciendam minime teneamini, nec super hoc a mulieribus ipsis seu quibuscumque personis aliis molestari quomodolibet valeatis. Nulli ergo et cetera. Dat. ut supra.

3654 (CCXVIII) Anagni, 13 août 1300.

« Super mutuo contrahendo. » (fol. 318.)

Venerabili fratri . . episcopo Lucano. Cum sicut in nostra —.

Largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad summam trium millium florenorum auri.

Dat. Anagnie, id. augusti, anno sexto.

3655 (CCXVIIII) Anagni, 12 août 1300.

« Super mutuo contrahendo. » (fol. 318.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Trajectensi. Cum sicut in nostra —.

Largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad summam quinque millium florenorum auri.

Dat. Anagnie, II id. augusti, anno sexte.

3656 (CCXX) Sgurgola, 25 août 1300.

« Executoria super eodem. » (fol. 318.)

Dilectis filiis . . archidiacono Narbonensis, . . primicerio Metensis, et . . archipresbytero de Colle, Vulterane diocesis, ecclesiarum. Exponente nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum quinque millium florenorum auri a Willelmo, episcopo Trajectensi, contractum, de quibus ab Octaviano quondam Octaviani Calabocconis, et Johanne Pauli Astalli tria millia florenorum boni et puri auri, videlicet a dicto Octaviano, mutuante pro se ac Ægidio, ejus filio, mille quingentos, et a prædicto Johanne, mutuante pro se ac Paulo, ejus patre, civibus et mercatoribus Romanis, alios mille quingentos, dictus episcopus mutuo recepit.

Dat. Sculcule, VIII kal. septembris, anno sexto.

3657 (CCXX *bis*) Même date.

Executoria super eodem altera. (fol. 318.)

Eisdem. Exponente nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum quinque millium florenorum auri a Willelmo, episcopo Trajectensi, contractum; de quibus a Mathæo Ciceronis, et Johanne Pauli Astalli, ac Francisco Caffarelli duo millia florenorum boni et puri auri, scilicet a dicto Mathæo, mutuante pro se ac pro Andræa et Nicolao, fratribus ejus, sexcentos sexaginta sex florenos auri et duas partes unius floreni auri, et a præfato Johanne, mutuante pro se ac pro prædicto Paulo, ejus patre, alios sexcentos sexaginta sex florenos auri et duas partes unius floreni auri, et a prælibato Francisco Caffarelli alios sexcentos et sexaginta sex florenos auri et duas partes unius floreni, mutuante pro se ac pro Parentio, fratre ipsius, civibus et mercatoribus Romanis, dictus episcopus mutuo recepit.

Dat. ut supra.

3658 (CCXXI) Anagni, 4 juin 1300.

« Committitur ei administratio monasterii Sancti Johannis in Venere, Theatine diocesis. » (fol. 318 v°.)

Venerabili fratri Leonardo, episcopo Albanensi. Que ad tui status —.

Administrationem et curam monasterii Sancti Johannis in Venere, ordinis sancti Benedicti, nullo medio Romanæ Ecclesiæ subjecti, Theatinæ diocesis, abbatis regimine destituti, quas frater Thomas, tituli Sanctæ Ceciliæ presbyter cardinalis, dum vivebat, obtinere noscebatur, committit, alienandi facultate penitus interdicta, illa vero disponendi de fructibus in ejus et monasterii commodum plene concessa.

Dat. Anagnie, II non. junii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Sancti Johannis in Venere.*

In e. m. *dilectis filiis universis vassalis.*

3659 (CCXXII) Anagni, 16 septembre 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 318 v°.)

Dilecto filio nobili viro Johanni, nato quondam Stephani de Genazano, civis Romani, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Benencase, nate quondam Johannis Egiptii de Ferentino, militis, uxori ejus. Petitio vestra nobis —.

Eis qui per verba de præsenti matrimonium contraxerunt, ignorantes quod tertia et quarta affinitatis linea se mutuo attinerent, pro eo quod quondam Jacobus Johannis de Pruno, dum viveret Benencasæ maritus, Johanni de Genazano attinebat, indulget ut matrimonium consumare possint.

Dat. Anagnie, XVI kal. octobris, anno sexto.

3660 (CCXXIII) Anagni, 20 septembre 1300.

« Executoria super mutuo contrahendo pro H[enrico], episcopo Lucano. » (fol. 318 v° et 319.)

Dilectis filiis Hugolino Raynerii et Henrico de Gallo, Lucane, ac Bartholomeo de Abbatis, Bononiensis ecclesiarum canonicis. Exponente nobis pridem —.

Notificatur executorio nomine mutuum trium millium florenorum auri quos Henricus, episcopus Lucanus, a Cinello Canavechia, pro se, ac Johanne, Giano et Guidone, filiis Percivallis Labri, ac cæteris eorum sociis, civibus et mercatoribus Lucanis, recepit.

Dat. Anagnie, XII kal. octobris, anno sexto.

3661 (CCXXIIII) Anagni, 13 septembre 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 319.)

Dilecto filio Petro Nicolai, et dilecte in Christo filie Marie quondam Alberti de Turrice, militum, natis. Licet matrimonii contractum —.

Indulget ut matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Anagnie, id. septembris, anno sexto.

3662 (CCXXV) Anagni, 24 septembre 1300.

« Quod possit facere visitari archidiaconatum et recipere procurationes in pecunia. » (fol. 319.)

Dilecto filio Thome de Paliano, archidiacono Cameracensi, camere nostre clerico. Devotionis tue merita —. Dat. Anagnie, XVIII kal. octobris, anno sexto.

3663 (CCXXVI) Anagni, 18 août 1300.

Licentia mutuum contrahendi. (fol. 319.)

Venerabili fratri Diterio, archiepiscopo Treverensi. Ex parte tua —.

Largitur licentiam contrahendi mutuum usque ad summam duarum millium marcharum argenti, tam pro ejus « jocundo adventu ad ecclesiam Treverensem » quam pro ejus promotionis negotiis necessariis.

Dat. Anagnie, XV kal. septembris, anno sexto.

3664 (CCXXVII) Anagni, 17 juin 1300.

« Super quadam compositione inter . . abbatem et conventum monasterii Cluniacensis et fratrem Artaudum Flote, ejusdem monasterii monachum. » (fol. 319.)

Ad perpetuam rei memoriam. Culminis Apostolici solio superne dispositionis arbitrio presidentes, circa illa potissime solerter intendimus, nostraque sollicite convertimus studia, et Apostolice Sedis partes, prout utilius expedire perpendimus, adhibemus, per que inter Christi fideles, presertim sub religionis observantia constitutos, regnet pax stabilis, concordia maneat, caritas vigeat, animorum ydemptitas perseveret, ut, subductis obstacu-

lis et impedimentis quibuslibet eminus profugatis, efficatius que sunt religionis exerceant, et divinis obsequiis liberius immorentur. Dudum siquidem dilectum filium fratrem Artaudum Flote, Cluniacensem monachum, suis et suorum exigentibus meritis, spetiali prosequi gratia intendentes, prioratum conventualem seu non conventualem, aut decanatum, vel administrationem, quocumque nomine censeretur, cum cura vel sine cura, spectantem ad collationem, seu provisionem, vel electionem, aut presentationem, seu dispositionem dilectorum filiorum.. abbatis et conventus Cluniacensis monasterii supradicti, seu alterius, vel quorumcumque Cluniacensis ordinis, communiter vel divisim, si quis prioratus vel decanatus, aut si qua administratio in regno Francie tunc vacabat, vel quamprimo vacaret, donationi Apostolice reservare curavimus, ut is eidem Artaudo prioratus conventualis vel non conventualis, aut decanatus, vel ea administratio conferretur, ab ipso quoad viveret possidendus seu etiam possidenda, quem prioratum aut decanatum, vel quam administrationem per se, vel procuratorem suum ad hoc specialiter constitutum, postquam eidem Artaudo vel ipsi procuratori de hujusmodi prioratus vel decanatus, aut administrationis vacatione innotesceret, infra unius mensis spatium, duceret acceptandum, vel etiam acceptandam. Inhibuimus quoque extunc eisdem abbati et conventui, vel aliis quibuscumque, ad quem vel ad quos hujusmodi prioratus aut decanatus, vel administrationis collatio, seu provisio, vel electio, aut presentatio seu dispositio pertineret, ne interim disponere quoquomodo presumerent de eisdem, ac insuper extunc irritum decrevimus et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur, certis nichilominus eidem Artaudo, super hujusmodi provisionis negotio, per alias nostras certi tenoris litteras executoribus deputatis. Cumque ad eorumdem abbatis et conventus notitiam hujusmodi per nos eidem Artaudo facta gratia pervenisset, ipsi ad Sedem Apostolicam appellarunt. Verum, vacante postmodum prioratu Sancti Martini de Campis Parisiensis, Cluniacensis ordinis, eidem monasterio Cluniacensi subjecto, prefati executores predictum Artaudum, cum ipse prioratum acceptasset eundem, in corporalem possessionem illius ac jurium et pertinentiarum ejus auctoritate nostra inducere curaverunt; propter quod iidem abbas et conventus iterato, ut dicitur, ad Sedem appellarunt eandem. Demum inter abbatem et conventum predictos, ex parte una, et eundem Artaudum, ex altera, super hujusmodi negotio per communes amicos quedam sub certa forma ordinatio facta fuit, quam postmodum abbas et conventus ac Artaudus predicti, facientes per procuratores eorum nostro Apostolatui presentari, suppliciter postularunt ut eam confirmare auctoritate Apostolica dignaremur. At nos, certis rationabilibus causis inducti, hujusmodi petitionem eorum ad exauditionis gratiam non duximus admittendam, intendentes per nos ipsos super hujusmodi negotio decenter et utiliter providere. Sane prefatum monasterium Cluniacense a longis retro temporibus, dum cura nobis officii minoris incumberet, sinceris affectibus prosequentes, et cupientes, patris more benivoli, ut monasterium ipsum, cujusvis dissensionis aut scandali penitus submota materia, letis et sedulis, favente Domino, foveatur eventibus et votivis successibus fulciatur, ac in illo divina contingant obsequia instantius et ferventius exerceri, Apostolica auctoritate statuimus, ordinamus atque precipimus, ut memoratus Artaudus exnunc predictum prioratum Sancti Martini de Campis, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, omnino dimittat, ac omne jus quod sibi in prioratu ipso ac pertinentiis ejus quomodolibet competit vel posset quoquomodo competere prorsus resignare procuret. Volumus tamen, et auctoritate supradicta decernimus, ut abbas et conventus predicti, de fructibus, redditibus et proventibus Cluniacensis monasterii memorati, mille quingentas libras turonensium parvorum, annis singulis, in festo Nativitatis Dominice venturo proximo inchoandis, eidem Artaudo vel ejus procuratori, suo nomine, integre assignare procurent, donec idem abbas prefato Artaudo de aliquo prioratu eidem monasterio Cluniacensi subjecto, quem dictus Artaudus acceptare curaverit, predicto Sancti Martini de Campis Parisiensis, de Caritate, Lewensi, Saltiniarum, et de Saviniaco, Autisiodorensis, Cicestrensis et Claromontensis diocesium, prioratibus dumtaxat exceptis, duxerit providendum, ipseque Artaudus hujusmodi prioratus possessionem pacificam adeptus extiterit, et fructus inceperit percipere ex eodem. Nos enim ejusdem Artaudi personam dono specialis prosequi gratie intendentes, secum auctoritate Apostolica ex certa scientia dispensamus ut, non obstante defectu quem patitur in ordinibus et etate, prioratum hujusmodi de quo sibi per eundem abbatem provideri contigerit, etiam si curam habeat animarum, cum illum fuerit assecutus, possit una cum prioratibus et decanatibus non conventualibus Cluniacensis ordinis supradicti, cum cura vel sine cura, quos obtinere dinoscitur, quamdiu vixerit, licite retinere, nostra et alia qualibet in contrarium constitutione edita non obstante. Ceterum volumus quod si prelibatus Artaudus, tempore quo idem abbas de hujusmodi prioratu sibi duxerit providendum, aliquem prioratum

conventualem habuerit, ipsum omnino dimittere teneatur quodque prioratus de quo ab eodem abbate fuerit Artaudo sepefato provisum, debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura, si qua ei imminere dinoscitur, nullatenus negligatur. Nulli ergo, et cetera. Nostri statuti, ordinationis, precepti, voluntatis, constitutionis et dispensationis, et cetera. Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno sexto.

In. e. m. *venerabilibus fratribus . . archiepiscopo Narbonensi, et . . episcopo Autisiodorensi, ac dilecto filio . . archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi.*

3665 (CCXXVIII) Anagni, 22 octobre 1300.)

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 319 v° et 320.)

Dilecto filio Rogerio Johannis quondam Adenulfi de Comite, et dilecte in Christo filie Francisce Johannis quondam Stephani de Genazano, dilectorum filiorum nobilium virorum natis. Licet matrimonii contractum —.

Indulget ut, non obstante quarto consanguinitatis gradu, sponsalia et matrimonium inter se contrahere valeant.

Dat. Anagnie, x kal. octobris, anno sexto.

3666 (CCXXVIIII) Anagni, 18 juillet 1300.

« Mandatur sibi quod nullam pactionem faciat cum Amalrico, vicecomite Narbonensi. » (fol. 320)

Venerabili fratri E., archiepiscopo Narbonensi. Grandem injuriam et amaram querelam accepimus, quod nobilis vir Amalricus, vicecomes Narbonensis, antiquorum progenitorum suorum, qui Narbonensem et alias ecclesias subjectas eidem, spreto fidelitatis debito quo ipsi Narbonensi tenebantur ecclesie, nequiter olim pro juribus impugnarunt, pravis inherens vestigiis, jurisdictionem et omnia que in civitate ac burgo Narbonensi et eorum pertinentiis habebat et tenebat in feudum ab eadem ecclesia Narbonensi, et quod prefati progenitores ipsius fere a centum annis citra continue a predecessoribus tuis, archiepiscopis Narbonensibus, qui fuerunt pro tempore, et maxime pater ejusdem Almarici, vicecomes Narbonensis, olim dum viveret, ipso Amalrico presente sciente ac intelligente, a te, cum juramento fidelitatis et homagio, presente quoque clericorum et laicorum, nobilium et innobilium multitudine copiosa, ante majus altare ipsius ecclesie Narbonensis, juxta morem super hoc servatum, se tenere ab eadem ecclesia in feudum recognovisse noscuntur, prout etiam privilegia regum Francie, patentes vicecomitum Narbonensium littere, aliaque luce clariora documenta testantur, quodvis etiam ipse idem Amalricus, procuratorio nomine predicti patris ejus, dum olim pater ipse vivebat, et hoc idem fuisset in regia Francorum curia manifeste confessus, contra hec omnia a paucis citra temporibus temere veniendo, pravo ductus et maligno subversus spiritu, non solum in ejusdem Narbonensis, verum etiam ceterarum totius provintie Narbonensis ecclesiarum magnum contemptum, grave prejudicium et injuriam, maxime sueque salutis dispendium, a carissimo in Christo filio nostro Phylippo, rege Francorum illustri, se ab eo tenere in feudum non solum recognovit, verum etiam juxta gallicanum vocabulum advoavit, eaque a te ac ipsa Narbonensi ecclesia se tenere deadvoavit seu potius negavit expresse. Quamvis autem fuerit petitum a nobis ut super hiis curaremus de salubri remedio providere, tu tamen minus provide petivisti ut, cum consensu tui capituli vel majoris partis ejusdem, aut si videretur suffraganeis tuis vel tribus ex eis, deveniendi super hiis ad compositionem cum Amalrico, vicecomite supradicto, et comunicandi prefatam temporalem jurisdictionem etiam cum eodem, ac dandi sibi ac recipiendi ab eo compensationem pro ampliori valore rerum et jurium predictorum, necnon, si contingeret super predictis intervenire concordiam inter partes, recognoscendi expresse regi prefato feudum predictum, sub generali juramento fidelitatis quod archiepiscopus Narbonensis in novitate sua prestare semper regi Francie consuevit, liberam tibi licentiam preberemus.

Profecto de hujusmodi ecclesie Narbonensis, quam speciali affectione prosequimur, prosecutione turbamur, sed in grandem nobis admirationem, quin immo turbationem, advenit quod illa, quam in te residere sperabamus, prudentia est deducta ut talia fieri postulares per que, procul dubio, nedum quod ecclesie tue bonorum et jurium dispendiosa diminutio proveniret, sed etiam, quod deterius esse conspicitur, ecclesia eadem subiceretur jugo miserabilis servitutis; pro quibus etiam tui regiminis tempore potius evitandis, ubi alia tibi suffragari auxilia et consilia non valerent, te deberes exponere ad tormenta corporalia sustinenda. Ne igitur ex tue defectu prudentie ipsi ecclesie Narbonensi depereat, et tam grande dispendium transeat aliis in exemplum, deliberavimus super tali et tanto negotio ex officio nostro procedere, et de Apostolice plenitudine potestatis, sicut alie nostre littere super hoc confecte manifeste declarant.

Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta, in virtute obedientie, districte precipiendo mandamus tibi,

sub excomunicationis, depositionis et privationis archiepiscopalis dignitatis penis, quas, si secus feceris, te incurrere volumus ipso facto, districtius prohibentes, quatinus, super hiis que hujusmodi per te petita licentia continebat, nullam comunicationem, compensationem, recognitionem, compositionem, translationem, diminutionem vel distractionem, seu quamvis noxiam novitatem quomodolibet facere vel attemptare presumas, absque Sedis Apostolice licentia speciali per ipsius Sedis patentes litteras apparente. Quod si secus egeris, nos illud ex nunc irritum decernimus et inane ac nullius existere firmitatis. Dat. Anagnie, xv kal. augusti, anno sexto.

3667 (CCXXX) Même date.

« Quod citent predictum Amalricum. » (fol. 320.)

Venerabilibus fratribus . . Biterrensi, et . . Agathensi episcopis. Grandem injuriam —.

Negotium quod vertitur inter archiepiscopum Narbonensem et Amalricum, vicecomitem Narbonensem, eisdem fere verbis quam in proxima superiori memorat, usque : deadvoavit expresse.

Nos igitur, ne tantum dispendium memorate Narbonensis ecclesie transeat impunitum, neve aliis prebeatur exemplum tam nephanda vel similia attemptandi, contra Amalricum ipsum et alios quos negotium istud contingit, ex officio nostro et de Apostolice plenitudine potestatis deliberavimus procedere summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, prout justitia exiget et videbimus expedire. Quocirca fraternitati vestre per Apostolica scripta, in virtute obedientie et sub pena excomunicationis, districte precipiendo mandamus quatinus vos, vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, predictum Amalricum vicecomitem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium [spatium] sufficienter per se vel per procuratorem ydoneum compareat coram nobis, cum omnibus juribus, actis et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, facturus et recepturus quod rationis ordo dictaverit, ac pariturus mandatis et beneplacitis nostris, suamque si poterit innocentiam ostensurus. Alioquin contra ipsum spiritualiter et temporaliter, prout culpa et contumacia ejus exegerint, suadebit justitia et expedire videbimus, procedemus. Diem autem citationis, et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Dat. ut supra.

3668 (CCXXX *bis*) Même date.

« Item quod citent eundem archiepiscopum. » (fol. 320 v°.)

Eisdem. Grandem injuriam, et cetera ut in proxima superiori usque : mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, predictum archiepiscopum Narbonensem ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium sufficienter per se vel procuratorem ydoneum, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, compareat coram nobis, facturus et recepturus quod rationis ordo dictaverit, ac nostris mandatis et beneplacitis plenarie pariturus. Alioquin contra ipsum, prout contumacia ejus exegerit, suadebit justitia et expedire videbimus, procedemus. Diem autem citationis, et cetera. Dat. ut supra.

3669 (CCXXXI) Anagni, 2 juillet 1300.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 320 v° et 321.)

Magistro Richardo de Plumistoch, subdiacono, Lincolniensis et Wellensis ecclesiarum canonico. Exhibita nobis tua petitio continebat quod tu olim, post generale concilium Lugdunense, fuisti ecclesiam de Exemistre, Exoniensis diocesis, curam animarum habentem, canonice assecutus, et, cum postmodum ad vacantem ecclesiam de Uffculin, dicte diocesis, similem curam habentem, a veris patronis ipsius diocesano loci fuisses canonice presentatus, idem diocesanus auctoritate ordinaria custodiam ejusdem ecclesie de Uffculin tibi commisit, cujus pretextu custodie, tu, ipsam ecclesiam et, una cum ea, prefatam ecclesiam de Exeminstre, retinens, percepisti fructus et redditus ex eisdem, nec etiam te fecisti ad sacerdotium juxta ejusdem statuta concilii promoveri, dispensatione super hiis a Sede Apostolica non obtenta —.

Consideratione Francisci, Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis, pro eo, capellano suo, supplicantis, indulget suprascripto ut prædictas curatas ecclesias et fructus ex illis minus juste perceptis retinere valeat, et una cum eis canonicatus et præbendas quæ in Lincolniensi et Wellensi ecclesiis obtinet.

Dat. Anagnie, vi non. julii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Cernelio, ordinis sancti Benedicti, Saresbiriensis diocesis, et . . thesaurario Wellensis, ac magistro Guillelmo de Brixia, canonico Lincolniensis ecclesiarum.*

3670 (CCXXXII) Anagni, 25 juin 1300.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 321.)

Dilecto filio Henrico de Blontesdone, archidiacono Dorsotie in ecclesia Saresbiriensi. Etsi actus hominum —.

Ei qui, post Lugdunense concilium, archidiaconum Dorsetie, in ecclesia Saresbiriensi, qui personatus reputatur, cum ecclesia de Gyssych eidem annexa et curata, ac de Grittelintone, de Wotthone Basset, de Honyngdone, de Ruenhale ac de Middeltone ecclesias, simililer curatas, Saresbiriensis, Londoniensis et Eboracensis diocesium, fuit absque dispensatione assecutus, et qui etiam, archidiaconatum per alias personas visitando, procurationes in pecunia numerata recepit, consideratione Eduardi, regis Angliæ, cujus familiaris et elemosinarius existit, indulget ut prædictis ecclesiis de Grittelintone, de Wotthone Basset ac de Honyngdone, quas obtulit dimittere, omnino dimissis, prædictas alias ecclesias, fructus ex illis minus juste perceptos, et procurationes retinere valeat, et una cum eis canonicatus et præbendas quæ in eadem Saresbiriensi ac Wellensi, Cicestrensi et Sancti Pauli Londoniensi ecclesiis obtinet.

Dat. Anagnie, VII kal. julii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis.. Westmonasterii prope Londonias, et .. monasterii Sancti Augustini Cantuariensis abbatibus, et .. archidiacono ecclesie Cantuariensis.*

3671 (CCXXXIII) Anagni, 13 mai 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 321.)

Nobili mulieri Margarete, relicte quondam Guidonis, domini de Juncivilla, militis, vidue Bisuntine diocesis. Licet matrimonii contractum —.

Illæ quæ, pro ejus et natorum tutiore defensione contra æmulos qui graves injurias bonis eorum inferunt, « in cremando etiam aliquando terras », cum nobili viro Hugone, milite, nato nobilis viri Phylippi de Vienna, domini de Pagneyo, matrimonium contrahere desiderat, consideratione nobilis viri Johannis de Cabilone, domini de Arlato, cui tam illa quam ille sunt vinculo consanguinitatis adstricti, indulget ut dictum matrimonium contrahere possint, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Anagnie, III id. maii, anno sexto.

3672 (CCXXXIIII) Anagni, 10 septembre 1300.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 321 v°.)

Lodovico de Pictavia, nato nobilis viri Ademarii, comitis Valentini, capellano dilecti filii nostri Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis cardinalis (sic), *decano Anitiensi.* Personam tuam —.

Indulget ut præter decanatum Aniciensem, unicum aliud beneficium cum cura seu personatum, si ei canonice offeratur, cum aliis beneficiis ejus sine cura, obtinere valeat.

Dat. Anagnie, IIII id. septembris, anno sexto.

3673 (CCXXXV) Anagni, 18 juin 1300.

Committitur cura ecclesiarum Sanctorum Cosmæ et Damiani et Sancti Marcelli, de Urbe. (fol. 321 v°.)

Dilecto filio Luce, Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali. Quanto Romanam Ecclesiam —.

Curam et administrationem ecclesiæ Sanctorum Cosmæ et Damiani de Urbe, usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis, committit, gerendam et exercendam ab illo sicut eam hactenus gesserunt et exercuerunt alii ejusdem Ecclesiæ Romanæ cardinales qui eidem ecclesiæ Sanctorum Cosmæ et Damiani pro tempore præfuerunt.

Dat. Anagnie, XIIII kal. julii, anno sexto.

In. e. m. committitur eidem cardinali cura et administratio ecclesie Sancti Marcelli de Urbe.

3674 (CCXXXVI) Anagni, 13 juin 1300.

« Conceditur .. abbati et conventui monasterii Cluniacensis monasterium Belliloci in Argona » (fol. 321 v° et 322.)

Dilectis filiis.. abbati et conventui monasterii Cluniacensis. Presignis ordinis vestri —.

Monasterium Belliloci in Argona, ordinis sancti Benedicti, Virdunensis diocesis, quod, propter gravium guerrarum discrimina quæ temporibus præteritis proximo in illis partibus contingerunt fuit combustum taliter et destructum ut etiam locus quasi inhabitabilis fuerit effectus nisi novæ constructionis opere reparetur, ac sumptibus et debitorum oneribus gravatum dinoscitur, monasterio Cluniacensi concedit, subjicit, incorporat et annectit, ea lege ut cultus divinus serviatur ibidem per abbatem et competentem conventum monachorum et personarum Cluniacensis ordinis, et ut, quotiens abbate contigerit carere hoc Belliloci monasterium, ejus conventus infra mensem quatuor personas de se ipsis et duas de conventu Cluniacensi eligere teneatur, et abbati Cluniacensi

infra alterius mensis spatium præsentare, unam ex illis dicto monasterio præfecturam in abbatem. Eximit insuper præfatum monasterium ab omni jurisdictione ordinaria.

Dat. Anagnie, id. junii, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . Molismensis et . . Morismundi monasteriorum abbatibus, Lingonensis diocesis, ac . . decano ecclesie Cabilonensis.*

3675 (CCXXXVII) Anagni, 4 juillet 1300.

« Quod relaxet interdictum communis Alexandrie, Aquensis diocesis. » (fol. 322.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Mediolanensi. Porrecta nobis ex parte dilectorum filiorum . . potestatis, . . capitanei, antianorum, rectorum et comunis Alexandrie, Aquensis diocesis, petitio continebat quod, olim inter ipsos et quondam Guillelmum, marchionem Montisferrati, gravium, peccatis exigentibus, discriminibus guerrarum exortis, contigit quod marchio predictus per eosdem potestatem, capitaneum, antianos, rectores et comune captus extitit et carcerali custodie mancipatus ; pro cujus liberatione venerabilis frater noster . . Florentinus, tunc Urbevetanus episcopus, per felicis recordationis Nicolaum papam IIII, predecessorem nostrum, ad partes illas transmissus, monuit potestatem, capitaneum, antianos, rectores et comune predictos, ac mandavit eisdem ut ipsi marchionem prefatum restituerent pristine libertati. Et demum, quia ipsi hoc facere neglexerunt, prefatus episcopus, auctoritate predicta ipsius sibi in hac parte concessa, in potestatem, capitaneum, antianos, rectores, excomunicationis, comune vero ac locum Alexandrie predicta, interdicti sententias promulgavit. Eodem vero marchione postmodum viam universe carnis ingresso, potestas, capitaneus, antiani, rectores et comune predicti, ex parte una, ac nobilis vir Johannes, marchio Montisferrati, filius et heres dicti Guillelmi, ex altera, quasdam treugas super hujusmodi guerras ad certum tempus sub certis conditionibus inierunt, in quibus inter alia continetur quod idem Johannes marchio procurare debeat predictas sententias relaxari. Quare ex parte dictorum potestatis, capitanei, antianorum, rectorum et comunis fuit a nobis humiliter postulatum ut, cum ipsi parati existant super hiis Ecclesie parere mandatis, ac ejusdem Johannis marchionis ad id etiam, prout asserunt, accedat consensus, predictas relaxare sententias de benignitate Apostolica dignaremur. Nos autem, de circumspectione tua, qui super premissis habere poteris notitiam pleniorem, constantem in Domino fidutiam obtinentes, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus apud civitatem Mediolanum, si locus ipse partibus eisdem tutus extiterit, alioquin apud alium locum neutri earum suspectum, dicto Johanne marchione et aliis vocatis qui propter hoc fuerint evocandi, prefatas sententias auctoritate nostra juxta formam Ecclesie studeas relaxare, nisi forsan aliquid rationabile quare non debeat hujusmodi relaxatio fieri fuerit ex adverso propositum vel ostensum. Dat Anagnie, IIII non. julii, anno sexto.

3676 (CCXXXVIII) Anagni, 3 juillet 1300.

« Donatio cujusdam casalini et ortus in Urbe. » (fol. 322 v°.)

Nicolao dicto Bascio, de Urbe, servienti et familiari nostro. Grata obsequiorum merita que Romane Ecclesie utiliter impendisti, et devotionis sinceritas quam in te longa familiaritate sumus experti, non indigne mentem nostram excitant et inducunt ut tibi Apostolice provisionis dexteram porrigamus. Volentes itaque te favore prosequi gratioso, casalinum domus dirute, ac ortum seu splentum ipsi casalino contiguum, que omnes fuerunt Johannis Macharii, de Urbe, laici, per inquisitorem heretice pravitatis deputatum a Sede Apostolica de hereseos crimine sententialiter condempnati, posita in Urbe in contrata Mercati, juxta rem tuam a duobus lateribus, et juxta viam publicam, ac juxta domum Petri Peruni, que olim fuit dicti Johannis, per inquisitorem eundem Romane Ecclesie confiscata, et ad ipsam Ecclesiam pertinentia, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, premissorum obsequiorum consideratione potissime, Apostolica tibi auctoritate donamus de gratia speciali, a te tuisque heredibus et successoribus imperpetuum retinenda ; tibi nichilominus concedentes ut domum seu domos inibi construere seu rehedificare libere valeas et habere, qualibet constitutione seu prohibitione in contrarium facta vel edita non obstante, vendendi quoque et alienandi casalinum et alia premissa, prout expedire videris, concessa tibi libera potestate. Nulli ergo, et cetera. Nostre donationis et concessionis, et cetera. Dat. Anagnie, V non. julii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Calaritano, nostro in spiritualibus in Urbe vicario.* Grata, et cetera ut supra, verbis competenter mutatis, usque : potestate. Quocirca mandamus quatinus, per te vel alium seu alios, eundem Nicolaum vel procuratorem suum ejus nomine,

in corporalem possessionem casalini, et orti vel splentus, ac jurium et pertinentiarum eorundem, inducas auctoritate nostra et defendas inductum, amoto exinde quolibet detentore. Contradictores, et cetera. Dat. ut supra.

3677 (CCXXXVIIII) Anagni, 13 juin 1300.

« Reservatur sibi dignitas cum prebenda in ecclesia Cameracensi. » (fol. 322 v° et 323.)

Dilecto filio Galasso de comitibus de Mangone, canonico Cameracensi. Generis et morum nobilitas —.

Memorat collationem seu reservationem quam fecit suprascripto, de præbenda et dignitate aut officio ad collationem capituli non spectantibus, in ecclesia Cameracensi.

Processu vero temporis, venerabili fratri nostro . . episcopo Cameracensi, certa de causa, collationem et provisionem dignitatum, personatuum, canonicatuum, prebendarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum in civitate et diocesi Cameracensi, ad ejus collationem spectantium, usque ad nostrum et Apostolice Sedis beneplacitum interdiximus, seu ipsum a collatione suspendimus eorumdem, ac hujusmodi personatus, dignitates, canonicatus, prebendas et beneficia, que interim inibi vacare contingeret, dispositioni nostre ac dicte Sedis duximus reservanda, decernentes —. Cumque inibi archidiaconatus et prebenda quos quondam Johannes de Antonio, archidiaconus et canonicus Cameracensis, in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsum obitum vacavissent, tu, in canonicum ecclesie predicte receptus, archidiaconatum eundem, alias ad collationem ipsius episcopi pertinentem, auctoritate dictarum litterarum fuisti adeptus, ac demum, ad archidiaconatum eundem per capitulum prefatos admissus, possessionem ipsius archidiaconatus pacificam habuisti. Prebendam autem predictam, que sacerdotalis erat, cujusque collatio non ad ipsum episcopum sed prefatos capitulum ea vice spectabat, quamve ipse capitulum jam contulerant alteri, nequaquam assecutus fuisti, quamvis tibi de jure forsitan deberetur. Sane nos postmodum, intellecto quod archidiaconatus predictus per ipsius Johannis mortem vacabat, illum dilecto filio Thome de Paliano, archidiacono Cameracensi, duximus conferendum, contra quem tam ex parte tua quam capituli predictorum, collationem hujusmodi per nos ei factam impugnantium, ad dictam Sedem extitit appellatum. Porro idem Thomas, ad nos in hac parte recurrens, nobis humiliter supplicavit ut providere sibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Quia vero nostre intentionis fuerat, tempore quo dignitates, personatus, canonicatus, prebendas et beneficia supradicta nostre dispositioni, ut premissum est, reservavimus, effectus quarumlibet litterarum obtentarum a nobis super quibuscunque provisionibus de ipsis aliquibus faciendis omnino suspendere, quodque per alium quam per nos de illis alicui provideri seu disponi quomodolibet non valeret, et per hoc archidiaconatum predictum, tempore quo illum prefato Thome contulimus, vacavisse et eandem collationem factam eidem Thome robur firmitatis obtinere, provisionem etiam tibi factam, ut predicitur, de dicto archidiaconatu contra dictam intentionem nostram nullam esse auctoritate Apostolica reputantes, et etiam declarantes ac volentes quod eadem collatio facta eidem Thome plenum sortiatur effectum, certis executoribus nostris injunximus litteris ut eundem Thomam in corporalem possessionem prefati archidiaconatus, ac jurium et personarum ejusdem, inducerent et tuerentur inductum, amoto exinde te et quolibet alio detentore —.

Attendens vero suprascriptum Galassum de archidiaconatu prædicto fore tali occasione frustratum, et volens personam ejus honorare, eidem præbendam integram et dignitatem, si vacant in eadem ecclesia, confert vel reservat, si non vacant, præbendam ei collatam vel reservatam ab omni onere sacerdotali eximens, quod præbenda proximo vacatura, quæ tamen sacerdotalis alias non existat, receptura erit.

Dat. Anagnie, id. junii, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Bononiensi, et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Alberti Cameracensis, ac Raynerio de Vichio, canonico Lichefeldensi.*

3678 (CCXL) Anagni, 25 juillet 1300.

« Instituuntur quidam stipendiarii in ecclesia Anagnina. » (fol. 323 v°.)

Petro Mansi de Porciano, presbytero, stipendiario ecclesie Anagnine. Exhibita nobis tua petitio continebat quod venerabilis frater noster Leonardus, episcopus Anagninus, de consensu et voluntate dilectorum filiorum capituli Anagnini, te auctoritate ordinaria instituit in stipendiarium seu portionarium in ecclesia supradicta, tibique partem integram omnium et singulorum stipendiorum, fructuum, proventuum et obventionum ipsius ecclesie, sicut uni ex canonicis et stipendiariis ejusdem ecclesie, duxit, quoad viveres, concedendam, teque inde per suum anulum presentialiter investivit, prout in instrumento

publico inde confecto plenius continetur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, institutionem, concessionem, investituram et promissionem easdem, et quicquid factum est in premissis, rata habentes et grata, ea, ex certa scientia, auctoritate Apostolica confirmamus, et cetera usque : communimus ; tenorem instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est « In nomine Domini amen. Anno M° CCC°, pontificatus domini Bonifatii pape VIII anno sexto, indictione XIII, mensis madii die XXII^a, venerabili in Christo patre domino Leonardo, Dei et Apostolice Sedis gratia episcopo, et providis viris capitulo Anagninis, scilicet dominis Jordano Vetulo, Oddone Spata, Nicolao dicto Malolina, Landulpho Musico, Petro domini Pauli, Johanne de Paliano, Petro de Guarcino, Jacobo dicto Episcopo, Bartholomeo de Suzaria, Landone de Collemedio, Benedicto de Paliano, Loffrido Alberti, Pelagio domini Angeli de Alatro et Ranaldutio de Sarmineto, congregatis ad capitulum faciendum, sicut moris est, in capella Sancti Salvatoris in ecclesia Anagnina, vocatisque per me notarium infrascriptum, familiarem predictorum episcopi et capituli, per quem more solito dictum capitulum evocatur, aliis canonicis dicti capituli qui potuerunt et debuerunt comode evocari, set non venientibus, licet fuerint congruo tempore expectati, predictus dominus episcopus, presente et consentiente ac volente supradicto capitulo, me notario presente et testibus infrascriptis, dompnum Petrum Mansi de Porciano, presbyterum, instituit in stipendiarium seu portionarium in ecclesia Anagnina, eique partem integram stipendiorum, fructuum, proventuum et obventionum omnium et singulorum ipsius ecclesie, sicut uni ex canonicis et stipendiariis ejusdem ecclesie, dum vixerit, concessit, et eundem per suum anulum de hiis presentialiter investivit, salva in omnibus et per omnia indulgentia ecclesie supradicte, cui noluit per predictam concessionem modo aliquo derogari. Promittentes predicti episcopus et capitulum omnia et singula supradicta semper observare et adimplere per stipulationem legitimam, et contra, nullo modo, ratione vel causa, venire. Actum in dicta capella Sancti Salvatoris, presentibus Luca Nicolai domini Jacobi, Riczardo Manzino de Anagnia, et magistro Johanne Raynaldi de Anticulo, testibus ad hec vocatis et rogatis. Et ego Petrus Nicolai de Guarceno, publicus imperiali auctoritate notarius, hiis omnibus interfui, scripsi et publicavi, et signum feci. »

Nulli ergo, et cetera. Nostre confirmationis, et cetera. Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno sexto.

In. e. m. pro *Petro Guidonis, presbytero, stipendiario ecclesie Anagnine.* Exhibita nobis tua petitio continebat quod venerabilis frater noster Leonardus, episcopus Anagninus, de consensu dilectorum filiorum capituli ecclesie Anagnine, te auctoritate ordinaria et cetera, ut supra in proxima usque : me notario presente et testibus infrascriptis et cetera, ut supra usque in finem. Dat. ut supra.

3679 (CCXLI) Latran, 17 avril 1300.

« Dispensatur cum [eo] quod non teneatur promoveri ad presbyteratus ordinem. » (fol. 323 v°.)

Eduardo Nicolai de Amelia, canonico ecclesie Insulensis, Tornacensis diocesis. Ex serie tue petitionis —.

Ei, qui in subdiaconatus ordine constitutus est, indulget ut se ad presbyteratus ordinem non teneatur promoveri facere, ratione præbendæ sacerdotalis quam, post mortem quondam Bartholomæi de Urbe, Insulensis ecclesie canonici, in eadem ecclesia, collatione Petri de Murrone, tunc Celestini papæ V, per ipsum Bonifatium confirmata, obtinuit.

Dat. Laterani, XV kal. maii, anno sexto.

3680 (CCXLII) Latran, 1er février 1300.

« Dispensatur cum eo super dictis personatibus. » fol. 324.)

Michaeli dicto As Cloketes, capellano nostro, cantori et scolastico ecclesie Senogiensi, Cameracensis diocesis. Exhibita nobis tua petitio continebat quod in ecclesia Senogiensi, Cameracensis diocesis, quidam personatus existit, cujus ratione ille qui personatum ipsum pro tempore obtinet cantor et scolasticus nominatur, et cantorie ac scolastrie officium in ecclesia predicta exercet. Olim siquidem bo. me. Symon, tunc Penestrinus episcopus et in Francie ac Anglie partibus Apostolice Sedis nuntius, cui recipiendi liberam resignationem beneficiorum ecclesiasticorum cum cura vel sine cura, etiam si personatus et dignitates existerent, a quibuscunque personis ea obtinentibus ac in manibus suis resignare volentibus, et, eorum resignatione recepta, conferendi illa, singula videlicet singulis personis ydoneis, ac inducendi personas ipsas in illorum corporalem possessionem, et inductas defendendi, erat a predicta Sede concessa potestas, auctoritate concessionis hujusmodi, a Nicolao de Maing, libera predicti personatus ecclesie supradicte, quem tunc idem Nicolaus obtinebat, resignatione recepta, personatum ipsum, nulli alii de jure debitum, cum omnibus

juribus et pertinentiis suis, tibi contulit, et providit de illo, et in ejus possessionem corporalem te fecit induci, quem per plures annos pacifice possedisti, percipiendo ipsius fructus, redditus et proventus. Verum, quia in dubium ab aliquibus vertitur an prefata potestas se ad beneficia ecclesiastica extenderet consistentia extra partes predictas, cum dicta ecclesia non in ipsis partibus sed in ea parte que est de regno Alemanie consistere dinoscatur, tu, habens inde conscientiam scrupulosam, Apostolice super hoc provisionis remedium suppliciter implorasti.

Indulget ei ut prælibatum personatum retinere possit, « non obstante quod memorata ecclesia de præfatis partibus Franciæ seu Angliæ, ut premittitur, non existit. »

Dat. Laterani, kal. februarii, anno sexto.

3681 (CCXLIII) Anagni, 13 septembre 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 324.)

Dilecto filio nobili viro Johanni de Ferreriis, nato quondam Roberti, comitis Derbene, ac dilecte in Christo filie nobili mulieri Hawisie, nate quondam Roberti de Muregros, militis, uxoris ejus. Intenta salutis operibus — personarum. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod vos per verba de presenti matrimonium invicem solempniter contraxistis, carnali copula inter vos postmodum subsecuta. Verum quia ante hujusmodi matrimonium, inter te, Harwisia, et quondam Guillelmum de Mortuomari, qui tibi, Johannes, tertio consanguinitatis gradu, olim dum viveret, attinebat, sponsalia contracta fuerunt, tuque, Hawisia, per dictum Guillelmum traducta fuisti, licet inter te ac ipsum G[uillelmum] carnalis non fuerit copula subsecuta, sicque cum tertia affinitatis linea vobis adinvicem attinere noscamini, nobis humiliter supplicastis ut providere vobis super hoc de oportune dispensationis beneficio misericorditer dignaremur.

Consideratione Eduardi, regis Angliæ, pro illis supplicantis, indulget eis ut in hoc matrimonio licite remanere possint.

Dat. Anagnie, id. septembris, anno sexto.

3682 (CCXLIIII) Anagni, 23 juin 1300.

« Datur eis quitatio XIIIm florenorum auri. » (fol. 324.)

Rogerio et Lapo Spine, ac ceteris eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, mercatoribus camere nostre. Sicut Symonis Gerardi et aliorum sociorum vestrorum in curia nostra morantium habet assertio, et duo publica instrumenta testantur, venerabilis frater noster Raynaldus, episcopus Vicentinus, tresdecim milia florenorum auri, de quibus a dilectis filiis . . Premonstratensibus sex et a . . Cisterciensibus septem milia hujusmodi florenorum abbatibus et ordinibus, pro subsidio nostro et Ecclesie Romane, receperat, Raynutio Hugonis et Gerardo Rustici, sociis vestris in Francia morantibus, duxit nostro et Ecclesie predicte nomine assignanda ; que iidem Raynutius et Gerardus, vestro et eorum nomine receperunt, ac promiserunt ea se nobis ad nostrum beneplacitum soluturos. Cum igitur iidem Symon et socii morantes in dicta curia, vestro et ipsorum, ac predictorum Raynutii et Hugonis, et ejusdem societatis nomine, duxerint nuper nobis hujusmodi tredecim milia florenorum, apud eandem curiam, ad nostrum mandatum et beneplacitum persolvenda, nos indempnitati vestre ac predicte societatis in hac parte precavere volentes, testamur tenore presentium nos predicta tredecim milia florenorum, nostro et Ecclesie prefate nomine, a vobis et predictis vestris sociis recepisse, de quibus vobis et eis, pro nobis et successoribus nostris, et Ecclesia memorata, facimus plenam quietationem, refutationem, et promissionem de ulterius non petendo ; volentes et concedentes ut ad solutionem vel restitutionem aliam faciendam de dicta quantitate pecunie nobis taliter persoluta nullatenus teneamini, nec ad id a quoquam compelli vel coartari quomodolibet valeatis. Predicta insuper instrumenta nullum contra nos volumus in prejudicium recognitionis et quietationis hujusmodi de cetero habere vigorem nec eis fidem aliquam adhiberi, has nostras bullatas litteras vobis in hujusmodi rei testimonium concedentes. Dat. Anagnie, VIIII kal. julii, anno sexto.

3683 (CCXLV) Anagni, 10 août 1300.

Confirmatio quorumdam statutorum Beneventanorum. (fol. 324 v° et 325.)

Dilectis filiis universitati seu populo Beneventano. Inter alia que sollicitudinis nostre cura requirit, paternis desideramus studiis promovere ut civitas Beneventana, que fore noscitur speciale nostrum et Ecclesie Romane demanium, summotis obstaculis, pacifico et tranquillo statu letetur et quietis refloreat ubertate. Ut autem id comodius et efficatius valeat provenire, petitiones ves-

tras, in hiis que ad hujusmodi pacificum et tranquillum statum pertinere noscantur, libenter et favorabiliter, quantum cum Deo possumus, exaudimus. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod dudum venerabilis frater noster Theodericus, episcopus Civitatis Papalis, tunc Panormitanus electus, ad inquirenda et recuperanda jura Ecclesie Romane in civitate Beneventana, et ad inquirendum et puniendum excessus factos ibidem, ac ad tractandum, reformandum, et faciendum pacem inter partem intrinsecam et extrinsecam, seu intrinsecos et extrinsecos civitatis ejusdem dissidentes ad invicem per Sedem Apostolicam specialiter deputatus, ex tradita sibi potestate ab ipsa Sede, statuit et ordinavit, ad firmitatem pacis quam fecit inter predictos, quod nullus deberet amplius in dicta civitate tenere vel facere partem, nec se de parte aliqua nominare. Item, quod pro parte nullum capitaneum, capud (*sic*), presulem, rectorem, priorem, antianum, majorem, preceptorem, convocatorem seu coadunatorem, ballivum vel mandatorem aliqui facere deberent ibidem, seu ad hoc convenire. Item, quod nullus tale officium seu ministerium pro parte reciperet. Item, quod nulla partium, seu aliquis de parte aliqua, intus vel extra civitatem predictam destruere domum, vel edificium, vineas, seu arbores, vel alia dampna in bonis seu rebus inferre presumeret alicujus. Item, quod nulla partium, seu aliquis de parte, ad domum alicujus curreret, vel iret, aut in eam irrueret, seu insultaret quovis tempore pro aliquo dampno inferendo in personis vel rebus. Item, quod si turbatio aliqua in dicta civitate quovis tempore oriretur, commune seu populus Beneventanus domum seu edificium alicujus non destruerent seu lederent, vel in bonis, rebus, et possessionibus dampna darent, nisi hoc per Sedem Apostolicam, vel per rectorem predicte civitatis qui pro Ecclesia ipsa foret, ex aliqua justa causa contingeret demandari. Item, quod ad domum alicujus, pro dampno inferendo in personis vel rebus, ire vel currere non deberent. Item, quod domus seu locus ubi partialiter congregatio vel adunatio fieret aliquarum partium, ipso facto confiscaretur Ecclesie memorate. Item, quod nullus de populo Beneventano ad talem partem deberet accedere, aut impendere ipsi parti auxilium vel favorem. Item, quod commune seu populus civitatis ejusdem tales partes impedire deberet, nec alicui ipsarum partium adherere. Item, quod dictum commune seu populus nullam partem que pacem frangeret, seu contra pacem veniret, deberet defendere vel juvare publice vel occulte. Item, quod ipsum commune seu populus partem que pacem frangeret, et omnem singularem personam, de quacumque parte esset, pacem frangentem, teneretur persequi, nec eam receptaret vel quasi daret auxilium vel favorem. Item, quod teneretur predictum commune seu populus omnem personam persequi, nec ei favere, que partem nominare, seu facere, vel coadunare, sive congregare niteretur. Item, quod quandocumque per Romanam Ecclesiam, seu ejus nuntium, vel per rectorem Beneventanum qui esset pro tempore, pro aliquo predictorum vocarentur, commune seu populus, vel homines predicte civitatis, armati vel inermes ad manutenendum predicta, vel ad exequendum aliqua contra illos qui contra supradicta facerent vel venirent, deberent ipsi commune seu populus vel homines ad hec in omnibus obedire. Item, quod nulla persona de civitate predicta a tali obedientia se retraheret, sed vocata seu requisita obedire deberet. Item, quod ordinarentur quingenti homines qui vocarentur pro bono statu predictorum civitatis et communis, et pro supradictis servandis et exequendis. Item, quod pacem quam fecerant ipse partes per earum syndicos et postmodum singulariter quilibet de parte, deberent ipsi eorumque singulorum heredes et successores perpetuo observare. Item, quod nulla persona de civitate prefata deberet publice vel occulte pacem hujusmodi depravare, vel aliquem ad pacem ipsam incitare frangendam. Item, quod nulla persona de ipsa civitate cuiquam ipsarum partium, detrahendo vel concitando aliquem ad rumpendam ipsam pacem, deberet dicere quod pax ipsa facta foret in verecundiam alicujus, vel quod facta fuisset ad majorem utilitatem unius quam alterius, vel similia verba que ad frangendum pacem possent aliquem provocare, cum pax ipsa facta foret communiter ad partis quietem, tranquillitatem et concordiam utriusque, ac bonum et tranquillum statum Beneventani populi et communis. Item, quod nulla persona de civitate predicta deberet alicui predictarum partium reimproperare aliquid quod recepisset dampni, convitii, vel injurie in persona vel rebus, in se, vel aliis specialiter, vel etiam in communi; neque partialiter pro aliqua predictarum partium deberet contendere publice vel occulte; ac hii qui forent presentes vel audirent quando contra hoc fieret, tenerentur ea nuntiare. Item, quod omnia predicta ordinamenta seu statuta servarentur et custodirentur in aliqua ede sacra ad perpetuam rei memoriam, et quod omni anno semel legerentur in populo, ut, eis instillatis et renovatis omnium auribus, quilibet sibi caveret contra ordinationes et statuta facere prelibata. Item, quod rectores seu notarii camere, sive thesaurarii, qui essent pro tempore in civitate predicta, haberent ea omnia publicata, et rectores ipsi deberent semel in anno in parlamento eadem publicare, ipsaque semper illibata conservarent, et facerent conservari. Item, quod si contra predicta statuta seu ordinamenta

fieri contingeret per commune seu populum, vel per partem, aut per aliquam singularem personam predicte civitatis, rectores civitatis ejusdem, qui essent pro tempore, tenerentur procedere contra eos ad [1] exactionem pene sive penarum impositarum super hiis, et ad exequendum et ducendum ad effectum que in capitulis ordinationum et statutorum hujusmodi continetur. Item, prohibuit omnibus et singulis, maribus et feminis, de civitate predicta, eisque mandavit quod pacem hujusmodi, verbo, facto vel opere, aliquibus ingeniis, cautelis, detractionibus, seditionibus, adulationibus, improperiis, blasphemiis, injuriis, donis, munificentiis, promissionibus, minis, concussionibus, scandalis, seditionibus, conventionibus seu violentiis, aliquo tempore, aliqualiter, per se vel alios, non turbarent, nec opem quomodolibet prestarent vel operam qualiter ad rumpendum ipsam pacem aliquis animaretur, presertim improperando aliquid dampni, injurie vel vituperii, unde solent scandala et pacis violationes ut plurimum provenire. Item, quod quilibet deberet relaxare et dimittere domos, edificia, casalina, possessiones, et alia bona, que tenuisset post tempus discordie occupata, et novitates factas in predictis rebus, vel earum aliqua, infra certum terminum revocare, elevare, destruere, ac in statu dimittere pristino ut erant ante hujusmodi discordiam suscitatam. Item, quod rector, qui tunc erat, ceterique rectores, qui pro tempore forent in civitate predicta, omnia que per hujusmodi statuta erant expressa, tenerentur executioni mandare, postquam ad civitatem accederent memoratam. Item, publice monuit omnes et singulos, mares et feminas, clericos et laicos, cujuscumque conditionis existerent, ut usque ad certum diem omnia que fuerant occupata et accepta, tempore discordie supradicte, et innovata etiam in domibus, edificiis, possessionibus et casalinis, in aliquorum prejudicium et gravamen, revocare deberent, et bona subtracta quorumcumque, que per dampna et impressiones, tempore discordie, non consumpta seu guastata fuerant, restituere deberent infra terminum memoratum; certis diversisque penis, spiritualibus et temporalibus, super observatione omnium et singulorum predictorum, expressim appositis et adjectis, prout in instrumentis publicis inde confectis plenius et seriosius dicitur contineri. Quare nobis humiliter supplicastis ut statuta, ordinamenta, et penarum appositiones seu adjectiones hujusmodi, et omnia et singula suprascripta ratificare et confirmare, ex certa scientia, de benignitate Apostolica curaremus. Nos itaque vestris supplicationibus inclinati, statuta, ordinamenta, et penarum appositiones seu adjectiones, eadem et omnia et singula supradicta rata habentes et grata, illa ex certa scientia confirmamus, et presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo, et cetera. Nostre ratificationis et confirmationis, et cetera. Dat. Anagnie, IIII id. augusti, anno sexto.

1. *Ms* : ac.

3684 (CCXLVI) Même date.

« Super eisdem. » (fol. 325.)

Ad perpetuam rei memoriam. Inter alia que sollicitudinis nostre cura requirit, paternis desideramus studiis procurare ut civitas Beneventana, que fore noscitur speciale nostrum et Ecclesie Romane demanium, summotis obstaculis, pacifico et tranquillo statu letetur et quietis refloreat ubertate. Ut igitur id eo commodius et efficatius provenire valeat quo melius et diligentius per nos fuerit in hac parte provisum, auctoritate Apostolica statuimus ut quicumque de civibus civitatis ejusdem malandrinos, vel homines male fame, aut exbanditos regni Sicilie fecerit ad civitatem prefatam accedere, vel introduxerit aut receptaverit in eadem, pro turbatione pacifici status ejus, de civitate ipsa, et ejus territorio ac districtu, perpetuo expellatur, pro cive civitatis ejusdem nullis unquam habendus temporibus vel quomodolibet reputandus. Et bona sua omnia que habuerit in civitate, territorio vel districtu predictis, sint perpetuo camere ipsius Romane Ecclesie confiscata. Nulli ergo, et cetera. Nostri statuti, et cetera. Dat. ut supra.

3685 (CCXLVII) Même date.

« Super eisdem. » (fol. 325.)

Dilecto filio Zioni Marzoli de Florentia, rectori civitatis Beneventane. Nuper ad nostrum pervenit auditum quod, cum per rectores civitatis Beneventane, qui fuerunt pro tempore per Romanam Ecclesiam constituti quique habuerunt ab ipsa Ecclesia potestatem locandi domos, terras et alias possessiones ad demanium ejusdem Ecclesie pertinentes, positas in predicta civitate ac ejus territorio et districtu, domus, terre ac possessiones hujusmodi, pro certo temporis spatio, ipsius civitatis hominibus et incolis, locationis titulo, concesse fuerint hactenus ac locationum [1] hujusmodi sint finiti, hii qui dictas domos, terras et possessiones sub velamine locationis ejusdem tenere noscuntur, parati sunt, pro recipiendis novis lo-

1. Sic legitur in *Ms*. Forsitan legendum est: *locationum [termini]*.

cationibus de domibus, terris et possessionibus ipsis, censum, qui pro hiis solet exolvi, ex nunc promittere ac reddere dupplicatum, et nichilominus pro renovatione locationum earumdem certam ad presens exibere pecunie quantitatem. Nos igitur, de tua circumspectione confisi, locandi eis de novo domos, terras et possessiones easdem nomine nostro et Ecclesie memorate, pro hujusmodi dupplicato censu, ad tempus de quo expedire videris, sub documentis et cautionibus consuetis et debitis, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem quod locationes hujusmodi cum consilio et assensu venerabilii fratris nostri . . archiepiscopi Beneventani procedant, et quod per eundem archiepiscopum vel ejus vicarium, cui hoc ipse commiserit, ac per te tantum exactio hujusmodi census, nec non et ejusdem certe pecunie quantitatis quam pro renovatione locationum hujusmodi exolvi contigerit, fiat nomine Ecclesie memorate, ac id quod exactum inde fuerit camere ipsius Ecclesie fideliter et integre assignetur. Dat. ut supra.

3686 (CCXLVIII) Même date.

« Super eisdem » (fol. 325.)

Dilectis filiis universitati seu populo civitatis Beneventane, nostris et Ecclesie Romane fidelibus. Exigunt devotionis vestre sinceritas et fidei puritas, quibus erga Romanam vigetis Ecclesiam, ut, in hiis que profectus vestros et civitatis vestre respiciant, votis vestris favorabiliter, in quantum honeste possumus, annuamus. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ordinandi et statuendi ut, de venditione carnium et casei, quam fieri in civitate vestra continget, exigatur pro parte vestra a venditoribus hujusmodi carnium et casei, pro quibuslibet quatuor granis auri, quarta pars tantum unius grani que vulgariter quartutius nuncupatur, et quod ipsa quarta pars, sic exacta et recepta, fideliter conservetur, pro operibus meniorum, platearum et fontium, ac pro aliis vobis et civitatis vestre necessariis postmodum deputanda, liberam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem; ita tamen quod hujusmodi exactio fiat a venditoribus volentibus duntaxat exolvere, ac non ab aliis, et quod ultra summam trecentarum unciarum auri insimul coadunari non debeat de predictis, sed, priusquam perveniatur ad summam ipsam, quod exactum fuerit et receptum, pro hujusmodi operibus et necessariis expendatur. Districtius insuper inhibemus ne rector civitatis ejusdem, qui est et qui pro tempore fuerit pro Romana Ecclesia deputatus, de pecucunia taliter exigenda et recipienda quicquam audeat quomodolibet usurpare, sed ipsam pro parte vestra permittat per vos expendi libere pro operibus et ne cessariis supradictis. Dat ut supra.

3687 (CCXLVIIII) Même date.

« Super eisdem. » (fol. 325 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ad statum pacificum et tranquillum civitatis Beneventane, que ad nostrum et Ecclesie Romane demanium specialiter pertinet, dirigendum feliciter intendentes, et illa volentes inibi statuere per que malignorum ausibus tolletur materia delinquendi, auctoritate Apostolica statuimus ut rector Beneventanus, qui est et qui pro tempore fuerit, prius de ipsa civitate, vel ejus territorio seu districtu, condempnatis, ex eo scilicet quod frangendo generalem pacem, dudum factam de mandato nostro in civitate predicta inter partes dissidentes adinvicem per venerabilem fratrem nostrum T[heodericum], Civitatis Papalis episcopum, tunc Panormitanum electum, ipsius civitatis statum pacificum perturbarunt, vel condempnandis in posterum ex hujusmodi causa, vel ex alio gravi et turpi maleficio seu crimine, aut qui, proditionis vitio non carentes, aliqua contra honorem et salutem sancte Romane Ecclesie, conspirando, vel alias prave agendo, seu grave vel turpe crimen seu maleficium committendo, presumpserunt attentare, nequeat restitutionem, seu remissionem vel relaxationem, facere de bonis que, sive per eum, sive per antecessores suos, ejusdem civitatis rectores, fuerint camere prefate Ecclesie confiscata, neque sententias etiam super hiis rite latas vel proferendas in posterum valeat relaxare, ne facilitas venie delinquendi tribuat incentivum. Nos autem, si secus actum fuerit, illud exnunc irritum decernimus et inane, ac nullius existere firmitatis. Nulli ergo, et cetera. Nostri statuti et constitutionis, et cetera. Dat. ut supra.

3688 (CCL) Anagni, 15 août 1300.

« Committitur sibi collutio decime in certis partibus Lombardie » (fol. 325 v° et 326.)

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Papiensi. Dudum venerabilem fratrem Papinianum, tunc Novariensem, nunc Parmensem episcopum, collectorem decime omnium ecclesiasticorum reddituum, proventuum et obventionum [1] quam, pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane, in Italia, excepto regno Sicilie, ac in certis

1. *Ms* : eventionum.

aliis terris et locis extra ipsam Italiam, imposuisse noscimur, duximus in Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provinciis, necnon in eisdem Mediolanensi et Januensi, Papiensi quoque ac Placentina, civitatibus et diocesibus, per nostras sub certa forma litteras committendum. Verum, cum dictus Papinianus per nos de Novariensi ecclesia ad Parmensem ecclesiam sit translatus, et de beneplacito nostro ad nostram presentiam accessurus, nos, cupientes quod decime prefate negotium processu provido dirigatur, de tueque probitatis industria plenarie confidentes, te in ministerio collectionis ipsius decime in predictis Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provinciis, necnon in eisdem Mediolanensi et Januensi, Papiensi quoque ac Placentina, civitatibus et diocesibus, eidem Papiensi episcopo collectori auctoritate Apostolica subrogamus, et constituimus ipsius decime collectorem, juxta tenorem predictarum litterarum nostrarum eidem Papiniano, tunc Novariensi episcopo, directarum super hujusmodi negotio decime processuro; quem Papinianum episcopum; cujus ex certis causis volumus ulterius parcere in premissis laboribus, post redditam tibi, ab eo vel ejus vicario, seu procuratore ad hoc ipso specialiter constituto, debitam et plenariam rationem, absolvimus a commisso sibi dudum officio in hac parte. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, juxta predictarum litterarum nostrarum eidem P., tunc Novariensi episcopo, directorum tenorem, in negotio memorato diligentia exacta procedas, et nichilominus super ipso negotio et contingentibus illud, generaliter et specialiter, prout qualitas facti suaserit et tibi videbitur, ex officio nostro, diligenter inquirens, super quo tibi auctoritate presentium plenam et liberam concedimus facultatem, prefatum P. episcopum, vel hujusmodi ejus vicarium seu procuratorem, et quoslibet alios de quibus videris expedire, quod tibi quaslibet Apostolicas litteras dudum eidem P. episcopo super collectione predicta directas, omnesque scripturas per eum vel de mandato seu commissione ipsius inde confectas, vel quas ipse seu predicti alii vel eorum aliqui quomodolibet detinerent, exhibeant; et quod idem P., vel dictus ejus vicarius seu procurator, quantum ipse Papinianus, per se ac alios, recepit de decima supradicta, et penes quos, ac ubi, quando et qualiter, et sub quibus securitatibus seu cautelis, pecuniam ab eo in hac parte receptam deponere curavit, quantum adhuc de ipsa decima et in quibus restant locis seu partibus colligenda, quantum etiam, quando et qualiter, et ubi expendit de decima memorata in prosequendis hiis que contingebant eandem, et si ab eo, vel ab aliis, quibus interdum super hujusmodi collectionis negotio vices suas vel in eo duxit executionem aliquam committendam, extat adhuc aliquid de collectis forsitan assignandum, ac super aliis omnibus negotium contingentibus memoratum, de quibus expedire videris, reddant diligentem et plenariam rationem, archiepiscopos et episcopos insuper ac abbates, priores, rectores ceterosque prelatos et clericos, ac personas ecclesiasticas, archiepiscopatuum, provintiarum, civitatum et diocesium predictorum, cujuscunque status seu dignitatis existant, quos tibi constiterit, per inquisitionem quam super hiis duxeris faciendam, ex probabilibus seu verisimilibus conjecturis, pensatis eorum proventibus, minus debito notabiliter, ita quod super hoc suspecti merito sint habendi, decimam persolvisse, necnon et eos ex archiepiscopis, episcopis, abbatibus, prioribus, prelatis, rectoribus, clericis et ecclesiasticis personis prefatis, quos tibi, ob premissas causas, excomunicationis sententiam in, nullo modo, aut scienter non integre, vel non in constitutis super hoc terminis, solventes decimam, sive fraudem adhibentes circa solutionem ipsius, seu alias prestantes impedimentum quominus ipsa decima solveretur, prolatam per Apostolicam Sedem, vel per collectorem predictum, constiterit incurrisse, ut de proventibus suis hujusmodi decimam cum integritate persolvant, et de impedimento hujusmodi tibi, nostre et Ecclesie prefate nomine, plenam et debitam satisfactionem impendant, necnon et quoscunque depositarios dicte decime, ut deposita recepta per eos, et, tam per dictum Papinianum collectorem quam quoslibet alios, de pecunia dicte decime alias quomodolibet detinentes, quod hujusmodi pecuniam detentam per eos, cessante difficultate qualibet, tibi exhibere procurent, infra competentes terminos, a te super hiis, pro qualitate facti, juxta tue discretionis arbitrium, eis omnibus vel ipsorum cuilibet statuendos, ex parte nostra moneas efficaciter et inducas, et cetera. Ceterum, ut tuum officium in hac parte commissum utilius exequi, et cetera usque : consequeris. Dat. Anagnie, XVIII kal. septembris, anno sexto.

3689 (CCLI) Anagni. 15 août 1300.

« Quod assignet dictam decimam mercatoribus camere. » (fol. 326.)

Venerabili fratri G[uidoni], episcopo Papiensi, collectori decime in Mediolanensi et Januensi archiepiscopatibus atque provintiis, nec non in eisdem Mediolanensi et Januensi, Papiensi quoque ac Placentina, civitatibus et diocesibus, per nos dudum imposite pro Ecclesie Romane oneribus et necessitatibus, deputato. Cum te nuper collectorem decime omnium ecclesiasticorum reddituum et proven-

tuum pro oneribus et necessitatibus Ecclesie Romane per nos dudum imposite, venerabili fratri nostro Papiniano, tunc Novariensi, nunc Papiensi episcopo, olim ipsius decime collectori, duximus per alias nostras sub certa forma litteras subrogandum, teque in eisdem archiepiscopatibus, provintiis, civitatibus et diocesibus fecimus ipsius decime collectorem, fraternitatem tuam monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta tibi precipiendo mandantes, quatinus totam pecuniam per te, vel alium seu alios de mandato tuo, ex dicta decima colligendam, dilectis filiis Thome Spiliati et Vanni Jacobi, de Mozorum, Rogerio et Lapo Spine, de Spinorum, de Florentia, Clarentino Anselmi, Mergullese Bracchii, Putio Floravantis et Marsoppino, de Clarentum, de Pistorio, societatibus, vel eorum sociis, camere nostre mercatoribus, de quorum legalitate confidimus, vel procuratori seu procuratoribus eorumdem ad hoc ab eis vel eorum aliquo seu aliquibus predictarum societatum nomine specialiter constitutis, aut ipsorum mercatorum vel procuratorum alicui vel aliquibus has nostras deferentibus litteras, nomine ipsorum mercatorum et societatum, pro nobis et eadem Ecclesia, et nostro ac ipsius Ecclesie nomine, assignes et facias assignari, per societates ipsas equis portionibus conservandam, et nobis persolvendam in Romana curia ad nostrum beneplacitum et mandatum, faciens de singulis assignationibus hujusmodi singula confici publica instrumenta, illa nobis, penes te retentis similibus, per fidelem nuntium transmissurus, ac significaturus nichilominus, per tuas litteras harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeris faciendum. Dat. ut supra.

3690 (CCLII) Scurcola, 23 août 1300.

« Mandatur provideri de abbatissa in monasterio monialium Sancti Mauri Virdunensis. » (fol. 326 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo, et dilecto filio . . guardiano Fratrum Minorum, Virdunensibus. Etsi religiosorum locorum —.

Eis mandat, ut monasterio monialium Sancti Mauri Virdunensis, ordinis sancti Benedicti, de abbatissa provideant.

Dat. Sculcule, x kal. septembris, anno sexto.

(POTTHAST, 24972.)

3691 (CCLIII) Anagni, 7 juillet 1300.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 327.)

Magistro Jacobo dicto de Yspania, nepoti clare memorie Alyenore, regine Anglie, de Roubirri et de Ringwode ecclesiarum rectori, Dunelmensis et Wintoniensis diocesium. Virtutum merita —. Exhibita siquidem nobis tua petitio continebat quod olim fe. re. Honorius papa IIII, predecessor noster, personam tuam exhibitione prosequi gratie spetialis intendens, tecum quod de Roubirri et de Ryngwode ecclesias, curam animarum habentes, Dunelmensis et Wintoniensis diocesium, quas canonice fueras assecutus, posses libere ac licite insimul retinere, per suas litteras auctoritate Apostolica dispensavit. Cum autem predicte littere casu fortuito sint amisse, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super retentione ipsarum ecclesiarum ac fructuum perceptorum ex eis, non obstante predictarum litterarum amissione, quodque te non fecisti infra tempus a jure statutum ad omnes sacros ordines promoveri, de benignitate solita dignaremur. Nos itaque, intendentes laudabile testimonium quod tibi de litterarum scientia, vita et moribus perhibetur, et volentes te, propter hoc nec non et contemplatione clare memerie Alyenore, regine Anglie, cujus nepos fuisti, favore prosequi gratie specialis, ac dictam predecessoris nostri dispensationem nostram ratam habentes et gratam, omnemque defectum, si quis fuisset in ipsa dispensatione per supradictum predecessorem nostrum, sicut predicitur, tibi facta, supplentes de Apostolice plenitudine potestatis, tecum nichilominus ut predictas ecclesias una cum decanatu libere capelle castri de Pontefracto, Eboracensis diocesis, nec non canonicatibus ac prebendis quos in Londoniensi, Saresbiriensi, Lichefeldensi, Wellensi, Lincolniensi, Dublinensi et de Cestria, Dunelmensis diocesis, ecclesiis obtines, libere ac licite retinere valeas —. Dat. Anagnie, non. julii, anno sexto.

3692 (CCLIIII) Anagni, 23 septembre 1300.

« Committitur sibi cura ordinis Predicatorum donec de Magistro fuerit ordini memorato provisum. » (fol. 327.)

Venerabili fratri Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo. Agrum virtutum cui Dominus benedixit, sacrum videlicet Fratrum Predicatorum ordinem, pro salute fidelium quodam modo divinitus institutum, digne Sedes

Apostolica sollicitudinis intente studio colit, ut soliti fructus populo Christiane professionis de ipsius proveniant ubertate. Cum igitur olim frater Albertus, ordinis ejusdem magister, nuper debitum nature persolvit, sicque ordo ipse magistri regimine carere noscatur adpresens, nos, nolentes quod idem ordo propterea defectum quomodolibet patiatur, ac gerentes de tue circumspectionis industria et zelo quem ad ordinem geris eundem, cujus fuisti professor, cujusve curam retroactis gessisti temporibus, fidutiam in Domino spetialem, curam et regimen ipsius ordinis Apostolica tibi auctoritate committimus gerenda, per te vel per alium seu alios, donec de magistro fuerit ordini memorato provisum. Per hoc autem potestati . . prioris provincialis, qui, prout accepimus, curam ipsius ordinis, cum caret magistro, gerere debet, secundum ejusdem ordinis instituta, derogari nequaquam intendimus, quin ipse curam predictam, prout ei ex eisdem competit institutis, libere valeat exercere, sed volumus quod ipse provincialis prior, curam hujusmodi exercens, sub tua potestate consistat, tuque processus ejus, nostra fretus auctoritate, corrigere, mutare, reformare, emendare ac supplere, nec non contradictores, si qui fuerint, monitione previa, per censuram, appellatione postposita, cohercere possis, prout, quoties et quantum tibi videbitur expedire. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, hujusmodi curam et regimen tibi commissa ad laudem divini nominis sincera devotione suscipiens, illa plenis studiis exequaris, que ad statum prosperum ordinis prelibati tua noverit circumspectio pertinere. Dat. Anagnie, VIIII kal. octobris, anno sexto.

3693 (CCLV) Anagni, 25 mai 1300.

Provisio dignitatis aut personatus in diocesi Fesulana. (fol. 327.)

Dilectis filiis . . abbati Sancte Marie Florentine, et plebano plebis de Doctia, Florentine diocesis, ac magistro Herrico de Labro, capellano nostro, canonico Pisano. Sincere dilectionis affectus —.

Mandat ut Jacobo, nato nobilis viri Pazzini de Pazzis, civis Florentini, qui sinceræ dilectionis affectum ad Romanam Ecclesiam gerit, de aliqua dignitate, seu plebanatu, seu prioratu, aut alio beneficio ecclesiastico præbendali consueto secularibus clericis assignari, quod dictus Jacobus infra unum mensem post hujus vacationem duxerit acceptandum, in diocesi Fesulana, providere curent, non obstante defectu quem idem patiatur in ordinibus, scientia et ætate, cum sit in duodecimo ætatis suæ anno constitutus.

Volumus tamen quod si eundem Jacobum dignitatem, vel personatum, seu beneficium cui cura immineat animarum, obtinere contigerit, in eo faciat per ydoneum vicarium, donec ad legitimam etatem pervenerit, deserviri, cui de ipsius proventibus congrua portio assignetur, et cum in etate legitima fuerit constitutus, ad ordines, prout ipsius dignitatis, personatus seu beneficii cura requiret, statutis se faciat temporibus promoveri et personaliter resideat in eadem. Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno sexto.

3694 (CCLVI) Anagni, 21 mai 1300.

« Dispensatur cum eo super quibusdam. » (fol. 327 v°.)

Raynerio, nato dilecti filii nobilis viri Rubei de Latosa de Florentia, canonico Faventino. Tua et tuorum —.

Ei qui, manus dexteræ pollice destitutus, in Faventina ecclesia et in plebe Sancti Stephani in Pane, Florentinæ diocesis, canonicatus, et in plebe ipsa portionem, canonice ei oblatos, absque dispensatione recepit, indulget ut, non obstante defectu, cum ipse ei ex culpa propria non incumbat, ad omnes minores ordines promoveri, et præbendam, si qua vacat ad præsens vel proximo vacaverit in ecclesia Faventina, nec non et alia beneficia ecclesiastica sine cura, si ei canonice offerantur, una cum prædictis recipere valeat.

Dat. Anagnie, XII kal. junii, anno sexto.

3695 (CCLVII) Anagni, 24 mai 1300.

« Committitur rectoria Masse Trabarie et Terre Sancte Agathe in spiritualibus. » (fol. 327 v° et 528).

Magistro Collo, canonico plebis de Sancto Lazaro, Florentine diocesis, in spiritualis Masse Trebarie, Terre Sancte Agate ac pertinentiarum suarum rectori. Cum in Massa Trabaria, Terra Sancte Agathe ac pertinentiis suis in temporalibus de rectore duximus providendum, volentes etiam inibi de rectore in spiritualibus providere, ad hoc ut temporalis jurisdictio, cum expedierit, auxilio spiritualis jurisdictionis fulcita, liberius et efficatius valeat exerceri, tibi, quem nobis industrem (*sic*) et fidelem tua fama laudabilis tuaque merita representant, jurisdictionem in spiritualibus in Massa Trebaria, Terra Sancte Agathe ac pertinentiis supradictis, in fulcimentum et

auxilium temporalis jurisdictionis exercendam duntaxat et non in aliis, presentium auctoritate committimus usque ad nostre beneplacitum voluntatis. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus jurisdictionem ipsam sic prudenter et fideliter exequaris sicque limites sibi datos observes, quod digne possis merito commendari. Nos enim processus, et sententias sive penas, quos spiritualiter propter hoc rite feceris, tuleris vel statueris in rebelles, ratos habebimus et faciemus, actore Domino, usque ad satisfactionem condignam, appellatione reservata, inviolabiliter observari ; non obstantibus aliquibus privilegiis vel indulgentiis Apostolicis, cujuscunque tenoris existant, per que jurisdictionis tue executio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de quibus plenam et expressam seu de verbo ad verbum, fieri oporteat in nostris litteris mentionem. Dat. Anagnie, VIIII kal. junii, anno sexto.

3696 (CCLVIII) Anagni, 9 juin 1300.

« Conceditur . . abbati Premonstratensi ejusque coabbatibus et conventibus ordinis Premonstratensis quod non possint gravari in exigendis procurationibus a prelatis ultra numerum constitutionis Lateranensis concilii. » (fol. 328.)

Dilectis filiis . . abbatibus monasteriorum Sancti Medardi Suessionensis, Sancti Cornelii Compendiensis, et Sancti Walarici supra mare, Ambianensis et Suessionensis diocesium. Merita religionis delictorum —.

Eis mandat ne permittant ut Praemonstratenses archiepiscoporum, episcoporum et aliorum prælatorum gravaminibus et novis et insolitis exactionibus vexentur.

Dat. Anagnie, id junii, anno sexto.

(POTTHAST, n° 24964.)

3697 (CCLVIIII) Anagni, 23 juillet 1300.

Dispensatur super pluralitate. (fol. 328.)

Roderigo Suggerii, canonico Bracharensi. Dudum volentes tibi —.

Consideratione archiepiscopi Bracharensis, cujus nepos existit, indulget ut dignitatem quæ ei Apostolica dispositione reservata fuit in ecclesia Elborensi, possit recipere et retinere, una cum canonicatibus et præbendis, quos in Bracharensi et in dicta Elborensi, et præstimonio, quod in Sancte Marie de Vuvanno, Elborensis diocesis, ecclesiis noscitur obtinere, nec non et cum alia dignitate quam, dimittendo archidiaconatum de Barroso in Bracharensi ecclesia, recepit aut recepturus est.

Dat. Anagnie, x kal. augusti, anno sexto.

3698 (CCLX) Anagni, 18 juillet 1300.

Quod episcopum Magalonensem super comitatu Melgoricensi non inquietet. (fol. 328.)

Carissimo in Christo filio Philippo, regi Francorum illustri. Recordare, rex inclite, progenitorum tuorum actus strenuos meritaque preclara intuere, ac respice, et cetera ut in regesto ejusdem anni litterarum curie, capitulo XXXV, usque : nobis tuis litteris responsurus. Dat. Anagnie, XV kal. augusti, anno sexto.

(POTTHAST, n° 24969.)

3699 (CCLXI) Anagni, 28 septembre 1300.

Concessio Cisterciensibus prioratus de Gilleyo, ordinis sancti Benedicti, Eduensis diocesis. (fol. 328.)

Dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii Cisterciensis. Inter ceteras sollecitudinis nostre curas, ad hoc nostra desudat intentio, ad id urget nos admodum et efficax pulsat instantia, ut monasteriis et locis religiosis ceteris, que visibiliter collabuntur, nostre provisionis remedio, ne ad extremam exinanitionen deveniant, succurratur. Sane fidedigna etiam nostris auribus habet inculcata relatio, a qua dilectorum filiorum.. abbatis et conventus monasterii Sancti Germani de Pratis Parisiensis, ad Romaniam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, transmissa nobis etiam insinuatio non discordat, quod monasterium ipsum Sancti Germani tanto et tam gravi debitorum onere premitur retroactis temporibus contractorum, quod nisi super hoc contingat eidem de oportuno remedio celeriter providere, irreparabilis desolationis patietur occasum. Quapropter nos, graves cordis angustias sentientes, libenter, prout officii nostri cura requirit, vias et modos exquirimus, quibus idem monasterium ab hujusmodi oneris sarcina relevetur, ne bona ejus usurarum voragine consumantur. Cum igitur, sicut ex dictorum etiam abbatis et conventus insinuatione didicimus, prioratum de Gilleyo, monasterio memorato subjectum, ejusdem ordinis, Eduensis diocesis, in quo tres monachi consueverunt hactenus commorari, propter nimiam loci distantiam, ac bona et jura priora-

tus ejusdem abbas et conventus dicti monasterii nequeant absque sumptibus manutenere non modicis et tueri, et ob hoc dictus prioratus eidem monasterio quodammodo reddatur inutilis et multipliciter onerosus, nos, claram religionem vestram, insignitam virtutibus et meritorum perspicuam sanctitate, paternis affectibus confoventes, et considerantes quod vos bona juraque prioratus ejusdem, cum sit vobis prioratus ipse vicinus, de facili potestis defendere et prioratum ipsum utiliter gubernare, ac intendentes ad divini nominis laudem vos et ordinem vestrum, in predicto prioratu, ipsumque prioratum, in vobis et vestro ordine, favoribus prosequi gratiosis, et paterne caritatis studio, tam circa vestra comoda quam relevationem dicti monasterii Sancti Germani et defensionem bonorum prefati prioratus utiliter providere, dictum prioratum cum juribus et pertinentiis suis ab omni dominio, jurisdictione, subjectione et obedientia dictorum abbatis et conventus Sancti Germani totaliter eximimus, ac ipsum cum juribus suis, quoad spiritualia, vobis et monasterio vestro ac ordini in perpetuum concedimus, annectimus, subjicimus et incorporamus, tam ex officio nostro quam de plenitudine potestatis : in quo, ne divinus cultus decrescat, volumus et jubemus ut tres ad minus ordinis vestri ordinis monachi perpetuo ad divinum peragendum officium commorentur. Ceterum, pro recompensatione possessionum, pertinentiarum, jurium et bonorum omnium temporalium, mobilium et immobilium, prioratus ejusdem, quas queve vobis et ordini vestro auctoritate presentium in perpetuum de speciali gratia concedimus et donamus, statuimus et ordinamus ut prefatis abbati et conventui monasterii Sancti Germani decem milia librarum turonensium parvorum solvatis ad presens, in exonerationem debitorum ipsorum magis urgentium totaliter convertenda, rescripturi nobis debita in quibus dicta pecunia convertetur, et nichilominus quadringentas libras ejusdem monete, in festo Assumptionis Beate Virginis, eisdem abbati et conventus, qui sunt vel erunt pro tempore, aut eorum certis nuntiis seu procuratoribus hoc apud Cistercium requirentibus, dare ac solvere teneamini annuatim, donec eis certum locum seu loca, civitati Parisiensi vicinum seu vicina, ex cujus seu quorum fructibus, redditibus et proventibus hujusmodi quadringentas libras dicti abbas et conventus integre annuatim percipere valeant, juxta communem extimationem et bonorum virorum arbitrium, communiter eligendorum a partibus, duxeritis assignanda : quam quidem assignationem ipsi acceptare et recipere teneantur. Ex uberiori quoque dono gratie volumus, concedimus atque statuimus ut de cetero prioratus ipse spiritualiter et temporaliter sit manuale membrum et locus propius vester et Cisterciensis ordinis, ejusdemque prioratus bona, jura et pertinentie, sub tua, fili abbas, et successorum tuorum, et conventus Cisterciensis monasterii obedientia et subjectione maneant, sicut et cetera propria et manualia loca vestra, quodque omnibus privilegiis et indulgentiis olim vobis et Cisterciensi ordini ab Apostolica Sede concessis et in posterum concedendis libere gaudeant et utantur. Nulli ergo, et cetera. Nostre exemptionis, concessionis, annexionis, subjectionis, incorporationis, voluntatis, mandati, donationis, statuti et ordinationis, et cetera. Dat, Anagnie, IIII kal. octobris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis .. Sancti Stephani Divionensis et .. de Ougneyo monasteriorum abbatibus, ac .. decano ecclesie Belnensis, Lingonensis et Eduensis diocesium.*

3700 (CCLXII) Anagni, 1er juillet 1300.

« Mandatur confirmari electio celebrata de Johanna in monasterio Castri Caroli ordinis sancti Benedicti, Bisuntine diocesis. » (fol. 328 v° et 329.)

Venerabili fratri .. episcopo Cabilonensi. Vacante dudum monasterio Castri Caroli, ordinis sancti Benedicti, Bisuntine diocesis, per obitum quondam Mathildis, abbatisse ipsius, duas in eo contigit electiones in discordia fieri, unam videlicet de Johanna, nunc abbatissa, tunc moniali dicti monasterii, a duabus partibus conventus dicti monasterii canonice celebratam, et alteram de Margareta de Rubeomonte, moniali similiter ejusdem monasterii, a quibusdam ipsius monasterii monialibus que ad tertiam partem dicti conventus nullatenus attingebant, de facto presumptam —.

Cujus electionis negotii, per appellationes ad Sedem Apostolicam devoluti, Nicolaus papa IIII auditorem deputavit G[iffredum], Parmensem episcopum, et postea, eodem episcopo ad partes alias se transferente, bonæ memoriæ H[ugonem], episcopum Ostiensem, tunc tituli Sanctæ Sabinæ presbyterum cardinalem, subrogavit.

Eisdem quoque predecessore ac episcopo Ostiensi, post processus aliquos coram eodem episcopo Ostiensi habitos in causa predicta, viam universe carnis ingressis, nos ad apicem summi apostolatus assumpti, dilectis filiis magistro Raynerio de Vicio, canonico Lichefeldensi, capellano nostro, nostrique palatii auditori causarum, resumendam, in eo statu in quo prefatus episcopus Ostiensis dimiserat, illam commisimus, et fine debito terminandam. Qui, cognitis hujusmodi cause

meritis et juris ordine servato, diffiniendo pronuntiavit predictam electionem ipsius Johanne fore canonicam, et de persona ydonea celebratam, eamque sententialiter confirmavit et decrevit fore, benedictionis munus sibi etiam impendendo. Electionem vero que de prefata Margareta fuerat, ut premittitur, attemptata, cum omnibus ex ea vel ejus occasione secutis, cassavit, irritavit, cassam et irritam nuntiavit justitia exigente. Nosque deinde hujusmodi sententiam dicti magistri Raynerii auditoris, sicut provide lata erat, ratam et gratam habentes, eam auctoritate Apostolica duximus confirmandam. Quocirca fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus eidem abbatisse auctoritate nostra munus benedictionis impendas, cum ab ea super hoc fueris requisitus. Per hoc autem ecclesie Bisuntine, cui ipsum monasterium est subjectum, non intendimus inposterum aliquod prejudicium generari. Dat. Anagnie, kal. julii, anno sexto.

3701 (CCLXII *bis*) Anagni, 13 juillet 1300.

« Quod impendat munus benedictionis Imelde, abbatisse monasterii Sancti Antonii de Pollicino prope Ferrariam. » (fol. 329.)

Venerabili fratri . . episcopo Adriensi. Dudum monasterio —.

Monasterio Sancti Antonii de Pollicino prope Ferrariam, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, ordinis sancti Benedicti, abatisse regimine destituto, et conventu per viam scrutinii procedente, viginti duo de illo, quod viginti octo monialium numero consistebat, Imeldam, tunc ipsius monasterii priorissam, elegerunt, et postea ceteræ quinque, quæ in diversas de conventu prædicto personas direxerant vota sua, a votis suis recedentes, et nominatæ ab ipsis omni juri renuntiantes, in eandem priorissam unanimiter consenserunt. Examinato ejusdem electionis negotio per Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, eandem electam confirmat dominus papa et mandat suprascripto ut eidem benedictionis munus impendat.

Dat. Anagnie, III id. julii, anno sexto.

3702 (CCLXIII) Anagni, 25 mai 1300.

« Super prepositura ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis. » (fol. 329.)

Dilecto filio Benedicto Oddonis Gaytani de Pisis, capellano nostro, preposito ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis. Laudanda probitatis studia — faciamus. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod, vacante dudum prepositura ecclesie Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis, curam animarum habente, per mortem quondam Gottifridi de Porcario, ipsius ecclesie prepositi, bo. me. R[ogerius], archiepiscopus Pisanus, prefatam preposituram pro sue voluntatis libito usibus propriis applicans, ipsam usque ad diem sui obitus detinuit occupatam.

Post ejus obitum, Apostolicæ dispositioni reservavit dominus papa dictam preposituram eamque suprascripto contulit.

Verum Cenni de Mugello, presbyter, post mortem ipsius archiepiscopi, falso asserens quod dictus archiepiscopus eandem preposituram sibi duxerat conferendam, seque nominans ecclesie supradicte prepositum, hujusmodi collationis pretextu, nonnulla bona ipsius ecclesie post collationem per nos tibi factam de prepositura predicta nequiter asportavit. Et demum predictus Cenni, saniori ductus consilio sueque saluti providere intendens, omne jus, si quod sibi a quacunque causa forsitan competebat vel competere poterat, in prepositura predicta, in manibus venerabilis fratris nostri Francisci, Florentini episcopi, sponte ac libere resignavit.

Quam resignationem confirmans, et omnem defectum, si quis in collatione vel resignatione prædictis fuisse dinoscitur, supplens ex abundanti, dominus papa dictam preposituram suprascripto confert.

Dat. Anagnie, VIII kal. junii, anno sexto.

3703 (CCLXIII *bis*) Anagni, 25 mai 1300.

« Super facto oblationum ipsius ecclesie. » (fol. 329 v°.)

Eidem. Pro parte tua fuit nobis humiliter supplicatum ut, cum inter nonnullos archiepiscopos Pisanos et predecessores tuos, prepositos ecclesie tue Sancti Petri ad Gradus, Pisane diocesis, cujus existis prepositus, qui fuerunt pro tempore, super eo quod iidem archiepiscopi, certis diebus in anno quolibet certas oblationes, a Christi fidelibus ecclesie obvenientes eidem, seu partem earum, prout ad eos de consuetudine vel de jure pertinere dicebant, exigere nitebantur, materia fuerit scandali et dissensionis exorta, super quo etiam quedam compositio seu compositiones hinc inde intervenisse dicuntur; quia tu litigiorum anfractus et scandalorum ac

dissensionum pericula vitare in hac parte desideras, providere tibi super hoc de benignitate Apostolica dignaremur.

Indulget ut quamdiu prepositurам dictæ ecclesiæ duxerit retinendam, archiepiscopus vel capitulum Pisanæ ecclesiæ oblationes seu partem oblationum hujusmodi ab eo vel procutore ejus petere nequeant, non obstante compositione contraria.

Volumus autem quod postquam eidem ecclesie Sancti Petri preesse desieris, nullum per hoc eidem archiepiscopo vel prefato capitulo prejudicium generetur. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, constitutionis et voluntatis, et cetera. Dat ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Theanensi, et dilectis filiis . . priori Sancti Augustini de Reczano, Pisane, ac . . plebano plebis de Subiliano, Lucane diocesium.*

3704 (CCLXIIII) Anagni, 17 juin 1300.

« Super convertendis MIIII[c] florenis auri, in quibus tenetur (communis civitatis Perusine) capitulo Perusino, ad opus fabrice ecclesie Perusine. » (fol. 329 v°.)

Dilectis filiis communi civitatis Perusii. Exhibita nobis ex —.

Eis concedit ut MCCCC florenorum auri, in quibus teneantur capitulo Perusino, ad opus fabricæ ecclesiæ Perusinæ convertere possint.

Dat. Anagnie, XV kal. junii, anno sexto.

(POTTHAST, 24967.)

3705 (CCLXV) Latran, 15 octobre 1300.

« Super concessione terrarum comitum de Sancta Flora ultra Umbronem fluvium. » (fol. 330.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni Senensibus. Cum, in discordia quam habetis cum nobilibus viris Ildebrandino, Umberto, Henrico, Fancio, Guidone ac Guillelmo, comitibus de Sancta Flora, bellum ex parte vestra justum, certis ex causis rationabilibus, reputemus, et ea que occupantur in justo bello hostium, quorum fuerant, esse desinant, hujusmodi consideratione inducti, presentium vobis auctoritate concedimus, sicut pro parte vestra nobis extitit supplicatum, ut non solum mobilia, que in tali bello occupantium fiunt, sed et castra, terras et alia immobilia dictorum comitum eorumque sequacium et fautorum, ultra Umbronem fluvium, versus civitatem vestram sita, per vos, seu cives et auxiliarios vestros, in bello hujusmodi occupata, vel que vos et ipsos occupare illo durante continget, possitis vos et ipsi libere retinere, nec ad restitutionem teneamini quomodolibet eorumdem. Dat. Laterani, id. octobris, anno sexto.

3706 (CCLXVI) Anagni, 4 juin 1300.

« Mandatur confirmari electio celebrata de Ramburzia in monasterio Sancte Julie Brixiensi, si fuerit canonica. » (fol. 330.)

Dilectis filiis . . priori Predicatorum, et . . guardiano Minorum ordinum Brixiensibus. Etsi religiosorum locorum —.

Eis mandat, ut Ramburziam de Murro, electam, monasterio Sanctæ Juliæ Brixiensi, ordinis Sancti Benedicti præficiant in abbatissam, si eam invenerint idoneam.

Dat. Anagnie, II non. junii, anno sexto.

(POTTHAST, 24962.)

3707 (CCLXVII) Anagni, 14 juillet 1300.

Concessio quorumdam beneficiorum in Compostellana ecclesia. (fol. 330.)

Bernardo Juliani, judici de Luou et canonico ecclesie Compostellane. Merita tue probitatis —.

Consideratione Bernardi, Pacentini episcopi, cujus nepos existit, judicatum de Luou, qui personatus in Compostellana ecclesia existit sine cura, et canonicatus ac prebendam cum præstimoniis in ipsa ecclesia, quos idem episcopus obtinebat et qui, per promotionem ejusdem episcopi apud Apostolicam Sedem vacantes, dispositioni ejusdem Sedis delati sunt, confert et ei de illis providet, non obstante quod in eadem Compostellana perpetuam portionem, et Sancti Vincentii de Caamonco et heremitagio Sancti Fitocarii ecclesiis quædam beneficia ecclesiastica sine cura, et medietatem ecclesiæ Sancti Juliani de Aronza, quæ per duos consuevit gubernari rectores, curam animarum habentem, Compostellanæ diocesis, noscatur obtinere. « Volumus autem quod, postquam judicatum, canonicatum prebendam et prestimonia supradicta fueris in ipsa

Compostellana ecclesia pacifice assecutus, predictam perpetuam portionem, quam in eadem ecclesia obtines, quamque ex tunc vacare decernimus, omnino dimittas. »

Dat. Anagnie, II id. julii, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Tudertino, et dilectis filiis . . de Salneto in Compostellana et . . de Castella in Auriensi ecclesiis, archidiaconis.*

3708 (CCLXVIII) Latran, 15 octobre 1300.

Concessio prioratus sæcularis ecclesiæ Sanctæ Trinitatis de Pregio, Perusinæ diocesis. (fol. 330 v° et 331.)

Dilecto filio Alexandro, nato dilecti filii nobilis viri Venzoli, militis Perusini, priori secularis ecclesie Sancte Trinitatis de Pregio, Perusine diocesis. Ut tua et tuorum —.

Prioratum predictæ ecclesiæ, dispositioni Apostolicæ antea reservatum et per mortem quondam magistri Raynerii de Viterbio, capellani domini papæ, qui nuper in partibus Patrimonii Beati Petri in Tuscia diem clausit extremum, vacantem, confert et ei de illo providet, non obstante defectu quem patiatur in ordinibus et ætate, cum in minoribus tantum ordinibus et in decimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. Laterani, id. octobris, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Perusino, et dilectis filiis . . priori Sancti Donati de Gerna, Perusine diocesis, ac magistro Benedicto de Aquino, notario nostro, archidiacono de Belvacino in ecclesia Belvacensi.*

3709 (CCLXVIIII) Latran, 16 octobre 1300.

Concessio beneficii ecclesiastici in civitate seu diocesi Perusina. (fol. 331.)

Dilecto filio Jacono, nato quondam Bonifatii de Jaconis, clerico Perusino. Ut tua et tuorum —.

Beneficium ecclesiasticum, etiamsi cum cura vel dignitas existat, vacans ad præsens vel proximo vacaturum, quod infra viginti dies duxerit acceptandum, in civitate seu diocesi Perusina vel etiam civitatis Castellanæ conferendum ei reservat, non obstante quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum nullum de ordinibus, sed tantum primam tonsuram habeat clericalem, et in nono ætatis suæ anno constitutum esse noscatur.

Dat. Laterani, XVII kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . priori Sancti Apolenaris Perusini et . . plebano plebis de Sancto Clerico, Perusine diocesis, ac Desio Archionis, capellano nostro, canonico Autisiodorensi.*

3710 (CCLXX) Anagni, 25 juillet 1300.

Licentia assumendi omnes dignitates et administrationes, abbatiis exceptis. (fol. 331 v°.)

Fratri Munaldo, monacho monasterii Sancti Benedicti de Scolochi, ordinis ejusdem sancti, Castellane diocesis. Exhibita nobis —.

Ei, cum quo, auctoritate litterarum M[atthæi], Portuensis et Sanctæ Rufinæ episcopi, tunc tituli Sancti Laurentii in Damaso presbyteri cardinalis, de mandato Nicolai papæ IIII jam fuit dispensatum ut, de conjugato genitus et soluta, posset ad omnes ordines promoveri, indulget, ex ampliore gratia, ut possit ad omnes administrationes et dignitates ordinis sancti Benedicti, etiamsi curam animarum habeant, abbatiis exceptis, assumi.

Dat. Anagnie, VIII kal. augusti, anno sexto.

3711 (CCLXXI) Anagni, 28 septembre 1300.

Quod non possit a delegato papæ excommunicari. (fol. 331 v°.)

Nobili viro Johanni, duci Britanie. Ut favorem quo —.

Indulget ut nullus delegatus vel subdelegatus ab eo, executor seu etiam conservator, in personam ejus excommunicationis vel interdicti sententias promulgare valeat.

Dat. Anagnie, IIII kal. octobris, anno sexto.

3712 (CCLXXII) Même date.

Licentia eligendi confessorem. (fol. 331 v°.)

Eidem. Grandis affectus —. Dat. ut supra.

3713 (CCLXXIII) Même date.

Licentia testandi et donandi libere in subsidium Terræ Sanctæ. (fol. 331 v°.)

Eidem. Personam tuam, utpote Deo, nobis, et Ecclesie Romane ac Terre Sancte devotam, speciali benivolentia prosequentes, votis tuis libenter annuimus, in hiis maxime que tue salutis augmentum et prefate Terre Sancte utilitatem et commodum respicere dinoscuntur. Cum itaque, sicut exhibita nuper nobis pro tua parte petitio continebat, tu qui, ut asseris, transfretare ad Terram Sanctam ipsam desideras firmiter et proponis, intendas etiam de bonis tuis alias notabili et perutili dispositione in prefate Terre Sancte subsidium elargiri, nos, tuis in hac parte supplicationibus annuentes, ut in tua ultima voluntate, vel etiam inter vivos, de quibuscumque bonis tuis, prout expedire videris, libere testari, disponere ac legare valeas in subsidium memoratum, et precipere per executores tuos, quos ad hoc duxeris statuendos, quod sic legaveris in idem subsidium erogari, non obstante quacumque concessione dudum facta per nos vel predecessores nostros quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus, etiamsi regia vel alia quacumque prefulgeant dignitate, generaliter vel specialiter, distincte vel indistincte, de quibuscunque legatis seu relictis in ejusdem Terre subsidium, vel qualitercunque pertinentibus ad eandem, percipiendis ab eis vel ipsis quomodolibet assignandis, per quam eosdem tuos executores quominus hujusmodi tuam voluntatem seu dispositionem libere exequantur nolumus quomodolibet impediri, plenam et liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo. Nostre concessionis, et cetera. Dat. ut supra.

3714 (CCLXXIIII) Même date.

Licentia construendi in ducatu Britanniæ capellas quarum jus patronatus duci pertinebit. (fol. 331 v°.)

Eidem. Clara devotionis tue —.

Ei liberam impertitur licentiam construendi capellas, quot volueris, in domibus propriis et aliis locis competentibus terræ suæ, sufficienter de bonis propriis dotatas, jure patronatus, in illis dumtaxat ex capellis eisdem quæ collegiatæ non fuerunt, ei et ejus hæredibus in perpetuum plenarie reservato.

Dat. ut supra.

3715 (CCLXXV) Même date.

Indulgentia pro hiis qui annuatim monasterium Sanctæ Mariæ de Ploermel visitabunt. (fol. 331 v°.)

Universis presentes litteras inspecturis. Vite perempnis gloria, et cetera : collaudetur. Cupientes itaque ut monasterium Sancte Marie de Plormel, ordinis Carmelitarum, Macloviensis diocesis, quod dilectus filius nobilis vir Johannes, dux Britanie, construi fecisse se asserit, opere non modicum sumptuoso, de bonis propriis, et dotasse, congruis honoribus frequentetur, de omnipotentis Dei misericordia, et cetera usque : confisi, omnibusve penitentibus et confessis qui debita reverentia et devotione ad illud accesserint annuatim, in singulis Beate Virginis festivitatibus, unum annum et XL dies, infra octabas vero festivitatum ipsarum centum dies, de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Dat. ut supra.

3716 (CCLXXVI) Même date.

Licentia prædicandi in diocesi Macloviensi. (fol. 332.)

Priori et fratribus monasterii Sancte Marie de Plormel, ordinis Carmelitarum, Macloviensis diocesis. Dilecti filii nobilis viri Johannis, ducis Britanie, qui monasterium vestrum construi fecisse dicitur de bonis propriis et dotasse, supplicationibus inclinati, ut in ecclesiis et aliis locis ydoneis civitatis et diocesis Macloviensium, in magnis congregationibus et in festis solemnibus ac missarum solemniis, publice coram populo predicare possitis et proponere verbum Dei, sine juris tam[en] prejudicio alieni, liberam vobis concedimus auctoritate presentium facultatem. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Dat. ut supra.

3717 (CCLXXVI *bis*) Même date.

Eisdem. Datur licentia apud dictum monasterium cimiterium habere (*sic*) ibique sepeliri (*sic*). Dat. ut supra.

3718 (CCLXXVII) Même date.

Licentia percipiendi fructus quorumdam beneficiorum prorogata. (fol. 332.)

Nobili viro Johanni, duci Britanie. Dignum reputamus et congruum —.

Prorogat usque ad novum quinquennium gratiam eidem ad quinquennium factam, ut sex clerici possint, ejus insistentes obsequiis, fructus beneficiorum suorum in absentia percipere.

Dat. ut supra.

In e. m. *dilecto filio . . abbati monasterii Sancte Marie de Precibus, Cisterciensis ordinis, Venetensis diocesis.*

3719 (CCLXXVIII) Même date.

Licentia ad Terram Sanctam transfretandi et indulgentia pro duce Britanniæ aliisque nobilibus cum eo transfretaturis. (fol. 332.)

Eidem. Gaudemus et letamur in Domino quod tu, grandis devotionis ad Deum, Romanam Ecclesiam et Terram Sanctam claritate prefulgidus, ipsius Terre necessarias comoditates advertens, suis profectibus desideranter intendis, ac intento prosequeris animo que sibi percipis profutura. Nuper enim nobis per tuos nuntios et litteras intimasti quod tu, zelo ferventi ad ipsius Terre Sancte negotium reverenter aspirans, vivifice crucis assumpto signaculo, ad Terram eandem, ad quam jam diu habuisti propositum transfretandi, et ad quam alias etiam transfretasti, proponis et properas, aut in instanti, vel saltem infra festum Nativitatis beati Johannis Baptiste proximo futurum, in ejusdem Terre Sancte subsidium, cum majori et meliori qua poteris comitiva nobilium, personaliter iter arripere transfretandi. Quare nobis humiliter supplicasti ut, ad hoc pium prebentes assensum, tibi et omnibus tecum transfretaturis transfretandi licentiam et consuetam indulgentiam concedere dignaremur. Nos igitur, attendentes quod ad Christum dirigis studiosis operibus mentem tuam, ut, pro sui gloria nominis in terris corpore militans et labores amplectens, celeste premium consequaris, nobilitatis tue prudentiam exinde multipliciter in Domino commendamus, ac laudes et gratias Altissimo inde referimus, qui hoc tibi conspicitur inspirasse. Ideoque tibi super hujusmodi tuo salubri proposito favorabiliter annuentes, tibi et omnibus, quos tecum transfretaturos elegeris, quique tecum duxerint transfretandum, petitam transfretandi licentiam, illamque indulgentiam, que transfretantibus in ipsius Terre subsidium olim concessa fuit in generali concilio Lugdunensi, auctoritate presentium impertimur. Tu itaque, fili, mentem tuam prudenter et devote ad prosecutionem operis tam laudandi corroborans, votum tuum in hac parte sic sollicite sic laudabiliter exequaris, quod ex hoc repromissum premium gerentibus bellum Dei consequaris ab Ipso, in Apostolice Sedis gratia pleniori concrescas, et humane laudis preconium merearis. Dat. ut supra.

3720 (CCLXXVIIII) Même date.

Licentia dispensandi cum crucesignatis ducatus [Britannie inhabilibus ad transfretandum ad Terram Sanctam. (fol. 332.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie de Precibus et . . priori Predicatorum de Dinanno, Venetensis et Macloviensis diocesium, et . . guardiano Minorum Fratrum ordinis Venetensi. Dilectus filius nobilis vir Johannes, dux Britanie, nuper nobis per suos nuntios et litteras intimavit quod ipse, ferventi zelo reverenter aspirans ad negotium Terre Sancte, assumpto vivifice crucis signaculo, proponit et properat, aut in instanti vel saltem infra festum Nativitatis beati Johannis Baptiste proximo futurum, ad Terram ipsam in ejusdem Terre subsidium, cum majori et meliori qua poterit comitiva nobilium, personaliter iter arripere transfretandi. Nos itaque, volentes ut idem dux hujusmodi ejus laudabile ac salubre propositum eo plenius et efficatius prosequi valeat et implere quo manum Apostolice potestatis magis sibi senserit adjutricem, ejus supplicationibus annuentes, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, presentium auctoritate committimus et mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, cum omnibus illis personis de ducatu et terra dicti ducis, que transfretandi ad dictam Terram Sanctam emiserunt hactenus vel emiserint imposterum votum crucis, scilicet cum illis ex eis dumtaxat, quas adeo debiles vel alias ad transfretandum inhabiles esse noveritis, quod nequeant commode vel utiliter transfretare, dispensetis ut possint redimere, si voluerint, votum ipsum, et concedatis eisdem indulgentiam, que olim in generali Lugdunensi concilio transfretantibus in ipsius Terre Sancte subsidium fuit concessa, dummodo vobis vel alicui vestrum, nomine nostro et prefate Terre Sancte recipientibus, persone hujusmodi, cum quibus duxeritis taliter dispensandum, de bonis suis sufficientem, juxta vestre discretionis arbitrium, super quibus omnibus vestras intendimus conscientias onerare, propterea dederint quantitatem. Volumus autem totum id, quod a personis eisdem taliter recipere vos contigerit, prefato duci transfretationis sue prosequenti negotium, si infra dictum festum iter arripuerit transfretandi, vel ejus procuratori pro ipso, inte-

graliter assignetis, non obstante quacunque concessione dudum facta per nos vel per predecessores nostros quibuscunque personis ecclesiasticis vel secularibus, etiamsi regia vel alia quacunque prefulgeant dignitate, de hujusmodi redemptionibus vel aliis obventionibus quibuscunque ad Terram pertinentibus memoratam, percipiendis ab eis vel ipsis quomodolibet assignandis, seu indulgentia qua vobis, filii prior et guardiane, vel ordinibus vestris a Sede Apostolica dicitur esse concessa quod vos, vel fratres vestrorum ordinum, non teneamini vos intromittere de quibuscunque negotiis, que vobis vel eis per ipsius Sedis litteras committuntur, nisi in eis de concessione hujusmodi et ordinibus ipsis plena et expressa mentio habeatur; rescripturi nobis quod super hiis feceritis, et quicquid ipsi duci vel hujusmodi ejus procuratori duxeritis assignandum; presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. ut supra.

3721 (CCLXXX) Même date.

Quod rectores ecclesiarum Britanniæ non possint in posterum exigere tributum a nupturis. (fol. 332 v° et 333.) [1]

Dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie de Precibus, Venetensis diocesis, et . . decano ecclesie Andegavensis. Nuper, de quo turbamur, accepimus quod in ducatu Britanie detestandus invalescit abusus, videlicet quod rectores ecclesiarum parrochialium consistentium in ducatu predicto, pro nuptialium benedictionum parrochianis suis munere impendendo, nupturos redimere ac pactiones facere cum eis super hoc compellunt illicitas, et antequam eis velint predictum munus impendere, certam portionem vel pecunie summam bonorum suorum illos sibi exolvere compellunt invitos, faciendo cum eis super hoc, mercatorum more, mercatum, quandam pravam consuetudinem, que corruptela potius dicenda est, pretendentes indebite, videlicet sic fore ibidem hactenus in talibus observatum, propter quod contingit frequenter, ut dicitur, quod persone nupture ibidem, et hec potissime que paupertate gravantur, metu exactionis hujusmodi, ecclesiasticam super hoc solennitatem omittunt, et sese recipiunt et conjungunt in domibus propriis et in locis quandoque prophanis, ex quo generale scandalum nonnunquam inibi est exortum. Cum igitur abusus, pactiones, exactiones et consuetudo hujusmodi cedant in divine majestatis offensam et in exempli mali perniciem aliorum, veluti res que attentari manifeste presumitur contra canonica instituta, nos volentes super hoc malignorum auxibus (*sic*) per oportunum remedium obviare, discretioni vestre per Apostolica scripta in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, proposito in locis competentibus publice monitionis edicto, ipsis rectoribus eorumque vicariis, ex parte nostra, sub excomunicationis pena, quam contrafacientes incurrere volumus ipso facto, districtius injungatis ut ab hujusmodi abusu, pactionibus et exactionibus quocumque tempore faciendis, prefata consuetudine, utpote prava, nequaquam obstante, omnino desistant. Et nichilominus illos quos vobis monitionem et mandatum hujusmodi violasse constiterit, singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excomunicatos publice nuntietis, et faciatis etiam per omnia loca de quibus expedire videritis nuntiari, donec super hoc a Sede Apostolica meruerint absolutionis beneficium obtinere. Dat. ut supra.

1. Edita fuit a : DIGARD. *Boniface VIII et les recteurs de Bretagne* in *Mélanges d'histoire et d'archéologie publiés par l'École française de Rome.* Année 1883, p. 303.

3722 (CCLXXXI) Anagni, 22 juin 1300.

« Dirimuntur sponsalia inter Dominicum, comitem Anguillarie, et Johannam, filiam Stephani de Columpna. » (fol. 333.)

Ad perpetuam rei memoriam. Habet fidedigna facta nobis assertio quod inter dilectum filium nobilem virum Dominicum, comitem Anguillarie, filium quondam Pandulfi, Anguillarie comitis, et Johannam, filiam Stephani quondam Johannis de Columpna, infra annos puberes constitutos, postquam Stephanus et alii Columpnenses, scismatici ac nostri et Ecclesie Romane rebelles, essent per nos de scismatis et rebellionis dampnati crimine, sponsalia contracta fuerunt, dictaque puella postmodum traducta fuit ad domum Dominici memorati, sed demum ad partes Narbonensis provincie est deducta. Cum itaque, sicut accepimus, idem [1] et Johanna adhuc sint infra annos nubiles constituti, sicque nec potuerit nec possit adhuc, etate non permittente, consumari matrimonium inter eos, nos, attendentes quod dictus Stephanus, ejusque posteri utriusque sexus, tam dampnationis de scismate quam aliarum diversarum et gravium privationum, condempnationum, penarum et sententiarum, per nos irretiti laqueis dinoscuntur, detestabile quoque censentes dampnatos cum fidelibus et nobilibus immisceri, hujusmodi et alia quecunque sponsalia, si alias forsitan contracta fuerint inter ipsos Dominicum et Johannam, et quicquid juratorie vel alterius obligationis seu promissionis per quoscunque intervenerit circa ea, Apostolica

1. *Ms* : iidem.

auctoritate dirimimus et dissolvimus, eaque precipimus non servari; districtius prohibentes ne de cetero inter ipsos Dominicum et Johannam sponsalia vel matrimonium contrahantur, illa vel illud, si fieri contigerit, ex nunc incassum et irritum nuntiando, ipsumque Dominicum a predicta Johanna totaliter absolventes, contrahendi cum alia liberam sibi licentiam impertimur. Nulli ergo, et cetera. Nostre dirimitionis, dissolutionis, precepti, prohibitionis nuntiationis, absolutionis et impertitionis, et cetera. Dat. Anagnie, x kal. julii, anno sexto.

3723 (CCLXXXII) Latran, 21 octobre 1300.

« Prorogantur treuge inter Phylippum, Francie, et Eduardum, Anglie reges. » (fol. 333 v°.)

Ad futuram rei memoriam. Dudum inter charissimos —.

Treugas inter Philippum, Franciæ, et Eduardum, Angliæ reges, prout fuerint initæ vel indictæ, a proxime futuro Epiphaniæ festo usque ad aliud extunc secundo venturum Epiphaniæ festum, ex potestate arbitraria sibi tradita prorogat.

Dat. Laterani, XII kal. novembris, anno sexto.

(POTTHAST, 24985.)

3724 (CCLXXXIII) Latran, 31 octobre 1300.

Dispensatio super matrimonio inter natos regis Franciæ et ducis Burgundiæ. (fol. 333 v°.)

Carissimo in Christo filio Pylippo (sic), *regi Francorum illustri, et dilecto filio nobili viro Roberto, duci Burgundie.* Regis eterni mira — indulgens. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod cum, ex diversis causis et considerationibus plurimis, non inutilibus utique nec indignis, pro regni Francie ac incolarum ejus bono et pacifico statu in melius reformando, expedire multipliciter dinoscatur ut utriusque vestrum proles, que a comuni stipite jam patitur fere descensus et declinationis excursum, reducatur ad strictioris et indissolubilis vinculi unitatem, desideratis admodum dilectum filium Ludovicum, primogenitum, vel Phylippum, secundo genitum tuum, fili rex, et dilectam in Christo filiam Margaretam, natam tuam, dux, matrimonialiter invicem copulari, sed quia, obsistente tertio consanguinitatis gradu quo sibi mutuo attinere noscuntur, id non potest absque dispensatione Sedis Apostolice legitime provenire, nobis humiliter supplicastis ut providere super hoc de oportuno dispensationis beneficio misericorditer dignaremur. Nos igitur, causas et considerationes hujusmodi benignius attendentes, et considerantes quod hujusmodi utriusque proles a stipite traxit originem Deo et Ecclesie Romane devoto et laudabilium ac strenuorum meritorum claritate fulgenti, firma quoque ducti fidutia quod predicta Margareta prefatum regnum sincere diliget ipsaque diligetur ab eo, sicque per hujusmodi matrimonium, si fiat, multa bona, utilitates et comoda prefato regno et hinc et inde poterunt provenire, advertentes precipue insuper quod te, rex, ad predictum matrimonium faciendum, preter consuetudinem domus tue, nullius ambitionis vel cupiditatis respectus attrahit seu avaritie seducit affectus, sed sola caritatis, humanitatis, quietis et providentie sana consideratio animat et inducit, votis vestris super hoc benigne providimus annuendum. Vestris itaque supplicationibus inclinati, ut inter eundem Ludovicum, primogenitum, vel si, quod absit! interim ipsum morte preveniri contigerit, inter prelibatum Phylippum, secundo genitum, et prefatam Margaretam sponsalia et matrimonium licite contrahi et quod iidem in contractis permanere libere possint, prefato impedimento tertii gradus consanguinitatis nequaquam obstante, auctoritate Apostolica de speciali gratia dispensamus, prolem ex hujusmodi matrimonio suscipiendam ab eis ex nunc legitimam nuntiantes de Apostolice plenitudine potestatis. Nulli ergo, et cetera. Nostre dispensationis et nuntiationis, et cetera. — Dat. Laterani, II kal. novembris, anno sexto.

3725 (CCLXXXIIII) Anagni, 14 septembre 1300.

« Confertur prebenda Paduana. » (fol. 333 v° et 334.)

Benedicto Gaietano de Pisis, capellano nostro, canonico Paduano. Laudabilia tue merita —.

Canonicatum et præbendam ecclesiæ Paduanæ, per mortem quondam Guillelmi de Visia, qui nuper in Urbe diem clausit extremum, vacantes et a Romano pontifice conferendas, confert et ei de illis providet, « non obstante quod in eadem ecclesia dicitur esse statutum ut antiquiores canonici possint prebendas quas in dicta ecclesia obtinent, cum prebendis quas de novo vacare contingit in ipsa ecclesia, permutare », et quod in seculari Sancti Affrodisii Biterrensis abbatiam, et in Sancti Petri ad Gradus, Pisanæ diocesis, præposituram, et in Noviomensi thesaurariam, ac in eadem Noviomensi et in Laudunensi et Pisana ecclesiis, canonicatus et præbendas noscitur obtinere.

Dat. Anagnie, XVIII kal. octobris, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Theanensi, et*

dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Justine Paduensis ac . . archidiacono Parmensi.

3726 (CCLXXXV) Anagni, 17 juin 1300.

« Super quadam permutatione inter Fratres Minores Sancti Laurentii Neapolitanos et moniales Sancti Georgii Neapolitanas. » (fol. 334.)

Venerabilibus fratribus . . Lectorensi et . . Aversano episcopis. Ex parte dilectorum —.

Eis mandat ut moniales Sancti Georgii Neapolitanæ, ordinis sancti Benedicti, ad permutationem cujusdam horti cum Fratribus Minoribus conventus Sancti Laurentii ineundam compellant.

Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno sexto.

(POTTHAST, 24966.)

3727 (CCLXXXVI) Latran, 8 novembre 1300.

« Mandatur relaxari interdictum in civitate, territorio et districtu Spoletano. » (fol. 334.)

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato. Dudum civitatem Spoletanam ejusque territorium et districtum, occasione castri Montisleonis, Spoletane diocesis, ecclesiastico subjecimus interdicto, et tu postmodum, auctoritate nostra, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo preteritum interdictum hujusmodi suspendisti. Nuper autem, in vigilia ejusdem festi, interdictum ipsum in eadem civitate duntaxat duximus suspendendum, tibique per dilectum filium nostrum Matheum, Sancte Marie in Porticu diaconum cardinalem, fuit hujusmodi suspensio nuntiata. Nunc vero, tuis litteris excitati, prefatum interdictum etiam in districtu et territorio memoratis duximus auctoritate presentium suspendendum, et priorem suspensionem quam fecimus in predicta vigilia habere volumus roboris firmitatem. Dat. Laterani, vi id. novembris, anno sexto.

3728 (CCLXXXVII) Latran, 3 décembre 1300.

« Super occupatione bonorum comitum de Sancta Flora. » (fol. 334.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni Senensibus. Cum in discordia quam habetis cum nobilibus viris Ildebrandino, Umberto, Henrico, Fantio, Guidone ac Guillelmo, comitibus de Sancta Flora, bellum ex parte vestra justum certis ex causis rationabilibus reputavimus, prout in aliis vobis nuper directis continetur litteris, et adhuc etiam reputemus, et ea que occupantur in justo bello hostium, quorum fuerant, esse desinant, hujusmodi consideratione inducti, precedentium vobis auctoritate concedimus, sicut ex parte vestra nobis extitit supplicatum, ut castra, terras et alia immobilia dictorum comitum, ubicunque per vos, cives et auxiliarios vestros in bello hujusmodi occupata, vel que vos et ipsos occupare illo durante continget, possitis libere retinere nec ad restitutionem teneamini quomodolibet eorumdem; concessionem autem hujusmodi ad terras et castra que fuerunt tempore mortis sue quondam Ildibrandini, comitis de Soana, dicti Rubei, volumus non extendi. Nulli ergo, et cetera. Nostre concessionis, et cetera. Dat. Laterani, III non. decembris, anno sexto.

3729 (CCLXXXVIII) Latran, 11 décembre 1300.

Concessio in feudum castri Melicis, Spoletanæ diocesis. (fol. 334 v°.)

Dilecto filio Thome de Labro, militi. Grate devotionis studia — prosequamur. Pro parte siquidem tua petitio nobis exhibita continebat quod quondam Johannes de Columpna, frater Jacobi et pater Petri de Columpna, dudum sancte Romane Ecclesie cardinalium, nunc depositorum, olim dum viveret ac potestarie civitatis Reatine officio fungeretur, castrum Melicis, Spoletane diocesis, per violentiam occupavit, et tam ipse Johannes, dum vixit, quam post ejus obitum filii ipsius Johannis, fratres Petri predicti, aut aliquis vel aliqui ipsorum, usque ad tempus scismatis et rebellionis dampnabilis eorundem, aut alius vel alii eorum nomine vel alicujus ipsorum, tenuerunt ipsum castrum Melicis taliter occupatum. Cum igitur eosdem filios predicti Johannis de Columpna, veluti publicos et manifestos scismaticos ac nostros et Ecclesie prefate rebelles et hostes, ipsorum culpis et demeritis exigentibus, duximus omnibus bonis suis et juribus Apostolica auctoritate privandos, bonis ipsis et juribus confiscatis et etiam publicatis, sicut ex nostris processibus et sententiis contra eos habitis, quos in suo robore permanere volumus, evidenter apparet, nos, volentes tibi gratiam facere specialem, quicquid possessionis, proprietatis et juris, actionis et jurisdictionis cujuslibet, prefati Petrus et fratres, filii memorati Johannis, aut aliquis vel aliqui eorum, necnon Johannonus et

Franciscus de Melice, fratres, qui olim aliquo tempore vocabantur domini ejusdem castri Melicis, sequaces, adjutores, fautores, valitores et etiam domestici familiares ipsorum Jacobi et Petri et aliorum filiorum memorati Johannis de Columpna, fratrum Petri predicti, aut alicujus vel aliquorum ex eis vel alterius ipsorum, habuerunt et tenuerunt in ipso castro Melicis, ac territorio vel districtu et pertinentiis ejus, et quicquid eis et eorum cuilibet competiit vel competere potuit in ipsis castro, territorio vel districtu, que ad nos et Romanam Ecclesiam per processus et sententias supradictos devoluta noscuntur, ac nobis et eidem Ecclesie publicata seu etiam confiscata, vel ad ipsam Sedem essent devoluta vel devolvi possent, propter auxilium, consilium vel favorem [cardinalibus] depositis vel Johannis filiis memoratis, alicui vel aliquibus eorum, impensa, nos tibi, quem inventuri credimus ferventem et promptum in nostrum et Romane Ecclesie obsequium contra eos, tuisque heredibus ex tuo corpore per masculinam lineam legitime descendentibus, in perpetuum feudum de speciali gratia conferimus, et concedimus auctoritate Apostolica, et de Apostolice plenitudine potestate; ita tamen quod tu et iidem heredes propter hoc semper exhibeatis Ecclesie memorate debita et consueta servitia, et cetera. Nulli ergo, et cetera. Nostre collationis, concessionis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, III id. decembris, anno sexto.

3730 (CCLXXXVIIII) Même date.

« Quod assignent domino Neapoleoni, diacono cardinali, Apostolice Sedis legato, predictum castrum. » (fol. 334 v°.)

Dilectis filiis . . potestati, consilio et comuni Spoletanis. Cum castrum Melicis, Spoletane diocesis, olim detemptum per Columpnenses, scismaticos, nostros et Romane Ecclesie rebelles, quorum bona et jura omnia, ipsorum culpis et demeritis exigentibus, duximus, exigente justitia, publicanda, custodienda nostro et ipsius Ecclesie nomine, ad mandatum et beneplacitum nostrum recepisse illudque in custodia tenere noscamini, universitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus castrum ipsum dilecto filio nostro Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato et ducatus Spoletani rectori, vel ejus ad hoc nuntio speciali, nomine nostro et Ecclesie memorate, statim, absque dilationis et difficultatis obstaculo, assignare curetis, tenendum et custodiendum eodem nomine per eundem usque ad nostrum beneplacitum et mandatum; facientes de assignatione hujusmodi confici publicum instrumentum, illud nobis, retento penes vos simili, fideliter transmissuri, ac rescripturi nobis, per vestras litteras harum seriem continentes, quicquid super hiis duxeritis faciendum. Dat. ut supra.

3731 (CCLXXXIX *bis*) Même date.

« Mandatur eidem legato quod assignet dictum castrum predicto militi. » (fol. 334 v°.)

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato. Cum castrum Melicis, Spoletane diocesis, et cetera, ut supra in proxima usque : ad beneplacitum nostrum dilecti filii . . potestas, consilium et comune Spoletani recepisse illudque in custodia tenere noscantur, eisdem potestati, consilio et comuni per alias litteras nostras mandamus ut castrum ipsum tibi, vel tuo ad hoc nuntio speciali, nomine nostro et Ecclesie memorate, statim, absque dilationis et difficultatis obstaculo assignare procurent, tenendum et custodiendum eodem nomine per te, usque ad nostrum beneplacitum et mandatum. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus a Spoletanis eisdem castrum recipiens, illud dilecto filio nobili viro Thome de Labro, militi, cui et suis heredibus nuper in feudum certo modo idem castrum cum suo territorio, pertinentiis et districtu, duximus per alias nostras litteras concedendum, tradere et assignare procures, per te vel per alium seu alios, juxta ipsarum continentiam litterarum, quando videris expedire; faciens de traditione et assignatione hujusmodi confici publicum instrumentum, illud nobis fideliter responsurus, ac rescripturus nobis per tuas litteras quicquid super hiis duxeris faciendum. Dat. ut supra.

3732 (CCLXXXX) Latran, 28 octobre 1300.

Licentia mutuum contrahendi. (fol. 335.)

Dilecto filio Gualpertino, abbati monasterii Sancte Justine Paduani, ordinis sancti Benedicti. Ex parte tua fuit —.

Concedit ei licentiam contrahendi mutuum usque ad summam duorum millium et ducentorum florenorum auri.

Dat. Laterani, v kal. novembris, anno sexto.

3733 (CCLXXXXI) Latran, 20 novembre 1300.

Exemptio a jurisdictione archiepiscopi Januensis. (fol. 335.)

Dilectis in Christo filiabus . . abbatisse et conventui monasterii Sancti Nicolai de Villa Sancti Martini de Yrcis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Januensis diocesis. Circumspecta Sedis Apostolice — prosperentur. Cum itaque, sicut nuper dilecto filio nobili viro Guillelmo de Camilla, de Janua, nobis insinuante didicimus, quondam Thedisius de Camilla, frater ipsius, Sedis predicte capellanus, de salute propria cogitans, cupiensque terrena in celestia et transitoria in eterna felici commertio commutare, monasterium vestrum, quod est novella plantatio, de bonis propriis construxerit et dotarit, nos attendentes sincere devotionis affectum qua idem capellanus, dum viveret, erga nos et Romanam vigebat Ecclesiam, dictusque nobilis ac alii sui vigere non desinunt, dignum et congruum reputamus ut nos monasterium ipsum, eorum intuitu, Apostolico muniamus presidio ac speciali exemptionis privilegio attollamus, ut eo possitis devotius in illo Domino famulari quo majori fueritis libertate munite ac tranquillior fuerit status vester.

Prædictum monasterium ab omni jurisdictione archiepiscopi Januensis eximit, statuens :

Ut abbatissa et moniales que pro tempore fuerint monasterii prelibati per rectorem ecclesie Sancti Pauli Januensis qui pro tempore fuerit, quotiens et quando expedierit, visitentur et ecclesiastica recipiant sacramenta —. Dat. Laterani, XII kal. decembris, anno sexto.

3734 (CCLXXXXII) Latran, 1er novembre 1300.

« Absolvitur et liberatur a quodam legato quondam Bertrandi de Cadro, patrui sui ». (fol. 335.)

Dilecte in Christo filie Guilerme, uxori Giraldi Alamanni, civis Massiliensis. Exhibita nobis tua petitio continebat quod quondam Bertrandus de Cadro, civis Massiliensis, patruus tuus, condens in sua ultima voluntate testamentum, legavit in eo de bonis suis mille libras regalium minutorum, erogandas per manus tuas, quam sibi heredem universalem instituit, in subsidium Terre Sancte. Cumque venerabilis frater noster . . episcopus Massiliensis, collector legatorum hujusmodi a Sede Apostolica in illis partibus deputatus, de legato hujusmodi a te sibi dari peteret canonicam portionem, ac tu, asserens sibi hujusmodi portionem non deberi, et ex hoc inter ipsum episcopum et te contentio oriretur, demum tu, de prefato legato, hujusmodi occasione, in manibus Guillelmi Egheserii, mercatoris Massiliensis, deposuistis (*sic*) ad cautelam trecentas et triginta tres libras et sex solidos et octo denarios prefate monete, quas postmodum idem episcopus pro sua voluntate exegit a mercatore predicto, nomine canonice portionis, te non vocata ad id, sed hoc penitus ignorante. Postmodum vero pro legato hujusmodi ipsi episcopo quadringentas libras monete predicte solvisti, tanquam collectori hujusmodi legatorum. Et licet postea tu, computata primitus tota pecunia supradicta, residuum dicti legati eidem episcopo pluries obtulisses solvere te paratam, dummodo idem episcopus recognosceret se, tanquam collectorem legatorum predictorum, hujusmodi summam pecunie recepisse, tibique super hoc quitationis litteras exhiberet, quia tamen idem episcopus, id efficere denegans, pro sue libito voluntatis in te excommunicationis sententiam promulgavit, teque occasione hujusmodi excommunicatam fecit publice nuntiari, et ab omnibus artius evitari, tu ad nostram super hoc duxisti providentiam recurrendum, nos, volentes quod in hoc casu, etiam si de consuetudine loci contrarium esset obtentum, locum non haberet hujusmodi deductio portionis, eidem episcopo per nostras sub certa forma injunximus litteras ut, si esset ita, prefatam sententiam sine difficultate qualibet relaxaret, nostroque et Ecclesie Romane nomine predictum residuum a te herede prefata reciperet, ac recognitionem et quitationem de legato hujusmodi faceret nomine supradicto. Et nichilominus dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Victoris Massiliensis, per alias nostras dedimus litteras in mandatis, ut, si dictus episcopus mandatum nostrum in hac parte, postquam per eumdem abbatem esset super hoc primitus requisitus, negligeret adimplere, ipse extunc, prefato residuo a te nomine supradicto recepto, sententiam relaxaret eandem, tibique eodem nomine recognitionem et quitationem hujusmodi exhiberet. Verum cum tam episcopus quam abbas predicti hujusmodi mandatum nostrum non curaverint, ut asseris, adimplere, quamquam a te fuerint pluries requisiti, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hiis de oportuno remedio dignaremur. Cum igitur nobis in nostra curia residuum persolvi feceris memoratum, et de solutione predicta quam fecisti eidem episcopo de quadringentis libris predictis, ac de exactione facta per eum de trecentis et triginta tribus libris et sex solidis et octo denariis depositis, ut prefertur, sit nobis pro parte tua plenaria facta fides, nos, tuis supplicationibus inclinati, te ab eadem excommunicationis sententia, presentium auctoritate, juxta formam Ecclesie duximus absol-

vendam, et te a toto legato predicto totaliter absolvimus, ac etiam liberamus, tibique de legato ipso quitationem et refutationem facimus, ac promissionem de ulterius non petendo; volentes et concedentes ut ad solutionem vel exhibitionem aliam faciendam de hujusmodi legato nullatenus tenearis, nec ad id valeas a quoquam compelli vel quomodolibet coartari; et, si secus actum fuerit, illuc (*sic*) exnunc irritum decernimus et inane ac nullius existere firmitatis. Dat. Laterani, kal. novembris, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Arelatensi.*

3735 (CCLXXXXIII) Latran, 15 octobre 1300.

« Quod reducantur quedam possessiones ad communem usum mense. » (fol. 335 v° et 336.)

Dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo ecclesie Sancti Andree Anagnine. Circumspecta Sedis Apostolice providentia, in agendis suis debitam maturitatem observans, disponit et ordinat, corrigit et reformat, concedit et revocat, prout cum Deo expedire conspicit ac personarum, locorum, temporum et negotiorum qualitas exigit, de sue plenitudine potestatis. Sane petitio vestra nobis exhibita continebat quod magister Blasius, natus quondam Johannis de Sancto Johanne, de Anagnia, scriptor noster, ecclesie vestre canonicus, pretendens quod nos quasdam possessiones ad comunem mensam vestram pertinentes concesseramus eidem, ab eo dum viveret retinendas, ipsas, ex quarum proventibus canonici ejusdem ecclesie residentes ibidem pro non modica parte anni substentationem habebant, sibi assignari fecit, ac eas, pretextu concessionis et assignationis hujusmodi, noscitur detinere, in gravem ejusdem ecclesie lesionem, cum de residuis ejusdem ecclesie proventibus nequeant ipsi canonici more solito substentari, et per consequens in ea personaliter deservire, sicque contingit divinum cultum in eadem ecclesia non modicum minorari. Quare nobis humiliter supplicastis ut providere super hoc paterna diligentia curaremus. Nos igitur, attendentes quod fuimus in concessione hujusmodi circumventi, et nolentes quod per hoc ecclesia memorata debitis fraudetur obsequiis, in qua divinorum cultum potius cupimus adaugeri, concessionem eandem exnunc auctoritate Apostolica revocamus, statuentes ut possessiones prefate ad vos et ecclesiam prelibatam in comunem usum dicte mense, prout fuerunt hactenus, absolute ac libere de cetero revertantur et etiam reducantur. Nulli ergo, et cetera. Nostre revocationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, id. octobris, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Anagnino et dilecto filio . . archipresbytero ecclesie Sancte Anastasie Anagnine.*

3736 (CCLXXXXIIII) Latran, 4 novembre 1300.

« Indulgentia unius anni et XL dierum pro ecclesia Sancti Andree Anagnine. » (fol. 336.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Vite perennis gloria, et cetera usque : collaudetur. Rogamus itaque universitatem vestram, et hortamur in Domino, in remissionem vestrorum peccaminum injungentes, quatinus ad ecclesiam Sancti Andree Anagninam, in qua in festo Assumptionis Beate Virginis ymago Salvatoris Domini nostri Jhesu Christi recondita ibidem assumitur, et inde ad majorem ecclesiam Anagninam processionaliter asportatur, et deinde reportatur ad predictam ecclesiam Sancti Andree ibique reconditur, imploraturi a Domino delictorum veniam, in humilitate spiritus accedatis. Nos enim, ut Christi fideles quasi per premia salubriter ad merita invitemus, de Omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli, Apostolorum ejus, auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui cum debita reverentia et devotione ad dictam ecclesiam Sancti Andree, in predicto festo Assumptionis, et in singulis prefate Virginis ac in ejusdem sancti Andree festivitatibus accesserint annuatim, unum annum et quadraginta dies de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino relaxamus. Dat. Laterani, II non. novembris, anno sexto.

3737 (CCLXXXXV) Latran, 21 octobre 1300.

« Restituitur ad episcopum Trajectensem. » (fol. 336.)

Venerabili fratri Guillelmo, episcopo Trajectensi. Etsi laudanda Sedis Apostolice rectitudo, que suis processibus rationis metam non deserit, et a justitie semita non declinat, culpas et excessus cujuslibet, juxta juris exigentiam, puniat debitaque animadversione percellat, ejus tamen copiosa benignitas, que se libenter gratiosam et benivolam exhibet, ac solerter exequitur opera pietatis, facilis reperitur ad veniam pronaque conspicitur ad misericordiam exercendam. Dudum siquidem, tue promotionis tempore, apud Sedem constitutus eandem, cer-

tam nobis et fratribus nostris, de bonis Trajectensis ecclesie tuo commisse regimini, subventionem spontaneam liberaliter obtulisti, et tandem diligenter considerans quod tibi et eidem ecclesie grave posset iminere dispendium, si te, occasione subventionis hujusmodi, cum mercatoribus in curia Romana morantibus contrahere debitum oporteret, ac tua et ejusdem ecclesie bona propterea voragini exponere usurarum, attendens quoque sollicite quod subventionem predictam posses commodius solvere in futurum, quodque tibi et ipsi ecclesie magna ex prorogatione subventionis ejusdem utilitas proveniret, de nostra tibi super hoc concessa licentia promisisti camere nostre, pro nobis et Romana Ecclesia, et bo. me. H[ugoni], Ostiensi episcopo, tunc fratrum camerario predictorum, pro se dictisque fratribus stipulanti, quasdam apud Sedem predictam, ubicumque illa fore contingeret, certo termino, pro subventione hujusmodi et etiam servitio consueto, pecuniarum solvere quantitates, pro quibus jam dictis loco et termino persolvendis, te ac successores tuos dictamque Trajectensem ecclesiam, ac insuper tua et ipsorum successorum et ecclesie bona, eisdem camere et camerario per stipulationem solennem efficaciter obligasti, ita quod si quantitatum predictarum solutio loco et termino facta non existeret memoratis, redire infra prefixum tibi tunc terminum ad Sedem predictam personaliter tenereris, ab ea nullatenus recessurus donec predicte quantitates existerent integraliter persolute, corporali etiam super hiis sanctis Evangeliis coram te positis prestito juramento. Prefatus quoque Ostiensis episcopus et camerarius noster, tibi in eorum presentia constituto, volenti et hoc confitenti, ac eorum jurisdictioni te dictosque successores voluntarie submittenti, auctoritate nostra eis per nos in hac parte tradita, preceperunt ut quantitates easdem cum integritate persolveres loco et termino constitutis, ac nichilominus in te volentem et consentientem, ac sententias et preceptum hujusmodi, prout super hiis omnibus tibi a nobis concessa facultas extiterat, etiam acceptantem, si dictis loco et termino quantitates predicte non essent forsitan persolute, extunc suspensionis ab administratione spiritualium et temporalium episcopatus Trajectensis et executione pontificalium, ac majoris excommunicationis sententias protulerunt. Et quamquam predictus solutionis terminus elapsus existeret, ac prorogationes super hoc tibi a nobis concesse similiter effluxissent, quia tamen nec quantitates predictas exolveras, neque ad prefatam Sedem, prout tenebaris, te personaliter duxeras conferendum, prelibatas sententias et reatum incurrisse perjurii noscebaris, et, quod tuam indevotionem non modicam evidentius detegebat, tu, factus ob hoc ad pontificalia exercenda inabilis et indignus, illa ministrare, teque alias divinis immiscere officiis non sinebas, unde nos, ne de tante indevotionis et presumptionis audatia debitam effugeres disciplinam, et tamquam relictus in devio noceres subditis per exemplum, venerabili fratri nostro . . episcopo Tornacensi, per nostras certi tenoris litteras, in virtute obedientie duximus injungendum ut ipse, receptis eisdem litteris, per se vel alium seu alios, ex parte nostra et peremptorie citare curaret, ut infra bimestris temporis spatium post citationem suam, ab administratione temporalium et spiritualium episcopatus Trajectensis predicti et pontificalium executione suspensus, ad Romanam curiam personaliter te conferres nostroque conspectui presentares, super premissis humiliter nostris pariturus beneplacitis et mandatis, alioquin depositionis sententiam ab episcopatu predicto extunc te nosceres incurrisse, ac idem episcopus, quod super premissis duceret faciendum nobis per suas litteras, predictarum litterarum nostrarum seriem continentes, studeret fideliter intimare. Cumque prefatus episcopus, hujusmodi mandato nostro recepto, ad efficacem executionem ipsius procedere curavisset, nos tandem, facta nobis super hoc ab eodem episcopo relatione fideli, te in audientia publica super premissis fecimus pluries simili modo citari, et nichilominus venerabili fratri nostro . . Coloniensi archiepiscopo per alias nostras sub certa forma dedimus litteras in mandatis ut te publice denuntiari faceret, prout superius est expressum, et ejusdem ecclesie Trajectensis clericis et vassallis, ac aliis tuis subditis, ut in aliquo tibi minime obedirent, neque de fructibus, redditibus, et proventibus tibi debitis responderent, districte duceret injungendum, teque nichilominus citare curaret, ut coram nobis certo termino personaliter compareres pro meritis recepturus. Demum, in nostra et predictorum fratrum nostrorum presentia constitutus, nobis humiliter supplicasti ut, cum magnam quantitatum ipsarum partem jam solveris (*sic*), et residuum loco et termino super hoc tibi prefigendis intendas cum integritate persolvere, ut teneris, tecum de Apostolice munificentia pietatis, que merita supplicum excedit et vota, super premissis misericorditer agere dignaremur. Nos itaque, more laudabili pii patris, qui filiorum letatur in prosperis, perturbatur adversis, tuis laboribus et sumptibus plurimis, quos hujusmodi occasione negotii pertulisse dinosceris, paterno compatientes affectu, et, volentes propterea circa personam tuam Apostolice benignitatis clementiam explicare, te ab eisdem sententiis prorsus absolvimus, et super irregularitatis nota quam, sic ligatus, te immiscendo divinis officiis, contraxisse, ac reatu perjurii quod incurrisse

conspiceris, tecum auctoritate Apostolica dispensamus, teque ad episcopatum Trajectensem predictum, et ad omnia et singula que ad executionem pontificalis officii pertinere noscuntur, plene ac integre de gratia restituimus speciali; volentes et auctoritate predicta districtius injungentes ut canonici ejusdem Trajectensis ecclesie, ac clerici et ipsius ecclesie subditi, Trajectensis civitatis et diocesis, omnesque vassalli ejusdem ecclesie tibi humiliter pareant et intendant, ipsique vassalli consueta exhibere servitia et de redditibus ac proventibus tibi debitis studeant integraliter respondere, ac insuper ea omnia que per te, vel vicarium seu vicarios tuos nomine tuo, quoad spiritualia in episcopatu predicto rite facta esse noscuntur, priusquam ad tuam vel eorum notitiam hujusmodi tua suspensio perveniret, ratificamus, ac firma et illibata volumus permanere; decernentes nichilominus irritum et inane si secus super premissis scienter vel ignoranter a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera. Nostre absolutionis, dispensationis, restitutionis, mandati, ratificationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, XII kal. novembris, anno sexto.

3738 (CCLXXXXVI) Latran, 25 octobre 1300.

« Preficitur in abbatem ejusdem monasterii. » (fol. 336 v° et 337.)

Dilecto filio Symoni, abbati monasterii Arremarensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis. Debitum officii nostri — incrementum. Dudum siquidem monasterio Arremarensi, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, per obitum quondam Johannis, abbatis ejusdem monasterii, pastoris regimine destituto, due electiones in eo, una videlicet de Johanne, monacho ejusdem monasterii, priore prioratus de Sancto Salvatore, ad monasterium ipsum immediate spectantis, a majori et saniori parte conventus dicti monasterii, reliqua vero a minori parte ipsius conventus de Gualtero, monacho monasterii Sancti Germani Autisiodorensis, ejusdem ordinis, priore prioratus de Monasteriis in Pussessia, ad ipsum monasterium Sancti Germani immediate pertinentis, Lingonensis et Autisiodorensis diocesium, fuerunt in discordia celebrate. Hujusmodi autem electionum negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, iidem Johannes et Gualterus pro ipsarum electionum prosecutione ad Sedem predictam personaliter accesserunt, ac, electionum ipsarum negotio coram nobis proposito et aliquamdiu ventilato, nos demum electionem dicti fratris Gualteri, contra formam canonicam attemptatam, de fratrum nostrorum consilio irritam decrevimus et inanem.

Postmodum vero, prædicti Johannis resignatione recepta, et provisione dicti monasterii Apostolicæ dispositioni reservata, suprascriptus, tunc prior monasterii Sancti Benigni Divionensis, præfati ordinis, Lingonensis diocesis, præficitur in abbatem.

Dat. Laterani, VIII kal. novembris, anno sexto.

In. e. m. *dilectis filiis . . priori et conventui monasterii Arremarensis, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis; — universis vassalis; — carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri.*

3739 (CCLXXXXVI *bis*) Latran, 24 octobre 1300.

Quod possit a quocumque maluerit catholico episcopo munus benedictionis recipere. (fol. 337.)

Eidem. Cum nuper te —. Dat. Laterani, VIIII kal. novembris, anno sexto.

3740 (CCLXXXXVII) Latran, 19 décembre 1300.

« Super facto monasterii de Sancto Januario, Vercellensis diocesis. » (fol. 337.)

Venerabili fratri . . episcopo Astensi, et dilecto filio Matheo Vicecomiti, ordinario ecclesie Mediolanensis. Petitio dilecti filii Jacobi de Orio, abbatis monasterii de Sancto Januario, ordinis sancti Benedicti, Vercellensis diocesis, nobis exhibita continebat quod olim, dum diceretur monasterium ipsum per resignationem quondam Rufini, qui tunc vivens pro ejusdem monasterii abbate se gerebat, vacare, dilecti filii . . prior et conventus ipsius monasterii, Jacobum de Advocatis, monachum monasterii Sancti Stephani Vercellensis, predicti ordinis, in abbatem prefati monasterii de Sancto Januario elegerunt, ac venerabilis frater noster . . episcopus Vercellensis electionem hujusmodi auctoritate ordinaria confirmavit. Cum autem ab hujusmodi electione ac confirmatione fuisset, ex parte prefati Rufini et quorumdam monachorum predicti monasterii de Sancto Januario, ad Sedem Apostolicam appellatum, nos in hujusmodi negotio dilectum filium nostrum G[uillelmum], Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, deputavimus auditorem, idemque cardinalis, in negotio ipso rite procedens, de speciali mandato nostro predictas

electionem et confirmationem sententialiter cassavit et irritavit, cassas et irritas nuntiavit, dictoque Rufino super abbatia ejusdem monasterii de Sancto Januario, in qua pretendebat se jus habere, duxit perpetuum silentium imponendum. Nosque postmodum, dicto Rufino viam universe carnis ingresso, provisionem memorati monasterii de Sancto Januario Sedi Apostolice reservantes, ejusdem monasterii amministrationem venerabili fratri nostro P[apiniano], Parmensi, tunc Novariensi episcopo, et dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Andree Vercellensis, in spiritualibus et temporalibus duximus committendam. Et postquam dicti episcopus et abbas aliquandiu gesserant administrationem eandem, nos eidem Novariensi, ac venerabili fratri nostro . . episcopo Papiensi, et tibi, frater Astensis episcope, nostris sub certa forma dedimus litteris in mandatis ut, ad dictum monasterium de Sancto Januario personaliter accedentes, et habentes pre oculis solum Deum, eidem monasterio de persona ydonea, assumenda de gremio ipsius monasterii vel etiam aliunde, auctoritate nostra providere curaretis, preficientes eam dicto monasterio de Sancto Januario in abbatem, ac unus vestrum ei munus benedictionis impenderet, sibique faceretis a predictis priore et conventu et aliis suis subditis obediri humiliter et intendi, et de prefate abbatie fructibus, redditibus, proventibus et juribus integre responderi. Contradictores, et cetera. Dictus autem episcopus Novariensis, et tu, frater Astensis episcope, in hujusmodi negotio, presente predicto Papiensi episcopo et sine causa rationabili dissentiente, prout de jure poteratis, procedentes, dictarum litterarum forma diligenter servata, de supradicto Jacobo de Orio, tunc monacho monasterii Fructuariensis, prefati ordinis, Yporiensis diocesis, priore prioratus Sancti Bartholomei Porte Ravennatensis Bononiensis, ad idem monasterium Fructuariense immediate spectantis, dicto monasterio de Sancto Januario canonice providistis, preficientes ipsum eidem monasterio in abbatem, ac dictus Novariensis episcopus ei munus benedictionis impendit, pluresque alii, circa executionem provisionis hujusmodi, tam per eumdem Novariensem episcopum et te, Astensem, quam etiam per abbatem dicti monasterii Fructuariensis, cui idem Novariensis episcopus et tu, Astensis, vices vestras super hoc, non tamen totaliter, commisisse noscamini, legitimi habiti sunt processus. Verum predictus Jacobus de Advocatis et quidam ejus complices, scilicet Otto de Sterpiana, Facius de Furno, Jacobus de Puteo, Guillelmus Cogia de Crescentino, Facius filius Umberti de Accarisio, Henricus de Aramenzo, Johannes Scazarius de Brandate, Umbertus de Montealto, qui pro monachis dicti monasterii de Sancto Januario se gerunt, et Thomas, qui dicit se clericum, Rofinus et Guala, fratres dicti Jacobi de Advocatis, necnon Symon de Colobiano de Advocatis, cives Vercellenses, et nonnulli alii, super hiis se indebite opponentes, memoratum monasterium de Sancto Januario et membra ejusdem temeritate propria occuparunt, et adhuc occupata detinere dicuntur, bona ipsius monasterii dilapidantes enormiter et etiam consumentes, quamplures excommunicationis sententias in eos per dictum abbatem monasterii Fructuariensis rationabiliter prolatas dampnabiliter contempnendo, ipsasque per annum et amplius substinendo animis induratis. Et licet contra eos per dictum abbatem Fructuariensem auxilium venerabilis fratris nostri . . episcopi ac . . potestatis, consilii, et communis Vercellensis fuerit invocatum, illud tamen, propter potentiam et malitiam dicti Jacobi de Advocatis et suorum fratrum, consanguineorum et sequacium predictorum, obtineri nequivit, sed, quod nephandius est, Thomas predictus et quidam ejus satellites, Thebaldo de Ronasino, nuntio prefati abbatis monasterii Fructuariensis, ejus litteras continentes processum quem idem abbas, ratione commissionis sibi a dicto Novariensi episcopo et te, Astensi, super hoc facte, contra prefatos Jacobum de Advocatis et ejus sequaces rite fecerat, eisdem Jacobo et sequacibus deferenti, dexteram manum crudeliter amputarunt, alia sibi adeo gravia vulnera inferendo quod semivivum reliquerunt eumdem. Idem insuper Jacobus de Advocatis et complices sui nonnullos dicti monasterii de Sancto Januario monachos, qui, quantum in eis erat, executoribus predictis parebant, violenter ausu sacrilego capientes, eos diro carceri manciparunt, et tamdiu detinuerunt eidem carceri mancipatos donec pro eorum liberatione coacti fuerunt eis solvere non modicam pecunie quantitatem; sicque occasione premissorum dictum monasterium de Sancto Januario adeo in spiritualibus et temporalibus est collapsum quod, nisi ei per Sedem Apostolicam celeriter succurratur, incurret irreparabile detrimentum. Quare dictus abbas ejusdem monasterii de Sancto Januario nobis humiliter supplicavit ut providere sibi et eidem monasterio super hoc de oportuno remedio paterna diligentia dignaremur. Nos igitur, nolentes hujusmodi predictorum Jacobi de Advocatis et sequacium ejus tam graves et enormes excessus equanimiter tolerare, sed digne volentes circa eorum correctionem limam severitatis canonice adhibere, et ejusdem monasterii de Sancto Januario desolationi occurrere, ac ipsius utilitati salubriter providere, quodque supradicta provisio nominato monasterio de Sancto Januario de jam dicto Jacobo de Orio facta plenum sortiatur effec-

tum, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrum, Jacobum de Advocatis ac ejus complices prefatos et alios monasterii de Sancto Januario membra ac bona ipsius, ut premittitur, detinentes, auctoritate nostra, per vos vel per alium seu alios, moneatis presentialiter, si commode fieri poterit, alioquin in locis competentibus de quibus ad eos possit hujusmodi monitio verisimiliter pervenire, ut, infra quindecim dies post eandem monitionem, monasterium de Sancto Januario et ejus membra predicta omnino dimittant, nullam super hoc eidem Jacobo abbati deinceps molestiam inferentes, et de fructibus aliisque bonis inde perceptis ac ablatis, et dampnis illatis eidem Jacobi (*sic*), vel procuratori suo, plenam et debitam satisfactionem impendant, et nichilominus dictum Jacobum abbatem vel ejus procuratorem, nomine ipsius, in corporalem possessionem abbatie predicte inducatis et defendatis inductum, sibique vel dicto suo procuratori pro eo faciatis de fructibus, juribus, et obventionibus dictorum monasterii de Sancto Januario et membrorum ejusdem, integre responderi, et a subditis dicti monasterii de Sancto Januario obediri humiliter ac intendi; contradictores, et cetera; invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et insuper eosdem Jacobum de Advocatis et ejus complices supradictos ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut, infra duorum mensium spatium dictos xv dies immediate sequentium, personaliter Apostolico se conspectui representent, pro meritis super premissis excessibus recepturi, ac facturi et recepturi super hiis quod ordo dictaverit rationis; non obstantibus constitutionibus, nostra de aliquo extra suam civitatem et diocesim non trahendo, et de duabus dietis edita in concilio generali; diem vero citationis, et formam, et quicquid super premissis duxeritis faciendum, nobis, per vestras litteras harum seriem continentes, fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, xiiii kal. januarii, anno sexto.

3741 (ccLXXXVIII) Latran, 3 décembre 1300.

« Mandatur citari Antonius, episcopus Dunelmensis, ad instantiam Riccardi, prioris, et capituli ecclesie Dunelmensis. » (fol. 338.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Cantuariensi et . . episcopo Lincolnensi. Significarunt nobis Ricardus, prior, et capitulum ecclesie Dunelmensis, ordinis sancti Benedicti, quod cum venerabilis frater noster Antonius, episcopus Dunelmensis, intimasset eisdem quod ad visitandum eos procedere intendebat, iidem prior et capitulum, conjicientes et etiam metuentes, ex certis causis probabilibus et verisimilibus conjecturis, turbari et immutari nonnullas eorum libertates et laudabiles consuetudines per eundem, ne hoc fieret, ad Sedem Apostolicam provocarunt. Sed idem episcopus, postmodum ad capitulum predictum accedens, cum multitudine tam laicorum quam clericorum secularium ac regularium alterius ordinis copiosa, priori et capitulo memoratis injunxit ut ipsum ad exercendam hujusmodi visitationem admitterent, presentibus clericis et laicis prelibatis. Pro parte vero ipsorum prioris et capituli fuit coram dicto episcopo excipiendo propositum quod, cum episcopi Dunelmenses, qui fuerunt pro tempore, dictum capitulum soli, ceteris aliis exclusis, consueverint tempore visitationis intrare, idque tanto fuisset tempore observatum quod super hoc erant legitima prescriptione muniti, prout se offerebant legitime probaturos, dicti prior et capitulum, qui erant in possessione vel quasi hujusmodi juris, ac parati visitationem episcopi predicti recipere, si eam juxta hujusmodi formam solitam impendere voluisset, admittere dictum episcopum ad visitationem eandem, clericis et laicis eisdem presentibus, presertim in tanta multitudine, minime tenebantur, et, quia dictus episcopus hujusmodi exceptionem admittere contra justitiam recusavit, ex parte ipsorum ad dictam Sedem extitit appellatum, ac idem episcopus, hujusmodi appellatione contempta, in dictum priorem, Thomam, suppriorem, et Ricardum, tertium priorem dicte ecclesie, ac alios singulos ejusdem ecclesie monachos administrationes habentes, excommunicationis sententias promulgavit, propter quod ex parte ipsorum prioris et capituli fuit ad Sedem iterum appellatum eandem. Porro dictus episcopus, contra priorem et capitulum predictos gravius provocatus, ipsos citari fecit, ut coram se die sequenti comparere deberent, penam pro demeritis recepturi, ac, eodem adveniente die, magister Robertus, decanus ecclesie prebendalis de Aukeland, Dunelmensis diocesis, et magister Johannes de Lascy, clericus, auctoritate, ut dicebant, ipsius episcopi eis in hac parte commissa, contra dictum priorem et ceteros monachos dicte ecclesie administrationes habentes, privationis et amotionis ab administrationibus eorum contra justitiam sententias fulminarunt, loco singulorum eorumdem preterquam dicti prioris alios subrogando. A quibus pro parte dictorum prioris et capituli fuit iterum ad Sedem eandem et, pro tuitione sua, ad venerabilem fratrem nostrum archiepiscopum Eboracensem, loci metropolitanum, juxta quandam Eboracensis provincie consuetudinem appellatum. Idem vero episcopus, appellationibus hujusmodi vilipensis, omnia

bona dictorum prioris et capituli fecit pro sue voluntatis libito sequestrari, ad illa custodienda suos deputando custodes, amotis inde prioris et capituli custodibus predictorum, ac inhibendo custodibus ejus predictis ne de bonorum predictorum fructibus ipsi priori et capitulo responderent, aliasque bona, jura et jurisdictiones ipsorum prioris et capituli occupando ; nec hiis contentus idem episcopus priorem et monachos ejusdem ecclesie fecit in domibus ecclesie predicte recludi, suis quibusdam satellitibus ad custodiam positis, ne aliquis (*sic*) ipsorum inde permitterent exire, nec deferri possent aliqua victualia quomodolibet ad eosdem ; fistulas preterea plumbeas aqueductus eorumdem prioris et capituli prefatus episcopus fecit excidi, molas et stagna molendinorum ipsius frangi, ac dictorum prioris et capituli famulos seculares, capiendo eos et carceri mancipando, necnon bona occupando ipsorum, ab eorumdem prioris et capituli obsequio cessare coegit. Sane . . officialis Eboracensis, de hujusmodi tuttoria (*sic*) appellatione cognoscens, pronuntiavit eosdem priorem et capitulum fore defendendos in jure suo, pendentibus eisdem appellationibus ad dictam Sedem, ut premittitur, interjectis, ac omnia que post appellationes easdem in eorum prejudicium attemptata fuerant revocanda; sed episcopus ipse proponi fecit edictum ne aliquis de subditis ejus, clam vel palam, super hujusmodi negotio litteras ab eodem archiepiscopo vel ejus curia pro priore et capitulo predictis reciperet, in clericos, privationis ab officio et beneficio, laicos vero, qui contra facerent, perpetui exilii de terris ipsius episcopi, sententias promulgando. Cumque dictus archiepiscopus eidem episcopo mandavisset ut omnia post appellationes predictas taliter attemptata in statum debitum revocaret, nec appellationibus eisdem pendentibus quicquam in ipsorum prioris et capituli prejudicium attemptaret, idem episcopus non solum hujusmodi archiepiscopi predicti mandato parere contempsit, sed, gravamina gravaminibus addens, quosdam ipsius ecclesie monachos, conspiratores et inimicos dicti prioris, ad suam presentiam evocavit, inducendo eos ut alium in priorem eligerent ecclesie prelibate; et, quia demum ipsi non potuerunt de certa concordare persona, dictus episcopus Henricum de Luceby, pseudo monachum ipsius ecclesie, conspiratorem dicti prioris, prefecit de facto eidem ecclesie in priorem. Qui, prefati episcopi fultus potentia, ad ecclesiam predictam cum predictis aliis conspiratoribus dicti prioris et multitudine armatorum accedens, priore et monachis predictis ipsius potentie resistere nequeuntibus, seque propter hoc receptantibus infra claustrum, claustrum ipsum fractis illius ostiis introivit, dictusque prior et singuli de dicto capitulo ad predictam ecclesiam confugerunt, se in eorum stallis ejusdem ecclesie receptantes, ubi sine cibo et potu per triduum moram trahere sunt coacti. Archiepiscopus interea memoratus, hec audiens, iterum episcopo supradicto mandavit pluries ut, revocatis in statum debitum hiis que post appellationes predictas fuerant attemptata, priorem et capitulum eosdem [in] possessione ac jure ipsorum, eisdem pendentibus appellationibus, non turbaret. Et quia dictus episcopus, eidem archiepiscopo super hoc obstinata pertinatia parere contempnens, non est veritus protestari quod, nec pro papa, nec pro rege, nec etiam pro archiepiscopo, vel aliquo alio, dimitteret quin in hac parte suum propositum adimpleret, et tam episcopus quam Henricus predicti, ab eodem archiepiscopo canonice moniti, ab hujusmodi eorum rebellione et turbatione dictorum prioris et capituli desistere contumaciter non curarunt, dictus archiepiscopus in eos et eorum in hac parte fautores excommunicationis sententiam promulgavit ; quam episcopus ipse dampnabiliter vilipendens, ac mala malis accumulans, priorem eundem, necnon Johannem de Castro Bernardi, et Hugonem Manhant, monachos ejusdem ecclesie, fecit ad carcerem suum ausu sacrilego violenter adduci, qui adhuc detineri dicuntur eidem carceri mancipati ; alios autem de dicto capitulo fecit idem episcopus fame, siti, et aliis incommoditatibus sic affligi quod ipsi, per vim et metum qui potuerunt cadere in constantes, coacti sunt eidem Henrico sic intruso manualem obedientiam exhibere. Deinde vero prefatus episcopus, ad capitulum ipsos (*sic*) causa visitationis accedens eorumque domos cum quatuor clericis suis ingrediens, monachos de dicto capitulo quantum potuit fuit conatus inducere quod renuntiarent appellationibus supradictis, ipsumque cum clericis eisdem admitterent ad visitationem inibi impendendam. Qui, attendentes quod dictus eorum prior tenebatur taliter carceratus, id, prout nec debebant, facere noluerunt, quin potius appellationes easdem, in ipsius episcopi presentia, innovarunt. Henricus quoque jam dictus, sigillum prioris et capituli predictorum occupans, eo utitur pro sue libito voluntatis. Hec et alia plura gravamina, dampna, injurias et offensas dicuntur episcopus et Henricus predicti memoratis priori et capitulo intulisse, super quibus omnibus, ex parte dictorum prioris et capituli, ad nos habitus est recursus, nobisque humiliter supplicatum ut, cum premissa, non solum in grave ipsorum et dicte ecclesie detrimentum, sed et contemptum et injuriam dicte Sedis, ad quam pro parte ipsorum totiens fuerat appellatum, redundare noscantur, ipsis sic afflictis de oportuno providere remedio dignaremur. Nos igitur, priori, capitulo et ecclesie memoratis paternis in hiis compatientes af-

fectibus, eisque de illo subvenire remedio intendentes, per quod et ipsi sue justitie consequi valeant complementum, et malignantium audatia compescatur, fraternitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem episcopum, quod dictum priorem sic detentum, prosecuturum personaliter jura sua et dicti capituli apud Sedem predictam, pristine restituat libertati, monitione premissa, auctoritate nostra, appellatione postposita, compellatis, ac tam episcopum quam Henricum predictos, ex parte nostra, peremptorie citare curetis, ut, infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, compareant personaliter coram nobis, super hiis recepturi pro meritis, ac alias facturi et recepturi quod justitia suadebit; diem vero citationis, et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Dat. Laterani, III non. decembris, anno sexto.

3742 (CCLXXXXVIIII) Latran, 9 décembre 1300.

Quod per biennium possit facere visitari ecclesias et monasteria diocesis Agennensis. (fol. 338 v°.)

Venerabili fratri Bertrando, episcopo Agennensi. Personam tuam —.

Ei qui, « propter debilitatem proprii corporis quam parit senectutis proprietas, » non potest diocesim suam visitare, indulget ut eam per personas ydoneas visitare et procurationes in pecunia recipere possit.

Dat. Laterani, V id. decembris, anno sexto.

3743 (CCC) Latran, 18 octobre 1300.

Concessio præbendæ in ecclesia Astensi. (fol. 338 v° et 339.)

Rodulfo, nato dilecti filii Andree Garotti, canonico Astensi. Probitatis indicia que —.

Consideratione patris ejus, canonicatum et præbendam in ecclesia Astensi, si vacant ad præsens, confert, vel, cum vacaverint, conferendos reservat, non obstante quod in plebe de Marsellengo, Astensis diocesis, canonicatum et præbendam noscatur obtinere, seu quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum sit in octavo suæ ætatis constitutus anno, et primam tantum clericalem habeat tonsuram.

Dat. Laterani, XV kal. novembris, anno sexto.

In. e. m, *venerabili fratri .. episcopo Parmensi, et dilectis filiis . . abbati monasterii Grazani, Vercellensis diocesis, et . . priori Sanctorum Apostolorum Astensi.*

3744 (CCCI) Latran, 22 octobre 1300.

« Applicatur mense episcopali Viterbiensi ecclesia Sancte Marie de Cellis ». (fol. 339.)

Venerabili fratri . . episcopo Viterbiensi. Inter sollicitudines nostre —.

Ecclesiam Sanctæ Mariæ de Cella in bonis multifarie molestatam episcopalis mensæ usibus applicat, jus si quod abbati et conventui monasterii Farfensis, ordinis sancti Benedicti, Sabinensis diocesis, in illa ecclesia competit, ad eandem mensam transferens.

Dat. Laterani, XI kal. novembris, anno sexto.

3745 (CCCII) Latran, 21 octobre 1300.

Quod possint habere oratorium et cimiterium. (fol. 339.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus hospitalis pauperum de Brolio Mediolanensis. Digne meretur devotionis —.

Concessionem in eodem hospitali oratorium construendi, altare erigendi et proprium sacerdotem habendi, quam bonæ memoriæ Otto, archiepiscopus, de consilio . . archipresbyteri et canonicorum ecclesiæ Mediolanensis, eis fecit ea lege ut « magister ipsius hospitalis qui esset pro tempore, super altare ecclesie Beati Stephani Mediolanensis, in cujus parrochia prefatum hospitale situm fore dinoscitur, in die festi ejusdem sancti, dum missarum solemnia celebrarentur, ibidem duos cereos ponderis duarum librarum pro quolibet, singulis annis, in signum subjectionis offerret », confirmat et eisdem insuper concedit facultatem proprium cimiterium habendi.

Dat. Laterani, XII kal. novembris, anno sexto.

3746 (CCCIII) Latran, 20 novembre 1300.

« Quod possit facere visitari diocesim suam per triennium. » (fol. 339 v°.)

Venerabili fratri Symoni, episcopo Noviomensi. Sincere devotionis affectus —.

Indulget, cum « occasione guerrarum et sumptuum et dampnorum que dudum in regno Francie occurerunt », ipse et ejus ecclesiæ graventur dampnis et sumptibus, ut diocesim suam

per ydoneas personas visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Laterani, XII kal. decembris, anno sexto.

In. e. m. *venerabili fratri . . episcopo Suessionensi, et dilectis filiis . . abbati monasterii Compendiensis, Suessionensis diocesis, ac magistro Johanni de Millencourt, canonico Andegavensi.*

3747 (CCCIIII) Même date.

Quod non possit excommunicari. (fol. 339 v°.)

Eidem. Personam tuam —.

Indulget ut nullus delegatus vel subdelegatus in personam ejus suspensionis et interdicti sententias promulgare valeat.

Dat. ut supra.

3748 (CCCV) Latran, 7 novembre 1300.

« Mandatur citari abbatissa secularis ecclesie Nivellensis, Leodiensis diocesis, ad instantiam Hugonis de Lugduno, prepositi ejusdem ecclesie. » (fol. 339 v°.)

Venerabilibus fratribus . . Leodiensi, et . . Cathalaunensi episcopis, ac dilecto filio . . decano ecclesie Insulensis, Tornacensis diocesis. Significavit nobis dilectus filius Hugo de Lugduno, prepositus ecclesie Nivellensis, Leodiensis diocesis, quod nos olim, volentes ei, obtentu bone memorie Hugonis, tituli Sancte Sabine presbyteri cardinalis, cujus dictus Hugo consanguineus fuit, gratiam facere specialem, tibi, frater Cathalaunensis episcope, et dilectis filiis . . decano Sancti Pauli, Leodiensis, ac . . scolastico Insulensis, Tornacensis diocesium, ecclesiarum, nostris sub certa forma litteris dedimus in mandatis ut ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios, eidem Hugoni de Lugduno de aliquo personatu, dignitate vel officio, quem personatum seu quam dignitatem aut quod officium ipse duceret acceptandum, si in civitate vel diocesi Leodiensibus tunc vacaret, vel quamcito ad id se facultas offerret, providere curarent; inducentes, et cetera. Vacante demum prepositura ipsius Nivellensis ecclesie per mortem quondam Godefridi, ejusdem ecclesie Nivellensis prepositi, . . custos ecclesie Sancti Dyonisii Leodiensis, cui tu, prefate episcope Cathalaunensis, in hujusmodi provisionis negotio commiseras post inhibitionem, reservationem et decretum hujusmodi vices tuas donec eas ad te duceres revocandas, tam predictas nostras quam tuas, Cathalaunensis episcope, litteras, inhibitionem, reservationem, decretum et processus alios tuos, Cathalaunensis episcope, continentes, in dicta Nivellensi ecclesia solemniter publicavit, inhibens nichilominus tam abbatisse quam canonicis et canonicabus secularibus ejusdem ecclesie, in qua canonici et canonice seculares ab antiquo instituti fore noscuntur, et ad quos comuniter alias electio prepositi ad preposituram predictam, cum eam vacare contingit, de antiqua approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinet, ne de prepositura predicta se intromittere quomodolibet attemptarent, decernendo quicquid secus fieret irritum et inane; ac demum preposituram predictam, sic vacantem nullique alii de jure debitam, dicto H[ugoni] de Lugduno infra tempus ad hoc statutum legitime acceptanti, cum juribus et pertinentiis suis canonice contulit, in singulos contradictores et rebelles excommunicationis sententia promulgata, collationem hujusmodi et alia supradicta ad abbatisse, canonicorum et canonicarum predictorum notitiam nichilominus deducendo. Verum eadem abbatissa, non sine magne carnalitatis affectu et temeritatis audacia, vehementer aspirans ad providendum Colardo, fratri suo, canonico Nivellensis ecclesie supradicte, de prepositura prefata, penes eosdem canonicos et canonicas, tam per se quam per consanguineos et amicos ipsius, quos ad dictam ecclesiam propter hoc in magna multitudine convocavit, institit quantum potuit importune ut ad preposituram eandem Colardum eligerent supradictum; sicque tres ex canonicis et una ex canonicabus eisdem, minis et terroribus abbatisse et consanguineorum predictorum perterriti, prefatum Colardum una cum eadem abbatissa ad preposituram eandem de facto, nocturno etiam tempore, eligere presumpserunt, reliquis omnibus, tam canonicis quam canonicabus, qui erant numero quadraginta vel plures, contradicentibus et invitis, ac recipientibus vice capituli eundem H[ugonem] de Lugduno ad preposituram predictam in eadem Nivellensi ecclesia, ut est moris, libere et quiete. Porro quidam miles, frater abbatisse predicte, ejusque complices, quos abbatissa predicta ad ipsam Nivellensem ecclesiam, ut premittitur, convocarat, se prefato preposito ne ad capitulum ecclesie predicte Nivellensis accederet opponentes, tam prefato preposito quam nonnullis ejus sociis tunc secum inibi existentibus multas injurias et contumelias intulerunt. Et licet ex parte abbatisse, Colardi et aliorum predictorum qui Colardum predictum elegerant, fuisset ex certis causis a nonnullis subdelegatis eorumdem executorum ad executores ipsos, et ab ipsis etiam executoribus ad Sedem Apostolicam appellatum, ipsi tamen Colardus, abbatissa et electores hujusmodi eorum appellationes non sunt, cum potuerint, infra tem-

pus legitimum prosecuti, et nichilominus idem Colardus, pretextu talis electionis de se facte, prefate abbatisse ac suorum fultus potentia, prepositurам occupavit eandem et detinet occupatam, percipiendo fructus et redditus ex eadem, in anime sue periculum dictique prepositi non modicum detrimentum. Per te autem, Cathalaunensis episcope, tuosque collegas predictos eorumque subdelegatos fuerunt, occasione hujusmodi, tam in abbatissam et Colardum quam in contradictores alios et rebelles, suspensionis et excommunicationis, ac in dictam ecclesiam Nivellensem et ad alia ipsorum loca interdicti sententie rationabiliter promulgate, quas eadem abbatissa dampnabiliter vilipendens, in loco etiam interdicto palam et solemniter divina facit officia celebrari, seque illis immiscet, beneficia confert ecclesiastica, ac administrationem spiritualium et temporalium gerit in eadem Nivellensi ecclesia per omnia sicut prius; prefatus etiam Colardus eidem preposito ejusque familiaribus injurias jugiter et offensas irrogare non cessat, ac ex eisdem familiaribus aliquos capi fecit et carceri mancipari, quasdamque Apostolicas litteras dilaniare non sine magna temeritate presumpsit. Quare dictus prepositus, possessionem dicte prepositure, propter abbatisse et Colardi predictorum potentiam adipisci non valens, nec etiam in illis partibus propter hoc sue consequi justitie complementum, ad nostram super hiis duxit providentiam recurrendum, nobis humiliter supplicando ut oportunum super hiis adhibere remedium dignaremur; tu quoque, episcope Cathalaunensis predicte, hujusmodi negotium tibi commissum ad Sedem remisisti predictam. Nos igitur, attendentes quod predicta taliter attemptata, non solum in ipsius prepositi detrimentum, set etiam in contemptum Sedis prefate redundare noscuntur, ac propterea intendentes eidem preposito de illo remedio subvenire per quod et ipse plenam consequatur justitiam, et malignantium audatia compescatur, discretioni vestre, et cetera, abbatissam et Colardum predictos ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut, infra duorum mensium spatium post citationem hujusmodi, dictus scilicet Colardus personaliter, abbatissa vero per procuratorem ydoneum, Apostolico conspectui se presentent, super premissis omnibus mandatis nostris et beneplacitis parituri, et cetera. Diem vero, et cetera. Dat. Laterani, VII id. novembris, anno sexto.

3749 (CCCVI) Latran, 9 novembre 1300.

« Mandatur citari Johannes dictus Ciamini, monachus monasterii Sancti Georgii Lucani. » (fol. 340 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Lucano. In causa que inter Vincentium, qui se gerit pro preposito monasterii Sancti Georgii Lucani, per prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Benedicti, et Johannem dictum Ciamini, ejusdem monasterii monachos, super prepositura ejusdem monasterii, ad quam uterque ipsorum se canonice proponit assumptum, vertitur, per appellationem dicti Johannis ad Sedem Apostolicam devoluta, dilectum filium magistrum Altegradum de Lendenaria, canonicum Ravennatem, capellanum nostrum nostrique palatii auditorem causarum, deputavimus specialiter auditorem, coram quo, super libello ex parte dicti Johannis oblato lite inter procuratores partium legitime contestata, de calumpnia et de veritate dicenda prestitis juramentis, factis etiam et exhibitis quibusdam positionibus hinc et inde, cum inter alia Johanni obiciatur eidem quod ipse defectum visus intolerabilem patitur, quem ab ipsa sui nativitate, ut asseritur, passus fuit, nos, attendentes quod per ipsius Johannis presentiam poterit melius tam de dicto defectu quam alias de meritis ipsius cause liquere, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus predictum Johannem — ex parte nostra peremptorie citare procures —. Dat. Laterani, V id. novembris, anno sexto.

3750 (CCCVII) Latran, 19 novembre 1300.

Concessio præposituræ ecclesiæ Pratensis. (fol. 340 v° et 341.)

Dilecto filio Bartholomeo, nato dilecti filii magistri Acursini de Pistorio, habitatoris Urbis, medici et familiaris nostri, preposito ecclesie Pratensis, Pistoriensis diocesis. Laudabili testimonio —.

Consideratione patris ejus, præposituram ecclesiæ prædictæ, quæ per resignationem Johannis, fratris ejus, in manibus Petri, episcopi Burgensis, qui de mandato Apostolico eam recepit, factam apud Sedem Apostolicam, vacavisse dinoscitur, confert et de illa providet, non obstante quod in ecclesia Paduana canonicatum et præbendam noscatur obtinere vel quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in septimo decimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. Laterani, XIII kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Paciana, Pistoriensis diocesis, et . . priori Sancte Marie Nove de Urbe, ac . . cantori Morinensis ecclesiarum.*

3751 (CCCVIII) Latran, 21 octobre 1300.

« Quod possit percipere fructus omnium beneficiorum suorum usque ad triennium. » (fol. 341.)

Johanni, nato quondam Anibaldi de Anibaldis de Urbe, capellano nostro, canonico Lateranensi. Ut tua et tuorum —.

Ei indulget « ut residens in aliqua ecclesiarum infrascriptarum, scilicet Lateranensi, Remensi, Ambianensi, Cameracensi, Tornacensi, Noviomensi, Lincolniensi, necnon Furnensi, et Montenensi, et Sancti Angeli super Ripam de Cervetere », quarum canonicus esse dinoscitur, fructus omnium præbendarum quas in eisdem ecclesiis obtinet per triennium percipere valeat.

Dat. Laterani, xii kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono Tiburtino, et Cinthio Octaviani, Suessionensis, ac Symeoni de Urbe, Insulensis, Tornacensis diocesis, ecclesiarum canonicis.*

3752 (CCCVIII *bis*) Latran, 25 novembre 1300.

Præficitur in abbatem monasterii Sancti Pauli de Urbe. (fol. 341.)

Phylippo, abbati monasterii Sancti Pauli de Urbe, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Inter sollicitudines alias —.

Eum, tunc abbatem monasterii de Sancto Salvatore Majore, ejusdem ordinis, Reatinæ diocesis, ad prædictum transfert monasterium, per obitum quondam Gauberti, abbatis, pastoris regimine destitutum et ea vice Apostolice dispositioni reservatum.

Dat. Laterani, vii kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Pauli de Urbe*; — *universis vassallis.*

3753 (CCCVIIII) Anagni, 26 septembre 1300.

« Indulgentia concessa in capella Sancte Anne in castro Majoricensi. » (fol. 341 v°.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Splendor paterne glorie —.

Indulgentia centum dierum omnibus vere pœnitentibus et confessis, visitantibus annuatim capellam quam J[acobus], rex Majoricarum illustris, in honore Sanctæ Annæ in castro Majoricensi ædificari fecit de novo, in ejusdem Sanctæ Annæ, ac in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, et Sancti Jacobi Apostoli festivitatibus.

Dat. Anagnie, vi kal. octobris, anno sexto.

3754 (CCCX) Même date.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 341 v°.)

Dilecto filio nobili viro Raymundo de Canneto, nato quondam Pontii de Guardia, Elnensis diocesis, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Beatrici, nate quondam Arnaldi Rogerii, comitis Palariensis. Etsi conjunctio copule —.

Intuitu J[acobi], Majoricarum regis, propter bonum pacis indulget ut valeant matrimonialiter copulari, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. ut supra.

3755 (CCCXI) Latran, 25 octobre 1300.

« Preficitur in archiepiscopum Rossanum. » (fol. 341 v° et 342.)

Basilio, electo Rossano. Paterna nos excitat —.

Dudum vacante ecclesia Rossana per obitum bonæ memoriæ Pauli archiepiscopi, capitulum, per viam compromissi electioni procedens, Leonem, primicerium, Pejanium, domesticum, et Johannem, cartularium, ecclesiæ prædictæ canonicos, compromissarios elegit; qui quidem compromissarii suprascriptum canonice in archiepiscopum elegerunt. Electus vero, nuntios quantocius ad Sedem Apostolicam destinando, electionis suæ decretum præsentare curavit.

Cumque postmodum ad nostram presentiam accessisses, nos electionem ipsam tuamque personam per venerabilem fratrem nostrum Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, et dilectos filios nostros Johannem, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbyterum, ac Landulfum, Sancti Angeli diaconum cardinales, examinari fecimus diligenter, et tandem, facta nobis super hoc a cardinalibus ipsis relatione fideli, nos electionem predictam, ex certis causis que nostrum ad hoc animum non immerito inducere poterant et debebant, justitia cassavimus exigente. Verum diligentius advertentes quod ex tua multiplici probitate processit, quod ab eodem

capitulo tam concorditer et unanimiter electus fuisse dinosceris in archiepiscopum ecclesie memorate, considerantes etiam laudabile testimonium quod tibi de litterarum scientia, honestate morum, discretionis industria et aliarum virtutum titulis perhibetur, volentes quoque obviare dispendiis que solet viduatis ecclesiis prolixitas vacationis inferre, te, sicut premittitur, archidiaconum ipsius ecclesie, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis eidem Rossane ecclesie in archiepiscopum preficimus. Dat. Laterani, VIII kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Rossane — populo civitatis et diocesis Rossane.*

3756 (CCCXII) Latran, 19 octobre 1300.

« Declaratio jurisdictionis quam habet episcopus Claromontensis in villa Aureliacensi, Claromontensis diocesis. » (fol. 342.)

Ad perpetuam rei memoriam. Injunctum nobis a Domino debitum Apostolice servitutis exposcit, equitas suggerit, rationis persuadet honestas, et utilitatis publice causa requirit ut, litigiorum anfractibus salubriter obviantes, jurgantium lites, altercationes et scandala que possunt sub compendio terminari, cum ad nostrum ejus perferri contingit auditum, viis utilioribus ad quietem, potissime inter personas ecclesiasticas, precidamus. Sane ad nostram notitiam est deductum quod inter venerabiles fratres nostros Johannem, episcopum Claromontensem, et nonnullos predecessores suos Claromontenses episcopos, ex parte una, et dilectos filios Petrum, abbatem, et conventum seu monachos monasterii Aureliacensis, ordinis sancti Benedicti, et consules ac homines ville Aureliacensis eorumque predecessores, Claromontensis diocesis, ex altera, super certis articulis super quibus ipsi abbas et conventus, asserentes se dictumque monasterium, ac villam prefatam, et ejus incolas ab eodem episcopo indebite aggravari, ad Sedem Apostolicam appellasse dicuntur, nedum a modernis, sed etiam a longis retro temporibus graves contentiones, turbationes et discordie sunt exorte; ipso scilicet episcopo asserente de jure sibi competere in predictis villa et monasterio Aureliacensibus jus signandi et benedicendi episcopali more, ac conferendi tonsuras clericales, et confirmandi seu crismandi crismandos, benedicendi quoque indumenta ecclesiastica et alia ornamenta ad cultum deputata divinum, et archipresbyteros ad ejus synodum convocandi, ac in eos et alios presbyteros dicte ville qui adversus sui ordinis dignitatem offenderent justitiam exercendi, presbyteris etiam seu clericis, cum eos ad regimen ecclesiarum dicte ville eligi contigerit vel assumi, imponendi curam animarum, necnon exigendi et recipiendi procurationem que parata vocatur ibidem, et quedam alia episcopalis ordinis, jurisdictionis et officii exercendi; dictis vero abbate et conventu, seu monachis, et consulibus, et hominibus in contrarium asserentibus se ac monasterium et villam predictam et ipsius ville incolas ab omni jurisdictione ac potestate Claromontensis episcopi fore plene libera et exempta (*sic*), nec in ea posse Claromontensem episcopum jurisdictionem aliquam seu episcopale officium exercere, utpote exempta et libera, ut prefertur, per specialia silicet exemptionis privilegia Sedis Apostolice, ac potissime felicis recordationis Urbani pape secundi, predecessoris nostri; cujus privilegii ejusdem silicet predecessoris Urbani tenor dicitur esse talis : « Urbanus, episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio P..., monasterii Aureliacensis religioso abbati, ejusque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Ad hoc nos, disponente Domino, in Apostolice Sedis servitium promotos agnoscimus ut ejus filiis, auxilium implorantibus, efficaciter subvenire et ei obedientes tueri ac protegere, prout Dominus dederit, debeamus; maxime tamen venerabilibus personis atque locis que Sedi Apostolice semper spetialius et devotius adheserunt, queque ampliori religione eminent, propensiori nos convenit caritatis preminere (*sic*). Eapropter, fili in Christo karissime, P..., Aureliacense cenobium, quod videlicet ab ipso fundatore, beato Geraldo, Sancte Romane Ecclesie oblatum, et per manus vestras, auctore Deo, in honore et nomine Apostolorum principis Petri atque doctoris gentium Pauli noviter consecratum est, in Apostolice Sedis gremio singularis dilectionis ac libertatis prerogativa confoventes, hujusmodi privilegii decreto muniendum decrevimus. Per presentis igitur privilegii paginam Apostolica auctoritate statuimus ut ecclesie omnes, cimiteria, monachi, clerici et laici universi infra cruces habitantes, que salvitatis causa in utriusque (*sic*) partibus ville Aureliaci posite sunt, sub Apostolice tantum Sedis jure ac tuitione permaneant, neque ipsius loci presbyteri, aut etiam parrochiani, ad cujuslibet nisi Romani pontificis et Aureliacensis abbatis cogantur ire ad synodum vel conventum. Pro monachorum vero seu clericorum infra predictos terminos habitantium ordinatione, pro crismatis confectione, pro sacri olei, ecclesiarum, altarium et cimiteriorum consecratione, Aureliacense monasterium quem maluerit antistitem convocet. Sane terminos immunitatis loci vestri, qui a nobis constituti sunt, presenti decreti nostri pagina confirmamus. Ne videlicet ullus homo cujuscunque condi-

tionis ac potestatis, invasionem predictam aut rapinam facere, sive homicidium perpetrare presumat, infra ipsorum limites terminorum.⌜Ecclesie autem omnes, que ubilibet posite sunt, seu capelle vestre et cimiteria libera sint et omnis exactionis immunia, preter consuetam episcopi paratam, et justitiam in presbyteros qui adversus sui ordinis dignitatem offenderint, nec cellarum vestrarum, ubilibet positarum, fratres pro qualibet jurisdictione vel excommunicatione divinorum officiorum suspensionem patiantur; sed tam monachi ipsi quam famuli eorum, et qui se monastice professioni devoverint, clausis ecclesiarum janues, non admissis diocesanis, divine servitutis officia celebrent et sepulture debite peragant. Liceat quoque vobis seu fratribus vestris in ecclesiis vestris presbyteros eligere, ita tamen quod ab episcopis vel eorum vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant; quam quidem si committere illis ex pravitate noluerint, tunc presbyteri ex Apostolice Sedis benignitate officia celebrandi licentiam consequantur. Decimas laborum vestrorum, pro quibus tam vos quam alios monastice [professionis] viros inquietare episcopi consueverunt, illorum videlicet qui vestro sumptu a monasterii et cellarum vestrarum clientibus excoluntur, sine omni episcoporum et episcopalium ministrorum contradictione deinceps quiete habeatis. Sane Mauzense monasterium in Avernico, item Soliacense monasterium in Caturcino, Dalmariacum et Polliniacensem, ecclesiam in Agenno nostre Romane Ecclesie annuatim censum reddentia, a fratribus vero prefati monasterii Apostolica benignitate quedam diu, ut Soliacum et Dalmariacum, possessa, quedam autem, ut Maurcis et Poliniacum, noper acquisita, tibi tuisque successoribus, ut eam (*sic*), gubernetis et debitum inde servitium Romane Ecclesie persolvatis, jure perpetuo deinde possidenda concedimus, et hac nostra auctoritate Apostolica confirmamus. Tibi quoque ac successoribus tuis facultatem adimimus ne ultra mansum unum de possessione ecclesie alicui militi, vel cuilibet alii persone, sub beneficii nomine dare possitis, nisi communis utilitas fratrum regulariter degentium postulaverit. Preterea quascunque possessiones, quecunque idem monasterium inpresentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum, concessione pontificum, liberalitate regum, largitione principum, et oblatione fidelium, seu aliis justis modis, prestante Domino, poteritis adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus hec propriis duximus exprimenda vocabulis : Elnonense monasterium, Kariacum, Vatiminum, Asperun (*sic*), Salientem, Expaniacum, cum omnibus eorum pertinentiis. Prohibemus autem ut infra parrochias ad jus Aureliacensis monasterii pertinentes, absque Aureliacensis abbatis assensu, nullus ecclesiam vel capellam edificare presumat; salva in omnibus Sedis Apostolice auctoritate. Ad hec adicientes statuimus ut ipsius monasterii abbates, ejus rectores locorum et monachi ab omni secularis servitii sint infestatione securi, omnique gravamine mundane oppressionis remoti, in sancte religionis observatione quieti seduli permanentes, nullis unquam futuris temporibus cuilibet alii ecclesie, nisi tantum Romane et Apostolice Sedi cujus jure sunt, aliqua teneantur conditione subjecti. Ad inditium autem hujusmodi percepte a Romana Ecclesia libertatis, decem Pictaviensis monete solidos quibuslibet annis Lateranensi palatio persolvatis. Si qua igitur ecclesiastica secularisve ⌜persona⌝, hujusmodi nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire temptaverit, secundo tertiove monita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque divino judicio existere de perpetrata (*sic*) cognoscat, et a sanctissimo corpore, et sanguine Dei et Domini redemptoris nostri Jhesu Christi aliena fiat, ac in extremo examine districte ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco juste servientibus sit pax Domini nostri Jhesu Christi, quatinus et hic fructum bone actionis percipiant, et apud districtum judicem premia eterne pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Dat. Cremone, per manus Johannis, Sancte Romane Ecclesie diaconi cardinalis, XIII kal. maii, indictione III, anno Dominice incarnationis M°XC°VI°, pontificatus autem domini Urbani secundi pape octavo. » Causa vero hujusmodi per procuratores partium exposita coram nobis, nos ea et totum negotium audiendum et referendum nobis, primo, venerabili fratri nostro G.., episcopo Sabinensi, nunc Apostolice Sedis legato, ac, eo legationis sue causa de Romana curia recedente, bo. me. Nicolao, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbytero cardinali, tunc viventi, sub eadem forma duximus committendum, qui parum in dicto negotio processerunt. Postmodum vero, licet super hiis inter partes easdem, per communes amicos, pacis, compositionis et concordie prolocutio intervenerit et tractatus, qui tamen caruerunt effectu, nos, ex paterne compassionis affectu quo ducimur in hac parte, attenta meditatione pensantes quod ex contentionibus, turbationibus et discordiis supradictis, prout ex fidedigne relationis fertur affatibus, animarum discrimina, infamia et injurie personarum, divinis (*sic*) subtractio cultus et devotionis diminutio, hinc et inde, ac in episcopalem dignitatem injuriosa contentio contigerunt hactenus, ac, nedum talia, sed graviora etiam posse contingere formidatur, et propterea volentes super hiis ex officio nostro taliter providere quod turbationibus

partium per viam compendii salubriter et celeriter occurratur, ex presenti nostra provisione, in perpetuum valitura, declaramus, concedimus, providemus, ordinamus et volumus, auctoritate Apostolica et de Apostolice plenitudine potestatis, ut episcopus Claromontensis, qui est et qui pro tempore fuerit, absque ulla contradictione, resistentia vel oppositione contraria, cum eum ad monasterium seu villam Aureliacensem declinare contigerit, possit infra ipsa monasterium et villam episcopali more signare et benedicere supra populum; possit etiam ibidem confirmare, seu crismare crismandos, et tonsuras impendere clericales; solita quoque procuratio que inibi parata vocatur sibi debeatur ibidem, et ipsam ille exigere ac recipere valeat, cum etiam illa sibi ex predicto sit exemptionis privilegio reservata et ei absque contradictionis objectu usque ad hec tempora persoluta. Rectores insuper seculares ecclesiarum parrochialium dicte ville, intra ipsam villam et extra, animarum curam in ipsis ecclesiis ab eodem episcopo recipere perpetuo teneantur. Justitiam autem et correctionem in presbyteros earumdem ecclesiarum dicte ville, que sibi est in prefato privilegio reservata, possit idem episcopus exercere, dictique presbyteri eidem episcopo respondere supra justitia et correctione hujusmodi teneantur. Non obstantibus exceptionibus, appellationibus ac prolocutionibus, seu tractatibus et processibus supradictis, et aliis quibuslibet premissorum occasione secutis, habitis in Romana curia vel alibi ubicumque, seu etiam quibusvis dictorum ordinum et monasterii contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica, vel quacunque alia firmitate vallatis, et suprascripto exemptionis, vel aliquibus aliis Apostolice Sedis privilegiis, constitutionibus, indulgentiis et litteris generalibus vel specialibus, quorumcunque tenorum existant, per que, presentibus litteris non expressa vel totaliter non inserta, effectus litterarum ipsarum valeat quomodolibet impediri. Decernimus insuper ex nunc irritum et inane quicquid contra hujusmodi declarationem, concessionem, provisionem et ordinationem nostras a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre declarationis, concessionis, provisionis, ordinationis, voluntatis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, XIIII kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Mimatensi, et dilectis filiis . . monasterii Menatensis, ordinis sancti Benedicti, et . . secularis ecclesie de Artona, Claromontensis diocesis, abbatibus.*

3756 (CCCXIII) Latran, 10 novembre 1300.

« Dispensatio super pluralitate. » (fol. 343.)

Sicardo de Vauro, legum professori, thesaurario ecclesie Albiensis. Quanto majori meritorum —.

Ei indulget ut, præter thesaurariam, quam in Albiensi, et canonicatus ac præbendas, quos in ea et Convenarum ecclesiis, et domum Sancti Petri de Gilio, ad Hospitale Sancti Johannis Jerosolimitani immediate spectantem, nomine præstimoniorum obtinet, ex quorum redditibus ultra centum et decem libras turonensium parvorum non percipit annuatim, ac pensionem annuam viginti quinque librarum ejusdem monetæ, quam ab episcopo Albiensi habere se asserit, necnon et præbendam, quam in ecclesia Ruthenensi, in qua sub exspectatione canonicus receptus est, eum contigerit assequi, aliam dignitatem vel ecclesiam, etiamsi curam animarum habeat, si ei canonice offeratur, cum prædictis recipere et retinere valeat.

Dat. Laterani, IIII id. novembris, anno sexto.

3757 (CCCXIIII) Latran, 6 novembre 1300.

« Quod residens in Parisiensi vel Narbonensi ecclesia possit percipere fructus prebende sue ecclesie Laudunensis usque ad quinquennium. » (fol. 343.)

Dilecto filio Hugoni de Laguscello, Parisiensis, Narbonensis et Laudunensis ecclesiarum canonico. Apostolice Sedis benignitas —.

Consideratione bonæ memoriæ B[ernardi], episcopi Portuensis, cujus nepos fuit, indulget ut, residens in ecclesia Parisiensi aut etiam Narbonensi, quarum est canonicus, vel insistens scolasticis disciplinis ubi studium vigeat generale, fructus præbendæ, quam obtinet in ecclesia Laudunensi, usque ad quinquennium percipere possit.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Biterrensi, et dilectis filiis . . Atrebatensi, et . . Lunatensi in ecclesia Biterrensi archidiaconis.*

3758 (CCCXV) Latran, 21 novembre 1300.

Concessio præbendæ in ecclesia Laudunensi. (fol. 343 v° et 344.)

Magistro Uberto de Advocatis, canonico Laudunensi. Meritis tue probitatis —. Cum itaque venerabilis frater

noster . . episcopus Laudunensis, ad quem prebendarum collatio in ecclesia Laudunensi noscitur pertinere, per suas nobis litteras supplicavit ut tibi — providere de canonicatu et prebenda in prefata ecclesia dignaremur, nos, volentes tibi propter hoc, nec non consideratione venerabilis fratris nostri G[erardi], episcopi Sabinensis, Apostolice Sedis legati, pro te, camerario suo, nobis supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum ejusdem ecclesie — ac prebendam — si qua vacat ad presens — Apostolica tibi auctoritate conferimus —. Si vero nulla talis prebenda vacat ad presens in ecclesia supradicta, nos prebendam inibi proximo vacaturam, que similiter de jure nulli alii debeatur, conferendam tibi, cum vacaverit, reservamus — non obstantibus — consuetudinibus contrariis — aut quod in Cathalaunensi et Placentina ecclesiis canonicatus et prebendas nosceris obtinere —. Dat. Laterani, xi kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis Luce, Sancte Marie in Via Lata diacono cardinali, et . . abbati monasterii Sancti Remigii Remensis ac . . thesaurario ecclesie Bajocensis.*

3759 (cccxvi) Latran, 20 novembre 1300.

« Quod usque ad quinquennium non teneatur recipere sacros ordines, et quod interim ministrentur sibi fructus et proventus prebende sue. » (fol. 344.)

Berardo nato quondam Conradi de Monaldene, militis Urbevetani, canonico Atrebatensi. Grate devotionis studia —.

Indulget ut, scolasticis disciplinis insistens ubi studium generale vel particulare vigeat, usque ad quinquennium ad aliquem sacrum ordinem, ratione præbendæ ejus Atrebatensis, quæ sacros ordines requirit, se facere promoveri vel in ipsa ecclesia residere minime teneatur, et ut interim fructus ejusdem præbendæ percipere possit.

Dat. Laterani, xii kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Severi prope Urbemveterem et . . archipresbytero Urbevetane, ac Johanni de Plaza, canonico Atrebatensis ecclesiarum.*

3760 (cccxvii) Latran, 27 octobre 1300.

« Quod confirment electionem celebratam de fratre Johanne Wagebard in monasterio Sancti Martini Yprensis, si invenerint eam canonicam. » (fol. 344.)

Venerabilibus fratribus . . Atrebatensi et . . Morinensi episcopis. Circa statum monasteriorum —.

Monasterio Sancti Martini Yprensi, per prepositum solito gubernari, ordinis sancti Augustini, Morinensis diocesis, per mortem quondam Roberti regimine destituto pastoris, canonici, per viam compromissi electioni procedere intendentes, quatuor canonicis provideri eidem monasterio, usque ad consumptionem cujusdam candelæ tunc accensæ, per electionem vel postulationem concesserunt potestatem.

Cumque postmodum, compromissariis ipsis in negotio procedentibus supradicto, dilectus filius Hugo, abbas monasterii de Sinnebecha, dicti ordinis, predicte diocesis, fuisset, predicta jam extincta candela, in ejusdem monasterii Sancti Martini prepositum postulatus, major et sanior pars canonicorum — advertentes quod hujusmodi postulatio nulla erat, utpote facta ab illis quorum potestas per extinctionem candele expiraverat, et volentes etiam per viam compromissi procedere ad electionem in eodem monasterio faciendam, certa die ad hoc statuta et tam presentibus quam absentibus monasterii predicti canonicis, qui vocandi fuerant, evocatis, in predicto capitulo convenerunt, canonicis prefatis absentibus convenire nolentibus cum eisdem, et tandem tribus ex canonicis ipsis presentibus providendi eidem monasterio potestatem similem concesserunt, qui — vota sua in dilectum filium fratrem Johannem dictum Wagebard, memorati monasterii canonicum, unanimiter et concorditer direxerunt, — ac deinde dilectus filius Johannes Crudemare, unus ex tribus compromissariis, — eundem fratrem — in prepositum elegit, — ac subsequenter electionem hujusmodi universi et singuli canonici predicte majoris et sanioris partis unanimiter approbarunt, ac prefatus electus electioni — consensit. Cumque hujusmodi negotium per appellationem ejusdem electi fuisset ad Apostolicam Sedem legitime devolutum, idem electus tempore ad hoc a jure statuto iter arripuit ad Sedem ipsam propterea personaliter veniendi, sed ad eandem Sedem se conferre non potuit impedimento legitimo prepeditus, ad quam demum excusatorem legitimum destinavit, qui coram nobis et fratribus nostris paratum se obtulit impedimentum hujusmodi legitime probaturum, et qui sufficiens procuratorium, prout jus exigit, ab eodem electo receperat ad causam hujusmodi prosequendam. Predicto vero postulato in nostra et fratrum ipsorum presentia personaliter constituto, ac hujusmodi postulationem ejus admitti humiliter postulante, nos, ex certis rationabilibus causis inducti, postulationem ipsam non duximus admittendam. Cum autem contra eundem electum oppositum et objectum extiterit coram nobis quod ipse, ob gravis rupture periculum quam in corpore suo patitur, inhabilis fore conspicitur ad regimen monasterii supradicti, nos — fraternitati vestre per Apostolica scripta

mandamus quatinus — ad prefatum monasterium Sancti Martini personaliter accedentes — inquiratis sollicite de ruptura hujusmodi veritatem, et, si vobis plene constiterit quod idem electus sit adeo de ruptura memorata gravatus quod inutilis reddatur et impotens ad predictum regimen exercendum, vos, electione hujusmodi rite cassata vel eo etiam cedente —, aliam personam ydoneam de ipsius monasterii gremio — prefato monasterio Sancti Martini, hac vice, auctoritate nostra, in prepositum preficere studeatis. Alioquin electionem de dicto fratre Johanne, sicut premittitur, celebratam, auctoritate predicta confirmare curetis eique benedictionis munus impendere curetis. — Per hoc autem non intendimus ut Morinensi ecclesie, cui monasterium ipsum dicitur esse subjectum, aliquod inposterum prejudicium generetur. Dat. Laterani, VI kal. novembris, anno sexto.

3761 (CCCXVII *bis*) Latran, 25 novembre 1300.

Præficitur in abbatem monasterii Cavensis. (fol. 344 v° et 345.)

Roberto, abbati monasterii Cavensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Salernitane diocesis. Pastoralis officii debitum —.

Eum, tunc abbatem monasterii Sancti Benedicti Salernitani, ejusdem ordinis, Apostolicæ Sedi pleno jure subjecti, ad monasterium Cavense transfert, per liberam resignationem fratris Raynaldi, olim abbatis, in manibus Landulfi, Sancti Angeli diaconi cardinalis, de mandato nostro factam, pastoris regimine destitutum et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatum.

Dat. Laterani, VII kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Cavensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis — universis vassallis.*

3762 (CCCXVIII) Latran, 18 décembre 1300.

« Committitur ei protectio ordinis sancti Guillelmi. » (fol. 345.)

Venerabili fratri. . episcopo Tusculano. Licet ex debito pastoralis officii —. Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno sexto.

(POTTHAST, n° 24997.)

3763 (CCCXVIIII) Latran, 7 novembre 1300.

« Dispensatur cum eo quod possit recipere parrochialem ecclesiam de Barri, Atrebatensis diocesis, et retinere una cum prioratu » (fol. 345.)

Andree, priori ecclesie Interanensis, capellano dilecti filii nostri Jacobi, Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconi cardinalis. Inducunt nos tue probitatis —. Cum, sicut dilectus filius noster Jacobus, ad Velum Aureum diaconus cardinalis, nobis exposuit, parrochialis ecclesia de Barri, Atrebatensis diocesis, ad collationem seu presentationem suam, ratione thesaurarie quam in Cameracensi ecclesia obtinet, hac vice pertinens, vacet ad presens, dictusque cardinalis — cupiat ut eandem parrochialem ecclesiam assequaris, nos — tecum quod predictam ecclesiam — licite recipere valeas, et cum prioratu ecclesie Interampnensis, etiamsi prioratus ipse curam habeat animarum, nec non et canonicatu ac prebenda, quos non habentes curam animarum in ecclesia Sancti Salvatoris Interampnensis obtines, libere retinere possis — dispensamus, proviso quod prioratus, parrochialis ecclesia, canonicatus et prebenda predicti debitis obsequiis non fraudentur —. Dat. Laterani, VII id. novembris, anno sexto.

3764 (CCCXX) Latran, 20 janvier 1300.

« Sententia lata super discordia exorta inter episcopum Castellanum, ex parte una, et priorem et Fratres Predicatores de Venetiis, Castellane diocesis, ex altera. » (fol. 345.)

Ad perpetuam rei memoriam. Quia ex litigiorum anfractibus plerumque consueverunt animarum discrimina, pericula corporum et dampna rerum plurima provenire, inter ceteras sollicitudines, quibus assidue premimur, votivum admodum sensibus nostris occurrit inter litigantes ad invicem et maxime personas ecclesiasticas, quarum quietem indesinenter appetimus, querelas et lites per salubris provisionis remedium amputare, ut, cessantibus scandalis, quietis et pacis gaudeant ubertate. Dudum siquidem inter venerabilem fratrem nostrum B[artholomeum], episcopum Castellanum, ex parte una, et dilectos filios . . priorem et fratres ordinis Predicatorum de Venetiis, Castellane diocesis, ex altera, super eo quod dicti fratres, vel eorum aliqui ad hoc missi per ipsos, parrochiam ecclesie Sancti Johannis Crisostomi dicti loci de Venetiis processionaliter cum cruce, incenso et aqua benedicta intrantes, corpus quondam Agnetis, uxoris Andree dicti Zeno, de eodem loco, tunc defuncte, nondum ecclesiastice traditum sepulture, que in sua ultima voluntate apud locum dictorum fratrum sibi sepulturam elegisse dicebatur, de quadam domo ipsius parrochie in qua dictum corpus jacebat, presbyteris et

clericis ejusdem parrochie contradicentibus et invitis, assumpserant, illudque ad predictum eorum locum processionaliter, ut premittitur, detulerant tumulandum, materia scandali et dissensionis exorta, idem episcopus ipsos fratres, propter hoc, excommunicationis sententiam, latam per quandam constitutionem editam ab eodem, qua prohibebatur expresse, sub excommunicationis pena, quam contrarium facientes incurrerent ipso facto, ut nullus, cujuscunque status, conditionis et ordinis aut dignitatis existeret, causa celebrandi divina, defunctorum corpora deferendi aut tumulandi, seu dandi ecclesiastica sacramenta, sine ipsius episcopi vel ejus vices in ea parte gerentis licentia speciali, parrochiam alicujus ecclesie sue diocesis intrare presumeret quoquo modo, salvis tamen Apostolice Sedis privilegiis ab ipsa Sede quibuscunque concessis, asserens incurrisse, fecit fratres eosdem per civitatem et diocesim Castellanam excommunicatos publice nuntiari, et a suis subditis artius evitari precepit. Prefati vero prior et fratres, se per privilegia Sedis ejusdem ab omni ordinariorum jurisdictione fore proponentes exemptos ac eidem Sedi immediate subjectos adeo quod, ratione contractus vel delicti aut rei, de quo vel qua ageretur contra eos, non possent nec deberent subici jurisdictioni alicujus ordinarii vel prelati, ac etiam non potuisse prohiberi eis hujusmodi delationem corporis dicte defuncte, cum liberam ex dicte Sedis indulgentia [haberent] sepulturam, et propterea, ex hujusmodi denuntiatione et precepto episcopi memorati se gravatos esse dicentes, ad Sedem appellarunt eandem, et nichilominus ad venerabilem fratrem nostrum Matheum, Portuensem episcopum, tunc in illis partibus Sedis predicte legatum, super hoc recursum habentes, ejusdem legati ad dilectos filios . . Sancti Georgii Majoris de Venetiis, Castellane, . . de Brondulo, et . . Sancti Thome de Torcello monasteriorum abbates, Cisterciensis ordinis, Clugiensis diocesum, contra eundem Castellanum episcopum et dilectos filios . . primicerium Sancti Marchi, . . plebanum Sancti Bartholomei ac ceteros ecclesiarum rectores predictarum Castellane civitatis et diocesis, super hiis et aliis gravaminibus, inquietationibus et injuriis, que per eos dicti prior et fratres inferri sibi dicebant ab eis, sub certa forma litteras impetrarunt, nulla facta de appellatione hujusmodi mentione ; ac demum, ipsis Sancti Georgii et Sancti Thome abbatibus, ex certis causis per quas se impeditos esse dicebant, non procedentibus, dictoque abbate de Brondulo solo ex predictarum litterarum forma procedere nequeunte ad executionem eorum que eedem littere continebant, prelibati prior et fratres surrogari eisdem abbatibus quondam Jacobum, qui erat monachus monasterii Pomposiani, ordinis sancti Benedicti, Comaclensis diocesis, in hujusmodi negotio, per alias ejusdem legati litteras, longe post publicationem constitutionum nostrarum, quarum prima cavetur ut nullis, nisi dignitate preditis, aut personatum obtinentibus, seu cathedralium ecclesiarum canonicis, cause auctoritate litterarum Sedis Apostolice vel legatorum ejus de cetero committantur, alia vero religiosis prohibetur ne in scolis vel alibi temere habitum sue religionis dimittant, in transgressores lata excommunicationis sententia, procurarunt, per quas Jacobo injungebatur eidem ut summarie super premissis, ipsius legati auctoritate, procederet, juxta priorum ejusdem legati directarum prefatis abbatibus continentiam litterarum. Cum autem predictus Jacobus, auctoritate hujusmodi litterarum directarum sibi, prefatum episcopum Castellanum, necnon Marinum, Sancte Marie Formose, Johannem, Sancte Marie Nove, Stephanum, Sancti Augustini, et Dominicum, Sancti Johannis Crisostomi ecclesiarum plebanos, predicte Castellane diocesis, ad suam super hiis fecisset presentiam evocari, fuit coram eo per procuratorem ipsorum episcopi et plebanorum, eorum nomine, inter cetera excipiendo propositum quod idem Jacobus, tempore impetrationis dictarum litterarum et ante, ac etiam tunc, erat monachus, et de monachatu suo nulla in predictis litteris ejusdem legati eidem J. in hac parte directis mentio habebatur, nec etiam ab abbate suo audiendi causam hujusmodi fuerat sibi concessa licentia, quodque nulla erat preditus dignitate, neque personatum habebat, nec canonicus alicujus cathedralis ecclesie existebat, et quod ligatus erat majoris excommunicationis sententia, a constitutione promulgata predicta, pro eo quod idem Jacobus, postquam professionem in dicto emisit ordine, ejusdem ordinis temere dimisso habitu, diu ante impetrationem litterarum hujusmodi et post publicationem prefatam, publice detulerat habitum secularem, prout idem procurator juxta juris exigentiam premissa se obtulerat legitime probaturum, propter que coram eodem J., dictarum litterarum pretextu, conveniri super premissis iidem episcopus et plebani de jure non poterant nec debebant. Et, quia idem Jacobus eum super hoc audire contra justitiam recusavit, prefatus procurator eorumdem episcopi et plebanorum, ex hoc sentiens se ac predictos episcopum et plebanos ab ipso Jacobo indebite aggravari, nomine ipsorum episcopi et plebanorum ad nostram duxit audientiam appellandum. Sed, quia prefatus Jacobus, hujusmodi appellatione contempta, in causa procedebat eadem, pro parte predictorum episcopi et plebanorum iterato super hoc ad nos et eandem Sedem extitit appellatum. At idem Jacobus, hujusmodi appellationibus vi-

lipensis, in eumdem episcopum interdicti et suspensionis, ac tam in eum quam in prefatos plebanos excommunicationis duxit sententias proferendas, mandans eas per ecclesias omnium civitatum legationis memorati legati excommunicatos publice nuntiari, et demum nichilominus in quosdam episcopos, abbates, priores et alios prelatos et clericos ecclesiarum legationis ejusdem, pro eo quod predictos Castellanum episcopum et plebanos, sicut asserebat, excommunicatos non duxerant nuntiandos, similem excommunicationis sententiam promulgavit. Hujusmodi autem negotio per appellationes predictas ad nostram audientiam devoluto, nos, causam ipsam venerabili fratri nostro G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato, ante commissum eidem per nos legationis officium, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Sed, eo postmodum ad hujusmodi officium legationis assumpto antequam ipse aliquid super eodem negotio diffiniret, dilectum filium nostrum Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, duximus eidem Sabinensi episcopo in causa hujusmodi subrogandum, commisso sibi ut causam audiret eandem, illa que in causa eadem ageret nobis postmodum relaturus. Sed idem Guillelmus cardinalis, processu temporis infirmitate gravatus, nobis non duxit que in causa ipsa audierat referenda. Nos igitur, qui Christi fidelibus libenter quietis et pacis comoda procuramus, et obviamus turbationibus, scandalis, et dispendiis eorumdem, intendentes hujusmodi predictorum episcopi et plebanorum, ac prioris et fratrum discordias, questiones et scandala sub compendio terminare, auctoritate Apostolica et de Apostolice plenitudine potestatis, per viam ordinationis seu provisionis, dictos episcopum, plebanos et alios ab hujusmodi sententiis absolvimus ad cautelam, non quod per absolutionem hujusmodi predictis, vel earum aliqua, ligati fuisse sententiis quomodolibet reputentur. Et nichilominus predictos et quoscunque alios processus, per dictum Jacobum quomodolibet factos et habitos contra prenominatos Castellanum episcopum et plebanos, seu quamlibet aliam personam, occasione predicta totaliter revocamus. Per omnes quoque illas ecclesias, in quibus ad mandatum ipsius Jacobi taliter excommunicati, suspensi, vel interdicti denuntiati fuerunt, eos in expensis eorumdem prioris et fratrum denuntiari precipimus per nos taliter absolutos, excepto quod in Venetiis, propter hujusmodi denuntiationem faciendam ibidem, ipsi prior et fratres ad expensas aliquas non artentur. Predictis etiam priori et fratribus de Venetiis, super hujusmodi excommunicationis sententia, quam incurrisse dicuntur ex virtute prelibate constitutionis episcopi memorati, absolutionis beneficium impendimus ad cautelam. Et, quia prelibatus Jacobus, presertim in denuntiatione predicta et cohertione in non denuntiantes, ad immodestum procedendi modum illicitas laxavit habenas, nos, in penam excessus hujusmodi, eum ad presentiam nostram citari personaliter faciemus, recepturus pro meritis nostrisque beneplacitis pariturus (*sic*). Taxationem autem expensarum per dictos priorem et fratres prelibato restituendarum episcopo nostro arbitrio reservamus. Et insuper fratrem Bonifatium, procuratorem predictorum prioris et fratrum, medio tempore, dum scilicet hec executioni debite mandabuntur, volumus et precipimus apud Sedem Apostolicam remanere, aut, si forsan abesse inde voluerit, alius pro ipsis priore et fratribus remaneat procurator. Nulli ergo, et cetera, nostre revocationis, absolutionis, denuntiationis, precepti, reservationis, voluntatis et mandati, et cetera. Dat. Laterani, XIII kal. februarii anno sexto.

In e. m. *venerabilibus fratribus . . Torcellano, . . Civitatis Nove, et . . Equilino episcopis.*

3765 (CCCXXI) Latran, 25 novembre 1300.

Præficitur in abbatem monasterii Sancti Benedicti Salernitani. (fol. 346.)

Landulpho, abbati monasterii Sancti Benedicti Salernitani, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis ejusdem sancti. Romani pontificis qui —.

Eum, tunc abbatem monasterii Sancti Salvatoris prope Thelesiam, prædicti ordinis, transfert ad prædictum monasterium, per translationem Roberti abbatis ad Cavense pastoris regimine destitutum et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatum.

Dat. Laterani, VII kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Benedicti Salernitani ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis — vassallis.*

3766 (CCCXXII) Latran, 6 novembre 1300.

« Indulgetur Theobaldo, episcopo Dolensi, ut quatuor clerici sui, usque ad quinquennium suis servitiis insistentes, possint percipere fructus beneficiorum suorum. » (fol. 346 v°.)

Venerabili fratri Theobaldo, episcopo Dolensi. Digne agere credimus —.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Abrincensi, et dilectis filiis . . priori Sancti Florentii Dolensis, ac . . decano ecclesie Sancti Marcelli juxta Parisius.*

3767 (CCCXXIII) Latran, 22 novembre 1300.

« Super quodam hospitali construendo per eum in civitate Capuana. » (fol. 346 v° et 347.)

Dilecto filio nobili viro Bartholomeo de Capua, regni Sicilie logothete. Propter magne devotionis —.

Ei, qui quoddam hospitale, cum oratorio in honorem Beatæ Mariæ, juxta locum Heremitarum ordinis sancti Augustini Capuanum, pro suorum et parentum suorum remedio peccatorum, ad opus infirmorum et pauperum pro tempore recipiendorum ibidem, propriis sumptibus construere seu ædificare de novo desiderat, concedit ut ipse et successores ejus possint in eis rectores ponere, ac ut rectores ipsi et aliæ personæ hospitalis in cimiterio inibi benedicto sepeliri valeant. Eximit insuper hospitale et oratorium prædicta ab omni jurisdictione archiepiscopi Capuani, concedens ut . . provincialis Heremitarum Terræ Laboris, ordinis sancti Augustini prædicti, et . . ejusdem loci Capuani priores, qui sunt et pro tempore fuerunt, administrationem, visitationem, curam et gubernationem hospitalis et oratorii prædictorum ac bonorum suorum continue studeant exercere.

Dat. Laterani, x kal. decembris, anno sexto.

3768 (CCCXXIIII) Latran, 31 octobre 1300.

« Reservatur ei personatus vel dignitas in ecclesia Andegavensi. » (fol. 347.)

Magistro Fulconi de Beneyo, canonico Andegavensi. Volentes personam tuam —.

Consideratione T[heobaldi], episcopi Dolensis, pro eo clerico et socio suo supplicantis, dignitatem in eadem Andegavensi ecclesia, cujus jam est canonicus, conferendam reservat, quam duxerit acceptandam, non obstante quod in Cenomanensi scolasteriam et in ea ac predicta Andegavensi et Dolensi ecclesiis canonicatus et præbendas noscatur obtinere.

Dat. Laterani, II kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Pietate juxta Cenomannum, et magistro Petro de Montechiello, archidiacono Aureliacensi, Claromontensis, et . . cantori Sancti Petri de Curia, Cenomannensis ecclesiarum.*

3769 (CCCXXV) Latran, 24 novembre 1300.

« Quod possit percipere fructus beneficiorum suorum usque ad quinquennium. » (fol. 347 v°.)

Petro nato quondam Adenulfi de Comite, canonico Remensi. Tui nobilitas generis —.

Indulget ut apud Apostolicam Sedem moram trahens, vel insistens scolasticis disciplinis ubi studium vigeat generale, aut residens in aliqua ecclesiarum ubi beneficiatus existit, redditus præbendæ quam in ecclesia Remensi obtinet percipere possit usque ad quinquennium.

Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Signino, et dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Remigii Remensis, ac . . archidiacono ecclesie Famagustane.*

3770 (CCCXXVI) Latran, 6 novembre 1300.

« Quod possit censuram ecclesiasticam exercere in turbatores et occupatores bonorum suorum et ecclesie Dolensis. » (fol. 347 v°.)

Venerabili fratri Theobaldo, episcopo Dolensi. Desideriis tuis — gaudeatis. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod tu in pluribus diocesibus ducatus Britannie et Normannie quamplura monasteria, prioratus, ecclesias et alia loca ecclesiastica constituta obtines, que obedientie ac jurisdictioni tue totaliter sunt subjecta, quodque in illis nonnulli iniquitatis filii illarum partium — nonnulla bona — ecclesiarum et locorum predictorum occupare, invadere ac etiam detinere, aliaque nichilominus tibi et eidem Dolensi ecclesie dampna non modica irrogare presumunt, — qui statim perpetrato delicto, tue jurisdictionis terminos exeuntes, se ad dioceses transferunt alienas, ut sic debitam delictorum effugiant ultionem.

Ei conceditur ut adversus tales molestatores, ubicumque infra regnum Franciæ consistentes, censuram ecclesiasticam exercere possit.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno sexto.

3771 (CCCXXVI *bis*) Même date.

Pro eodem. (fol. 347 v°.)

Eidem. Meritis tue devotionis —.

Indulget ut nullus delegatus vel subdelegatus in eum censuram ecclesiasticam possit exercere, presentibus post quinquennium minime valituris.

Dat. ut supra.

3772 (CCCXXVII) Même date.

« Super permutatione quarumdam possessionum. » (fol. 348.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilecto filio Guillelmo de Fontanis, canonico Placentinis. Porrecta nobis dilecti filii nobilis viri Johannis Scotti, civis Placentini, petitio continebat quod, cum tu, frater episcope, et ecclesia Placentina in terra Varsii, Placentine diocesis ac curia, territorio et pertinentiis suis, nonnulla bona et possessiones, quorum redditus et proventus non excedunt viginti novem librarum summam annis singulis, habeatis, ipseque Johannes quasdam alias possessiones — intendat cum dictis bonis et possessionibus permutare, a nobis humiliter postulavit ut fieri permutationem hujusmodi mandaremus —.

Annuit petitioni.

Dat. ut supra.

3773 (CCCXXVIII) Anagni, 12 juillet 1300.

« Quod denuntiet excommunicatum fratrem Jacobum de Ferraria, monachum monasterii Pomposiani. » (fol. 348.)

Venerabili fratri . . episcopo Paduano. Cum olim, ad instantiam venerabilis fratris nostri . . episcopi Castellani, fratrem Jacobum de Ferraria, monachum monasterii Pomposiani, ordinis sancti Benedicti, Comaclensis diocesis, doctorem decretorum Padue actu regentem, super certis articulis ad nostram fecerimus presentiam evocari, ut infra certum terminum coram nobis personaliter compareret, idem frater Jacobus, in dicto termino et post terminum diutius exspectatus, coram nobis comparere contumaciter non curavit, nos vero in eundem fratrem Jacobum, ne de sua inobedientia gloriari valeret, propter hujusmodi ejus contumatiam excommunicationis sententiam duximus proferendam —.

Mandat suprascripto ut eundem fratrem Johannem excommunicatum publice nuntiari faciat eique interdicat omnem actum regendi, in singulos qui eum audire præsumpserint similem excommunicationis sententiam proferendo.

Dat. Anagnie, IIII id. julii, anno sexto.

3774 (CCCXXIX) Latran, 10 novembre 1300.

« Dispensatur cum eo super pluralitate. » (fol. 348.)

Radulfo de Manton[is], subdiacono, precentori ecclesie Dublinensis. Petitio tua nuper —.

Ei, qui olim, post generale concilium Lugdunense, ecclesiam de Plonistede, curam animarum habentem, primo, et postmodum ecclesiam de Offarde, similem curam habentem, Norwicensis et Lincolniensis diocesium, ac deinde præcantoriam ecclesiæ Dublinensis, quæ personatus reputatur, fuit alias tamen canonice assecutus et insimul tenuit, indulget, consideratione Eduardi, regis Anglie, pro eo clerico et familiari suo supplicantis, ut prædictas ecclesias et præcantoriam, quæ de novo ei ad cautelam conferuntur, cum fructibus perceptis retinere possit.

Dat. Laterani, III id. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . Cantuarensi, et . . Wintoniensi archidiaconis, ac Johanni de Drocueffort, canonico Eboracensi.*

3775 (CCCXXX) Latran, 10 novembre 1300.

« Confirmatur sibi quoddam feudum in civitate Beneventana. » (fol. 348.)

Nicolao dicto Novello de Vico, laico, Alatrine diocesis, familiari nostro. Apostolice Sedis benignitas —. Quapropter nos — pensantes quod tu, diu ante promotionem nostram ad Summi Apostolatus officium, et postquam nos ad illud gratia divina provexit, familiariter in domo nostra laudabiliter conversatus, nostris et Ecclesie Romane servitiis institisti gratanter, fideliter ac utiliter insistis, dignum duximus ut personam tuam prerogativa favoris et gratie prosequamur. Sane petitio tua nobis exhibita continebat quod nuper venerabilis frater noster Petrus, episcopus Burgensis, de mandato nostro facto sibi per nos oraculo vive vocis, per suas litteras injunxit dilecto filio Ciono Marsoli de Florentia, rectori civitatis Beneventane, — ut tibi ac heredibus tuis — bonum et amplum feudum, de bonis feudalibus vel excadentiis in civitate Beneventana ac ejus territorio et districtu ad eandem Romanam Ecclesiam pertinentibus, si tunc vacabant, vel quamprimum ad id se facultas offerret, auctoritate nostra, per se vel alium seu alios, conferre et assignare curaret, inducens te vel dictum procuratorem in ipsius feudi corporalem possessionem et defendens inductum, contradictores et rebelles ex auctoritate sibi tradita compescendo. Idem vero rector, ad mandatum hujusmodi

sibi factum, nomine nostro et Ecclesie memorate, dedit, contulit et concessit et assignavit in feudum et pro feudo Johanni Petri de Guarcino, familiari et procuratori tuo, ad hoc a te specialiter constituto, nomine et vice tam tuo quam heredum et successorum tuorum imperpetuum recipienti, duo molendina de Turricella, ad prefatam Ecclesiam pertinentia, sita in territorio predicte civitatis Beneventane, in flumine Sabbati; item unum ortum spectantem ad Ecclesiam supradictam, situm in territorio memorato, in contrata Plincariorum juxta ipsorum molendinorum et orti confines in instrumento infrascripto contentos, cum accessibus et egressibus predictorum molendinorum et orti usque in vias publicas, ac omnibus utilitatibus, juribus et pertinentiis, actione ac usu eorum, et ad ea et ipsorum quodlibet in parte vel in totum quomodocunque pertinentibus et spectantibus, ad habendum, tenendum, possidendum, fruendum, locandum, et de ipsis et eorum quolibet, ac de ipsorum et cujuslibet eorum fructibus, qualitercunque faciendum et disponendum pro tue ac dictorum heredum et successorum libito voluntatis, proprietate ipsorum molendinorum et orti Romane Ecclesie semper salva. Pro hujusmodi autem concessione molendinorum et orti, prefatus procurator, nomine tuo ac predictorum heredum et successorum, constituit se prelibato rectori, recipienti nomine nostro et ejusdem Ecclesie, feudatarium et vassallum, et in animam tuam ad sancta Dei evangelia libro tacto juravit fidelitatem et vassallagium nostrum et Ecclesie prefate, ac promisit quod, pro annuo censu concessionis ejusdem, tu et dicti heredes et successores nobis et eidem Ecclesie, aut rectori Beneventano, in predicta Beneventana civitate, unum carolinum auri, de mense augusti, in festo scilicet Assumptionis Beate Marie Virginis, annis singulis solveretis, prout hec et alia in supradicto instrumento publico, manu Taddei Jacobi de Bettona, notarii publici, inde confecto, cujus tenor annotatur inferius, plenius continetur. Quare nobis humiliter supplicasti ut dationem, collationem, concessionem et assignationem hujusmodi, et omnia et singula in instrumento predicto contenta ratificare, confirmare et approbare, ac etiam innovare et decernere plenam habere roboris firmitatem, ac supplere omnem defectum, si quis in eis extitit, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, dationem, collationem, concessionem et assignationem easdem, et omnia et singula contenta in instrumento prefato, que per eundem rectorem taliter facta sunt, rata habentes et grata, illa ex certa scientia tibi ac tuis heredibus ex tuo corpore per masculinam et, masculina deficiente, per femininam lineam legitime descendentibus, auctoritate Apostolica confirmamus et approbamus, ac presentis scripti patrocinio communimus, plenam habere decernimus roboris firmitatem, supplentes omnem defectum qui in eis vel eorum aliquo ex quacunque causa extitit, et specialiter ex eo si molendina et ortus predicta vel eorum aliquod dicantur vel fuerint non feudalia set de demanio, vel per excadentiam seu alias ad demanium ejusdem Ecclesie pertinere, sive in demanium quocunque tempore et quoquo modo reducta; seu si prefatum mandatum factum dicto rectori ad molendina et ortum predicta se non extendisse noscatur; et nichilominus dictum feudum tibi et heredibus ipsis de novo concedimus ad cautelam de Apostolice plenitudine potestatis, tenorem instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est: « In nomine Domini amen. Anno a Nativitate ejusdem M°CCC°, die XXII mensis octobris, XIIII indictione, tempore domini Bonifatii pape VIII, nos Rolandinus de Parma, judex, et Tadeus Jacobi de Bettona, notarius nobilis viri Cioni Marzoli de Florentia, domini pape familiaris et Beneventani rectoris, magister Johannes de Montella, phisicus, Maffeus Johannis Gyrardi, Nicola magistri Bartholomei Rasoris, Andreas Serafini et Johannes Abbatis Bartholomei, cives Beneventani, et Jacobus Avantati ac Blasius, cives Florentini, testes ad hec vocati specialiter et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur quod nobilis et providus vir Cionus Marzoli de Florentia, domini pape familiaris et Beneventanus rector, litteras venerabilis patris domini Petri, Dei gratia Burgensis episcopi, domini pape referendarii, recepit tenoris et continentie infrascripte, videlicet: « Petrus Dei gratia Burgensis episcopus, domini pape referendarius, prudenti viro Ciono Marzoli, rectori Beneventano, salutem in Domino. De speciali mandato sanctissimi patris et domini nostri domini Bonifatii, divina providentia pape VIII, facto per eum nobis oraculo vive vocis, presentium vobis tenore committimus et mandamus quatinus magistro Nicolao dicto Novello de Vico, ejusdem domini nostri familiari, propter grata et accepta servitia que dictus magister Nicolaus eidem domino nostro et Ecclesie Romane impendit diutius et continue impendere studet fideliter, utiliter et devote, ac ipsius heredibus et successoribus imperpetuum, vel ejusdem magistri Nicolai procuratori pro ipso et dictis heredibus recipienti, de bonis feudalibus vel excadentiis in civitate Beneventana et ejus territorio et districtu ad eandem Romanam Ecclesiam pertinentibus, si vacant ad presens, vel quamprimum ad id obtulerit se facultas, bonum et amplum feudum, auctoritate ipsius domini nostri, per vos vel alium seu alios conferre et assignare curetis; inducentes eum vel dictum procuratorem pro eo in ipsius

feudi corporalem possessionem et defendentes inductum, contradictores quoslibet et rebelles ex potestate vobis tradita, appellatione postposita, compescendo. In cujus rei testimonium presentes litteras vobis mittimus nostri sigilli munimine roboratas. Dat. Laterani, IIII id. octobris, anno Domini M°CCC°, indictione XIII, pontificatus ipsius domini nostri anno sexto. » Que quidem littere sigillate erant a tergo ipsius domini episcopi sigillo, cere rubee, forme oblonge, in quo quidem sigillo sculta erat ymago unius capitis unius hominis, et in circumferentia ipsius sigilli hee littere legebantur : S. SECRETUM PETRI RODERICI. Volens itaque idem dominus rector, tamquam obedientie filius, mandatum predictum sibi in hac parte commissum, ut tenetur, exequi humiliter et devote, auctoritate litterarum ipsarum, nomine et vice predicti domini pape et Romane Ecclesie, tam pro se quam pro suis successoribus imperpetuum faciens et assignans, bonum et amplum feudum, de bonis ad Ecclesiam Romanam in civitate Beneventana pertinentibus, juxta mandatum predictum, contulit, dedit, concessit et assignavit in feudum et pro feudo imperpetuum magistro Johanni Petri de Guarcino, familiari et procuratori magistri Nicolai Novelli predicti de Vico, prout patet de ipsa procuratione per publicum instrumentum confectum manu Nicolai Palmerii de Vico, publici notarii, a nobis judice et notario predictis visum et lectum, recipienti nomine et vice magistri Nicolai prefati et heredum et successorum ejus imperpetuum, duo molendina de Turricella, sita in territorio predicte civitatis Beneventane, in flumine Sabbati; quibus ab una parte est ortus Jacobi Serrayne et fratrum, ab alia parte via publica, et ab alia parte res ecclesie Beneventane ac unum ortum situm in contrata Plincariorum, infra hos confines, cui ab una parte est via publica et ortus Sancti Petri de Monachabus, et ab alia apotheca Transmundi Nicole Transmundi, apotheca magistri Angeli Plincarii et apotheca Sancti Petri de Carosis, et ab alia parte alia via publica, et ab alia parte ortus Sancti Modesti et ortus Sancti Lupi ad Romanam Ecclesiam pertinentia, cum accessibus et egressibus suis usque in vias publicas, et cum omnibus utilitatibus, juribus et pertinentiis que dicte res et earum altera habent, infra, super, intra et extra se, omnique actione, usu seu requisitione ad dictas res et earum alteras in parte vel in totum quomodocunque pertinentibus et spectantibus, ad habendum, tenendum, possidendum, fruendum, utendum, locandum et de ipsis rebus et earum qualibet et fructibus rerum ipsarum quomodocunque et qualitercunque disponendum, et faciendum pro suo imperpetuum et heredum ac successorum suorum libito voluntatis, proprietate ipsorum molendinorum et orti Romane Ecclesie semper salva. Que molendina et ortum et eorum quemlibet idem dominus rector, vice et nomine predicti domini pape et Romane Ecclesie, se constituit precario possidere, donec ipse rector, per se vel alium, corporalem eidem procuratori assignaret ipsarum rerum possessionem, quam recipiendi et retinendi ipsa assignatione facta licentiam omnimodam contulit atque dedit procuratori prefato. Pro qua concessione molendinorum et orti dictus procurator, nomine et vice predicti domini sui et heredum ac successorum suorum, se constituit ipsi domino rectori, recipienti nomine predicti domini pape et Romane Ecclesie, feudatarium et vassallum, et ad sancta Dei evangelia in animam predicti magistri Nicolai tacto libro juravit fidelitatem et vassallagium eorundem, et promisit idem procurator, nomine quo supra, pro annuo censu, dare et solvere domino pape et Romane Ecclesie aut rectori Beneventano, in civitate Beneventi, annis singulis, unum carlinum auri, in festo Sancte Marie mensis augusti. Que omnia singula supradicta promiserunt ad invicem dicti dominus rector et procurator, unus alteri, more quo supra, attendere et observare et non contra facere vel venire, aliqua ratione vel causa, de jure vel de facto, sub obligatione bonorum Romane Ecclesie et predicti magistri Nicolai. Actum in civitate Beneventana, in palatio Romane curie quod habitat dictus dominus rector, die predicta, presentibus testibus supradictis. Et ego Tadeus Jacobi de Bettona, imperiali et alme Urbis prefecture auctoritate notarius et ordinarius judex, et nunc notarius actorum curie domini rectoris prefati, predictis omnibus interfui, et ut supra legitur, mandato dicti domini rectoris, scripsi et publicavi. Ego Rolandinus judex, qui supra, predictis interfui et ideo me subscripsi, et venerabile signum crucis apposui. » Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, approbationis, constitutionis, suppletionis et concessionis, et cetera. Dat. Laterani, IIII non. novembris, anno sexto.

3776 (CCCXXXI) Vatican, 7 mai 1298.

« Quod compellant invasores et occupatores bonorum episcopi et ecclesie Giennensis ad restitutionem. » (fol. 349.)

Dilectis filiis . . archidiacono, et . . cantori ecclesie Giennensis. Venerabili fratre nostro —.

Mandat ut omnes qui, episcopo Giennensi a Sarracenis detento, bona ad ejus mensam spectantia occupare præsumunt,

per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, ad restitutionem et ad satisfactionem debitam compellant.

Dat. Rome apud Sanctum Petrum [1], non. maii, anno quarto.

1. In margine legitur : « At[tende] quia ista littera est de quarto anno. »

3777 (CCCXXXII) Anagni, 29 juillet 1300.

« Conservatoria pro Matheo de Columpna, preposito ecclesie de Sancto Audomaro. » (fol. 349 v°.)

Dilectis filiis .. archidiacono, et Stephano Musico, ac Nicolao de Sancto Eustachio de Urbe, canonicis Belvacensibus. Turbamur plurimum et movemur cum aliqui ecclesiis et personis ecclesiasticis molestias inferre presumunt, set gravius non immerito provocamur cum illi, quos, sue nobilitatis obtentu, gratia et favore ampliori prosequimur, ab aliquibus offenduntur. Cum itaque, sicut accepimus, dilectus filius Matheus de Columpna, ecclesie de Sancto Audomaro, Morinensis diocesis, necnon de Yngregio in ecclesia Carnotensi prepositus, super prepposituris, prebendis et beneficiis suis, que habet in regno Francie, ac eorum redditibus et juribus, a nonnullis multipliciter molestetur, nos, volentes eidem preposito, qui scismaticorum Columpnensium viam quin immo devium et errorem in nullo secutus esse dinoscitur, extitit nec existit, set in devotione Romane Ecclesie atque nostra perstitit et persistit, super hoc remedio consulere oportuno, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel per alium seu alios, prefato preposito, vel procuratori seu procuratoribus suis, oportuni favoris presidio assistentes, super eisdem prepposituris, prebendis, beneficiis, redditibus, proventibus, juribus et rebus aliis, injuriatoribus, cujuscunque dignitatis, etiam si pontificalis vel cujuslibet ordinis aut conditionis existant, per viam judicii [faciatis] justitie complementum, molestatores hujusmodi et contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo; non obstantibus, et cetera. Ceterum volumus et Apostolica auctoritate decernimus quod, a data presentium, sit vobis in premissis omnibus et eorum singulis potestas et jurisdictio attributa, quodque in eo vigore illaque firmitate possitis auctoritate nostra in predictis omnibus et pro predictis procedere, ac si vestra jurisdictio in predictis omnibus et singulis per citationem vel modum alium perpetuata legitimum extitisset, presentibus post quinquennium minime valituris. Dat. Anagnie, IIII kal. augusti, anno sexto.

3778 (CCCXXXIII) Latran, 6 novembre 1300.

« Quod residens in altera ecclesiarum suarum possit percipere fructus beneficiorum suorum. » (fol. 349 v°.)

Dilecto filio magistro Radulpho de Houdencourt, canonico ecclesie Atrebatensis Apostolice sedis lenignitas —.

Indulget ut residens in altera ecclesiarum Atrebatensis et Peronensis, Noviomensis diocesis, quarum existit canonicus, possit usque ad triennium percipere fructus beneficiorum suorum.

Dat. Laterani, VIII id. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilecto filio priori de Monte Sancti Eligii, Atrebatensis diocesis, et . . preposito Atrebatensis, ac magistro Petro Bonegentis de Genezano, canonico Meldensis ecclesiarum, camere nostre clerico —.* Dat. ut supra.

3779 (CCCXXXIIII) Latran, 28 octobre 1300.

« Conceditur quibusdam mercatoribus Pistoriensibus quod possint edificare de novo quamdam ecclesiam in civitate seu diocesi Pistoriensi. » (fol. 350.)

Dilectis filiis Putio, et Baldo Raynerio, et Morgano Floravantis, fratribus, civibus Pistoriensibus, camere nostre mercatoribus. Ingens Ecclesie Romane benignitas —. Habet siquidem vestre discretionis assertio quod vos a nonnullis ecclesiis, monasteriis et prioratibus, ac personis ecclesiasticis, secularibus et regularibus, ac etiam a laicis diversarum partium, quasdam pecuniarum summas per usurariam pravitatem, et alias per contractus pravos et illicitos recepistis. Cum autem de hujusmodi pecuniarum summis proponatis, ad exonerationem conscientiarum vestrarum, quandam ecclesiam in civitate seu diocesi Pistoriensi, in loco congruo et honesto, edificare de novo, ac ei competentes dotes etiam assignare, nobis humiliter supplicastis ut vobis in hac parte licentiam benigne concedere dignaremur. Nos itaque, hujusmodi vestrum laudabile ac pium propositum in Domino multipliciter commendantes, et volentes illud Apostolice favoris suffragio confovere, construendi seu edificandi de novo, ad honorem sancti quem vobis . . loci diocesanus oretenus duxerit exprimendum, ac etiam dotandi decenter, sicut premittitur, predictam ecclesiam

de hujusmodi pecuniarum summis, dummodo hii, quibus earum debet restitutio fieri, sciri et inveniri non possint, ejusdem diocesani ad id accedente consensu, sine juris prejudicio alieni, jure patronatus vobis et vestris heredibus imperpetuum reservato, plenam et liberam vobis, auctoritate presentium, licentiam elargimur, ita quod ad restitutionem aliam faciendam de ipsis pecuniis, dummodo ulterius a talibus, in quantum poteritis, caraveritis sollicite abstinere, nullatenus teneamini, nec ad satisfactionem aliquam pro eisdem. Dat. Laterani, v kal. novembris, anno sexto.

3780 (CCCXXXV) Latran, 16 décembre 1300.

« Indulgentia ad fabricam pro ecclesia cathedrali Ebroicensi. » (fol. 350.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Ecclesiarum fabricis —. Hinc est quod cum, sicut ex parte venerabilis fratris nostri . . episcopi et dilectorum filiorum . . decani et capituli Ebroicensium fuit expositum coram nobis, ipsi cathedralem ecclesiam Ebroicensem, nimia vetustate consumptam, reedificare inceperint, opere nimium sumptuoso, nec ad tanti consumationem operis sibi proprie suppetant facultates, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur in Domino, atque in remissionem vestrorum injungimus peccatorum quatinus, et cetera, elemosinas et grata eis caritatis subsidia erogetis, et cetera. Nos enim, et cetera, omnibus vere penitentibus et confessis qui eis ad hoc manum porrexerint adjutricem, quadraginta dies, eis vero qui eandem ecclesiam qualibet prima die dominica cujuslibet mensis devote visitaverint, unum annum et quadraginta dies de injuncta sibi penitentia relaxamus, et cetera. Dat. Laterani, XVII kal. januarii, anno sexto.

3781 (CCCXXXVI) Latran, 19 décembre 1300.

« Adnectitur Hospitali Sancti Johannis Jerosolimitano quoddam hospitale situm in littore fluminis de Varo, Venciensis diocesis. » (fol. 350.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolymitani. Quanto majoris devotionis —. Exposita siquidem nobis vestra petitio continebat quod in litore fluminis de Varo, Venciensis diocesis, quoddam hospitale situm fore dinoscitur, quod barcham unam sive naviculam, cum qua per ipsius fluminis alveum transire seu transvehi valeant viatores, tenere continue anteactis temporibus consuevit. Set, quia hospitali predicto ad tenendum jugiter in eodem flumine barcham seu naviculam prelibatam proprie facultates non suppetunt, viatoribus ipsis adeo grave prejudicium imminet, quod nonnulli ex eis in flumine ipso, crebris fluctibus seviente, naufragii periculum incurrerunt; cum autem Hospitale vestrum predictum domos et possessiones non modicas flumini memorato vicinas obtineat, per quarum redditus et proventus, sumptus quos eidem barche sive navicule sedula conservatio exigit facilius supportari, et in hospitali predicto poterunt exerceri comodius opera pietatis, prefatum hospitale in eodem litore constitutum Hospitali vestro predicto, presertim cum, sicut asseritis, fratres in eodem hospitali degentes jam super hoc vobiscum tractatum habere curaverint diligentem, concedere, annectere ac unire in perpetuum de Apostolice Sedis munificentia dignaremur; nos itaque, [cum] ad hospitalium predictorum statum tranquillum et prosperum piis studiis intendamus prenominatum hospitale in jam dicto litore positum, cum omnibus bonis, juribus et pertinentiis suis, ubilibet consistentibus, eidem Hospitali vestro Sancti Johannis Jerosolimitano, veris existentibus supradictis, Apostolica auctoritate in perpetuum concedimus, annectimus et unimus, vobis nichilominus apprehendendi et nanciscendi, per vos vel alium seu alios, corporalem possessionem hospitalis, bonorum et jurium ac pertinentiarum predictorum, assensu cujuslibet minime requisito, plenam potestatem et liberam tribuentes. Decernimus quoque irritum et inane si secus super premissis scienter vel ignoranter a quoquam contigerit attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, annexionis, unionis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, XIIII kal. januarii, anno sexto.

3782 (CCCXXXVII) Latran, 11 avril 1300.

« Conceditur quedam domus Sancti Michaelis de Burgo, Zamorrensis diocesis. » (fol. 350 v°.)

Eisdem. Habet exposite nobis vestre petitionis assertio quod domum Sancti Michaelis de Burgo, Zamorensis diocesis, ad monasterium de Marzeniaco, ordinis sancti Benedicti, Eduensis diocesis, pleno jure spectantem, in qua monachi nigrum deferentes habitum hactenus morabantur, quidam civis Zamorensis, jam longi temporis spatio, locationis titulo seu pro certa pecunie annua quantitate conductam, noscitur tenuisse, propter quod domus ipsa, utpote utili destituta regimine ac neglectui derelicta, jam ruinose dispendium dissipationis incurrit, nullusque monachus aut clericus divinum exercet officium

in eadem. Cum itaque predicta domus aliqua pascua obtinere noscatur, quibus pro equis vestris alendis, quos in Terre Sancte subsidium mittitis, quamplurimum indigetis, nobis humiliter supplicastis ut predictam domum vobis et Hospitali vestro de gratia speciali concedere dignaremur —.

Hanc domum, « veris existentibus supradictis », suprascriptis concedit et annectit.

Dat. Laterani, III id. aprilis, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Zamorrensi et dilecto filio . . archidiacono Salamantino.*

3783 (CCCXXXVIII) Latran, 1er novembre 1300.

« Conceditur cuidam monasterio ordinis sancte Clare, Olenensis diocesis, constructo per Ysabellam, principissam Achaye, ecclesia Beate Marie de Camina, predicte diocesis. » (fol. 351.)

Nobili Mulieri Ysabelle, principisse Achaye. Affluentis devotionis affectum —. Dat. Laterani, kal. novembris, anno sexto.

(POTTHAST, n° 24988.)

3784 (CCCXXXIX) Latran, 24 octobre 1300.

Præficitur in abbatem. (fol. 351.)

Fratri Nicolao, abbati monasterii Sancti Stephani Bononiensis, ordinis sancti Benedicti. Inter sollicitudines varias — gubernari. Sane olim monasterio Sancti Stephani Bononiensi, ordinis sancti Benedicti, per liberam resignationem dilecti filii fratris Nicholai, monachi, tunc abbatis ejusdem monasterii, factam in manibus venerabilis fratris nostri . . episcopi Bononiensis, et ab eodem episcopo admissam, abbatis regimine destituto, dilecti filii conventus — die ad eligendum prefixa — convenerunt in unum. Et tandem — contigit quod a nonnullis ipsius monasterii monachis, qui erant major et sanior pars ipsius conventus, electio de dilecto filio fratre Alberto de Artonisiis, ejusdem monasterii monacho, per viam scrutinii, et a reliquis prefati monasterii monachis de dilecto filio fratre Johanne de Boccadellis, canonico monasterii Sancti Johannis in Monte Bononiensis, ordinis sancti Augustini, postulatio per viam compromissi fuerunt in eodem monasterio Sancti Stephani in discordia celebrate, sicque hujusmodi negotio per appellationem ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, ac eisdem electo et postulato personaliter accedentibus ad Sedem ipsam, pro hujusmodi ipsarum electionis et postulationis negotio prosequendo, cum idem canonicus negotium sue postulationis prosequi non curasset, pro eo quod sibi ex eadem postulatione jus aliquod minime competebat, dictus frater Albertus, ne idem monasterium Sancti Stephani diu occasione hujusmodi subjacere posset incommodis, — sponte ac libere in nostris manibus resignavit —.

Infrascriptum, tunc priorem prioratus Sancti Michaelis Ferrariensis, prædicti ordinis sancti Benedicti, dicto monasterio præficit in abbatem.

Dat. Laterani, VIIII kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Stephani Bononiensis — universis vassallis.*

3785 (CCCXL) Latran, 17 décembre 1300.

Licentia contrahendi mutuum. (fol. 351.)

Hugoni de Vallerinosa, monacho monasterii Cluniacensis, procuratori dilecti filii Bertrandi, abbatis abbatis (sic) Cluniacensis, in Romana curia constituto. Nuper in nostra —.

Ei, qui pro negotiis Cluniacensis ordinis in Francia apud curiam expediendis magna onera expensarum subire debet, nec ad mutuum contrahendum propter hoc sufficiens mandatum habet, concedit auctoritate Apostolica facultatem contrahendi mutuum usque ad summam undecim millium florenorum auri.

Dat. Laterani, XVI kal. januarii, anno sexto.

3786 (CCCXLI) Latran, 15 novembre 1300.

A sententia excommunicationis absolutio. (fol. 351 v°.)

Petro de Palliaco, cantori ecclesie Sancti Reguli Silvanectensis. Exhibita nobis tua —.

Eum, qui dudum, cantoriam hanc adeptus, audivit et legit leges contra canonica instituta et postmodum se officiis immiscuit divinis, ab excommunicationis sententia absolvit, cum eo super irregularitate dispensat, et ei indulget ut usque ad triennium audire ac legere leges licite valeat, etiamsi dicta cantoria residentiam exigeat, proviso quod non debitis fraudetur obsequiis.

Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno sexto.

3787 (CCCXLII) Latran, 13 novembre 1300.

« Indulgetur quod libere recipere valeat abbas monasterii Sancti Antimi qui pro tempore fuerit munus benedictionis a quocunque maluerit catholico episcopo. » (fol. 351 v°.)

Dilectis filiis . . abbati et conventui monasterii Sancti Antimi, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Guillelmi, Clusine diocesis. Meritis vestre devotionis —. Dat. Laterani, id. novembris, anno sexto.

3788 (CCCXLIII) Latran, 15 octobre 1300.

« Absolvitur a quodam juramento matrimonii. » (fol. 351 v°.)

Nobili viro Nicolao Comitis, civi Romano. Sicut in nostra proposuisti presentia constitutus, olim, dum scismatici Columpnenses in devotione Ecclesie persistebant, inter Jordanum, filium Agapiti, nati quondam Johannis de Columpna, et Theodoram, filiam tuam, tunc in annis puerilibus constitutos [1], sponsalia contracta fore noscuntur, et in contractu dictorum sponsalium tu et dictus Johannes promisistis et prestitistis etiam juramenta quod faceretis predictos Jordanum et Theodoram adinvicem matrimonialiter copulari. Nos igitur, attendentes quod, si hujusmodi matrimonium inter Jordanum et Theodoram contraheretur predictos, tibi propter hoc participandi cum eisdem scismaticis materia preberetur, et exinde tibi fame atque salutis dispendium imineret, ac volentes tibi super hoc de oportuno remedio subvenire, te ab hujusmodi promissione et juramenti observatione, tenore presentium, duximus absolvendum. Nulli ergo, et cetera, nostre absolutionis, et cetera. Dat. Laterani, id. octobris, anno sexto.

3789 (CCCXLIII *bis*) Latran, 15 octobre 1300.

« Dispensatio matrimonii in Urbe. » (fol. 351 v°.)

Dilecto filio nobili viro Nicolao, nato nobilis viri Nicolai de Comite, et dilecte in Christo filie nobili mulieri Marsibilie, nate nobilis viri Anibaldi, nati nobilis viri Richardi Mathie de Anibaldis, civium Romanorum. Vestra et vestrorum —.

Indulget ut in matrimonio contracto valeant licite remanere, non obstante impedimento publicæ honestatis justitiæ, pro eo quod prius inter dictum Nicolaum ac Margaritam, filiam quondam Florentii de Capocinis, militis Romani, quæ dictæ Marsibiliæ quarto est consanguinitatis gradu conjuncta, dum ambo essent infra pubertatis tempora constituti, sponsalia juramentis etiam interpositis contracta fuisse noscantur.

Dat. Laterani, id. octobris, anno sexto.

[1]. *Ms* : constitutis.

3790 (CCCXLIIII) Latran, 14 décembre 1300.

Concessio personatus seu dignitatis. (fol. 352.)

Munaldo nato dilecti filii Hugolini Boncontis de Munaldensi, archipresbytero ecclesie Urbevetane. Grate devotionis studia —.

Beneficium ecclesiasticum, etiam si dignitas vel cum cura existat, in civitate vel diocesi Tudertina infra viginti dies acceptandum vacans confert vel vacaturum reservat, non obstante quod archipresbyteratum ecclesiæ Urbevetanæ, et in ecclesia Bononiensi canonicatum et præbendam, ac ruralem ecclesiam Sancti Ausiani, Urbevetane diocesis, noscatur obtinere.

Dat. Laterani, XVIIII kal. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Severi prope Urbemveterem, et Jacobo Ambrosii, ac Boninsegne Berardini, canonicis Urbevetanis.*

3791 (CCCXLV) Latran, 14 décembre 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 352.)

Dilecto filio Raynaldo, Petri Aldebrandutii de Urbeveteri, et dilecte in Christo filie Johanne, Offredutii de Albiano, dilectorum filiorum nobilium virorum natis. Petitio pro parte —.

Inclinatus supplicationibus parentum eorum et nobilis viri Boncontis de Munaldensi, militis, avi predictæ Johannæ, indulget ut sponsalia et matrimonium invicem contrahere valeant, non obstante impedimento publicæ honestatis justitiæ, pro eo quod dictus Raynaldus cum quondam Bartholomæa, filia Symonis Raynerii Guidonis, de Urbeveteri, quæ dictæ Johannæ quarto consanguinitatis gradu olim dum viveret attinebat, sponsalia contraxerit.

Dat. Laterani, XVIIII kal. januarii, anno sexto.

3792 (CCCXLVI) Latran, 23 octobre 1300.

« Super discordia que est inter . . abbatem et conventum monasterii Sancte Berte de Blangiaco, Morinensis diocesis, et Guidonem de Castilione, comitem Sancti Pauli. » (fol. 352 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Morinensi. Ex parte dilec-

torum filiorum .. abbatis et conventus monasterii Sancte Berte de Blangiaco, ordinis sancti Benedicti, tue diocesis, fuit propositum coram nobis quod abolim Sancta ipsa, dum adhuc in seculo permaneret, salubri ducta consilio et ad opera pietatis intenta, postquam comitatus Sancti Pauli principium suscepisset, monasterium ipsum in proprio comitatu fundavit, illud de bonis suis ad patrimonium ejus spectantibus pia liberalitate dotando, assensu . . regis Francie, qui tunc erat et a quo dictum comitatum proprium immediate tenebat, ad id nichilominus accedente, prefatique abbas et conventus in terra ejusdem monasterii jurisdictionem plenariam, resorto, ut verbis patrie utamur, ad regem Francie pertinente dumtaxat excepto, habuerunt et exercuerunt temporibus retroactis, et carissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francie illustris, erat et progenitores sui hactenus fuerant in possessione guardie ipsius monasterii ac etiam hujusmodi resorti, a tempore cujus memoria non existit, et ad eosdem pertinuerunt et ad regem pertinent supradictum. Set nobilis vir Guido de Castelione, comes dicti comitatus Sancti Pauli, ad eorundem abbatis et conventus injurias et gravamen intendens, super guardia et resorto prefatis petitorium et possessorium intentando, memoratos abbatem et conventum fecit coram dicto Philippo rege ad judicium evocari, ipsis abbate et conventu constanter asserentibus ex adverso quod non prefatus comes set predictus rex illa possidebat, et ad eum solum totaliter pertinebant. Cumque dictus comes in hujusmodi causa in qua, suspenso petitorio, super possessorio tantum processum fuerat, succubuisset omnino, ac postmodum super petitorio inter eundem regem et dictos abbatem et conventum, ex parte una, et prefatum comitem, ex altera, processu legitime habito et inquisitione, prout juris ordo requirebat, super hoc facta sollicite ac deinde diligenter inscripta, nominatus comes, non immerito formidans contrariam in hac parte sententiam reportare, erga celsitudinem regiam adeo, ut dicitur, institit, quod idem rex ei, lite ipsa pendente, guardiam et resortum predicta, eisdem abbate et conventu contradicentibus et opponentibus talia fieri non debere, concessit, in ipsum et ejus heredes ea, quantum in ipso fuit, nichilominus transferendo, in non modicum predictorum abbatis et conventus et dicti monasterii prejudicium et gravamen. Et, quia post hoc iidem abbas et conventus coram sepedicto comite nolebant, sicut nec debebant, neque salva conscientia poterant, in temporalibus respondere, nec ipsum in guardiatorem et superiorem dicti monasterii advocare, prelibatus comes, satagens eos ad hoc per se et suos compellere violenter, bona omnia, spiritualia et temporalia, dicti monasterii indebite occupavit, eundem abbatem et administratores supradicti monasterii ab illorum administrationibus amovens, censuariis et debitoribus monasterii memorati ne ipsis abbati et conventui aliquid solverent sub certis penis districtius inhibendo, nec etiam permittendo quod abbas et conventus predicti de bonis ejusdem monasterii necessaria vite perciperent nisi per manus dicti comitis vel suorum. Verum, eisdem abbate et conventu suppliciter petentibus eis et dicto monasterio circa premissa per Apostolice Sedis providentiam subveniri, nos aperte, immo apertius, cognoscentes talia vergere in derogationem ecclesiastice libertatis et etiam dicti comitis detrimentum salutis, comitem ipsum per nostras sub certa forma litteras rogandum duximus attentius et hortandum ut abbatem et conventum predictos, occasione hujusmodi guardie et resorti seu superioritatis nullatenus molestaret, nec faceret, per se vel alium seu alios aliquatenus molestari, set, eos habens propensius commendatos, ipsis bona et jura per eum vel de mandato ejus eis ablata restitueret et faceret cum integritate restitui, ab ipsorum dampnis, gravaminibus et injur[iis] quibuscunque imposterum abstinendo. Volumus etiam ut predictus comes de hiis que super premissis ageret nobis per suas litteras responderet. Et licet, sicut accepimus, dicto comiti hujusmodi nostre littere fuerint presentate, ipse tamen, nec quod continebatur in illis efficere, nec rescribere nobis quid per eum in hoc factum foret, juxta ipsarum litterarum continentiam, procuravit. Sicque nos, quibus ex commisso nobis Apostolatus officio singulorum cura generaliter est commissa, nolentes, sicuti nec debemus, talia coniventibus oculis pertransire, sepedicto comiti per alias nostras litteras preces iterato direximus, suadentes eidem ut, diligenter considerans et prudenter advertens quod religiosarum personarum que, divinis insudantes obsequiis, pro ipsius comitis et fidelium aliorum salute jugiter intercedunt, perferre molestias et promovere gravamina nec saluti nec honori expediebat comitis prelibati, set illis adesse potius favoribus oportunis, memoratos abbatem et conventum occasione predicte guardie non molestaret ulterius, nec faceret, per se vel per alium seu alios, aliquatenus molestari, quin potius, habens eos pro divina et nostra reverentia propensius commendatos, ipsis bona et jura per eum vel de mandato suo eis ablata restitueret et faceret cum integritate restitui, ab ipsorum dampnis, gravaminibus et injuriis quibuscunque penitus abstinendo, juxta priorum directarum ei nostrarum continentiam litterarum, ac rescribendo nobis per suas litteras quicquid super hoc duceret faciendum; preces autem nostras in hac parte sic perfecte, sic efficaciter adimplere studeret, quod pre-

ter eternum premium, quod ob id consequeretur a Domino, sibi a nobis exinde grata proveniret actio gratiarum, nosque non cogeremus ad hoc aliud justum et competens remedium adhibere. Prelibatus vero comes, qui tanquam propriam salutem negligere ac plus affectare transitoria terrena videtur, hujusmodi nostris precibus, quas saltem ob divinam reverentiam suscipere debuit reverenter, penitus obauditis, adimplere premissa vel facere non curavit, propter quod dicti abbas et conventus coacti sunt jam tertio predicte Sedis remedium implorare. Nos igitur, attendentes quod predictam guardiam, que in favorem et pro utilitate supradicti monasterii extitit introducta, presertim dicto monasterio reclamante, idem rex in alium seu minus potentem transferre de jure nequivit, ac nolentes abbati et conventui prefatis et dicto monasterio in suo jure deesse, cum simus omnibus in justitia debitores, fraternitati tue in virtute obedientie per Apostolica scripta mandamus quatinus, si tibi de plano, sine strepitu et figura judicii, constiterit de premissis, antedictum comitem quod predictos abbatem et conventum occasione dicte guardie non molestet, nec per se vel per alium aut alios faciat molestari, set eis bona et jura dicti monasterii, per ipsum vel de mandato ejus occupata, omnino restituat, ab ipsorum dampnis, gravaminibus et injuriis quibuscunque imposterum abstinendo, monitione premissa, per censuram ecclesiasticam, appellatione remota, compellas. Non obstante si dicto comiti a Sede Apostolica sit indultum, et cetera. Dat. Laterani, x kal. novembris, anno sexto.

3793 (CCCXLVII) Latran, 15 novembre 1300.

« Citatio super facto monasterii Sancti Marcialis Lemovicensis. » (fol. 353.)

Venerabili fratri . . episcopo Valentinensi, et dilectis filiis . . decano Anitiensis, ac Adomaro Roberti, canonico Caturcensis ecclesiarum. Dilecti filii fratres Petrus, de Podio Molonis, Guillelmus dictus Letheza, de Soyans, et Guido Rollandi, Sancti Stephani de Liffia prioratuum priores, ordinis sancti Benedicti, Biterrensis, Diensis et Burdegalensis diocesium, monachi monasterii Sancti Marchialis Lemovicensis, ejusdem ordinis, nuper in nostra presentia, in consistorio publico, proponere curaverunt quod, vacante dudum dicto monasterio Sancti Marchialis per mortem quondam Geraldi, abbatis ipsius monasterii, frater Guido Laporta, tunc abbas monasterii Vasiensis et antea monachus monasterii Userchensis, ejusdem ordinis, Lemovicensis diocesis, tam sua quam suorum, et potissime venerabilis fratris nostri R[ainaldi], episcopi Lemovicensis, germani ejus, fultus potentia et favore, se, ut asseritur, in abbatem dicti monasterii Sancti Marchialis ab aliquibus ipsius monasterii monachis de facto procuravit eligi seu etiam postulari. Ab hujusmodi quidem electione seu etiam postulatione quondam Boso, de Sancto Valerico, tunc vivens, et Guido, Cambonensis prepositurarum prepositi, ac Imbertus, prior prioratus de Villaribus, predicti ordinis, Lemovicensis diocesis, eidem monasterio subjectorum, habentes vocem in electione abbatis prefati monasterii Sancti Marchialis cum pro tempore iminet facienda, et Mathias de Guinderay et nonnulli alii monachi ejusdem monasterii Sancti Marchialis ex certis causis ad Sedem Apostolicam, ut dicitur, appellaverunt. Set demum iidem appellantes, per prefatum episcopum ejusque amicos seducti promissionibus, et affecti terroribus atque minis, ab hujusmodi eorum appellationibus recessisse dicuntur. Cumque ad notitiam Petri de Ferolio, et quondam Guidonis de Corsonio, tunc viventis, prefati monasterii Sancti Marchialis monachi, apud Sedem Apostolicam immorantium pro quibusdam prefati monasterii Sancti Marchialis negotiis promovendis, de electione seu postulatione hujusmodi pervenisset, primo Guido et postmodum Petrus predicti, quamcito hujusmodi notitiam habuerunt, asserentes predictum fratrem Guidonem Laporta fuisse ac esse inelegibilem, utpote tempore electionis seu postulationis hujusmodi plura beneficia ecclesiastica ordinis memorati, sine dispensatione Sedis Apostolice, obtinentem, ac nedum unius sed etiam plurium majorum excommunicationum vinculo innodatum, necnon irregularitatis macula et dilapidationis et aliis diversis criminibus irretitum, contra eum et hujusmodi electionem seu postulationem de ipso taliter attemptatam, ac ne prefatus Lemovicensis episcopus, ordinarius loci, ad quem alias pertinebat, hujusmodi electionem confirmaret seu postulationem admitteret, et, si forsan jam confirmasset seu admisisset, etiam ab hujusmodi confirmatione seu admissione, tam pro se ipsis quam eis adherentibus et eis adherere volentibus, ad Sedem appellarunt eandem, et deinde appellationes hujusmodi eidem fratri Guidoni Laporta fecerunt legitime nuntiari. Hiis autem per eundem Petrum de Ferolio et Guidonem de Corsonio tunc propositis coram nobis, et prefato Guidone Laporta diutius expectato, nec personaliter sive per procuratorem ydoneum infra tempus debitum ad prosequendum hujusmodi suam electionem seu postulationem nostro [se] presentante conspectui, nos, ad instantiam predicti fratris Guidonis de Corsonio, causam predicte appellationis interposite per eundem dilecto filio magis-

tro Bartholino de Cornazano, cappellano nostro et causarum nostri palatii auditori, audiendam commisimus et fine debito terminandam. Qui, ad ejusdem fratris Guidonis instantiam, in causa ipsa audiendo procedens, prefatum fratrem Guidonem Laporta coram se in eadem causa pluries citari fecit per suas litteras in audientia publica litterarum nostrarum, ut est moris, et demum comparentibus coram eo super hoc fratre Guidone de Corsonio, pro se ac sibi adherentibus, ex parte una, et Petro Savarici, rectore ecclesie de Sancto Paulo, Lemovicensis diocesis, et Bernardo de Belloloco, procuratoris nomine predicti ftraris Guidonis Laporta et pro eo, ex altera, fuit aliquandiu coram eodem auditore per eundem fratrem Guidonem de Corsonio et predictos procuratores in causa hujusmodi litigatum. Postmodum autem, pro parte predicti fratris Guidonis de Corsonio, hujusmodi negotio et processibus in eo habitis coram auditore predicto propositis coram nobis, nos dilecto filio nostro Riccardo, Sancti Eustachii diacono cardinali, commisimus ut predictum fratrem Guidonem de Corsonio et causam ipsam audiret, ac processus in ea habitos videre nobisque referre curaret. Cumque coram eodem cardinali procederetur in causa predicta, idem frater Guido de Corsonio diem clausit extremum, et, prefato fratre Petro de Ferolio infirmitate gravato, frater Guillelmus Lacheza, prior prioratus de Soyans, predicti ordinis, Diensis diocesis, monachis prefati monasterii Sancti Marchialis, ad prosecutionem predictarum appellationum interpositarum per eundem Petrum de Ferolio, tunc infirmum, et per predictum fratrem Guidonem de Corsonio, defunctum, petiit se a nobis admitti, nosque ipsi cardinali duximus committendum ut dictum fratrem Guillelmum Lacheza audiret nobisque referret; quem idem cardinalis audivit, et coram eo per ipsum fratrem Guillelmum et predictos procuratores aliquandiu processum extitit in negotio memorato. Verum, cum hujusmodi causa in prefati monasterii Sancti Marchialis et predictarum appellationum dispendium nimium differretur, prefati Guillelmus Lacheza, Petrus de Ferolio et Guido Rollandi denuntiantes et proponentes contra predictum Guidonem Laporta, qui se gerit, ut dicitur, pro abbate ipsius monasterii Sancti Marchialis, tam predicta quam alia plura crimina et defectus, petierunt humiliter pronuntiari, decerni et declarari per nos eundem fratrem Guidonem Laporta, propter hujusmodi crimina et defectus, et quia se non presentavit nostro conspectui juxta edictum constitutionis felicis recordationis Nicolai pape III, predecessoris nostri, et declarationis nostre edite super ea, personaliter, ut debebat, cecidisse ab omni jure quod sibi fuerat ex hujusmodi electione seu postulatione de ipso attemptata quesitum, et eum esse hujusmodi jure privatum sibique super eisdem electione seu postulatione et confirmatione ac abbatia predicta perpetuum imponi silentium, cum, ut dicebant, nullum eidem ex predictis et propter predicta jus competeret in abbatia monasterii prelibati. Nos autem, hujusmodi causa ad nostrum auditorium revocata, attendentes quod, per involutiones diversas et varias premissorum, hujusmodi causa nimium protelatur, ac expedire putantes quod prefatus frater Guido Laporta, qui se gerit, ut predicitur, pro abbate monasterii prelibati, premissa personaliter apud Sedem Apostolicam prosequatur, cum per presentiam et in presentia principalium plenius quam per procuratores liquere valeat de causarum meritis et conditionibus personarum, discretioni vestre, de qua in Domino gerimus fidutiam specialem, in virtute obedientie districte precipiendo mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eosdem Lemovicensem episcopum et predictum fratrem Guidonem, qui, ut predicitur,'pro abbate se gerit, ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut idem episcopus, per procuratorem ydoneum ad hoc ab eo specialiter constitutum, defensurus processus suos super confirmatione predicta et aliis que ad electionem seu postulationem et confirmationem hujusmodi pertinent, si sua interesse crediderit, prefatus vero frater Guido Laporta sub pena privationis et depositionis abbatie prefate ac omnis juris, si quod ex premissis vel eorum aliquo sibi competit in eadem, quam penam ipsum si non paruerit incurrere volumus ipso facto, personaliter, facturus et recepturus super electione seu postulatione et confirmatione ac processibus supradictis quod justitia suadebit, et super criminibus memoratis se, si poterit, purgaturus, alioquin recepturus pro meritis, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, nostro se conspectui representent, quolibet alienationis genere bonorum ipsius monasterii et membrorum ejusdem fratri Guidoni, qui, ut premittitur, pro ejusdem monasterii abbate se gerit, per vos interim interdicto. Et, si secus actum fuerit, nos illud ex nunc irritum decernimus et inane, et nullius existere firmitatis. Diem autem hujusmodi citationum et interdictionis, et formam, et quidquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes studeatis fideliter intimare. Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno sexto.

3778 (CCCXLVIII) Latran, 4 novembre 1300.

Licentia redimendi decimas et jura patronatuum de manibus laicorum. (fol. 353 v°.)

Venerabili fratri G. episcopo Abrincensi. Pium et salubre —.

Indulget ut in civitate et diocesi Abrincensi liceat ei redimere decimas et jura patronatuum de manibus laicorum, dummodo ad id rectorum ecclesiarum, ad quas illa pertinent, accedat assensus.

Dat. Laterani, II non. novembris, anno sexto.

3779 (CCCXLVIIII) Latran, 15 novembre 1300.

« Mandatur citari decanus et capitulum ecclesie Sancti Stephani Trecensis, ad instantiam decani et capituli ecclesie Sancti Urbani Trecensis. » (fol. 353 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo, et dilectis filiis . . abbati monasterii Celle Trecensis, ac Hervoni de Calvomonte [1], *canonico Cathalaunensi.* Significarunt nobis dilecti filii . . decanus et capitulum ecclesie Sancti Urbani Trecensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinenti, quod . . decanus et capitulum ecclesie Sancti Stephani Trecensis, asserentes quod quondam . . comes Campanie, ad quem jus exigendi pedagia, vinagia seu roagia in civitate Trecensi pro vinis, bladis et rebus aliis que ad civitatem ferebantur eandem spectabat, jus hujusmodi eidem ecclesie Sancti Stephani concessit, intuitu pietatis, talis concessionis pretextu, ab eisdem decano et capitulo Sancti Urbani, de vinis eorum quę ad civitatem predictam, non causa negotiandi, sed pro eorum usibus deferri faciunt, hujusmodi roagia, quemadmodum de talibus a laicis exigunt extorquere nituntur, capiendo propter hoc currus et quadrigas in quibus vina feruntur hujusmodi, verberando familiares, quadrigarios et nuntios eorundem, eadem fundendo vina, necnon a familiaribus, quadrigariis et nuntiis supradictis propter hoc pignora seu guagia exigendo pro eorum libito voluntatis, ac alias ipsis et eorum quadrigariis, familiaribus et nuntiis supradictis graves injurias et molestias inferendo; super quibus iidem decanus et capitulum Sancti Urbani ad nostram providentiam recurrentes, nobis humiliter supplicarunt ut, cum ecclesie ecclesiasticeque persone ac res ipsarum, non solum jure humano sed et divino, ab hujusmodi exactionibus sint immunes, nosque constitutionem felicis recordationis Alexandri pape IIII, predecessoris nostri, qui statuit ecclesias ecclesiasticasque personas ad vinagia et guidagia penitus non teneri, nec ad exhibendum vel persolvendum talia pro suis rebus quas non causa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, vel transmittunt, volentes, propter multorum insolentiam et abusum, pene aminiculo adjuvare, districtius duximus inhibendum, contraria consuetudine quorumcumque, que dicenda est corruptela verius, non obstante, ut nec collegium, nec universitas, nec aliaqua etiam singularis persona, cujuscumque conditionis, status aut dignitatis existeret, a prefatis ecclesiis, aut personis, pro personis ipsis aut rebus predictis, talia exigat vel extorqueat, per se vel alium, suo nomine vel etiam alieno, aut eas ad hujusmodi persolvenda compellat. Qui vero contra fecerint, si persone fuerint singulares, excommunicationis, si autem collegium vel universitas civitatis, castri seu loci alterius cujuslibet, ipsa civitas, castrum vel locus interdicti sententias ipso facto incurrant, nec ab excommunicatione hujusmodi absolutionem vel interdicti relaxationem obtineant donec exacta plenarie restituerint et de transgressione satisfecerint competenter, prout hæc in constitutione a nobis edita continentur, providere eis super premissis paterna sollicitudine dignavemur. Nos igitur, qui eandem ecclesiam Sancti Urbani ad nos immediate spectantem diligentia paterna prosequimur, molestum ferentes quicquid ei vel personis ipsius gravaminis irrogatur, ac considerantes attente quod hujusmodi pedagia seu roagia, que in universitatibus et personis laicorum expresse reprobata existunt, sunt adhuc amplius, equitate suadente, in clericis quam laicis reprobanda, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, prefatos decanum et capitulum Sancti Stephani, ex parte nostra, monere ac inducere procuretis ut eisdem decano et capitulo Sancti Urbani de hujusmodi exactionibus factis et gravaminibus, injuriis ac molestiis, eis, ut premittitur, irrogatis, satisfactionem exhibeant competentem, a similibus de cetero abstinendo. Quod si ipsi hujusmodi monitioni vestre infra certum per vos assignandum terminum parere contempserint, ac de jure suo forte confisi voluerint super hiis cum eisdem decano et capitulo Sancti Urbani judicialiter experiri, ipsos ex tunc ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi negotium contingentibus, compareant, per se vel procuratorem ydoneum, coram nobis, facturi et recepturi super hiis quod justitia suadebit. Diem vero hujusmodi citationis, et formam, et quicquid inde feceritis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes

1. *Ms* : Calnomonte.

fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, xviii kal. decembris, anno sexto.

3780 (cccl) Anagni, 17 juin 1300.

« Littera super quadam pronuntiatione inter ecclesiam Sancte Marie in Cosmedin et ecclesiam Sancte Anastasie de Urbe. » (fol. 354.)

Dilectis filiis . . Sancte Anastasie, ac . . Sancte Marie in Cosmedin de Urbe ecclesiarum capitulis. Petitio vestra nobis exhibita continebat quod vos, pro pacifico statu et utilitate vestrarum ecclesiarum ac vestrum, de Lite [et] de Cisterna montes, positos extra portam Apiam vel Sancti Pauli de Urbe, cum terris, earum tenimentis usque ad viam publicam Ardeatinam, ac edificiis, terris cultis et incultis, montibus, vallibus, collibus, pratis, pra[ta]rinis, silvis, stirpetis, aquis, aquarumque decurtibus et omnibus usibus, utilitatibus, pertinentiis et adjacentiis dictorum montium et tenimentorum, tunc spectantes ad ecclesiam Sancte Anastasie, et totum casale quod dicitur Palazettum de Fossula, cum toto tenimento suo, terris, acquis, sitis juxta tenimentum ipsum, et turri, muris, domibus et claustris, terris cultis et incultis, montibus, collibus, vallibus, pratis, pratarinis, silvis, stirpetis, aquis, aquarum decursibus, introitibus ac exitibus suis ac universis usibus, utilitatibus et adjacentiis dictorum casalis et terrarum, ut predicitur, acquisitarum, que quidem casale et terre extra portam predictam sunt sita, et tunc ad ecclesiam Sancte Marie in Cosmedin pertinebant, ad invicem permutastis, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, venerabili fratre nostro Johanne, episcopo Tusculano, cui dicta ecclesia Sancte Anastasie in spiritualibus et temporalibus est ab Apostolica Sede commissa, et dilecto filio F[rancisco], Sancte Marie in Cosmedin diacono cardinali, prestantibus prius eorum consensum permutationi hujusmodi faciende; et postmodum iidem episcopus et cardinalis permutationem ipsam, quam ad evidentem utilitatem predictarum ecclesiarum esse factam noverunt, ex certa scientia approbarunt. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, prefatam permutationem ratam et gratam habentes, eam auctoritate Apostolica confirmamus, et cetera usque : communimus; tenorem instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes qui talis est :

« In nomine Domini Amen. Anno Nativitatis ejusdem M°CCC° indictione xiii, mensis junii die xii, pontificatus domini Bonifatii pape VIII [anno sexto] in presentia domini Henrici Octabiani et domini Francisci de Mercato, judicum, mei Jacobi, scriniarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter rogatorum, discretus vir dominus presbyter Petrus Rapancanna, canonicus venerabilis ecclesie Sancte Anestasie, specialiter ad infrascripta facienda, ordinatus sindicus, procurator et nuntius specialis canonicorum et capituli dicte ecclesie, ut apparet per me eundem notarium, scindicario et procuratorio nomine ipsorum capituli, canonicorum et ecclesie, presentibus et sibi consentientibus discretis viris domino presbytero Bartholomeo Priore, Angelo Porcario, Mathia et Johanne Judeo, concanonicis suis, necnon prefati canonici et capitulum ipsius ecclesie, omnes unanimiter et concorditer, pro pacifico statu et utilitate ipsius ecclesie ac ipsorum capituli et canonicorum, bonis eorum voluntatibus, permutaverunt et jure ac titulo permutationis et cambii dederunt, cesserunt et concesserunt discreto viro domino Angelo Paczo, canonico venerabilis ecclesie Sancte Marie in Cosmedin, scindico, procuratori et nuntio speciali dicte ecclesie, capituli et canonicorum ipsius, ut patet per me eundem notarium, eorumque successorum in perpetuum, scilicet totum montem de Lite, cum toto suo tenimento, et totum montem de Cisterna, cum toto suo tenimento usque in viam publicam Ardeatinam, cum edificiis, terris cultis et incultis, montibus, vallibus, collibus, pratis, pratarinis, silvis, stirpetis, aquis, aquarumque decursibus, et cum omnibus eorum usibus, utilitatibus, pertinentiis et adjacentiis universis dictorum montium et tenimentorum suorum; qui quidem montes et tenimenta, simul juncti seu divisi vel separati, positi sunt extra portam Apiam seu Sancti Pauli, inter hos fines, a tribus lateribus tenet ecclesia Sancte Marie in Cosmedin predicta, ab alio latere tenet dicta ecclesia Sancte Anestasie, dicta via Ardeatina mediante, ab alio est tenimentum Castri Leonis dominorum Sabellensium ; et per discretum virum presbyterum Petrum, canonicum ecclesie Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, testem subscriptum, quem dictus dominus presbyter Petrus, scindicus quo supra nomine, et ipsi canonici et capitulum procuratorem fecerunt ad hoc investimentum specialiter faciendum, jusserunt et voluerunt dictos scindicum, capitulum et canonicos dicte ecclesie Sancte Marie, eorum et dicte ecclesie nomine, de dictis montibus eorumque tenimentis et omnibus antedictis investiri, et donec de eis corporalem possessionem vel quasi possessionem adepti fuerint, se, ipsorum nomine, precario tenere ac possidere constituerunt et confessi sunt, dantes nichilominus et concedentes predictis scindico, capitulo et canonicis dicte ecclesie Sancte Marie, eorum et dicte ecclesie nomine, dictos montes cum omnibus tenimentis et pertinentiis suis antedictis, ex nunc in antea, eorum propria auctoritate et mandato predictorum permutantium,

intrandi, tenendi possessionem et dominium capiendi et apprehendendi, vendendi, donandi, permutandi, dandi, cedendi, concedendi et eis utendi, fruendi et experiendi, et de eis faciendi quicquid eis perpetuo placuerit. Jura quoque et actiones dictis ecclesie, capitulo et canonicis Sancte Anastasie, undecunque, quomodocunque et qualitercunque, nunc et in futurum competentia et competitura in dictis montibus et eorum tenimentis et eorum occasione, adversus omnem personam et locum, dictis scindico, ecclesie, capitulo et canonicis Sancte Marie eodem permutationis titulo dederunt, cesserunt et concesserunt, mandaverunt et transtulerunt, renuntiaverunt et per omnia refutaverunt, nulla sibi in aliquo facta reservatione, constituentes scindicum, capitulum et canonicos Sancte Marie in Cosmedin procuratores in rem eorum, et ipsos posuerunt et succedere voluerunt per omnia in jus, locum et privilegium ipsorum capituli et canonicorum et ecclesie Sancte Anastasie, [ut] in directis et utilitatibus et actionibus, prout voluerunt, valeant experiri. Et promiserunt predicti scindicus Sancte Anestasie, nomine quo supra, capitulum et canonici ipsius ecclesie dicto domino Angelo, scindico dicte ecclesie Sancte Marie, presenti et quo supra nomine recipienti, quod dicti montes, cum omnibus tenimentis et pertinentiis suis inter predictos fines conclusis, ad predictam ecclesiam, capitulum et canonicos Sancte Anestasie spectabant[1] pleno jure proprietatis, dominii et possessionis, et quod nulli alii persone nec in totum nec in parte sunt venditi, dati, concessi, pignorati, obligati, conditionati, distracti, alienati, nec contractus vel quasi contractus inde factus est; quod si contrarium appareret et propterea dicta ecclesia Sancte Marie, capitulum et canonici ipsius molestarentur, vel inquietarentur, seu dampnum incurrerent vel expensas facerent in predictis et eorum occasione evictio sequeretur, dictus presbyter Petrus, scindicus, et ipsi canonici et capitulum Sancte Anestasie promiserunt, quo supra nomine, dicta bona et res permutatas dictis ecclesie, capitulo et canonicis Sancte Marie perpetuo ab omni persona et loco defendere, ac manutenere eorum expensis et subire in se transferre judicium defensionis, ipsumque peragere usque ad finem suis sumptibus et expensis, faciendis tam in principio litis quam etiam in medio et fine, et quotiens opus et necesse fuerit, nulla exceptione seu excusatione opponenda, seu denuntiatione vel protestatione precedente ipsumque defensioni non deesse donec eos disbrigaverint et pacificos et tranquillos reliquerint omnia quoque dampna, expensas et interesse, que et quas dicti capitulum et canonici Sancte Marie, tam in judicium (*sic*) quam extra, propterea fecerint et substinuerint, eisdem reddere ac resarcire promiserunt solo sacramento cujuscunque scindici dicti ecclesie, ita quod solum sacramentum habeatur pro plena et sufficienti probatione, absque alia taxatione judicis. Et si in toto vel pro parte in aliquo predictorum aliqua sequeretur evictio, promiserunt nomine evictionis solvere duplum justi pretii seu extimationis rerum evictarum, confitentes ita moris esse in Urbe in promissionibus evictionum. Et pro hiis omnibus et singulis, in hoc instrumento contentis, attendendis et firmiter observandis, memoratus dictus presbyter Petrus, scindicus, et prefati canonici et capitulum Sancte Anestasie pignori posuerunt et obligaverunt predictis scindico, capitulo et canonicis Sancte Marie omnia et singula bona, mobilia et immobilia presentia et futura ipsius ecclesie Sancte Anestasie, que, quantum ad hoc, per eos se precario tenere constituerunt et confessi sunt; et si dicta bona et res, titulo permutationis data et concessa, meliora sunt, seu majoris extimationis fuerint vel valent subscriptis bonis et rebus, titulo permutationis ad ipsorum bonorum et rerum vicem et repensationem datis, totum illud plus eis donaverunt et inter vivos concesserunt, ob magnam reverentiam et precipuam devotionem quam ad dictam ecclesiam Sancte Marie ipsi scindicus, capitulum et canonici dicte ecclesie Sancte Anestasie habent et in posterum melius habere sperant. Hanc autem permutationem et, jure ac titulo permutationis, dationem, cessionem et concessionem, et omnia et singula suprascripta, prefatus dominus presbyter Petrus, scindicus, quo supra nomine, et prefati capitulum et canonici Sancte Anestasie fecerunt, ut dictum est, pro eo quod versa vice dictus dominus Angelus, scindicus, procurator et nuntius specialis, ac persona legitima capituli et canonicorum ejusdem ecclesie Sancte Marie in Cosmedin, ut apparet per me eundem notarium, scindicario ac procuratorio nomine dictorum ecclesie, capituli et canonicorum ejusdem ecclesie Sancte Marie, presentibus et sibi consentientibus discretis viris canonicis et capitulo ipsius ecclesie Sancte Marie, videlicet dominis presbytero Petro, Paulo et Stephano Tartaro, canonicis dicte ecclesie, et ipsi canonici et capitulum, bonis eorum voluntatibus, permutaverunt et jure ac titulo permutationis et cambii dederunt, cesserunt et concesserunt discreto viro domino presbytero Petro Rapancanna, canonico venerabilis ecclesie Sancte Anestasie, scindico predicto, quo supra nomine presenti et recipienti, id est totum casale dictorum capituli et canonicorum Sancte Marie quod dicitur Palazetum de Fossula cum toto suo tenimento, terris acquisitis juxta tenimentum dicti casalis, et cum turri, muris, domibus, claustris,

1. *Ms* : spectantibus.

terris cultis et incultis, montibus, collibus, vallibus, pratis, pratarinis, silvis, sarpetis (*sic*) aquarumque decursibus, et cum introitibus et exitibus suis, et cum omnibus usibus, utilitatibus, pertinentiis et adjacentiis universis dictorum casalis et terrarum acquisitarum; quod quidem casale cum terris acquisitis positum est extra portam Sancti Pauli, et cetera ut in alio contractu permutationis dicte ecclesie Sancte Anestasie scripto per me eundem notarium plenius continetur. Quam vero permutationem et omnia et singula in hoc instrumento contenta dictus dominus Petrus, scindicus quo supra nomine, et ipsi canonici et capitulum memorate ecclesie Sancte Anestasie, pro se ipsis et pro dicta ecclesia, eorumque successorum nomine, promiserunt dicto domino Angelo, scindico et legitime persone prefate ecclesie Sancte Marie, capituli et canonicorum ejusdem, presenti et recipienti pro dictis ecclesia, capitulo et canonicis eorumque successoribus, perpetuo attendere ac observare, et contra nullo modo venire nec facere, sub obligatione bonorum dicte ecclesie et sub pena quatuor librarum auri legitime stipulata et promissa nomine interesse conventi et declarati et comuniter extimati inter eos; quam penam totiens dictus dominus presbyter Petrus, scindicus quo supra nomine, solvere promisit pro medietate camere domini pape, me notario ut publica persona stipulante et recipiente pro dicta camera, et pro alia medietate dictis ecclesie, capitulo et canonicis Sancte Marie, quotiens contra predicta omnia et singula predictorum aliquod ventum vel factum fuerit, volentes propterea conveniri omni tempore; et renuntiaverunt, expresso pacto, omnibus feriis, privilegio fori, auxilio capituli [1] consuetudinum Urbis loquentis de penis conventionalibus non exigendis, et omni alii auxilio juris canonici et civilis contra predicta omnia et singula facienti, de omnibus predictis et singulis predictorum plene certiorati per me notarium; qua pena commissa, soluta vel exacta, vel non, predicta omnia et singula nichilominus in sua firmitate perdurent. Actum in domibus predicti domini judicis Francisci, presentibus hiis testibus ad predicta omnia rogatis, domino Henrico Octabiani et domino Francisco Nicolai Angeli judicibus predictis, presbytero Petro, canonico Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Petro Johannis Guidonis Letuli, Johanne Andree Romani, Nicolao Guidonis Letuli et Johanne Jacobi Johannis Aurificis de Mercato. Ego Jacobus Thomasii, civis Romanus, publicus auctoritate imperiali et mercantie Urbis notario, predictis omnibus interfui, scripsi et publicavi rogatus. »

Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, et cetera. Dat. Anagnie, xv kal. julii, anno sexto.

1. *Ms* : capituli consuetudini.

3798 (CCLI) Même date.

« Alia littera super eodem. » (fol. 355.)

Dilectis filiis capitulo ecclesie Sancte Marie in Cosmedin de Urbe. Ex parte vestra fuit propositum coram nobis quod dilecti filii capitulum ecclesie Sancte Anastasie de Urbe, ob magnam reverentiam et devotionem quas ad ecclesiam vestram asserunt se habere, vobis et ecclesie eidem vestre omnia jura, prelationes, jurisdictiones spirituales et temporales, et jura parrochialia tunc competentia et in posterum competitura predicte ecclesie Sancte Anastasie in Sancti Gregorii de Grecis et Sancti Laurentii juxta flumen ecclesiis de Urbe, ac parrochiis ecclesiarum ipsarum, que capelle ejusdem ecclesie Sancte Anastasie tunc erant, eas tamquam capellas eidem ecclesie vestre submittendo cum omnibus possessionibus, terris et juribus ac pertinentiis suis, et jure parrochiali quod dicte ecclesie Sancte Anastasie in domo, in parrochia ipsius ecclesie Sancte Anastasie sita, quam habitat Dominicus Tabernarius competebat, concesserunt et donaverunt liberalitate provida inter vivos, nichil juris sibi in prefatis ecclesiis sive domibus seu earum aliqua retinendo, prout in instrumento publico inde confecto plenius continetur, venerabilis fratris nostri Johannis, episcopi Tusculani, cui predicta ecclesia Sancte Anastasie in spiritualibus et temporalibus est ab Apostolica Sede commissa, et dilecti filii Francisci, Sancte Marie in Cosmedin diaconi cardinalis, super hiis interveniente consensu, qui etiam postmodum concessionem hujusmodi ex certa scientia approbarunt. Nos itaque, vestris supplicationibus inclinati, predictam concessionem ratam et gratam habentes, eam auctoritate Apostolica, ex certa scientia confirmamus, et cetera usque : communimus; tenorem instrumenti predicti de verbo ad verbum presentibus inseri facientes, qui talis est :

« In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem M°CCC°, indictione XIII°, mensis junii die XII°, pontificatus domini Bonifacii VIII pape [anno sexto] in presentia domini Henrici Octaviani et domini Francisci de Mercato, judicum, mei Jacobi, scriniarii, et testium subscriptorum ad hoc specialiter rogatorum, discretus vir dominus presbyter Petrus Rapancanna, canonicus venerabilis ecclesie Sancte Anastasie, syndicus, procurator et nuntius specialis ecclesie predicte, capituli et canonicorum ejusdem, ut apparet per me eundem notarium, presentibus et sibi consentientibus discretis viris capitulo et canonicis ipsius ecclesie, videlicet dominis presbytero Bartholomeo Priore, Angelo Porcario, Mathia et Johanne Judeo, sociis et concanonicis ejusdem sindici, sindicario et procuratorio nomine dicte ecclesie, capituli et canonicorum

ejus, et ipsi canonici et capitulum, attendentes magnam reverentiam et precipuam devotionem, quam ipsi canonici et capitulum habent ad venerabilem ecclesiam Sancte Marie in Cosmedin, et de cetero in melius habere sperant, bonis eorum voluntatibus, inter vivos donaverunt et irrevocabiliter dederunt, cesserunt et concesserunt discreto viro domino Angelo Paczo, canonico venerabilis ecclesie Sancte Marie in Cosmedin, sindico, procuratori et nuntio speciali dicte ecclesie Sancte Marie, capituli et canonicorum ejusdem, sindicario et procuratorio nomine dictorum ecclesie, capituli et canonicorum, et pro eis, id est omnia jura, prelationes, jurisdictiones temporales et spirituales et jura parrochialia dictis ecclesie, capitulo et canonicis Sancte Anastasie nunc et in futurum competentia et competitura in ecclesiis Sancti Gregorii, quod dicitur de Grecis, et Sancti Laurentii juxta flumen, et in parrochiis earum, et eidem domino Angelo, syndico, quo supra nomine recipienti, ecclesias predictas, que sunt capelle dicte ecclesie Sancte Anastasie, tamquam capellas submiserunt, cum omnibus possessionibus, terris, domibus et juribus ad ipsas ecclesias et ad quamlibet earum spectantibus, et cum introitibus et exitibus suis, cum omnibus earum juribus, utilitatibus et pertinentiis, atque adjacentiis universis, nichil juris et jurisdictionis in predictis ecclesiis et domo subscripta, vel ipsarum aliqua, dicte ecclesie Sancte Anastasie, capitulo et canonicis ejus in aliquo reservantes, set omnia et per omnia in ipsum dominum Angelum sindicum pro dicta sua ecclesia, et per ipsum syndicum in ipsam ecclesiam Sancte Marie transferentes, et in quadam domo parrochiali dicte ecclesie Sancte Anastasie in qua habitat Dominicus [Tabernarius], que quidem ecclesie et domus posite sunt in regione Marmorate. Fines vero dicte ecclesie Sancti Gregorii a duobus lateribus sunt platee, scilicet Sancte Marie in Cosmedin et Balnei Pilangii, ab alio est palatium heredum quondam Petri Grisotti, via mediante, ab alio sunt orti dicte ecclesie Sancte Marie. Fines ecclesie Sancti Laurentii a duobus lateribus sunt vie, ab alio tenet ecclesia Sancti Stephani Rotundi, ab alio est flumen. Fines domus predicte ab uno latere tenet ecclesia Sancte Anastasie, ab alio tenet ecclesia Sancti Salvatoris, Sancte Balbine, de retro tenet hospitale Sancti Spiritus, ante est via publica; vel si qui alii ad predicta omnia sunt plures et veriores confines. Et per discretum virum presbyterum Petrum, canonicum ecclesie Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, testem subscriptum, quem eorum procuratorem ad hoc investimentum specialiter faciendum constituerunt, jusserunt et voluerunt dictos syndicum, nomine quo supra recipientem, et capitulum et canonicos ecclesie Sancte Marie in Cosmedin de dictis ecclesiis et domo, cum earum possessionibus, terris, domibus et juribus, investiri et in corporalem et vacuam possessionem seu quasi possessionem induci; et, donec de eis possessionem corporalem vel quasi possessionem adepti fuerint, se eorum nomine precario tenere constituerunt; dantes nichilominus et concedentes dicto domino Angelo, syndico quo supra nomine recipienti, plenam et liberam potestatem in dictis ecclesiis et parrochiis earum, cum omnibus terris, possessionibus et domibus earum, et in domo predicta, ex nunc in antea, eorum propria auctoritate et ipsius sindici, canonicorum et capituli Sancte Anastasie prefate, speciali mandato irrevocabiliter facto et sine curie alicujus proclamatione utendi et exercendi omnem prelationem, jus et jurisdictionem, tam temporalem quam spiritualem, in dictis ecclesiis et domo et earum qualibet, et in eis faciendi quicquid canonici, capitulum et ecclesia Sancte Anastasie uti, exercere et facere de jure potuerunt in dictis ecclesiis et domo, et in qualibet earum, nullo jure eis in aliquo reservato; constituerunt ipsos sindicum, ecclesiam, capitulum et canonicos dicte ecclesie Sancte Marie procuratores in predictis in rem eorum, ipsosque posuerunt in locum eorum, jus et privilegium omnium; et promiserunt iidem syndicus, quo supra nomine, et prefati canonici et capitulum ecclesie Sancte Anastasie predicte dicto domino Angelo, syndico presenti et recipienti quo supra nomine, quod dicta jura dictarum ecclesiarum et domus nulli alii persone nec in totum nec in parte sunt vendita, data, cessa, concessa, pignorata, donata, obligata, nec contractus vel quasi contractus de eis factus est per dictum syndicum, capitulum et canonicos dicte ecclesie Sancte Anastasie; et quod si contrarium aliquo tempore in aliquo appareret, et propterea dicta ecclesia Sancte Marie, capitulum et canonici ejusdem molestarentur vel inquietarentur, promiserunt syndicus, canonici et capitulum supradicte ecclesie Sancte Anastasie adesse defensioni, et judicium in se transferre ipsumque ad finem perducere, et capitulum, canonicum et ecclesiam Sancte Marie prefate disbrigare, et pacificos et tranquillos relinquere; et nichilominus omnia dampna, expensas et interesse, que et quas in judicium (*sic*) vel extra propterea fecerint et sustinuerint, reddere ac resarcire promiserunt, soli sacramento cujuscunque sindici vel persone legitime dicte ecclesie Sancte Marie, absque alia probatione et taxatione judicis, ita quod solum sacramentum habeatur et haberi debeat pro plena et sufficienti omnium predictorum probatione. Et pro hiis omnibus, in hoc instrumento contentis, attendendis et firmiter observandis, dictus dominus Petrus, sindicus quo supra nomine, et prefati canonici et capitulum Sancte Anastasie pignori posue-

runt et obligaverunt dicto domino Angelo, syndico presenti et recipienti quo supra nomine, omnia bona dicte ecclesie Sancte Anastasie, mobilia et immobilia, habita et habenda, que, quantum ad hoc, per eos se precario tenere constituerunt. Hanc autem donationem, et omnia et singula in hoc instrumento contenta, dictus dominus presbyter Petrus, quo supra nomine, et prefati canonici et capitulum Sancte Anastasie fecerunt dicto domino Angelo, sindico presenti et recipienti quo supra nomine, ob amorem et dilectionem et magnam reverentiam et devotionem precipuam, quam ad dictam ecclesiam Sancte Marie habent, et in melius in futurum habere sperant. Quam vero donationem et omnia et singula in hoc instrumento contenta, dictus dominus presbyter Petrus, syndicus, procurator et nuntius dicte ecclesie Sancte Anastasie, sindicario ac procuratorio nomine dictorum ecclesie, capituli et canonicorum ejus, necnon ipsi canonici et capitulum dicte ecclesie Sancte Anastasie, pro se ipsis ipsorumque successoribus, promiserunt dicto domino Angelo, syndico et procuratori dictorum ecclesie, capituli et canonicorum Sancte Marie, presenti et recipienti procuratorio et syndicario nomine dicte ecclesie Sancte Marie, capituli et canonicorum ejus eorumque successorum, perpetuo attendere ac observare, et contra nullo modo facere nec venire, et dictam donationem et omnia et singula suprascripta perpetuo non revocare propter ingratitudinem, paupertatem, vel propter aliquam aliam legitimam causam, sub pena quatuor librarum boni auri nomine interesse conventi et comuniter extimati ac declarati inter eos legitime stipulata et promissa; quam penam totiens dictus dominus presbyter Petrus, syndicus quo supra nomine, et prefati canonici et capitulum ecclesie Sancte Anastasie promiserunt solvere, pro medietate, camere domini pape, me notario ut publica persona stipulante et recipiente pro dicta camera, et, pro alia medietate, dictis ecclesie, capitulo et canonicis Sancte Marie, quotiens contra predicta omnia et singula et predictorum aliquod ventum vel factum fuerit, volentes propterea conveniri omni tempore, renuntiantes expresse ac ex pacto juri insinuationis faciende, omnibus feriis, privilegio fori, auxilio capituli consuetudinum Urbis loquentis de penis conventis non exigendis, et omni alii auxilio juris canonici et civilis contra predicta omnia et singula facienti pro dictis ecclesia, capitulo et canonicis ecclesie Sancte Anastasie; qua pena commissa, soluta vel exacta, vel non, predicta omnia et singula nichilominus in sua firmitate perdurent. De omnibus predictis et singulis predictorum plene certiorati per me notarium. Actum in domibus dicti domini Francisci, judicis, presentibus hiis testibus, et cetera ut supra in proxima usque in finem. Dat. ut supra.

3799 (CCCLII) Latran, 7 novembre 1300.

« Mandatur provideri de abbate de aliqua persona ydonea monasterio Sancti Petri de Nigella scondita. » (fol. 356.)

Venerabili fratri . . episcopo Trecensi, et dilecto filio . . abbati monasterii de Claravalle, Lingonensis diocesis. Dum attente considerationis — impendamus. Sane monasterio Sancti Petri de Nigella scondita, ordinis sancti Benedicti, Trecensis diocesis, abbatis regimine destituto, due fuerunt electiones in ipso monasterio, una videlicet de quondam Thoma, thesaurario dicti monasterii, alia vero de Symone, preposito monasterii de Gaya, Cluniacensis ordinis, Trecensis diocesis, in discordia celebrate. Negotio itaque electionis hujusmodi per appellationes dictorum prepositi et thesaurarii ad Sedem Apostolicam legitime devoluto, predicti prepositus et thesaurarius ad persequendum appellationes hujusmodi ad Sedem Apostolicam personaliter accesserunt; sed, antequam in negotio procederetur predicto, dictus thesaurarius apud Sedem eandem viam fuit universe carnis ingressus. Nos postmodum causam electionis de dicto preposito celebratam dilecto filio nostro, J[ohanni], tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, commisimus audiendam; qui, cum in ipsa causa aliquandiu processisset, tandem electionem ipsam, non vitio persone sed ex aliis certis rationabilibus causis, cassavit, de mandato nostro vive vocis oraculo sibi facto.

Mandat suprascriptis ut eidem monasterio ea vice de persona ydonea provideant in abbatem.

Ceterum volumus quod dictus abbas tibi, frater episcope, prestare juramentum fidelitatis solite tanquam ejus ordinario non omittat. Dat. Laterani, VII id. novembris, anno sexto.

3800 (CCCLIII) Latran, 12 avril 1300.

Concessio ecclesiarum in Anglia. (fol. 356.)

Magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani. Onerosa nimis et —.

Ecclesias de Ravenesthorpo et de Burgamo, Lincolniensis et Roffensis diocesium, in quibus jus patronatus habent, concedit in proprios usus, reservata tamen de illarum proventibus pro perpetuis vicariis congrua portione.

Dat. Laterani, II id. aprilis, anno sexto.

3801 (CCCLIIII) Anagni, 12 juin 1300.

« Reservatur hac vice dispositioni. Sedis Apostolice provisio ecclesie Emporiensis. » (fol. 356.)

Ad perpetuam rei memoriam. Cum ecclesia Emporiensis per obitum bone [memorie] Gunarii, episcopi Emporiensis, qui, ut asseritur, nuper in Urbe diem clausit extremum, vacare dicatur ad presens, nos, cupientes ipsi ecclesie per dispositionem Apostolice Sedis salubriter provideri, ordinationem et provisionem ejusdem ecclesie hac vice dispositioni nostre ac Sedis ejusdem, auctoritate Apostolica, plenarie reservamus, districtius inhibentes ne capitulum ecclesie prelibate ad aliquam electionem, postulationem vel dispositionem de preficiendo sibi episcopo vel pastore, ipsa vice, quoquomodo procedant, ac decernentes ex nunc irritum et inane quicquid super hiis vel eorum aliquo contra hujusmodi reservationem et inhibitiones nostras per eos, vel quemlibet alium, scienter vel ignoranter, fuerit attemptatum. Nulli ergo, et cetera, nostre reservationis, inhibitionis et constitutionis, et cetera. Dat. Anagnie, II id. junii, anno sexto.

3802 (CCCLV) Même date.

« Quod hac vice debeat providere de aliqua persona ydonea ecclesie Emporiensi in episcopum et pastorem. » (fol. 356.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Turritano. Vacante nuper —.

Mandat ut ecclesiæ Emporiensi, suæ suffraganeæ, per obitum bonæ memoriæ Gunarii vacanti et Apostolicæ dispositioni ea vice reservatæ, auctoritate Apostolica provideat ea vice de persona ydonea in episcopum.

Dat. ut supra.

3803 (CCCLVI) Latran, 25 octobre 1300.

Concessio ecclesiastici beneficii. (fol. 356 v°.)

Dilectis filiis Pagano, Sancti Savini, et Munaldo, de Rubbiano, ac . . de Marzano, plebium archipresbyteris, Castellane et Perusine diocesium. Sincere devotionis affectus —.

Mandat ut Johanni, nato nobilis viri Guiduttii, marchionis de Monte Sanctæ Mariæ, scolari desideranti adscribi militiæ clericali, de aliquo ecclesiastico beneficio in Perusina vel Castellana civitatibus et diocesibus providere curent, non obstante quod patiatur in ordinibus et ætate defectum.

Dat. Laterani, VIII kal. novembris, anno sexto.

3804 (CCCLVII) Latran, 4 novembre 1300.

Dispensatio super matrimonio. (fol. 356 v°.)

Dilecto filio Petro quondam Rogerii dicti Sarraceni, et dilecte in Christo filie Johanne Andree dicti Vinciguerra de Ceccano natis. Pro parte vestra fuit expositum coram nobis quod inter vos dudum sponsalia contracta fuerunt, et desideratis invicem matrimonialiter copulari, pro eo maxime quod ex separatione vestra, si fieret, gravia inter vos et vestros odia et scandala timentur oriri, ex quibus possent animarum et corporum pericula provenire. Verum, quia hoc non potest legitime absque dispensatione compleri, pro eo quod predictus quondam Rogerius et Altruda, parentes tui, Petre, te, Johannam dicuntur de sacro fonte levasse, fuit nobis humiliter supplicatum ut providere vobis de dispensationis beneficio dignaremur —.

Annuit petitioni.

Dat. Laterani, II non. novembris, anno sexto.

3805 (CCCLVIII) Latran, 10 janvier 1301.

« Littera pro quodam falsario mittendo ad curiam. » (fol. 356 v° et 357.)

Venerabili fratri . . episcopo Lincolniensi et dilecto filio . . officiali suo. Intimante nobis Petro de Sancto Maryo, rectore ecclesie de Herde, Cantuariensis diocesis, nuper accepimus quod cum Walterus de May de Stanes, qui se gerit pro rectore ecclesie de Naylestono, Lincolniensis diocesis, quasdam sub nomine vestro in diocesi Cantuariensi falsas litteras ausu dampnabili fabricasset, et [tam] in judicio quam extra usus fuisset eisdem, idque adeo foret notorium quod nulla poterat tergiversatione celari, venerabilis frater noster . . archiepiscopus Cantuariensis, cui de hiis legitime constitit, eundem Walterum omnibus beneficiis, que in eadem diocesi Cantuariensi et alibi, ubicunque habebat, ipso jure privatum, eumque falsarium et tanquam falsarium puniendum fore sententialiter declaravit, justitia exigente. Et licet carissimus in Christo filius noster O[doar-

dus], rex Anglorum illustris, dictum falsarium propter hoc capi fecisset et per biennium in carcere detineri, tamen postmodum idem falsarius, a dicto carcere relaxatus, predictam ecclesiam de Naglestono detinere presumit in anime sue periculum et scandalum plurimorum. Cum autem predicte false littere apud eundem regem esse dicantur, nos, nolentes quod culpa dicti falsarii remaneat impunita, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel alter vestrum, si de hujusmodi vobis falsitate constiterit, eundem falsarium capi facere, ac ipsum captum, cum eisdem litteris, sub fida custodia ad nostram presentiam transmittere procuretis, penam debitam pro meritis recepturum. Contra, et cetera, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio bracchii secularis. Dat. Laterani, IIII id. januarii, anno sexto.

3806 (CCCLVIIII) Latran, 2 janvier 1301.

« Super facto decime. » (fol. 357.)

Dilectis filiis magistris Johanni de Luco et Bartholomeo de Ferentino, canonicis Londoniensibus. Cum olim felicis recordationis Nicolaus papa IIII, predecessor noster, collectionem decime omnium ecclesiasticorum proventuum et obventionum Armachanensis, Dublinensis, Casellensis et Tuamensis provintiarum, quam per sex annos predecessor ipse concesserat carissimo in Christo filio nostro E[duardo], regi Anglie illustri, ad prosecutionem comodiorem et efficatiorem negotii Terre Sancte, quod idem rex personaliter prosequendum assumpserat, duxisset venerabili fratri nostro . . episcopo Mindensi et dilecto filio . . decano ecclesie Dublinensis, per suas sub certa forma litteras, committendam, nos eisdem episcopo et decano dedimus dudum, per nostras sub certa forma litteras, in mandatis ut quicquid esset per ipsos vel eorum alterum, aut per subcollectores eorum vel alterius ipsorum, de decima ipsa collectum, quod nondum foret alii vel aliis de speciali mandato Sedis Apostolice assignatum, dilectis filiis Rogerio et Lapo Spine, Guidoni Bertaldi, Cino Bosii, et aliis eorum sociis de societate Spinorum de Florentia, nostre camere mercatoribus, vel alicui seu aliquibus eorumdem, infra duos menses a receptione litterarum ipsarum, et colligendum etiam de dicta decima, si quid restabat, quod eos habere contingeret in futurum, sine diminutione aliqua, omni occasione, difficultate ac mora postpositis, Ecclesie Romane nomine, assignare curarent. Cum autem, sicut accepimus, iidem episcopus et decanus, tam in ipsius collectione decime quam in hujusmodi assignatione juxta predictum mandatum nostrum facienda per eos de pecunia memorata, negligenter et malitiose se habuisse noscantur, nos, verisimiliter formidantes ne [quid] ob hujusmodi negligentiam et malitiam eorumdem ipsis Ecclesie ac Terre Sancte depereat, discretioni vestre, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus vos, vel alter vestrum, per vos vel alium seu alios, auctoritate nostra, absque difficultatis et dilationis obstaculo, eosdem episcopum Mindensem et magistrum Thomam, decanum ipsius ecclesie Dublinensis, auctoritate nostra curetis ad vestram presentiam personaliter evocare, ut scilicet infra duos menses post citationem hujusmodi, coram vobis vel altero vestrum, cum omnibus litteris et scriptis negotium prefate collectionis ejusdem decime contingentibus, personaliter comparere procurent, et quantum ipsi et eorum quilibet, per se ac alios, receperint de decima supradicta, et penes quos, ac ubi, quando et qualiter, et sub quibus securitatibus seu cautelis, pecuniam ab eis in hac parte receptam deponere curaverint, et si quid adhuc, et quantum de decima ipsa, et in quibus restat locis seu partibus colligendum, quantum etiam, quando et qualiter, ac ubi, de ipsa decima expenderint in prosequendis hiis que contingebant eandem, et si ab eis vel ab aliis, quibus interdum super hujusmodi collectionis negotio vices suas vel in eo executionem aliquam commiserint, extat adhuc aliquid de collectis forsitan assignandum, ac super aliis omnibus negotium contingentibus memoratum, de quibus expedire videritis, reddant diligentem et plenariam rationem; quam rationem ab eis exigere ac recipere studeatis, injuncto prius nichilominus collectoribus memoratis ut omnem pecuniam, que de predicta decima restat per eos ad solvendum, mercatoribus antedictis illam eis interim assignent integraliter et faciant assignari, ac nichilominus, si quid deest de dicta decima colligendum, illud curetis per vos vel alios colligere ac exigere cum effectu, et predictis mercatoribus, nostro et Ecclesie prefate nomine, integraliter assignari. Quod si forte prefati episcopus et decanus collectores, vel hii a quibus habueritis sic colligere ac exigere de decima prelibata, inobedientes extiterint vel rebelles, curetis eos ecclesiastica censura compellere, et nichilominus ex parte nostra peremptorie citetis eosdem, ut, infra certi temporis spatium, quod eis duxeritis assignandum, compareant personaliter coram nobis, recepturi pro meritis nostrisque mandatis et beneplacitis parituri. Diem autem citationis et formam, et quicquid feceritis et inveneritis in premissis, nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno sexto.

3807 (CCLX) Latran, 20 décembre 1300.

« Littera super facto heretice pravitatis contra quondam Armannum dictum Pungilupum de Ferraria laïcum. » (fol. 357.)

Dilecto filio Fratri Guidoni de Vicentia, ordinis Predicatorum, inquisitori pravitatis heretice in provintia Lombardie per Sedem Apostolicam deputato. Etsi multis et arduis, que jugiter in amplum Romane Curie alveum undique confluunt, quasi torrens, occupemur negotiis, distrahamur agendis, illa tamen nos acrius stimulant urgentque propensius mentem nostram, que statum et favorem catholice fidei respicere dignoscuntur. Propter quod multiplici reddimur attentione soliciti ut ad ea celeriter et efficaciter exsequenda operose sollicitudinis studium per nos et alios, de quorum probitate confidimus, impendamus. Ab olim siquidem ad nostrum pervenit auditum quod cum quondam Armannus dictus Punzilupus de Ferraria, laïcus, fuisset, dum viveret, de crimine hereseos multipliciter diffamatus, quondam Fratres Aldebradinus et Egidius, ordinis Predicatorum, tunc inquisitores pravitatis heretice in provintia Lombardie per Sedem Apostolicam deputati, eum propter hoc ad suam presentiam evocarunt; qui tandem, coram eis personaliter constitutus, omnem heresim penitus abjuravit, corporali nichilominus prestito juramento quod super hiis, de quibus ipsum interrogari contingeret, referret plenius veritatem. Qui subsequenter ab eisdem inquisitoribus requisitus, asseruit et confessione spontanea reseravit quod duobus hereticis devote adorationis prestaret obsequium et honorem reverentie humilis, secundum modum hereticorum ordinatum in talibus, duxerat impendendum, quodque de glorioso corpore Jhesu Christi opprobria plura protulerat, fueratque multimode obloquutus; sed hujusmodi ejus, gravis quantumlibet et horrenda, confessio nullius punitionis seu pene acredinem pertulit et absolutionis cujuslibet gratiam recepit. Prefatus quoque Armannus, per erroris invia gradiens et more quodam horribili redire ad vomitum nullatenus erubescens, proprieque salutis oblitus, juramenti ab ipso, sicut premittitur, prestiti religione contempta, multa postmodum gravia multaque scelestia, in derogationem divini nominis ejusque injuriam et contemptum committere non expavit, in abjuratam heresim presumptione dampnabili relabendo; ac, insuper actis, actibus dolosis inserviens et operibus deceptionis insistens, quia sancte conversationis et vite, dum viveret, inditia pretendebat, quanquam, sub agni specie, lupi astutiam gereret ac suo quodam pietatis aspectu impietatis nequitiam occultaret, cum tandem nature debitum apud Ferrariam persolvisset, ad clamorem populi, quem juris ignorantia sive facti a tramite rectitudinis avertebat, traditus solemniter exstitit in Ferrariensi ecclesia ecclesiastice sepulture. Cumque tante ac tam gravis temeritatis excessus ad ejusdem Fratris Aldebrandini inquisitoris notitiam pervenisset, ipse archipresbytero et capitulo ejusdem ecclesie duxit districtius injungendum ut, sublato cujuslibet difficultatis objectu, ejusdem Armanni corpus effodere vel extumulare curarent, ipsumque procul ejicerent extra ecclesiam supradictam. Et quia prefati archipresbyter et capitulum ejusdem inquisitoris parere in hoc parte mandatis contumaciter contempserunt, inquisitor ipse in eumdem archipresbyterum et nonnullos de capitulo supradicto excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgavit et eorum ecclesiam supposuit ecclesiastico interdicto. Postmodum autem, cum, per appellationem archipresbyteri et capituli predictorum, hujusmodi negotium, tempore felicis recordationis Gregorii pape X, predecessoris nostri, fuisset ad Sedem Apostolicam devolutum, predecessor ipse pie memorie Nicolao pape III, predecessori nostro, tunc Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diacono cardinali, prefatum commisit negotium terminandum. Sed, eodem predecessore Gregorio quasi post modici temporis spatium humanis rebus exempto, negotium ipsum non potuit terminari. Successu vero temporis, cum recolende memorie Honorius papa IIII, predecessor noster, assumptus in summum pontificem exstitisset, dilectus filius Frater Florius, ejusdem Predicatorum ordinis, qui eidem Fratri Aldebrandino in hujusmodi inquisitionis officio fuit per ejusdem Sedis providentiam subrogatus, ad prefatam Sedem, hujus occasione negotii, se personaliter conferens, negotium ipsum in ejusdem Honorii predecessoris presentia duxit publice proponendum; idemque predecessor negotium ipsum bone memorie Bernardo, episcopo Portuensi, audiendum commisit oraculo vive vocis. Qui, ejus beneplacitis se coaptans, usque ad relationem faciendam studuit in ipso procedere diligenter. Sed, propter ipsius Honorii predecessoris obitum, negotii memorati relatio non exstitit subsecuta. Tu vero, post nostre promotionis auspitia personaliter ad Apostolicam Sedem accedens, prelibatum negotium in nostra et fratrum nostrorum presentia seriose proponere curavisti, nosque, illo benigne audito ejusque statu solicite intellecto, prefatos archipresbyterum et capitulum, omnesque alios qui sua crederent interesse, per venerabilem fratrem nostrum . . Ferrariensem episcopum citari mandavimus, ut infra certi temporis spatium, in nostris super hoc confectis literis comprehensum, post citationem ipsius, per se vel procu-

ratorem ydoneum se nostro conspectui presentarent, facturi et recepturi etiam super hiis quod justitia suaderet ; memorati vero archipresbyter et capitulum quendam ipsius Ferrariensis ecclesie clericum propter hoc ad nostram presentiam destinarunt, qui, eorum nomine, tanquam procurator ipsorum, ad fores nostri palatii, in quo tunc temporis morabamur, extitit publice protestatus quod iidem archipresbyter et capitulum, nolebant nec aliquatenus intendebant eundem Armannum, vel ejus famam, defendere vel tueri, sive tecum, occasione hujusmodi, subire litigium quoquomodo ; immo jura omnia, que habebant, volebant omnino, pro parte ipsius Armanni, nostro et Apostolice Sedis examini et judicio exhibere, ut eum absolvere vel condemnare, prout de beneplacito nostro procederet, curaremus ; idemque procurator, alium in hac parte sibi substituens, a Romana Curia illico se subtraxit. Nos autem, auditis attentius et plenius intellectis hiis que acta seu facta fuerant in premissis, dilecto filio nostro Johanni, tituli Sanctorum Marcellini et Petri presbytero cardinali, causam hujusmodi duximus committendam, ut ipse, citatis partibus, audire summarie, absque oblatione libelli ac juris qualibet solempnitate, curaret, nobis nostrisque fratribus relaturus ea que partes ipse coram eo super premissis ducerent proponenda. Qui tandem, post habitum ab eo in hac parte processum, nobis et fratribus ipsis, te tunc in nostra presentia constituto, propositionem dictarum partium coram ipso factam referre studuit diligenter; nosque gerentes plenius cordi negotium et volentes propterea majorem super hoc habere noticiam veritatis, prefato cardinali venerabilem fratrem Nicolaum, Ostiensem et Velletrensem episcopum, ac dilectum filios (*sic*) nostros (*sic*) Guillelmum, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano diaconum cardinalem, auctoritate Apostolica duximus adjungendos, ut omnes insimul pretactum negotium solerter et exacte discutere et examinare sollicite procurarent, presertim quoad confessionem et abjurationem factas per Armananum predictum ac etiam quoad attestationes et probationes contra eundem factas et habitas, sicut superius est expressum, ipsique de predictis summarie pleneque per eos veritatem elicitam nobis seriosius aperirent, nos et fratres nostros predictos eorum fidelibus in hac parte relatibus plenius informando. Prenominati vero cardinales, hujusmodi commissione recepta, super jamdicto negotio, juxta ipsius commissionis tenorem, ferventer et exacte procedere curaverunt, nobis dictisque fratribus postmodum ea que ipsorum in hac parte comperit curiosa solertia plene ac seriose, qualibet explosa discordia, reserantes. Cum itaque de tue probate circumspectionis industria et experta prudencia solideque fidei puritate fiduciam geramus in Domino specialem, firmaque nobis credulitas suggerat quod ea, que tibi exsequenda committimus, ad effectum sollicite perducantur, discretioni tue per Apostolica scripta districte precipiendo mandamus quatinus, ad celerem et omnimodam ipsius expeditionem negotii, non obstantibus quibusvis appellationibus et processibus, super eo vel ipsius occasione, per quoscumque hactenus habitis sive factis, de consilio venerabilis fratris nostri Johannis, Bononiensis episcopi, et dilecti filii Fratris Ramberti de Bononia, ordinis Predicatorum, a te petito et obtento ab eis, quibus super hoc nostras literas destinamus, libere, solerter et secure procedere non postponas : sic te in hiis prudenter et provide habiturus, ut preter divine retributionis premium, tibi proinde proventurum, fame tue preconium incrementa suscipiat et Apostolice Sedis favorem et gratiam uberius merearis. Dat. Laterani, XIII kal. januarii, anno sexto.

Ed. a MURATORI in *Antiquitates Italiæ medii ævi*, t. V, col. 141 et seq.

3808 (CCCLXI) Même date.

« Alia littera super eodem. » (fol. 357 v°.)

Venerabili fratri Johanni, episcopo Bononiensi, et dilecto filio Fratri Ramberto de Bononia, ordinis Predicatorum. Probitatis merita grandia et virtutum dotes multiplices, quibus vos Dominus decoravit et que non solum fama laudabilis publicat, sed etiam fide dignorum assertio profitetur, benigna consideratione pensantes, firma spe ducimur quod in hiis, que vobis committimus, prudenter et solerter vos gerere studeatis. Cum itaque dilecto filio Fratri Guidoni de Vicentia, ordinis Predicatorum, inquisitori pravitatis heretice in provintia Lombardie per Sedem Apostolicam deputato, certum negotium, quod catholice fidei statum respicit et favorem, contra quondam Armannum, dictum Pungilupum, de Ferraria, laïcum, qui, dum viveret, de crimine hereseos extitit multipliciter diffamatus, per nostras committamus litteras exsequendum, et velimus ut ipse, de consilio vestro, prout in eisdem exprimitur litteris, in negotio supradicto procedat, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus predicto Fratri Guidoni, super eodem exsequendo negotio, vestrum consilium, cum illud a vobis duxerit postulandum, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, liberaliter impendatis : sic vos in hoc efficaciter

habituri, ut devotionem vestram dignis exinde in Domino laudibus attollamus. Dat. ut. supra.

Ibid. col. 144.

3809 (CCCLXII) Latran, 2 janvier 1301.

« Preficitur in archiepiscopum Capuanum. » (fol. 358.)

Venerabili fratri Johanni, archiepiscopo Capuano. Romani pontificis —.

Eum, tunc archiepiscopum Beneventanum, ad ecclesiam Capuanam transfert, per obitum bonæ memoriæ Alberti vacantem et ea vice Apostolicæ dispositioni reservatam.

Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis.. decano et capitulo ecclesie Capuane — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassalis ecclesie — carissimo in Christo filio Carolo, regi Sicilie illustri.*

3810 (CCCLXIII) Latran, 20 décembre 1300.

Confertur prioratus Sanctæ Mariæ de Monteserrato. (fol. 358 v°.)

Dilecto filio Bernardo Scarrerii, familiari dilecti filii nobilis viri Roberti, ducis Calabrie, priori prioratus Sancte Marie de Monteserrato, ordinis sancti Benedicti, Vicensis diocesis. Laudabile testimonium —.

Præfatum prioratum per mortem quondam Fratris Bernardi dicti Salvatoris, « qui pridem apud civitatem Senensem, dum de Curia Romana recederet, diem clausit extremum », vacantem et Apostolicæ dispositioni reservatum, suprascripto, consideratione Caroli, regis Siciliæ, pro eo supplicantis, confert et de illo providet, licet ad monasterium Sancti Vincentii Salamantinum, prædicti ordinis, cujus quidem monasterii existit monachus, idem prioratus non pertineat.

Dat Laterani, XIII kal. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Marie Rosarum, et . . Castellionensis, Gerundensis diocesis, ac . . Aptensis ecclesiarum prepositis* —.

3811 (CCCLXIIII) Latran, 11 janvier 1301.

« Mandatur impendi munus benedictionis Nicolao abbati monasterii Sancti Stephani Bononiensis. » (fol. 358 v°.)

Venerabili fratri . . episcopo Bononiensi. Cum nuper de dilecto filio Nicolao, abbate monasterii Sancti Stephani, Bononiensis diocesis, ordinis sancti Benedicti, tunc priore Sancti Michaelis Ferrariensis, ejusdem ordinis, de fratrum nostrorum consilio eidem monasterio Sancti Stephani, tunc abbatis regimine destituto, duximus providendum eumque ipsi monasterio prefecerimus in abbatem, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus eidem abbati, cum ab ipso super hoc fueris requisitus, auctoritate nostra, munus benedictionis impendas. Dat. Laterani, III id. januarii, anno sexto.

3812 (CCCLXV) Latran, 2 janvier 1301.

« Indulgentia de fructibus pro Berengario Regis, decano Xanctonensi. » (fol. 358 v° et 359.)

Berengario Regis, decano et canonico ecclesie Xanctonensis. Merita tue —. Cum, sicut asseris, pretextu questionis que inter te et venerabilem fratrem nostrum Guidonem, episcopum Xanctonensem, super certis articulis apud Sedem Apostolicam vertitur seu verti spectatur, ab ecclesia Xanctonensi abesse proponas, ut comodius et utilius prosequi valeas causam ipsam. Nos, tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus ut apud Sedem ipsam, hujusmodi questione pendente, fructus, redditus, proventus prebende ac decanatus, quos in dicta ecclesia obtines, in absentia tua integre percipere valeas, cotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, ac nichilominus in eodem decanatu jurisdictionem per officiales tuos, prout predecessores tui, decani Xanctonentes, qui fuerunt pro tempore, exercuisse noscuntur, possis libere exercere et emolumentum inde proveniens libere recipere ac si personaliter in predicta ecclesia resideres, nec interim ad faciendum in ipsa ecclesia personalem residentiam tenearis, nec ad id a quoquam compelli possis invitus; non obstantibus si non feceris in prefata ecclesia primam personalem residentiam consuetam, seu quod de consuetudine in ipsa ecclesia est obtentum ut, in absentia . . episcopi Xanctonensis et decani ejusdem ecclesie, qui sunt pro tempore, quivis canonicorum ipsius ecclesie jurisdictionem exercet, et emolumentum inde proveniens canonici in dicta ecclesia residentes inter se dividunt, asserentes illud in augmentum suarum cedere prebendarum, et quibuslibet aliis consuetudinibus vel statutis ecclesie predicte contrariis. Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii de Quadraginta, Narbonensis diocesis, et . . preposito Tholosane, ac Francisco de Moliano, canonico Bononiensis ecclesiarum.*

3813 (CCCLXVI) Latran, 9 décembre 1300.

« Restituitur abbati et conventui monasterii Casinensis ecclesia Sancti Nicolai de Turre Pagana, sita in civitate Beneventana. » (fol. 359.)

Abbati et conventui monasterii Casinensis, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Etsi cetera mundi — fecundetur. Oblata siquidem nobis vestra petitio continebat quod felicis recordationis Pascalis papa II, predecessor noster, gerens erga monasterium ipsum affectum benivolentie specialis, ecclesiam Sancti Nicolai de Turre Pagana, sitam in civitate Beneventana, tunc ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentem, cum omnibus terris — et ecclesiis sibi subjectis, quondam Odorisio, tunc abbati monasterii supradicti, et eidem monasterio pleno jure concessit —. Postmodum autem quondam Stephanus, ejusdem monasterii abbas, indigentie monachorum in monasterio ipso degentium pia benignitate compatiens, fructus, redditus et proventus ecclesie prelibate pro calciamentis monachorum ipsorum totaliter deputavit, sicut per publicum instrumentum super hoc confectum evidentius innotescit. Cumque, successu temporis, ad audientiam venerabilis fratris nostri Gerardi, episcopi Sabinensis, tunc in regno Sicilie Apostolice Sedis legati, quorumdam relatibus, pervenisset quod jamdicta ecclesia per clericum secularem consueverat anteactis temporibus gubernari, predictus legatus prefatam Sancti Nicolai ecclesiam — quondam Putio, clerico Pisanensi, dum adhuc viveret, auctoritate sue legationis contulit —. Quia vero prefatus Putius nature debitum persolvisse dinoscitur, et predicta Sancti Nicolai ecclesia nulli post ejus obitum est Apostolica auctoritate collata, nobis humiliter supplicastis ut eandem ecclesiam vobis dictoque monasterio de Apostolice benignitatis clementia restituere dignaremur. Nos autem, scire volentes super premissis plenius veritatem, venerabili fratri nostro Nicolao, Ostiensi et Velletrensi episcopo, vive vocis oraculo duximus committendum ut, super hiis diligenter et solerter inquirens, nobis quod in hac parte per ipsum inveniri contingeret referre fideliter non differret, et demum, super eo facta nobis ab ipso relatione fideli, aperte perpendimus nobisque constitit evidenter quod memoratus predecessor prefatam concessit ecclesiam monasterio supradicto, quodque prenominatus Stephanus ejus fructus, redditus, proventus pro calciamentis eisdem, sicut premittitur, deputavit —.

Restituit præfato monasterio supradictam ecclesiam.

Dat. Laterani, v id. decembris, anno sexto.

3814 (CCCLXVII) Latran, 18 décembre 1300.

« Preficitur in abbatem. » (fol. 359 v°.)

Fratri Nicolao, abbati monasterii Sancti Salvatoris Majoris, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti, Reatine diocesis. Circa statum monasteriorum —.

Eum, ipsius monasterii monachum, et præpositum Sanctæ Mariæ de Propatiano, ejusdem ordinis, Aprutinæ diocesis, præfato monasterio per translationem fratris Philippi ad regimen monasterii Sancti Pauli de Urbe vacanti, et ea vice Apostolicæ dispositioni reservato, præficit in abbatem, faciens ei per Th[eodericum], Civitatis Papalis episcopum, munus consecrationis impendi.

Dat. Laterani, xv kal. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Salvatoris Majoris — universis vassallis.*

3815 (CCCLXVIII) Latran, 17 décembre 1300.

« Conceditur Guillelmo de Randone laico quod possit edificare oratorium in villa de Genelhaco, Uticensis diocesis. » (fol. 359 v° et 360.)

Guillelmo de Randone, laico, Uticensis diocesis. Sincera devotio quam —.

Concedit ut quemdam locum cum oratorio, domibus et officinis, ad opus Fratrum ordinis Predicatorum, in villa sua de Genolhaco, Uticensis diocesis, in loco congruo et honesto, pro suorum et parentum suorum remedio peccatorum, ædificare de novo valeat.

Volentes nichilominus et predictis Fratribus concedentes ut ipsi locum, oratorium, domos et officinas eosdem, postquam a te constructi fuerint, libere recipere, possidere ac inhabitare valeant, nostra, qua inhibetur ne fratres dicti ordinis in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocunque ad inhabitandum domos vel loca quecunque recipere de novo presumant, absque Sedis Apostolice licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem, et qualibet alia constitutione contraria non obstante. Dat. Laterani, xvi kal. januarii, anno sexto.

3816 (CCCLXVIIII) Latran, 27 novembre 1300.

« Mandatur provideri de abbate monasterio Suilliacensi. » (fol. 360.)

Dilectis filiis . . abbati et . . priori Majoris Monasterii Turonensis. Dum attente considerationis — impendamus. Sane monasterio Suilliacensi, ordinis sancti Benedicti, Turonensis diocesis, per mortem quondam Guidonis, abbatis ipsius monasterii, pastoris regimine destituto, dilecti filii . . prior et conventus ejusdem —, die ad eligendum prefixa convenientes in unum, ac deliberantes in hujusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, duobus ex eorum collegio, videlicet dilectis filiis Johanni sacriste et Petro de Cayno, monachis dicti monasterii, providendi — ea vice dicto monasterio de persona ydonea de ipsius monasterii gremio — potestatem, duraturam usque ad consumptionem cujusdam candele ceree quam tunc fecerunt accendi, liberam concesserunt.

Compromissarii Guillelmum de Mota, ejusdem monasterii monachum, elegerunt, qui electioni consensit.

Cumque predictus Guillelmus venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Turonensi decretum electionis hujusmodi presentasset, et eandem electionem ab eo auctoritate ordinaria peteret confirmari, Johanne de Cella, elemosinario predicti monasterii se postmodum electioni hujusmodi opponente, dictus Guillelmus ad Sedem Apostolicam appellavit, et tandem idem Guillelmus, in nostra presentia constitutus,— resignavit, nosque resignationem hujusmodi duximus admittendam. Quia vero, cum sitis in vicino positi, de meritis persone predicti monasterii regimini congruentis et aliis circumstantiis oportunis plenam potestis obtinere notitiam, et eidem monasterio salubriter providere, discretioni vestre mandamus quatinus aliquam personam ydoneam predicto monasterio, de gremio ipsius vel aliunde assumendam, dicti ordinis, hac vice auctoritate nostra, in abbatem preficere studeatis —. Ceterum volumus quod per hoc venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Turonensi prejudicium in posterum nullum fiat, quodque eidem abbati mandetis ut sibi prestare juramentum fidelitatis solite, tanquam ejus ordinario, non omittat. Dat. Laterani, v kal. decembris, anno sexto.

3817 (CCCLXX) Latran, 7 janvier 1301.

« Citatio super facto monasterii Sancti Caprasii de Avulla. » (fol. 360.)

Venerabili fratri episcopo Lunensi. Dudum monasterio Sancti Caprasii de Avulla, tue diocesis, abbatis regimine destituto, due fuerunt in eadem monasterio, una videlicet de fratre Alderico, reliqua de fratre Guillelmo, ejusdem monasterii monachis, electiones in discordia celebrate. Demum vero per eundem fratrem Guillelmum a Carulo, canonico ecclesie Sancte Marie foris Portam Lucane, auctoritate tua eidem Carulo in hac parte concessa, confirmatione predicta sue electionis obtenta, ac hujusmodi electionum negotio per appellationem dicti fratris Alderici ad Sedem Apostolicam devoluto, nos in causa ipsius appellationis et negotii principalis venerabilem fratrem nostrum Johannem, Tusculanensem episcopum, dedimus partibus auditorem; qui, in causa ipsa procedens legitime, memoratum fratrem Guillelmum citari fecit in audientia publica, ut est moris, quod, certo termino in eadem citatione contento, coram prefato episcopo auditore compareret, in dicta causa mediante justitia processurus. In quo quidem termino, procuratore dicti fratris Alderici, et magistro Petro de Laude, qui predicti fratris Guillelmi se procuratorem esse dicebat, comparentibus coram eo, idem magister Petrus procuratorium quoddam exhibuit, cujus virtute ad defendendum dictum fratrem Guillelmum cum instantia petiit se admitti, dicens inter alia et proponens quod, cum appellatio predicta memorato fratri Guillelmo, prout de jure debuit, notificata non fuerit, idem frater Guillelmus pro hujusmodi prosecutione negotii venire ad Sedem Apostolicam personaliter minime tenebatur, dicto procuratore ipsius fratris Alderici in contrarium proponente et dicente quod, cum causa predicta nature talis existeret quod per procuratorem agitari de jure non poterat nec debebat, idem magister Petrus ad defensionem dicti fratris Guillelmi non erat aliquatenus admittendus. Facta igitur nobis super hiis relatione fideli per memoratum episcopum Tusculanum, nos, volentes ex officio nostro procedere in premissis, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus predictum fratrem Guillelmum, ex parte nostra, per te vel per alium, peremptorie citare procures, ut infra unius mensis spatium post citationem hujusmodi, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis hujusmodi causam contingentibus, Apostolico personaliter se conspectui representet, facturus et recepturus super premissis quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis, et cetera. Dat. Laterani, VII id. januarii, anno sexto.

3818 (CCCLXXI) Latran, 13 décembre 1300.

« Reservatur infrascripto primum beneficium ad cujuscumque collationem in civitate vel diocesi Ameliensi. » (fol. 360 v°.)

Benedicto, nato dilecti filii nobilis viri Raynerii Monaldi, militis Urbevetani, priori secularis ecclesie Sancti Nicolai de Sipitiano, Balneoregensis diocesis. Ut tua et tuorum —.

Beneficium ecclesiasticum in civitate vel diocesi Ameliensi vacans confert aut vacaturum reservat, infra viginti dies acceptandum, non obstante quod prioratum secularis ecclesiæ Sancti Nicolai de Sipitiano, Balneoregensis diocesis, curam animarum habentem, noscatur ex dispensatione Apostolica obtinere, et in ecclesia Urbevetana sub exspectatione præbendæ sit receptus in canonicum, et in civitate vel diocesi Balneoregensi de dignitate vel alio beneficio ecclesiastico mandatum fuerit provideri, vel quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus sit constitutus, et, licet quintum decimum ætatis suæ annum exegerit, nondum tamen octavum decimum attigisse noscatur.

Dat. Laterani, id. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancti Severi prope Urbemveterem, et Nerio Hugolini ac Adinulfo Raynaldi, canonicis Urbevetanis.*

3819 (CCCLXXII) Latran, 18 décembre 1300.

« Preficitur in episcopum. » (fol. 360 v°).

Venerabili fratri Andree episcopo Ergadiensi. Pastoralis officii debitum —.

Eum, ordinis Prædicatorum, qui ecclesiæ Ergadiensi, vacanti per obitum Laurentii episcopi, a decano et capitulo quasi per inspirationem divinam electus fuerat, et electioni, superioris sui non obtenta licentia, de facto consenserat, quique postmodum, apud Sedem Apostolicam accedens, eidem electioni renuntiavit, eidem ecclesiæ præficit in episcopum.

Dat. Laterani, xv kal. januarii, anno sexto.

(Potthast, 24996.)

In e. m. *clero civitatis et diocesis Ergadiensis — populo — venerabili fratri episcopo . . Sancti Andree et dilectis filiis nobilibus viris Johanni, nato nobilis viri Johannis Comin, et Ingeranno de Vinfrevilla, in regno Scotie per communitatem ejusdem regni custodibus deputatis.*

3820 (CCCLXXIII) Latran, 13 décembre 1300.

« Mandatur citari frater Jacobus de Porchz, monachus monasterii Cluniacensis, ad instantiam Petri Narbones. » (fol. 361.)

Dilecto filio . . abbati monasterii de Maurcio, Claromontensis diocesis, et Bernardo de Marsahco, Lodovensi, ac Petro de Carnelio, Caturcensi canonicis. Significavit nobis Petrus Narbones, rector ecclesie Montis Sancti Johannis, Caturcensis diocesis, quod ipse olim, pauper existens clericus, super provisione sibi facienda de aliquo beneficio ecclesiastico competenti, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem seu presentationem . . prioris prioratus de Carenato, Cluniacensis ordinis, dicte diocesis, si quod in civitate vel diocesi Caturcensi tunc vacaret, vel quamcito ad id se facultas offerret, nostras ad venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Caturcensem, sub ea forma in qua pro pauperibus clericis beneficiandis interdum scribere consuevimus, litteras impetrasset; vacante demum dicta ecclesia per mortem quondam Geraldi, rectoris ipsius, . . cantor Caturcensis, et Bertrandus de Sancta Artemia, canonicus Agennensis ecclesiarum, quibus dictus episcopus super hoc commiserat vices suas donec eas ad se duceret revocandas, dictam ecclesiam Montis Sancti Johannis sic vacantem, ad collationem dicti prioris spectantem, que dicto Petro beneficium competens existebat et de jure nulli alii debebatur, eidem Petro, dictarum litterarum auctoritate, earum forma servata, cum dictus episcopus vices easdem minime revocasset, duxerunt canonice conferendum ipsumque in illius corporalem possessionem etiam induxerunt. Verum idem prior, qui alias nominari se facit decanus ejusdem loci de Carennaco, predictorum omnium non ignarus, ecclesiam ipsam in elusionem mandati Apostolici contulisse dicitur de facto cuidam nepoti Geraldi, senescalli carissimi in Christo filii nostri P[hylippi], regis Francorum illustris, qui laicali fulctus potentia, prefatum Petrum eadem ecclesia Montis Sancti Johannis per violentiam spolians, illam aliquandiu tenuit occupatam, et, licet ex parte ipsius Petri ad Sedem propter hoc fuerit Apostolicam appellatum, eodem tamen nepote dicti senescalli ecclesiam Montis Sancti Johannis postmodum dimittente predictam, eam fratri Jacobo de Porchz, monacho monasterii Cluniacensis, ut eidem Petro novum adversarium suscitaret, adhuc de facto contulit, cum de jure nequiverit pro sue libito voluntatis; propter quod ex parte ipsius Petri fuit ad Sedem iterum appellatum eandem. Cum autem dictus Petrus, propter adversariorum potentiam et malitiam, sicut asserit, non confidat se posse in illis partibus super hiis justitiam obtinere, nos, volentes eidem

Petro de illo subvenire remedio, per quod plene consequi valeat in hac parte sue justitie complementum, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium, seu alios, prefatum monachum ex parte nostra monere et inducere procuretis ut dictam ecclesiam Montis Sancti Johannis eidem Petro dimittat libere et quiete, nullam sibi super ea molestiam illaturus; quod si ipse de jure suo forte confisus voluerit cum eodem Petro super hoc judicialiter experiri, ipsum ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut, infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, compareat personaliter coram nobis, facturus et recepturus super premissis quod justitia suadebit. Diem vero citationis hujusmodi, et formam, et cetera usque : intimetis. Dat. Laterani, id. decembris, anno sexto.

3821 (CCCLXXIII) Latran, 18 décembre 1300.

« Alia citatio ad instantiam Galteri de Tiseyo. » (fol. 361 v° et 362.)

Dilectis filiis . . decano et magistris Gualtero de Cangeyio ac Ranaudo de Lugneyo, canonicis ecclesie Mathisconensis. Significavit nobis Galterus de Tiseyo, rector ecclesie de Ogiers et capelle de Malego ab eadem ecclesia dependentis, Matisconensis diocesis, quod, cum ipse olim, pauper existens clericus, super provisione sibi facienda de aliquo beneficio ecclesiastico competenti, cum cura vel sine cura, ad collationem vel presentationem . . abbatis et conventus monasterii Cluniacensis, dicte diocesis, si quod in civitate vel diocesi Matisconensi tunc vacaret, vel quam cito ad id se facultas offerret, nostras ad venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Matisconensem, sub ea forma in qua pro pauperibus clericis beneficiandis interdum scribere consuevimus, litteras impetrasset, . . prior Sancti Symphoriani Eduensis et magister Theobaldus de Beonio, canonicus ecclesie Avalonensis, Eduensis diocesis, quibus prefatus episcopus super hoc commiserat totaliter vices suas, nullo tali beneficio in dictis civitate vel diocesi tunc vacante, inhibuerant abbati et conventui supradictis ne beneficium ipsum, cum illud vacare contingeret, cuiquam conferret, vel ad illud quempiam presentarent, reservantes ipsum donationi sue, dicto clerico conferendum.

Vacantibus vero postmodum ecclesia et capella prædictis per mortem quondam Roberti, præfatus magister Theobaldus eis præfato Galtero contulit.

Verum ipsi abbas et conventus, prefato Galtero super hoc se indebite opponentes, ostia ecclesie et capelle predictarum et domorum ipsarum claudi et firmari fecerunt, ut ad eas nulli pateret accessus, publice asserendo quod nullus, qui super provisione sibi facienda de ipsorum beneficiis litteras Apostolicas impetraret, habebit illa in pace, quodque ipsis est per privilegium Apostolice Sedis indultum quod de ipsorum beneficiis ecclesiasticis cuiquam provideri non possit, et quod ipsi etiam nequeunt excommunicari, suspendi vel interdici per litteras dicte Sedis non facientes de indulto hujusmodi mentionem. Et licet ex parte ipsorum abbatis et conventus ex certo conficto gravamine contra eundem Gualterum ad Sedem fuerit appellatum predictam, ipsi tamen, post hujusmodi appellationem suam et omnia predicta, ad dictas ecclesiam et capellam, quas vacare mendaciter asserebant, Guillelmun de Capella, clericum Cabilonensis diocesis, presentare dicto episcopo presumpserunt; eodemque episcopo presentationem hujusmodi, prout nec admittenda erat, nullatenus admittente, abbas et conventus predicti, in eorum pertinatia existentes, ecclesiam, capellam et domos predictas armata manu sic faciunt custodiri quod etiam idem episcopus non potest in ecclesia et capella predictis divina officia facere celebrari, nec ministrari populo ecclesiastica sacramenta. Quare dictus Galterus nobis humiliter supplicavit ut, cum ipse, propter abbatis et conventus predictorum potentiam, non possit super hiis in illis partibus justitiam obtinere, providere sibi super hoc paterna sollicitudine dignaremur.

Mandat suprascriptis quod Guillelmum et abbatem prædictos monere curent et eundem Galterum permittant pacifice ecclesia et capella prædictis gaudere. Quod si huic monitioni pertinaciter acquiescere noluerint, ipsos extunc peremptorie citare curent ut infra trium mensium spatium compareant personaliter.

Non obstantibus quod dicti abbas et conventus super hujusmodi eorum appellatione nostras ad certos judices litteras impetrasse dicuntur, seu quibuscumque processibus, si qui essent habiti per easdem. Dat. Laterani, xv kal. januarii, anno sexto.

3822 (CCCLXV) Latran, 9 janvier 1301.

« Indulgetur infrascripto quod possit facere visitari per biennium. » (fol. 362.)

Venerabili fratri Michaeli, episcopo Pampilonensi. Per sonam tuam —.

Indulget ut possit ad biennium per personas ydoneas dioce-

sim suam visitare et procurationes in pecunia numerata recipere.

Id e. m. *dilectis filiis . . priori Roscidevallis, Pampilonensis, et . . decano ecclesie Tutelane, Tyrasonensis diocesium, ac Sanctio Martini, hospitalario et canonico Pampilonensi.*

3823 (CCCLXXVI) Même date.

« Eidem quod possit sibi eligere confessorem. » (fol. 362.)

Eidem. Benigno tibi sunt —. Dat. ut supra.

3824 (CCCLXXVII) Anagni, 27 septembre 1300.

« Littera de mutuo contrahendo pro Radulpho, episcopo Eliensi. » (fol. 362.)

Dilectis filiis . . abbati monasterii de Waltam, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Londoniensis diocesis, et . . Narbonensis, ac . . Atrebatensis ecclesiarum archidiaconis. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum mille et quingentarum marcharum sterlingorum, quod magister Bartholomeus de Ferentino, canonicus Londoniensis, procurator Radulphi, episcopi Eliensis, mandato ejus, contraxit a Symone Gerardi, de societate Spinorum, mutuante pro se et Rogerio et Lapo Spine de Spinis, Nigro Cambii, Johanne Maffei, Guidone Bertaldi, Andrea Gualterotti, Philippo Gerardini, Laurentio Hugolini, Ranucio Hughi, Bonoincontro Jacobi, Andrea Bonaventure et cæteris de societate Spinorum de Florentia.

Dat. Anagnie, III kal. octobris, anno sexto.

Latran, 23 octobre 1300.

In e. m. eisdem et pro eodem episcopo de ducentis libris sterlingorum mutuatis ipsis procuratori per eosdem mercatores sub : Dat. Laterani, x kal. novembris, anno sexto.

3825 (CCCLXXVIII) Latran, 17 novembre 1300.

« Conceditur infrascripto quod usque ad triennium possit facere visitari. » (fol. 362.)

Venerabili fratri [Stephano], archiepiscopo Senonensi. Sincere devotionis —.

Ei, qui propter impedimentum proprii corporis et suorum et ecclesiæ Senonensis negotiorum occupationes civitatem, diocesim et provinciam suas personaliter visitare non potest, indulget ad triennium ut per alium easdem visitare et procurationes in pecunia numerata percipere valeat.

Dat. Laterani, xv kal. decembris, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . Sancti Johannis, et . . Sancti Remigii, ac . . Sancti Petri Vivi Senonensis monasteriorum abbatibus.*

3826 (CCCLXXIX) Même date.

« Eidem quod possit facere reconciliari ecclesias et cimiteria per alium. » (fol. 362 v°.)

Eidem. Pro parte tua —. Dat. ut supra.

3827 (CCCLXXX) Latran, 5 avril 1300.

« Dispensatur cum eo. » (fol. 362 v°.)

Arnaldo, monacho et camerario monasterii Tutellensis, ordinis sancti Benedicti, Lemovicensis diocesis. Merita tue devotionis — nec non . . archiepiscopi Auxitani pro te — supplicantis consideratio nos inducunt ut nos personam tuam favorabiliter prosequamur —. Sane, sicut ex parte dicti archiepiscopi fuit expositum coram nobis, dilecti filii . . abbas et conventus monasterii de Cymorra, ordinis sancti Benedicti, Auxitane diocesis, fructus, redditus et proventus consistentes in decimis ad administrationem castri de Maceriis, ejusdem diocesis, monasterio memorato subjectam et per ipsius monasterii monachum solitam gubernari, tibi tunc obtinenti, sicut et adhuc obtines, camerariam monasterii Tutellensis, Lemovicensis diocesis, ac prioratum de Ussac, ipsius Lemovicensis diocesis, camerarie predicte canonice annexum, percipiendos a te quoad vixeris, concesserunt, tuque illos aliquamdiu percepisti et adhuc percipis pacifice et quiete. Verum quia in quadam constitutione nostra, post concessionem hujusmodi editam, continetur ne administrationes vel officia unius monasterii, consueta per ejusdem monasterii monachos gubernari, committantur post constitutionem eandem absque auctoritate Sedis Apostolice alterius monasterii monachis gubernanda, et ante constitutionem ipsam commissa minime dimittantur eisdem, quodque qui ea contra constitutionem ipsam suscipere vel suscepta presumpserint detinere reddantur inelígibiles ipso jure, dictus archiepisco-

pus nobis humiliter supplicavit ut providere tibi super hoc de oportuno remedio dignaremur.

Cum supradicto dispensat ut fructus prædictos percipere valeat nec occasione hujusmodi prædictæ constitutionis aliquam pœnam incurrat.

Dat. Laterani, non. aprilis, anno sexto.

3828 (CCCLXXXI) Latran, 3 novembre 1300.

Quod quatuor clerici comitis Claromontensis possint recipere fructus suorum beneficiorum. (fol. 362 v° et 363.)

Nobili viro Roberto, comiti Claramontensi. Habet in nobis —.

Ad instar felicis recordationis Martini papæ IIII, indulget ut quatuor clerici, ejus obsequiis insistentes, « quorum nomina in presentia executoris presentis gratie nominare » vult, fructus beneficiorum suorum percipere valeant.

Dat. Laterani, III non. novembris, anno sexto.

In e. m. *dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Dyonisii in Francia, Parisiensis diocesis.*

3829 (CCCLXXXII) Latran, 3 janvier 1301.

« Preficitur in archiepiscopum Beneventanum. » (fol. 363.)

Venerabili fratri Adinulfo, archiepiscopo Beneventano. Romani pontificis quem —.

Eum, tunc archiepiscopum Consanum, transfert ad ecclesiam Beneventanam, per translationem Johannis ad Capuanam vacantem, palleo per Mathæum, Sanctæ Mariæ in Porticu, et Landulfum, Sancti Angeli diaconos cardinales, ei exhibito.

Dat. Laterani, III non. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . archidiacono et capitulo ecclesie Beneventane — clero civitatis et diocesis — populo — universis vassallis ecclesie Beneventane — suffraganeis ecclesie Beneventane.*

3830 (CCCLXXXIII) Latran, 15 novembre 1300.

« Commutatur sibi prebenda que exigebat onus sacerdotii ad aliam. » (fol. 363.)

Nicolao, nato dilecti filii nobilis viri Adenulfi de Anagnia, canonico Laudunemsi. Laudanda probitatis — prosequamur. Cum itaque, sicut habet tue propositionis assertio, prebende tue, quam in Laudunensi ecclesia obtines, onus sacerdotii, ex quadam ordinatione nostra quam pridem duximus faciendam, imminere noscatur, nos, volentes — te — favoris ubere prosequi et benigne annuere votis tuis, prebendam ipsam a sacerdotii et cujusvis sacri ordinis onere — eximimus. — Nos enim prebende que, post collationem tibi factam de prebenda predicta, per mortem quondam magistri Stephani de Bonavalle, canonici et archidiaconi in eadem ecclesia, in illis partibus decedentis, in ecclesia ipsa vacavit, ex nunc, loco ejusdem prebende tue, tam sacerdotii quam omnium aliorum sacrorum ordinum onus imponimus, eamque illi auctoritate Apostolica decernimus subjacere, quodque is qui prebendam ipsam ad presens ex collatione venerabilis fratris nostri . . Laudunensis episcopi obtinere dicitur, et ecclesie predicte canonici qui eam successu temporis obtinebunt, ad eosdem ordines, prout onus predictum requirit, teneantur se facere statutis temporibus promoveri —. Nulli ergo, et cetera, nostre exemptionis, voluntatis, concessionis, impositionis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, XVII kal. decembris, anno sexto.

3831 (CCCLXXXIIII) Latran, 19 décembre 1300.

Præficitur in archiepiscopum. (fol. 363.)

Dilecto filio Ysarno, electo Rigensi. In excelso Sedis Apostolice —.

Eum, priorem monasterii de Benevento, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, capellanum suum, ecclesiæ Rigensi, dudum per obitum bonæ memoriæ Johannis, Rigensis archiepiscopi, apud Sedem Apostolicam decedentis, solatio destitutæ pastoris et hac vice dispositioni Sedis Apostolicæ reservatæ, præficit in archiepiscopum.

Dat. Laterani, XIV kal. januarii, anno sexto.

(POTTHAST, 24.998.)

In e. m. *dilectis filiis . . preposito et capitulo ecclesie Rigensis — clero civitatis ec diocesis Rigensis — populo — universis vassallis ecclesie — universis suffraganeis.*

3832 (CCCLXXXV) Latran, 1300.

Concessio pallei. (fol. 364.)

Venerabili fratri Ysarno, archiepiscopo Rigensi. Cum palleum plenitudinem —.

Ei, per Matthæum Sanctæ Mariæ in Porticu, Franciscum, Sanctæ Mariæ in Cosmedin et Petrum, Sanctæ Mariæ Novæ, diaconos cardinales, palleum assignari fecit.

Dat. Laterani [1], anno sexto.

(Potthast, n° 24999.)

3833 [CCCLXXXVI) Latran, 25 novembre 1300.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 364.)

Dilecto filio Fatiolo Francisci de Nozardis, laico, et dilecte in Christo filie Jacobine Spagnoleti de Pontremulo, ejus uxori, Lunensis diocesis. Sedis Apostolice —.

Indulget ut in matrimonio quod ad sedandas discordias contraxerunt, ignorantes se quarto consanguinitatis gradu attinere, remanere valeant.

Dat. Laterani, VII kal. decembris, anno sexto.

3834 (CCCLXXXVII) Même date.

« Alia dispensatio super matrimonio. » (fol. 364.)

Dilecto filio Alberto Francisci de Nozardis, laico, et dilecte in Christo filie Alisie Spagnoleti de Pontremulo, ejus uxori, Lunensis diocesis. Sedis Apostolice —.

Indulget ut in matrimonio, quod ad sedandas discordias, ignorantes se quarto consanguinitas gradu attingere, contraxerunt, remanere valeant.

Dat. ut supra.

3835 (CCCLXXXVIII) Latran, 2 janvier 1301.

« Restituuntur ecclesie Sabinensi bona que quondam Paulus Montanarii de Urbe obtinebat in castro Stimiliani. » (fol. 364.)

1. In registro dies non est expressa, spatio inter locum et annum reservato.

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato. Dilectus filius noster Lucas, Sancte Marie in Via Lata diaconus cardinalis, in nostra proposuit presentia constitutus, quod ecclesia Sabinensis in tantum est vicina ruine tantaque vetustate collapsa quod a fundamentis indiget reparari. Cum itaque id fieri non possit absque gravi onere expensarum, ad quod ipsius ecclesie non suppetunt facultates, nos, super hoc de alicujus subventionis remedio providere volentes, possessiones, quas quondam Paulus Montanarius de Urbe, cujus bona, ubicunque essent, fuerunt per nos, ejus demeritis exigentibus, Romane Ecclesie confiscata, in castro Stimiliani, Sabinensis diocesis, tempore confiscationis hujusmodi, obtinebat, quasque fuisse dudum predicte ecclesie Sabinensi constare asseritur per publica documenta, cum eorum juribus et pertinentiis, tibi et per te eidem ecclesie Sabinensi Apostolica auctoritate restituimus atque concedimus, pro hujusmodi onere expensarum comodius supportando. Nulli ergo, et cetera, nostre restitutionis et concessionis, et cetera. Dat. Laterani, IIII non. januarii, anno sexto.

3836 (CCCLXXXIX) Même date.

« Indulgentia ad fabricam pro ecclesia Sabinensi. » (fol. 364.)

Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis. Ecclesiarum fabricis manum —.

Concedit indulgentiam centum dierum pro omnibus vere pœnitentibus et confessis, porrigentibus manum adjutricem ad reparationem ecclesiæ Sabinensis, quæ minatur ruinam tantaque est vetustate confracta quod a fundamentis indiget reparari, « presentibus post triennium minime valituris, quas mitti per questuarios districtius inhibemus, eas si secus actum fuerit carere juribus decernentes. »

Dat. ut supra.

3837 (CCCLXXXX) Latran, 13 décembre 1300.

« Citatio ad instantiam Andree dicti Passet de Amildria. » (fol. 264 v°.)

Dilectis filiis . . de Sygalonia, et . . de Sancero, in ecclesia Bituricensi, archidiaconis. Significavit nobis Andreas dictus Passet de Amildria, rector ecclesie de Monester, Claromontensis diocesis, quod cum ipse olim, pauper existens clericus, super provisione sibi facienda de aliquo ecclesiastico beneficio competenti, cum cura vel sine

cura, spectante ad collationem vel presentationem . . prioris et conventus prioratus de Silvigniaco, ordinis sancti Benedicti, dicte diocesis, si quod in civitate vel diocesi Claromontensi tunc vacaret, vel quamcito ad id se facultas offerret, nostras ad venerabilem fratrem nostrum . . episcopum Claromontensem, sub ea forma in qua pro pauperibus clericis beneficiandis interdum scribere consuevimus, litteras impetrasset, prefatus episcopus, litterarum predictarum auctoritate, illarum forma servata, nullo hujusmodi beneficio in dictis civitate vel diocesi tunc vacante, inhibuit. . priori et conventui supradictis ne beneficium tale, cum illud in dictis civitate vel diocesi vacare contingeret, cuiquam conferrent nec ad illud quempiam presentarent, reservans ipsum donationi sue, prefato clerico conferendum, ac decernens extunc irritum et inane si secus super hoc a quoquam contingeret attemptari. Cumque . . archipresbyter de Borbonio, Bituricensis diocesis, cui prefatus episcopus in hujusmodi provisionis negotio commiserat totaliter vices suas, litteras ipsius episcopi, inhibitionem, reservationem et decretum hujusmodi continentes, in presentia Stephani prioris et conventus dicti prioratus legeret et ea ipsis etiam intimaret, prefatus Stephanus prior dixisse asseritur : « Legatis quia pro vobis vel pro papa unam cinellam non faceremus in hoc casu. » Vacante vero postmodum dicta ecclesia per mortem quondam Phylippi Vigerii, rectoris ipsius, prefatus archipresbyter ecclesiam ipsam sic vacantem, ad ipsorum prioris et conventus presentationem spectantem, que quidem eidem Andree beneficium competens existebat et de jure nulli alii debebatur, sepefato Andree duxit canonice conferendum, faciens ipsum in illius corporalem possessionem induci. Verum Johannes de Veriset, frater ejusdem Stephani prioris, clericus Pictaviensis diocesis, asserens quod idem Stephanus prior et conventus dicti prioratus ipsum ad dictam ecclesiam ipsi episcopo presentarant, quodque idem episcopus eum instituerat in eadem, adjunctis sibi nonnullis monachis et clericis secularibus et etiam laicis, ejus in hac parte complicibus, ad ecclesiam ipsam accedens, prefatum Andream ab ea violenter ejecit, ipsumque prefata ecclesia, quam ex hujusmodi collatione canonica possidebat, temere spoliavit, quam talis institutionis pretextu detinet occupatam in anime sue periculum dictique Andree rectoris ipsius non modicum detrimentum. Et licet ipsi S[tephanus] prior et conventus proponant sibi a Sede Apostolica per speciale privilegium fore indultum quod de beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem vel presentationem spectantibus, nulli valeat provideri per litteras Apostolicas, que de indulto hujusmodi plenam et expressam non fecerint mentionem, ipsi tamen hujusmodi privilegium nunquam ostendere vel de illo fidem facere voluerunt, super hoc ab eadem Andrea pluries cum instantia requisiti ; sicque prefatus Andreas, propter dictorum Stephani prioris et conventus et Johannis potentiam et malitiam, ex predictis a nobis obtentis litteris comodum nequiens reportare, ad nostram super hoc duxit providentiam recurrendum. Nos igitur, in premissis eidem Andree de illo volentes remedio providere, per quod et ipse justitie possit assequi complementum et malignantium audatia compescatur, discretioni vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus vos vel alter vestrum, per vos vel per alium seu alios, eosdem Stephanum priorem et Johannem monere curetis ut eundem Andream possessione dicte ecclesie gaudere permittant pacifice et quiete ; quod si monitioni hujusmodi acquiescere forte noluerint, ipsos ex tunc ex parte nostra peremptorie citare curetis, ut, infra trium mensium spatium post citationem hujusmodi, compareant personaliter coram nobis, facturi et recepturi super premissis quod justitia suadebit. Diem vero citationis, et formam, et quicquid, et cetera usque : intimare fideliter studeatis. Dat. Laterani, id. decembris, anno sexto.

3838 (CCCLXXXXI) Anagnie, 18 juillet 1300.

Confirmatio cujusdam arbitrii inter monasteria Sanctæ Margaritæ de Fusano et Sancti Benedicti de Rozato. (fol 364 v°.)

Dilectis in Christo filiabus . . abbatisse et conventui monasterii Sancte Margarite de Colle Fusano Anagnini, ordinis sancti Benedicti. Cum a nobis petitur —.

Arbitrium, quod inter suprascriptas et abbatissam et conventum monasterii Sancti Benedicti de Rozato, ejusdem ordinis, Civitatis Papalis diocesis, super loco et domibus monasterii Collis de Fusano, hortis, vineis, possessionibus positis in campo Anagnino, et aliis certis articulis, bonæ memoriæ frater Petrus, episcopus Anagninus, tanquam compositor a partibus electus, promulgavit, confirmat et auctoritate Apostolica communit.

Dat. Anagnie, xv kal. augusti, anno sexto.

3839 (CCCLXXXXII) Latran, 6 janvier 1301.

« Committitur sibi administratio monasterii Sancti Salvatoris Thelesini. » (fol. 365.)

Venerabili fratri Basilio, archiepiscopo Armenorum Je-

rosimilitano, administratori monasterii Sancti Salvatoris Thelesini ad Romanem Ecclesiam nullo medio pertinentis, ordinis sancti Benedicti. Apostolice Sedis copiosa —.

Ei qui, jam dudum per hostes catholicæ fidei de sua expulsus ecclesia, defectus non modicos et incommoda gravia pertulisse dinoscitur, administrationem prædicti monasterii, per translationem Landulfi ad monasterium Sancti Benedicti Salernitanum, ejusdem ordinis, abbatis regimine destituti, committit quoad dixerit exercendam, sine præjudicio pensionis annuæ viginti unciarum auri, quam Landulfus, Sancti Angeli diaconus cardinalis, in regno Siciliæ legatus, auctoritate Apostolica eidem concessit in monasterio Sancti Stephani Monopolitano, ejusdem ordinis.

Dat. Laterani, VIII id. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis conventui monasterii Sancti Salvatoris Thelesini — universis vassallis — Carolo, regi Sicilie illustri.*

3840 (CCCLXXXXIII) Latran, 18 décembre 1300.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 365.)

Dilecto filio Galetto Guillelmi Novelli,, in Tuscia palatini, et dilecte in Christo filio Alberie Aghinofi de Romena, comitum nobilium virorum natis. Licet matrimonium —.

Ad concordiam firmandam in eorum partibus, indulget ut matrimonium contrahere possint, non obstante quarto consanguinitatis gradu.

Dat. Laterani, XV kal. januarii, anno sexto.

3841 (CCCXXXXIII *bis*) Latran, 19 janvier 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Fernando, episcopo Calaguritano. » (fol. 365 v°.)

Raynerio de Vichio, Lichefeldensi, et Bartholo de Abbatibus, Bononiensi canonicis. Exponente pridem nobis —.

Notificatur executorio nomine mutuum duorum millium florenorum auri quos Fernandus, episcopus Calaguritanus, recepit a Gerardo de Boscolis et Nicolao Borghi, de societate Mozorum, mutuantibus pro se ac Thoma et Vanni de Mozis, Johanne Bentevegne, Borghino Lotherii, Lapattio Bindiboni, Salimbene Angelerii ac ceteris sociis.

Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno sexto.

3842 (CCCXXXXIIII) Latran, 3 janvier 1301.

Concessio canonicatus in ecclesia Tholosana et prioratus de Murello, Tholosanæ diocesis. (fol. 365 v° et 366.)

Arnaldo Rogerii, canonico ecclesie Tholosane, ac priori prioratus de Murello, ad eandem ecclesiam pertinentis, ordinis sancti Augustini, Tholosane diocesis. Ab Ecclesie Romane —. Sane vacante dudum prioratu de Murello, ad Tholosanam ecclesiam pertinente, ordinis sancti Augustini, Tholosane diocesis, per promotionem dilecti filii Yspani de Saissis, prepositi ejusdem ecclesie Tholosane, tunc ejusdem prioratus prioris, quem ad preposituram dicte ecclesie duximus promovendum, nos, volentes de prioratu predicto per dispositionem nostram et Apostolice Sedis salubriter provideri, prioratum eundem sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, a die vacationis ipsius collationi nostre ac predicte Sedis duximus reservandum, et decrevimus irritum et inane si super hiis secus a quoquam, scienter vel ignoranter, attemptatum fuisset antea, vel contingeret in posterum attemptari. Attendentes itaque sincere devotionis affectum, quem dilectus filius nobilis vir Bernardus, comes Convenarum, pater tuus ad nos et dictam Romanam gerit Ecclesiam, ac volentes te propter hoc prosequi prerogativa favoris et gratie specialis, canonicatum ipsius ecclesie Tholosane, in qua, sicut asseritur, non est certus canonicorum numerus nec distinctio prebendarum, ac prioratum predictum sic vacantem, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, Apostolica tibi auctoritate conferimus et providemus etiam de eisdem, decernentes tibi fore, in dicta ecclesia personaliter residenti, de communibus ipsius ecclesie proventibus, sicut uni ex aliis ejusdem ecclesie canonicis in ea residentibus providendum — non obstantibus quibuslibet ipsius ecclesie Tholosane seu prefati ordinis contrariis consuetudinibus; — aut si direximus in eadem ecclesia pro aliis scripta nostra; seu si aliqui super provisionibus sibi faciendis de prioratibus vel aliis beneficiis, sive officiis vel obedientiis quibuscumque, ad collationem vel presentationem, aut electionem sive commissionem, vel quamcumque dispotionem dilectorum filiorum .. prepositi et capituli ejusdem ecclesie Tholosane vel aliorum quorumcumque comuniter vel divisim spectantibus, predicte Sedis vel legatorum ejus litteras impetrarunt, quibus omnibus in assecutione predicti prioratus te volumus anteferri; — sive quod patiaris in ordinibus et etate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus, et in duodecimo etatis tue anno, vel circa illum, constitutus esse noscaris —. Nulli ergo, et cetera, nostre collationis, provisionis,

constitutionis, voluntatis, et cetera. Dat. Laterani, III non. januarii, anno sexto.

In e. m. *venerabili fratri . . archiepiscopo Burdegalensi et . . episcopo Vicentino, ac dilecto filio . . archidiacono Agennensi.*

3843 (CCCLXXXXV) Latran, 15 janvier 1301.

« Quod possint libere remanere in loco de Castronovo, Alberstadensis diocesis. » (fol. 366.)

Dilectis filiis . . priori provinciali et fratribus Eremitarum ordinis sancti Augustini in provincia Thuringie et Saxonie. Exhibita nuper nobis —.

Eis, qui in Castro Novo Quindelingborch, Alberstadensis diocesis, de consensu episcopi loci ædificaverant oratorium et domos, quæ guardianus et fratres ordinis Minorum loci alterius castri, quod dicitur Castrum Antiquum Quindelingborch, pretextu privilegii Apostolici, per quod infra mensuram 140 cannarum loca aliorum religiosorum haberi prohibentur, nitebantur demolire, concedit, ut, isto privilegio nequaquam obstante, in prædicto loco de Castro Novo remanere possint.

Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno sexto.

(POTTHAST, n° 25004.)

3844 (CCCLXXXXVI) Latran, 19 janvier 1301.

Concessio beneficiorum in civitatibus vel diocesibus Clusina et Balneoregensi. (fol. 366.)

Dilecto filio Munaldo, nato dilecti filii Nericole, militis, clerico Urbevetano. Ut tua et tuorum —.

Ei beneficium ecclesiasticum in civitate vel diocesi Clusina vacans confert, vel quam proximo vacaturum reservat, infra viginti dierum spatium acceptandum, non obstante quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in duodecimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilecto filio Petro, nato dilecti filii Nericole, militis, clerico Urbevetano.*

In civitate vel diocesi Balneoregensi — cum in minoribus tantum ordinibus et in vicesimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. ut supra.

3845 (CCCLXXXXVII) Latran, 3 décembre 1300.

Concessio ecclesiæ de Noeal, Venetensis diocesis. (fol. 366 v°.)

Magistro Guillelmo de Rupeforti, rectori parrochialis ecclesie de Noeal, Venetensis diocesis. Dum conditiones et —.

Prædictam ecclesiam, per mortem quondam magistri Oliverii de Sancto Johanne, qui nuper in illis partibus diem clausit extremum, vacantem, suprascripto, consideratione fratris Gentilis, tituli Sancti Martini in Montibus presbyteri cardinalis, pro eo supplicantis, confert et de illa providet, « quamvis episcopus Venetensis, nullam super hoc habens a Sede Apostolica potestatem, sed pro sue libito voluntatis, episcopali mense sue predictam ecclesiam, ut asseritur, applicaverit eamque detineat applicatam », et non obstante quod in ecclesia Briocensi canonicatum et præbendam noscatur obtinere.

Dat. Laterani, III non. decembris, anno sexto.

In n. e. m. *dilectis filiis . . Briocensis, et . . Xanctonensis decanis ecclesiarum.*

3846 (CCCLXXXXVIII) Latran, 20 janvier 1301.

« Quod posssit facere visitari. » (fol. 366 v°.)

Venerabili fratri Fernando, Calaguritano et Caltiatensi episcopo. Meritis tue devotionis —.

Indulget ad biennium ut per personam ydoneam civitatem et diocesim visitare et procurationes in pecunia numerata recipere possit.

Dat. Laterani, XIII kal. februarii, anno sexto.

3847 (CCCLXXXXIX) Latran, 21 décembre 1300.

« Eximitur prebenda sua ab onere sacerdotii et cujuslibet sacri ordinis. » (fol. 366 v° et 367.)

Luce, nato dilecti filii Zacharie, militis Urbevetani, canonico ecclesie Sancti Gaugerici Cameracensis. Ut tua et tuorum —.

Suprascripto, consideratione Theodorici, episcopi Civitatis Papalis, cujus nepos existit, gratiam faciens specialem, præbendam quam in prædicta ecclesia, ubi « statutum esse noscatur ut quelibet prebenda tertio vacans ibidem eo ipso, cum vacat, sacerdotalis existat, » obtinet, ab omni onere sacerdotii et cu-

juslibet sacri ordinis eximit, quamdiu eam duxerit retinendam, decernens ut alia, quæ inibi post ipsam forsan vacavit aut vacabit, sacerdotalis fiat.

Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno sexto.

3848 (CCCC) Latran, 17 janvier 1301.

« Absolvitur a quadam pensione. » (fol. 367.)

Venerabili fratri . . episcopo Spoletano. Sincere devotionis affectus —.

Eum exonerat a solutione centum florenorum auri, quos, nomine pensionis, fratri Philippo de Perusio, ordinis Fratrum Minorum, olim episcopo Fesulano, episcopus Spoletanus, qui fuerat pro tempore, persolvendos constituerat.

Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno sexto.

(POTTHAST, nº 25006.)

3849 (CCCCI) Latran, 15 janvier 1301.

« Executoria de mutuo contrahendo pro Bertrando, abbate Cluniacensi. » (fol. 367.)

Dilectis filiis Jacobo de Normandis, archidiacono Narbonensi, et Petro de Eugubio, canonico Morinensi, ac . . officiali Parisiensi. Exponente nuper nobis —.

Notificatur, executorio nomine, mutuum undecim millium florenorum auri quos Hugo de Vallegrinosa, monachus monasterii Cluniacensis, ipsius abbatis et conventus procurator in Romana Curia, pro expediendis negotiis ordinis Cluniacensis, auctoritate Apostolica, cum ad hoc mandatum sufficiens non haberet, contraxit a Symone Gerardi, de societate Spinorum, mutuante pro se et pro Rogerio Spine et Lapo Hugonis Spine, Phylippo et Spina, Nerio Cambii Hughi, Bonoincontre Jacobi, Andrea Bonaventure, Gerardo Rustici et Johanne Maffei, ac cæteris.

Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno sexto.

3850 (CCCCII) Latran, 13 janvier 1301.

« Committitur sibi cura ecclesie Larinensis. » (fol. 367.)

Venerabili fratri Adenulfo, archiepiscopo Beneventano. Romana Ecclesia —.

Administrationem ecclesiæ Larinensis ei committit. Dudum, eadem ecclesia pastore vacante, ac bonæ memoriæ Jacobo, Malthensi episcopo, cui Landolphus, Sancti Angeli diaconus cardinalis, in regno Siciliæ Apostolicæ Sedis legatus, ejusdem administrationem commiserat, decedente, hæc administratio translata fuerat Johanni, episcopo Beneventano, quem postea ad Capuanum archiepiscopatum dominus papa duxit transferendum.

Dat. Laterani, id. januarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis capitulo ecclesie Larinensis.*

3851 (CCCCIII) Latran, 9 novembre 1300.

« Mandatur citari Leutius, episcopus Botontinus. » (fol. 367 vº.)

Venerabili fratri . . episcopo Gravinensi, ac dilectis filiis . . priori Predicatorum et . . guardiano Minorum Fratrum ordinum Barensibus. Si displicet vobis —.

Eis mandat ut veritatem inquirant super criminibus de quibus Leucius, episcopus Botontinus, delatus est, cum « memoratus episcopus multa dicitur acquisisse de victualibus et aliis rebus prohibitis, quas pluries transmisisse dignoscitur Sarracenis. Ad hoc prefatus episcopus, famam suam diversis sceleribus maculari non metuens, retinere presumit publice concubinam, ac usurariam pravitatem exercens et simoniaca labe respersus, necnon diversis criminibus irretitus, matrimonia plura contracta legitime separare de facto, contra legem divinam, mediante pecunia, non expavit. Multa etiam alia enormia perpetrasse asseritur —. »

Dat. Laterani, V id. novembris, anno sexto.

(POTTHAST, nº 24990.)

3852 (CCCCIIII) Latran, 17 janvier 1301.

« Confertur Theobaldo de Barro prebenda Metensis cum quibusdam conditionibus. » (fol. 367 vº et 368.)

Dilectis filiis . . Sancti Arnulfi Metensis, et . . de Sancto Michaele, Virdunensis diocesis, monasteriorum abbatibus ac . . archidiacono de Rivello in ecclesia Tullensi. Meruit dilectus filius Theobaldus de Barro, canonicus Parisiensis, germanus dilecti filii nobilis viri H[enrici], comitis Barri Ducis, ut eum — favoribus prosequamur. Petitio quidem ipsius Theobaldi — continebat quod, cum dudum in ecclesia Metensi canonicatus et prebenda per mortem quondam Nicolai de Canoy seu de Querceto, olim ipsius ecclesie canonici, qui in illis partibus diem clausit extre-

mum, vacarent ac de jure nulli alii deberentur, . . decanus et capitulum ipsius ecclesie — ipsum Theobaldum ac dilectum filium, Lodowicum de Humbourc, clericum, ad eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes — in discordia elegerunt.

Negotio hujus electionis per appellationes partium ad Sedem Apostolicam legitime devoluto et Johanni, tituli Sanctorum Marcelini et Petri presbytero cardinali, commisso, cum prædictus Ludowicus renuntiare paratus sit, præfatus Theobaldus supplicavit ut tam sibi quam præfato Theobaldo provideretur. Mandat suprascriptis ut, resignatione Ludowici recepta, eosdem canonicatum et præbendam Theobaldo conferre curent, et, ne præfatus Ludowicus sine provisione remaneat, faciant eum in Metensi ecclesia in canonicum recipere sub exspectatione futuræ prebendæ, « non obstante quod dictus Theobaldus in ecclesia Eboracessi thesaurariam, ac in eadem et in Parisiensi, Remensi, Trecensi, Belvacensi, Tullensi, Virdunensi, Leodiensi et Lincolniensi ecclesiis canonicatus et præbendas noscitur obtinere, ac super assecutione et retentione parrochialis ecclesie de Pagueham, Cicestrensis diocesis, duximus nuper ipso Theobaldo per alias nostras sub certa forma litteras providendum. »

Dat. Laterani, xvi kal. februarii, anno sexto.

3853 (ccccv) Latran, 20 janvier 1301.

Concessio canonicatus et præbendæ in ecclesia Pisana. (fol. 368.)

Spinello quondam Conzaleonis de Rada, capellano nostro, canonico Pisano. Apostolice Sedis benignitas —.

Canonicatum et præbendam in ecclesia Pisana, vacantes vel quam proximo vacaturos, confert vel reservat, non obstante quod in Aretina ecclesia præposituram noscatur obtinere, et quod per alias litteras Apostolicas fuerit ei indultum ut dictæ præposituræ aliud beneficium, vacans vel vacaturum in Aretina ecclesia, quod infra unius mensis spatium duxerit acceptandum, adnectere possit.

Dat. Laterani, xiii kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis . . abbati monasterii Sancte Flore Aretini, et . . priori Sancti Augustini de Ressano, Pisane diocesis, ac Thomæ de Paliano, archidiacono Cameracensi.*

3854 (ccccvi) Latran, 17 janvier 1301.

« Mandatur citari quosdam ad instantiam Leonardi de Flisco, prepositi Brugensis, Tornacensis diocesis. » (fol. 368.)

Dilectis filiis . . thesaurario Suessionensi et Petro de Luporumviis, Senonensis, ac Alberto de Bannaria, Silvanectensis canonicis ecclesiarum. Sua nobis dilectus —.

Retulerat pontifici præpositus Brugensis, canonicus Cameracensis, duos canonicos personatos, comitantibus quibusdam, Cameracensem civitatem discurrisse, ludicram noctem peragendo, et nocte altera temulentos in ipsa ecclesia plura indecentia perpetrasse, eisque postridua mane præpositum succensuisse quod Dei domum profanarent; quod in causa fuerat ut canonici predicti, advocatis sociis, in illius domum, nocturno tempore irrueruent et expugnare tentarent, ita ut præpositus, timore correptus, clam aufugerit ac in Minorum cœnobium se receperit, indeque extra civitatem, ut tutus consisteret, militibus stipatus abierit. Hinc ejus ad pontificem preces ut, excessus puniendo, sibi prospiceret; papa mandat ut eosdem canonicos ad comparendum coram Sede Apostolica citent.

Dat. Laterani, xvi kal. februarii, anno sexto.

(Potthast, n° 25005.)

3855 (ccccvii) Même date.

« Citatio ad instantiam Petri, nati quondam Adenulphi de Comite, canonici Lichefeldensis. » (fol. 369.)

Magistris Bartholomeo de Sancto Laurentio, archidiacono Exoniensi et Bartholomeo de Ferentino, ac Johanni de Luco, canonicis Londoniensibus. Sua nobis dilectus filius Petrus, natus quondam Adenulfi de Comite, militis, civis Romanus, canonicus Lichefeldensis, petitione monstravit quod, licet ipse canonicatum et prebendam, cum juribus et pertinentiis suis, in Lichefeldensi ecclesia fuerit a felicis recordationis Nicolao papa quarto, predecessore nostro, canonice assecutus, ac eosdem canonicatum et prebendam diu pacifice possederit sine lite, tamen Thomas de Alppebenr, canonicus Lichefeldensis, Guillelmus, perpetuus vicarius de Berchefwyc, et Johannes de Borch, rector ecclesie Sancte Marie de Caltono, Lichefeldensis civitatis et diocesis ecclesiarum, ipsum quibusdam possessionibus, decimis, fructibus, rebus et bonis, ad eum ratione predicte prebende spectantibus, nequiter spoliarunt, ipsaque detinent occupata, in ipsius Petri grave prejudicium et jacturam. Quare idem Petrus nobis humiliter supplicavit ut, cum de facili nequeat de hujusmodi spoliatoribus justitiam in illis partibus obtinere, providere sibi super hoc apud Apostolicam Sedem de oportuno remedio dignaremur.

Mandat suprascriptis moneant predictos spoliatores ut ea bona restituant, alioquin eosdem peremptorie citare procurent,

ut infra peremptorium terminum compareant personaliter coram domino papa.

Dat. ut supra.

3856 (CCCCVIII) Latran, 15 janvier 1301.

« Supplentur quidam defectus in primis litteris. » (fol. 309.)

Dilecto filio Theobaldo de Barro, rectori parrochialis ecclesie de Paguaham, Cicestrensis diocesis, germano dilecti filii nostri H[enrici], comitis Barri Ducis. Apostolice Sedis benignitas personas genere nobiles et laudabilium meritorum titulis insignitas libenter prosequitur prerogativa favoris et gratie specialis, ut per hoc persone ipse reddantur Deo et ipsi Sedi merito plus devote, ac alie ipsarum exemplo ad virtutum et devotionis merita fortius animentur. Dudum siquidem pro parte tua fuit expositum coram nobis, quod olim, post generale concilium Lugduni novissime celebratum, archiepiscopali tunc sede Cantuariensi vacante, carissimus in Christo filius noster E[duardus], rex Anglie illustris, qui tempore vacationis ejusdem sedis, ratione regalium que tunc tenet, beneficia ecclesiastica vacantia, ad collationem archiepiscopi Cantuarientis spectantia, de consuetudine confert, parrochialem ecclesiam de Paguaham, Cicestrensis diocesis, tunc vacantem et ad collationem ipsius archiepiscopi pertinentem, tibi, in subdiaconatus ordine constituto, contulit, tunc absenti, et alium pro te de ipsa ecclesia investivit et fecit in ejus corporalem possessionem induci; tuque, credens ratione ipsius ecclesie ad susceptionem superiorum ordinum per constitutionem in prefato concilio super hoc editam non teneri, pro eo quod dicebatur fore dicto regi ab Apostolica Sede indultum quod clerici ejusdem regis, de quorum numero existebas, beneficia curam animarum habentia obtinentes, predictos ordines suscipere minime tenerentur, te non fecisti ad ipsos ordines promoveri, triennio tunc elapso, sicque, post annum a tempore collationis tibi facte de ipsa ecclesia per memoratum regem, vacavisse de jure eadem ecclesia credebatur, set tu nichilominus eandem ecclesiam retinueras, et tunc etiam retinebas, fructus percipiens ex eadem; sicque tu, cupiens conscientie statuique tuis consulere, nobis humiliter supplicasti ut providere tibi super hiis salubriter dignaremur. Nos itaque, tuis supplicationibus inclinati, volentes personam tuam in hac parte prosequi gratiose, predictam ecclesiam, cum omnibus juribus et pertinentiis suis, Apostolica tibi auctoritate tunc de novo contulimus et providimus de eadem, ac dilectum filium nostrum Petrum, Sancte Marie Nove diaconum cardinalem, tuo nomine, de ipsa per nostrum anulum presentialiter investivimus, ac decrevimus irritum et inane, si secus super hiis, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Omnem quoque maculam sive notam ex hujusmodi retentione ipsius ecclesie ac perceptione dictorum fructuum, quos tibi de speciali gratia remisimus et donavimus, obortam, ita quod nichil tibi posset propterea obici nullumve impedimentum sive obstaculum interponi, abolevimus de Apostolice plenitudine potestatis, eadem auctoritate tibi nichilominus indulgendo ut eandem ecclesiam[1] de Paguahan posses, una cum canonicatibus et prebendis, quos in Parisiensi, Remensi, Lincolniensi, Leodiensi, Belvacensi, Trecensi, Virdunensi et Tullensi ecclesiis obtinebas, necnon canonicatibus et prebendis Metensis et Cenomanensis ecclesiarum, super quibus inter te et quosdam alios questio vertebatur, postquam eos adeptus fores, licite retinere, quodque usque ad quinquennium superiores ordines suscipere ac in eadem ecclesia personaliter residere minime tenereris, neque ad id a quoquam coartari valeres, ac nichilominus fructus, redditus et proventus ipsius ecclesie posses cum ea integritate percipere, cum qua illos perciperes si personaliter in eadem ecclesia resideres, certis tibi super hoc per alias nostras litteras executoribus deputatis, sicut in ipsis nostris litteris plenius continetur. Verum, sicut nuperrime nobis exponere curavisti, cum predicte nostre littere fuissent postmodum ipsi Cantuariensi archiepiscopo presentate, idem archiepiscopus, ex eo quod in litteris continebatur eisdem predictam ecclesiam de Paguahan fore de diocesi Cantuariensi, quia esse constabat de diocesi Cicestrensi, et quia, tempore impetrationis dictarum litterarum, lis videbatur super ecclesia ipsa pendere, pro eo quod antea, per biennium et amplius, quedam contra te occasione ipsius ecclesie citatio emanarat, et quia etiam, sicut ipse asserebat, nimis tarde sibi fuerant eedem littere presentate, magistrum Radulfum de Malinges de facto in possessionem ejusdem ecclesie introduxit, seu, causa custodie, illam commendavit eidem, ac nichilominus extunc idem archiepiscopus percepit et adhuc percipere dicitur fructus, redditus et proventus ecclesie prelibate : cujus introductionis seu commendationis pretextu, dictus magister Radulfus eandem ecclesiam detinuit et detinet occupatam, in tuum grave prejudicium et gravamen. Quare nobis humiliter supplicasti ut, cum non ex malitia set errore fuerit in litteris prefatis expressum eandem ecclesiam de Paguahan esse de diocesi Cantuariensi, quamvis de Cicestrensi fuisse ac esse noscatur, ac pro-

1. *Ms* : eadem ecclesia.

curator tuus, nomine tuo, tempore collationis hujusmodi tibi facte a nobis de ecclesia supradicta, in possessione pacifica esset ipsius, et representatio dictarum litterarum, quam cito comode fieri potuit, facta fuerit archiepiscopo memorato, providere tibi super hiis de benignitate Apostolica misericorditer dignaremus. Nos igitur, intendentes ut hujusmodi nostra gratia tibi fructosa reddatur, prefatas collationem et provisionem per nos, ut supra dicitur, tibi factas de novo de ipsa ecclesia de Paguahan, et constitutionem necnon et abolitionem macule sive note, ac remissionem sive donationem fructuum, concessionem insuper de retinendo [1] ipsam ecclesiam de Paguahan cum predictis canonicatibus et prebendis, ac de non faciendo te ad ordines promoveri, et de non residendo personaliter in ecclesia memorata, ac de percipiendis fructibus, redditibus et proventibus ipsius ecclesie, et omnia que in litteris continentur eisdem, rata et firma manere volumus et in pleno robore firmitatis. Et omnem defectum qui, ratione hujusmodi erroris habiti de diocesibus memoratis, et quia non fuit in litteris ipsis expressum de citatione prefata, vel quod lis super ecclesia ipsa penderet, prout idem archiepiscopus asserabat, in eis esset vel quomodolibet esse posset, supplentes de Apostolice plenitudine potestatis, presentium tibi auctoritate concedimus ut, defectibus hujusmodi, seu si dicte littere nimis tarde fuerint, ut predicitur, eidem archiepiscopo presentate, aut quod, ut premissum est, ipse archiepiscopus predictum magistrum Radulfum in ejusdem possessionem introduxit ecclesie, seu quod illam sibi, causa custodie, commendavit, vel quod fructus percepit ex ea, dictusque magister Radulfus ecclesiam ipsam occupatam detinuerit et detineat, et quod insuper in Eboracensi ecclesia thesaurariam et canonicatum et prebendam, quos fuisti postmodum assecutus, ex dispensatione Apostolica nosceris obtinere, nequaquam obstantibus, prelibatam ecclesiam de Paguahan, juxta predicte provisionis per nos de ipsa tibi facte tenorem, plene ac licite assequaris, ipsamque, cum predictis fructibus perceptis ex ea, perinde habere ac tenere valeas, ac si nullus defectus vel error in premissis aliquatenus extitisset. Nulli ergo, et cetera, nostre suppletionis et concessionis, et cetera. Dat. Laterani, XVIII kal. februarii, anno sexto.

In eundem modum *dilectis filiis . . abbati monasterii de Sancto Michaele, Virdunensis diocesis, et . . de Belvacino, in Belvacensi, ac . . de Binello, in Tullensi ecclesiis archidiaconis.*

1. *Ms* : de non retinendo.

3857 (CCCCVIII) Latran, 24 novembre 1300.

« Mandatur provideri de aliqua persona ydonea in abbatem in monasterio Sanctorum Ylarii et Benedicti de Santellere, ordinis sancti Benedicti, Castellane diocesis. » (fol. 369 v° et 370.)

Venerabili fratri . . patriarche Gradensi. Debitum pastoralis —.

Vacante monasterio Sanctorum Ylarii et Benedicti de Santellere, ordinis sancti Benedicti, Castellanæ diocesis, conventus Fratrem Franciscum, ejusdem monasterii monachum, in abbatem elegit ; sed episcopus Castellanus, loci diocesanus, ex certis causis dictam electionem, quæ ei præsentata fuit, infirmavit. Hujus autem electionis negotio per appellationem dicti electi ad Sedem Apostolicam devoluto, et causa coram G[erardo], Sabinensi episcopo, pendente, dictus Frater Franciscus monasterii Omnium Sanctorum Paduani, prædicti ordinis, per priorem soliti gubernari, canonice assumptus extitit in priorem. Cum itaque prædictum monasterium Sanctorum Ylarii et Benedicti vacat ad præsens, et pro parte ejus conventus fuit supplicatum ut eidem monasterio, ne prolixioris vacationis cogatur incommoda deplorari, dominus papa de persona ydonea providere dignaretur, mandat suprascripto ut eidem monasterio, ea vice, Apostolica auctoritate, de persona ydonea provideat.

Dat. Laterani, VIII kal. decembris, anno sexto.

3858 (CCCCX) Latran, 18 janvier 1301.

Provisio beneficii ecclesiastici. (fol. 370.)

Dilecto filio Peponi, nato dilecti filii Petri quondam Munaldi, militis, canonico Urbevetano. Laudabile testimonium —.

Beneficium ecclesiaticum in Tudertina vel Balneoregensi aut Clusina civitatibus et diocesibus vacans vel quam primo vacaturum, quod infra unius mensis spatium duxerit acceptandum, confert vel reservat, non obstante quod in ecclesia Urbevetana sub exspectatione præbendæ in canonicum sit receptus, vel quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in octavo decimo ætatis suæ anno sit constitutus. « Volumus tamen quod hujusmodi gratia ad ecclesiam Sancti Angeli de Colle, predicte Tuderdine diocesis, nullatenus se extendat. »

Dat. Laterani, XV kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis abbati monasterii Sancti Severi prope Urbemveterem, et Nerio Hugolini, ac Adinulfo Raynaldo, canonicis Urbevetanis.*

3859 (CCCCXI) Latran, 13 janvier 1301.

« Citatio ad instantiam Werneri Volmari, rectoris ecclesie Ongersheim, Basiliensis diocesis. » (fol. 370.)

Venerabili fratri episcopo Basiliensi. Significavit nobis Wernerus Volmari, dictus Ad visum, rector ecclesie Ongersheim, sue diocesis, quod cum ipse olim, tunc pauper existens subdiaconus, super provisione sibi facienda de beneficio ecclesiastico competenti, cum cura vel sine cura, spectante ad collationem vel presentationem . . prepositi, . . decani et capituli ecclesie Lutembatensis, dicte diocesis, si quod in civitate vel diocesi Basiliensi tunc vacaret vel quam cito ad id se facultas offerret, nostras ad te, sub ea forma in qua pro pauperibus clericis beneficiandis interdum scribere consuevimus, litteras impetrasset, tu, nullo in dictis civitate vel diocesi hujusmodi beneficio tunc vacante, predictarum litterarum forma servata, inhibuisti supradictis ne beneficium ipsum, cum illud vacare contingeret, conferrent vel ad illud quempiam presentarent, reservans ipsum donationi tue prefato subdiacono conferendum.

Postmodum vacante prædicta ecclesia de Ongersheim per mortem quondam Burkardi, eam suprascriptus episcopus præfato Wernero contulit. Verum Nicolao de Slierbach, tunc canonico ejusdem ecclesie Lutembatensis asserente eamdem ecclesiam fuisse sibi a capitulo ejusdem collatam, materia quæstionis exorta est inter eumdem et Wernerum. Causa vero per appellationem Werneri ad Apostolicam Sedem devoluta, ac ea coram magistro de Camilla, canonico Ambianensi, primo, et, post mortem ejus, coram magistro Bartholino de Cornazano, capellanis domini papæ et palatii causarum auditoribus, diutius agitata, præfatus magister Bartholinus, servato juris ordine, diffinitivam pro eodem Wernhero sententiam promulgavit, et dominus papa, eam ratam habens, . . abbati monasterii Sancti Pauli, . . thesaurario Bisuntinæ, et Bertuldo de Labro, canonico Carnotensis ecclesiarum, mandavit ut eumdem Wernherum in ipsius ecclesiæ de Ongersheim corporalem possessionem inducerent.

Verum, sicut asseritur, hujusmodi causa coram eodem magistro Bartholino pendente, antequam dicta sententia proferretur, dictus Nicolaus renuntiavit, — ac ipsi prepositus, decanus et capitulum in ejus locum Johannem de Friburgo, clericum dicte diocesis, temere subrogarunt — idemque Johannes, dictam ecclesiam de Ongersheim, pretextu talis collationis facte sibi de illa, occupans, eam detinet occupatam, et tam ipse quam prepositus, decanus et capitulum predicti eumdem Wernherum, quominus ejusdem ecclesie de Ongersheim possessionem valeat adipisci, contra justitiam impedire presumunt. Et, licet propter hoc in prepositum, decanum et Johannem excommunicationis, capitulum vero predictos interdicti sententie, canonica monitione premissa, per dictos executores rationabiliter fuerint promulgate, ipsi tamen easdem excomunicationis et interdicti sententias dampnabiliter vilipendunt, asserentes se propter hoc ad Sedem Apostolieam pluries appellasse.

Mandat suprascripto ut eosdem moneat et inducat ut ipsi, ab hujusmodi impedimento dicti Wernheri penitus desistentes, eum possessionem dictæ ecclesie de Ongersheim assequi permittant; quod si hujusmodi monitis acquiescere noluerint, ipsos ex tunc peremptorie citare procurent, ut infra duorum mensium spatium dictus Johannes, personaliter, prepositus, decanus et capitulum, per procuratores, compareant.

Dat. Laterani, id. januarii, anno sexto.

3860 (CCCCXII) Latran, 21 décembre 1300.

« Quod absolvat Hermannum de Sconerke a sententia excommunicationis. » (fol. 370 v°.)

Venerabili fratri . . archiepiscopo Maguntino. Accedens ad presentiam nostram Hermanus de Sconerke, diaconus, canonicus ecclesie Sancti Petri Maguntine, nobis humiliter supplicavit ut cum ipso, super eo quod dudum, existens in subdiaconatus ordine constitutus, post constitutionem a felicis recordationis Clemente papa IIII, predecessore nostro, de non ordinandis ab episcopis Italie clericis ultramontanis editam, dicte constitutionis ignarus, se fecit a venerabili fratre nostro . . episcopo Bononiensi, ad diaconatus ordinem, a te non obtenta licentia, rite tamen alias, absque vitio symonie, statutis temporibus, promoveri, propter quod sententiam excomunicationis latam in illos qui taliter ad ordines promoventur incurrit, eum ab hujusmodi absolvi sententia, et quod, hoc non obstante, in eodem diaconatus ordine licite ministrare possit, dispensare misericorditer dignaremur.

Annuit petitioni et mandat suprascripto ut dictum Hermanum, imposita ei propter hoc pœnitentia salutari, eoque ad tempus ab ipsius ordinis executione suspenso, juxta formam canonicam absolvat.

Dat. Laterani, XII kal. januarii, anno sexto.

3861 (CCCCXIII) Latran, 8 novembre 1300.

« Dispensatio super matrimonio. » (fol. 370 v° et 371.)

Dilecto filio Marino dicto Saxono et dilecte in Christo filie Regali dicte Mantelle mulieri, civibus Neapolitanis. Pastoralis officii —.

Indulget ut in matrimonio quod contraxerunt, ignorantes se invicem quarto consanguinitatis gradu attinere, remanere possint.

Dat. Laterani, VI id. novembris, anno sexto.

3862 (CCCCXIIII) Anagni, 17 juillet 1300.

« Littera divisionis castri Zagaroli et terrarum castri Columpne. » (fol. 371.)

Ad perpetuam rei memoriam. Contra Jacobum de Colupna et Petrum, nepotem ejus, olim Sancte Romane Ecclesie cardinalem, Johannem dictum de Sancto Vito, et Odonem, Agapitum, Stephanum et Jacobum dictum Sciarram, filios quondam Johannis de Colupna, et alios posteros ipsius Johannis, per Apostolicam Sedem, seu auctoritate ipsius, diversi habiti sunt processus, spirituales et temporales, penas continentes et mulctas, qui in archiviis dicte Ecclesie conservantur, in quibus inter cetera continetur quod ipsorum J[acobi] et P[etri] et predictorum filiorum dicti Johannis bona mobilia et immobilia, ac jura, per eandem Sedem publicata et confiscata noscuntur, que omnia voluimus in suo robore permanere. Sane, cum quadraginta anni et amplius sint elapsi quod quondam Oddo de Colupna, pater predictorum Johannis et Jacobi, et etiam Oddonis, Mathei et Landulfi, fratrum ipsorum, decessit, quia tamen propter crudelitatem, duritiam et versutiam eorumdem Johannis et Jacobi, memorati Oddo, Matheus et Landulfus de bonis paternis seu hereditariis extra Urbem sitis nequiverunt habere hucusque cum effectu debitas portiones, — sed diversis conventionibus, pactionibus, condictis, acceptationibus, submissionibus, arbitriis et contractibus involuti, usque ad presentia tempora sunt deducti, nos, ipsorum Oddonis, Mathei et Landulfi afflictionibus, doloribus et pressuris paterno compatientes affectu deliberavimus tenimentum, territorium, districtum cum pertinentiis quondam castri Colupne, nunc diruti, necnon roccam et castrum Zagaroli ejusque territorium, districtum et pertinentias dividere inter eos. Montem autem Colupne, cum fundamentis murorum, et locum ubi fuerunt turris et rocca, aream et spatium ejusdem castri, et fossata, nobis et Sedi prefate plenarie reservamus, ita quod sint juris et proprietatis dicte Sedis in perpetuum et nullo unquam tempore reparentur, nec infra duos jactus baliste aliquid edificetur vel rehedificetur in eis. Circa divisionem vero hujusmodi faciendam, consideratio multiplex nobis occurrit ut non solum atendamus utilitatem et comodum proprium dictorum O[ddonis], M[athei], L[andulfi], sed utilitatem publicam, statum pacificum et tranquillum illarum partium et circumposite regionis, et specialiter ut provideamus taliter quod predicti J[acobus] et P[etrus] et filii dicti Johannis ac eorum posteri, contra eos sententias et processus non possint resurgere, nec in illis partibus hedificare vel rehedificare, locum aliquem accipere vel habere. Decernimus itaque quod turris, rocca, castrum Zagaroli, ejus territorium et districtus, cum vassallis, incolis et habitatoribus, jure vassallorum, incolarum et habitatorum ipsorum, molendinis, aquis, aquarum decursibus, silvis, terris cultis et incultis, pratis et stirpetis, ac omnibus pertinentiis eorumdem, sint portio et pars dicti Landulfi, pro se et suis heredibus et successoribus, et quod dicti O[ddo] et Ma[theus] sibi, pro se et suis heredibus et successoribus, cedant, concedant, terminent et refutent omne jus, omnemque actionem et petitionem, realem et personalem, que eis et unicuique eorum competit, et ex quacunque causa competere posset in dicta portione seu parte ipsius L[andulfi], salvis substitutionibus paternis. Decernimus etiam quod territorium, districtus et pertinentie dicti castri Colupne diruti, cum silvis, aquis, aquarum decursibus, molendinis seu eorum locis, sint portiones et partes dictorum O[ddonis] et M[athei], pro ipso O[ddone] suisque heredibus et successoribus, et pro ipso M[atheo] pro indiviso nunc; unusquisque autem eorum, M[athei] scilicet et Od[donis], possint ad divisionem partis hujusmodi proclamare, et inter se dividere predicta, que eis pro partibus et portionibus assignamus; et etiam addimus portioni dicti M[athei] Campanice in Montanis situm, cum ejus territorio et districtu et pertinentiis, habitatoribus, incolis et vassallis, salvis etiam substitutionibus paternis. Volumus tamen quod per nullam substitutionem vel pactum, seu quomodolibet alias, ex quacumque ratione vel causa, aliquid de predictis partibus et portionibus obvenire valeat vel devolvi ad dictos Jacobum et Petrum et filios dicti Johannis, vel posteros eorumdem. Et si dictus O[ddo] non contentaretur de dicta portione et parte sibi decreta per nos, et eam nollet vel recusaret habere, hujusmodi portionis et partis decrete sibi pro indiviso vel pro diviso, volumus[1] quod recipiant, exigant

1. *Ms* : nolimus.

et habeant, pro equalibus partibus, dicti M[atheus] et L[andufus] omnes fructus, redditus et proventus quousque per dictam Sedem aliud fuerit ordinatum. Decernimus insuper quod quicquid juris, actionis ac petitionis, realis et personalis, competit ipsi L[andulfo] in dicta portione et parte, decreta et proventura dicto M[atheo], sibi cedat, concedat, renuntiet et refutet, paternis substitutionibus salvis, similiter renuntiet et refutet dicto O[d-doni], si recipiat et acceptet partem et portionem predictam, per nos, ut predicitur, sibi decretam, et cessionem et concessionem, renuntiationem et refutationem ipsi L[andulfo] [faciat], ut superius est expressum. Premissa fecimus, decernimus et observari mandamus, ex[1] rationabilibus causis moti, tam ex officio quam de Apostolice plenitudine potestatis, non obstantibus quibuslibet rimulis juris, canonici vel civilis, Urbis consuetudinibus vel statutis, tractatibus, condictis, acceptatis, seu acceptationibus, conventionibus, promissionibus, obligationibus, partitionibus, stipulationibus, commissionibus, compromissis et contractibus quibuscumque, et contentis in eis, habitis seu factis inter predictos Johannem, O[d-donem] et M[atheum], Jacobum et L[andulfum], aliquem vel aliquos eorundem, nec non aliquibus pronuntiationibus, arbitriis, arbitratibus, partitionibus seu ordinationibus, per Jacobum ipsum prolatis, decretis seu factis, presertim ante depositionem ipsius a cardinalatu, non factis publice et ad omnem predictorum fratrum suorum notitiam publice non deductis, quorumcumque fuerint juramentorum, penarum et stipulationum adjectione vel quavis alia firmitate vallatis; que omnia et alia, que quomodolibet possent effectum presentium impedire, de eadem potestatis plenitudine revocamus et decernimus nullius fore momenti. Nulli ergo, et cetera, nostre deliberationis, reservationis, constitutionis, assignationis, addictionis, voluntatis, mandati et revocationis, et cetera. Dat. Anagnie, decimo sexto kal. augusti, anno sexto.

3863 (CCCCXV) Latran, 17 janvier 1301.

Provisio beneficii ecclesiastici. (fol. 371 v° et 372.)

Dilecto filio Petro, nato dilecti filii Nericole, militis, clerico Urbevetano. Ut tua et tuorum —.

Beneficium ecclesiasticum in civitate et diocesi Balneoregensi, vacans vel quam proximo vacaturum, quod infra viginti dierum spatium duxerit acceptandum, suprascripto confert vel reservat, non obstante quod in ecclesia Urbevetana sub exspectatione præbendæ sit receptus in canonicum, et in ecclesia Sanctæ Mariæ de Gradellis, Urbevetanæ diocesis, canonicatum obtineat et præbendam, sive quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum sit in minoribus tantum ordinibus et in vicesimo ætatis suæ anno constitutus.

Dat. Laterani, XVI kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilectis filiis Nerio Hugolini et Adynulfo Raynaldi, Majoris, ac Albere Raynerii, Sancti Andree, Urbevetanarum ecclesiarum canonicis.*

3864 (CCCCXVI) Latran, 19 janvier 1301.

Alia provisio ecclesiastici beneficii. (fol. 372.)

Dilecto filio Munaldo, nato dilecti filii Nericole, militis, clerico Urbevetano. Ut tua et tuorum —.

Beneficium ecclesiasticum in civitate et diocesi Clusina, vacans ad præsens vel proximo vacaturum, quod infra viginti dierum spatium duxerit acceptandum, suprascripto confert vel reservat, non obstante quod in ecclesia Sancti Andreæ Urbevetana auctoritate Apostolica sub exspectatione præbendæ sit receptus in canonicum, sive quod patiatur in ordinibus et ætate defectum, cum in minoribus tantum ordinibus et in duodecimo ætatis suæ anno sit constitutus.

Dat. Laterani, XIIII kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilecto filio . . abbati monasterii Sancti Severi prope Urbevemveterem.*

3865 (CCCCXVII) Anagni, 17 juillet 1300.

Concessio ecclesiarum Sancti Matthæi et Sancti Stephani de Portario civitatis Anagninæ. (fol. 372.)

Dilectis filiis . . guardiano et Fratribus Minoribus Anagninis. Dum fructus uberes —.

Eis ecclesias Sancti Matthæi et Sancti Stephani de Portario, civitatis Anagninæ, pro habitatione sua et ædificanda ibi ecclesia, concedit, « priorem et fratres Sancti Matthei, ordinis sancti Guillelmi, ac archipresbiterum et clericos Sancti Stephani, ecclesiarum predictarum, ab eisdem ecclesiis penitus amovendo ».

Dat. Anagnie, XVI kal. augusti, anno sexto.

(POTTHAST, 24968.)

1. *Ms* : et.

3866 (CCCCXVIII) Latran, 7 avril 1300.

« Super innovatione et confirmatione regule. » (fol. 372.)

Dilectis filiis . . magistro et fratribus Hospitalis Sancti Johannis in Jerusalem. Culminis Apostolici solio —.

Cum olim, in captione civitatis Acconensis, Apostolicas litteras, regulæ suæ seriem continentes, cum aliis rebus amisissent, hanc regulam innovat et confirmat.

Dat. Laterani, VII id. aprilis, anno sexto.

(POTTHAST, 24938.)

INCIPIT REGISTRUM LITTERARUM CURIE ANNI SEXTI

DOMINI BONIFATII PAPE VIII

3867 (CUR I) Latran, 2 février 1300.

Provisionem et ordinationem ecclesiæ Vulteranæ sibi reservat. (fol. 379.)

Bonifatius, et cetera. Ad perpetuam rei memoriam. Cum ecclesia Vulterana per obitum sponsi sui vacare dicatur ad presens, nos, desiderantes ipsi ecclesie per dispositionem Apostolice Sedis salubriter provideri, ex rationabilibus causis moti, que ad id pro bono statu ipsius ecclesie ac regionis circumposite nos inducunt, ordinationem et provisionem ecclesie supradicte, si predicto modo vel alio impresentiarum vacat, vel cum in antea quoquo modo vacabit, provisioni et ordinationi nostre et Sedis ejusdem, hac vice, auctoritate Apostolica, reservamus; decernentes ex nunc irritum et inane, si secus, scienter vel ignoranter, in hac parte a quocumque contigerit quomodolibet attemptari. Nulli ergo, et cetera, nostre reservationis et constitutionis, et cetera. Dat. Laterani, III non. februarii, pontificatus nostri anno sexto.

3868 (II) Latran, 1er février 1300.

Super negotio Siciliæ. (fol. 379.)

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato. Sinistri casus eventu dilecti filii nobilis viri Philippi, principis Tarentini, tam ex tua quam aliorum insinuatione, cum mentis amaricatione percepto, licet de ipsius temeritate progressus et inordinato processu causa nobis turbationis adesset, ac nostri manum auxilii digne sibi subtrahere quodammodo valeremus, ex eo specialiter, quod, contra expresse nostre prohibitionis edictum, princeps ipse in Siciliam transfretavit, et rem, que prope felicem esse videbatur effectum, conjicitur ex sue fatuitatis impulsu in timore periculi posuisse ; nolentes tamen ex ceteris considerationibus negotium deserere inadjutum, excogitatis viis et modis, de quibus cum deliberatione charissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, et dilecti filii nobilis viri Rogerii de Lauria, in regno Sicilie admirati, qui ad nostram presentiam propterea personaliter accesserunt, nos ad ipsius promotionem, sustentationem et expeditionem negotii prosperam, dante Domino, et felicem, prout ad presens divina gratia ministravit, duximus benigne ac favorabiliter exhibendos; ita quod iidem rex et admiratus, expediti ad votum, a nobis cum benedictionis nostre gratia recesserunt : post quorum recessum a nobis cursor tuus nobis apparuit, qui nobis seriosas tuas litteras presentavit. Ut autem tuis votis circa hujus utilitatem negotii plenius satisfiat, tuam volumus non latere notitiam, quod inter cetera, que ad ipsius negotii fulcimentum, et ad tuam, ac dilecti filii nobilis viri Roberti, ducis Calabrie, ac aliorum, qui vobiscum ibidem negotium prosequuntur, et illorum etiam Siculorum, qui jam ad mandata Ecclesie redierunt, consolationem et subsidium sunt provisa, speciales ad charissimum in Christo filium nostrum Jacobum, Aragonum regem illustrem, sunt nuntii destinati, ut de terris suis bonus militum et galearum, de personis fidelibus munitarum, numerus habeatur. Nec propter hoc omisimus, quin, tam cum comuni, quam cum specialibus civibus, intrinsecis et extrinsecis, Januensibus nos juvemus. Per charissimum etiam in Christo filium nostrum Philippum, regem Francorum illustrem, procuramus comune Janue modis congruentibus exhortari, ne Friderico et Siculis rebellibus per comune ipsum, aut per speciales concives eorum, favor vel auxilium prebeatur; sed quod illi ex eis, qui se jam in Siciliam in rebellium auxilium transtulerunt, ad propria revocentur : alioquin civibus ipsis mora et

omne commercium regni Francie interdicatur omnino : et simile in diversis regnis, et diversorum comitum, baronum et civitatum terris fieri procuramus. De qua etiam Janue civitate, ipsiusque districtu bonum expectamus armatarum de personis fidelibus numerum galearum, in tuum et prefati ducis ac devotorum illuc succursum et presidium mittendarum. Interim autem per charissimum in Christo filium nostrum Carolum, regem Sicilie illustrem, per admirati predicti et aliorum ministerium, ordinavimus victualia et alia opportuna deferri. Magistrum quoque Hospitalis Sancti Johannis et Magnum Preceptorem Domus Militie Templi Jerosolymitanorum in partibus cismarinis personaliter duximus ad nostram presentiam evocandos, cum quibus disponimus providere, ut magna et honorabilis de fratribus et personis suorum ordinum in Siciliam quantitas transmittatur, magnis donis et muneribus gratiarum per nos eis in castris, terris atque proventibus impendendis : qui etiam inibi stabilem habeant futuris temporibus mansionem. Italie insuper civitates, que in devotione Ecclesie perseverant, ut munite persistant de equis et equitibus ac personis ad arma, diligentius premonemus, et alias magnum strenuorum militum et aliorum equitum numerum in nostrum vestrumque subsidium prestolamur, ut et alie partes Italie extra regnum in statu ponantur et maneant pacifico et tranquillo, ac ut, si opus fuerit, inde vobis auxilium provenire valeat ac succursus. Nonnulla vero alia pro subsidio negotii acies considerationis nostre circumspicit, que presentibus non duximus inserenda. De circumspectione autem tua, quam sicut prudens et diligens in commissis observas, grata rememoratione contenti, tuis quoque sollicitudinibus, anxietatibus et laboribus pleno compatientes affectu, providentiam tuam exinde multiplicem in Domino commendamus, et ea tibi ad multiplicationem laudabilium adscribimus meritorum, fraternitatem tuam rogantes et hortantes attente quatinus, de ineffabili Dei potentia indubitate confidens, ac tuam et aliorum fidelium, tibi assistentium, mentes diligenter et incessanter constantie virtute corroborans, actus et studia, tam tua quam eorum, per continuationem circumspectionis et operis cures de virtutibus dirigi magnanimiter in virtutes : ita quod tui eorumque labores optatos fructus, auxiliante Domino, representent. Dat. Laterani, kal. februarii, anno sexto.

In e. m. *dilecto filio nobili viro Roberto, duci Calabrie, primogenito carissimi in Christo filii nostri Caroli Sicilie regis illustris.*

(Potthast, 24903.)

3869 (III) Même date.

Super eodem negotio. (fol. 379 v°.)

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato. Aliquos modos excogitatos et vias, que nostris considerationibus occurerunt contra Fridericum et Siculos rebelles et hostes ac sequaces eorum, per alias nostras tibi litteras sub compendio reseramus. Verum, cum sicut nosti, non solum dilecti filii nobilis viri Roberti, ducis Calabrie, ac illorum, qui tecum et cum ipso ad nostra et Ecclesie et carissimi in Christo filii nostri Caroli, Sicilie regis illustris, obsequia, in illis partibus immorantur, sed eorum etiam, qui jam inibi ad mandata Ecclesie redierunt, ex tuo de partibus ipsis impresentiarum discessu, remanerent animi plurimum consternati, et ex hoc negotii prosecutio, tam ferventer assumpta, pro derelicta videretur haberi, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attente quatinus, ad predictorum ducis, obsequentium [et] devotorum confortationem et robur, utilitatem negotii et honorem Ecclesie tueque salutis cumulum, adhuc in Sicilia moram trahas, assumpti laboris et sollicitudinis onera cum patientia prosequendo. Postquam autem, per mittenda illuc subsidia contra hostes, assumpserint nostrorum corda vigorem et roboris fulcimentum, poterit, vel ex successoris destinatione legati, seu aliis viis, ad tue consolationis comodum et ad tuorum exonerationem laborum, prout expedire putabitur, auctore Domino, provideri. Dat. ut supra.

3870 (IIII) Même date.

Quod non faciat tractatum cum Friderico et Siculis sine licentia Apostolicæ Sedis. (fol. 379 v°.)

Carissimo in Christo filio C[arolo], regi Sicilie illustri. Dum graves et enormes —.

Licet alias ei duxerit prohibendum ut nullum tractatum cum Friderico et Siculis sine conscientia ejus firmaret, monet illum, « sub debito fidelitatis et excommunicationis pena districte precipiendo », ut nullum tractatum cum eisdem Friderico et Siculis nedum formet, sed nec etiam teneat vel assumat, sine licentia ejus per litteras bullatas concedenda.

Dat. ut supra.

Latran, 4 février 1300.

In e. m. *dilecto filio nobili viro duci Calabrie.* Dum graves et cetera —.

Similis inhibitio ei fit.

Dat. Laterani, II non. februarii, anno sexto.

3871 (v) Latran, 1er février 1300.

Hortatur ut incitet Januenses ad Siculos non adjuvandos. (fol. 379 v° et 380)

Carissimo in Christo filio Phylippo, regi Francorum illustri. Inter ceteras sollicitudines quibus assidue premimur, fuit et est nobis cura potissima ut circa recuperationem insule Sicilie, a qua in maxima parte dependet subventio Terre Sancte, tam propter ipsius Terre Sancte commoditatem quam ad carissimum in Christo filium nostrum regem Sicilie illustrem et Romanam Ecclesiam inde ab injuriis et depressionibus sublevandos, sic sollicite vigilemus, sic instanter opem impendamus et operam, quod Frederici, nati quondam Petri olim regis Aragonie, et Siculorum, nostrorum et predictorum Ecclesie ac regis Caroli rebellium et hostium, ac aliorum etiam, qui eisdem Frederico et Siculis fomenta super hoc prava ministrant, nunc per viam mansuetudinis et materne reconciliationis antidotum, nunc per executionem rigoris et resistentie fulcimentum, mollita vel depressa nequitia et malignis ausibus refrenatis, sperati effectus gratia nobis et eisdem Ecclesie, regi et Terre Sancte, in hac parte, dante Domino, subsequatur. Profecto, dum tam a preteritis diebus non paucis quam etiam a modernis, fame divulgantis eloquium et fidedignorum assertio plurimorum nostro patefecissent auditui, et nefandorum actuum evidentia ad nostram notitiam deduxisset, quod nonnulli civitatis Januensis cives et incole, quos fides et devotio in hac parte ad Deum et Sedem Apostolicam non agnovit, nequitie spiritu concitati, galearum et aliorum vasorum navigabilium armatorum aliarumque rerum subsidium, contra prohibitionem nostram et dicte Sedis, ipsis Frederico et Siculis ministrabant atque ministrant, et eorum etiam aliqui se in illorum presidium illuc personaliter contulerunt et conferunt, per que ac ex eorum favore ipsi Fredericus et Siculi durius in obstinatione perdurant, et ad resistentiam duriores habentur, ac efficiuntur validiores ad nos et eandem Ecclesiam et prefatum regem gravius impugnandum, nos, gerentes cordi negotium et ex hujusmodi subsidiorum prestatione turbati, quamvis ex talibus procedendi spiritualiter contra eos nobis occasio preberetur, obviare tamen hiis per viam paterne mansuetudinis cupientes, .. potestatem, .. capitaneum, consilium et comune civitatis ejusdem, tam per litteras quam per nuntios, et ambasciatorum etiam ipsius civitatis, ad nos propterea transmissorum, allocutione placida et affabili, servata gravitate in talibus quam hujusmodi rei qualitas exigebat, cum oblationibus grandium et honorabilium gratiarum, requirendos duximus sepius et hortandos, ut nobis et eidem Ecclesie ac regi prefato, in hujusmodi negotio, viriliter, fideliter et constanter assisterent, vel abstinerent saltem ab eorundem Frederici et Siculorum prestatione subsidii et favoris, dictosque cives, qui eisdem Frederico et Siculis auxiliando favebant et favendo presidia ministrabant, ab hujusmodi exhibitione favoris et subsidii revocarent, ut per hoc pateret apertius qualem ad Deum ac nos et prelibatam Sedem devotionis gerebant affectum, qualesque prefato regi placendi animos nutriebant, et, ut plenius de nostra eis intentione claresceret, prediximus ipsis aperte quod, si, quod abesset, contingeret eos nostra super hoc commonita et precamina obtusis auribus preterire ac exponere neglectui et prostrare contemptui, spiritualiter et temporaliter curaremus procedere graviter contra eos, et catholicorum principum et aliorum fidelium subsidia in castigationem ipsorum et punitionem tanti criminis invocare. Ideoque serenitatem regiam rogamus et hortamur attente quatinus, favorabiliter super hoc, juxta nostram et dicti regis fidutiam, nostris et suis votis occurrens, predictos potestatem, capitaneum, consilium et comune Januenses, efficaciter et solemniter, nuntiis et litteris regiis, exhorteris ut memoratis Frederico et Siculis nullum per se vel concives eorum aut alios prestent vel prestari faciant, seu, quantum in eis fuerit, exhiberi patiantur publice vel occulte, in personis, vasis, rebus et bonis, auxilium, consilium vel favorem, sed illos ex suis civibus, qui se ad predictos Fredericum et Siculos contulerunt, et in eorum servitio, seu qualecumque subsidium (*sic*) immorantur, cum eorum vasis, armis et rebus, exinde recedere omnino compellant, ac penitus revocare procurent; alioquin omnibus et singulis civibus civitatis ejusdem totius regni tui moram ac negotiationes et comercia quelibet facias interdici; comminaturus nichilominus eis te contra ipsos gravius processurum, prout providentia regia expedire viderit, ad hujusmodi eorum malitiam refrenandam. Sic te, fili carissime, super hiis quesumus efficaciter, prompte, magnanimiter et celeriter habere procures quod Ecclesia, mater tua, et nos, qui personam tuam affectione plena prosequimur, et memoratus rex, qui de tua plurimum suffragatione confidit, sperata in te in hac parte presidia sentiamus, et remaneamus in tuis beneplacitis promptiores. Et ecce dilectum filium Isarnum, priorem de Benavento, ordinis sancti Augustini, Lemovicensis diocesis, capellanum nostrum, ad tuam propter hoc duximus presentiam destinandum, qui premissa tibi et intentionem nostram super eis exponet oraculo vive vocis. Dat. Laterani, kal. februarii, anno sexto.

3872 Même date.

Rogat ut curet quod nullum de regno et terris ejus procedat subsidium Friderico et rebellibus Siculis, cum facile possint aliqui de terris Jacobi, Aragoniæ regis vel alii aliarum partium, navigandi colore, se conferre ad Majoricas, et deinde in Siciliam in ipsorum Friderici et Siculorum subsidium transfretare. (fol. 380.)

Carissimo in Christo filio Jacobo, regi Majoricarum illustri. Gratum sensibus nostris occurrit et magnificentiam tuam plurimum in Domino commendamus, quod, licet quondam Petrus, olim rex Aragonie, frater tuus, maledictionis alumpnus, cum rebellibus Siculis tam impudenter quam improvide se colligans, Romanam Ecclesiam et clare memorie C[arolum], Sicilie regem, olim dum ipsi reges viverent, et successive postmodum, Fridericus, ipsius Petri filius, nepos tuus, eidem patri ejus in vitio et dolo succedens, ipsam Ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum C[arolum], nunc ipsius Sicilie regem illustrem, predicti clare memorie regis natum, persecuti sunt velut hostes, tu tamen, gerens ad Deum et Sedem Apostolicam reverentiam filialem, et constantiam providentie salutaris observans, ipsorum Petri et Friderici ac Siculorum non imitari nequitias, set vitare culpas et discrimina curavisti. Set nec parum, fili carissime, te fuisse putes in tante circumspectionis observatione lucratum, dum, in hiis divine majestatis offensam, prelibate Sedis injuriam et Sicilie regis molestationem evitans, te in predicte Sedis gratia conservasti, et eundem regem Sicilie ipsiusque posteros ad tua constituisti beneplacita debitores. Verum, cum, sicut ex fidedignorum informatione percepimus, si qui de terris carissimi in Christo filii nostri Jacobi, Aragonie regis illustris, vel alii aliarum partium prefatis forsitan Friderico et Siculis favere voluerint, de facili possint, quesito navigandi colore, se conferre Majoricas, vel ad alias terras tuas, et deinde in Siciliam in ipsorum Friderici et Siculorum subsidium transfretare, celsitudinem regiam rogamus et hortamur attente, ac obsecramus in Domino Jhesu Christo, nichilominus per Apostolica tibi scripta, sub pena excomunicationis in personam tuam et interdicti in regnum tuum et quamlibet terrarum tuarum, districtius injungentes quatinus, in hac parte potissime in devotione solita perseverans, et prudenter attendens quod hujusmodi subsidialis, si, quod absit! fieret, adinventio in grave nostrum et prefate Sedis ac memorati Sicilie regis dispendium redundaret, et per hoc tribulationes et scandala provenirent, et gravia etiam impedimenta susciperet negotium Terre Sancte, ad cujus promotionem assiduis desideriis anelamus, pro divina et nostra dicteque Sedis reverentia, sollicite ac diligenter oportunis modis et viis mandes, cures et facias cum effectu, quod, tali modo vel alio, nullum de regno et terris tuis, per te vel tuos aut alios, eisdem Friderico vel Siculis, vasorum navigabilium, aut armorum vel equorum, sive gentium, seu aliud qualecumque procedat subsidium vel quomodolibet ministretur, quod per te retrahi valeat et efficaciter impediri. Sic itaque, fili, cures adimplere que scribimus, quod grata que hactenus super hiis gessisti non pereant, set efficiaris de grato carior, ampliora inde commendationis premia percepturus. Dat. ut supra.

3873 (VII) Même date.

Hortatur ut legato Sanctæ Sedis, duci Calabriæ et ammirato Siciliæ fideles remaneant. (fol. 380 v°.)

Dilectis filiis civibus Cathanensibus. Letamur et exultamus in Domino, sibique gratiarum exolvimus actiones, quod Ipse, in vestris visceribus innovans spiritum veritatis, tribuit vobis recta sapere, ut sciretis resurgere post lapsum de lubrico, ac, resilientes a devio, ad rectum et verum tramitem rediretis. Sicut enim Ecclesia, mater vestra, dum olim vos et alios Siculos ab ejus gremio inimicus humani generis segregavit, gravem sentiit de filiorum segregatione puncturam, sic de vestra et illorum, qui rediisse ad ejus devotionem et mandata noscimini, reconciliatione tripudiat affluentia gaudiorum; salubris quoque conversatio vestra, post resumptum devotionis habitum, mentem nostram speciali jocunditate letificat. Nam, sicut ex venerabilis fratris nostri G[erardi], episcopi Sabinensis, Apostolice Sedis legati, et dilectorum filiorum nobilium virorum Roberti, ducis Calabrie, ac Rogerii de Lauria, regni Sicilie ammirati et aliorum fidedignorum grata insinuatione gratanter accepimus, vos, inter alios Siculos, quos maternus uterus actu nove quasi conceptionis agnovit, devotionis constantiam observantes, indefessa operatione perquiritis qualiter Deo et eisdem Ecclesie, legato, duci et ammirato gratis et utilibus gratificari obsequiis valeatis. Devotionem itaque vestram cum benedictionum actionibus multipliciter commendantes, ipsam monemus, rogamus et hortamur attente, per Apostolica scripta nichilominus injungendo quatinus devotis et constantibus animis in Domino, qui vos resumere viam salutis edocuit, confortati, actus vestros de bono in melius dirigere studeatis per suorum semitas mandatorum, legato, duci et ammirato prefatis, in augmentum exaltationis predicte matris Ecclesie, continuatis studiis obsequendo,

ita quod, ex multiplicatione bonorum operum, ampliora vobis salutis, quietis [et prosperitatis commoda cumulentur. Nos enim circa vestram et aliorum fidelium prosperitatem sic attente agimus et intendimus operari, quod vobis et illis status quietis, prosperitatis, fertilitatis, pacis, molestiis, gravaminibus et pressuris quibuscumque cessantibus, provenire valeat, perpetuis, dante Domino, temporibus duraturus. Dat. ut supra.

In e. m. dilectis filiis universitati hominum Radoni.

In e. m. dilectis filiis universitati hominum Ragusie.

In e. m. dilectis filiis universitati hominum Nothi.

3874 (VIII) Même date.

Mandat ut ecclesiam cathedralem Cathaniensem, quæ regularis existit, faciat secularem (fol. 380 v°.)

Venerabili fratri G[erardo], episcopo Sabinensi, Apostolice Sedis legato. Significasti nobis et alias, ex fidedigno relatu, percepimus, quod expedire videtur et Cathaniensis populus ad consolationem et gaudium reputaret, ut cathedralis ecclesia Cathaniensis, beate Agathe, virginis et martiris, vocabulo insignita, que nunc regularis existit, et in qua est et esse solet monachorum ordinis sancti Benedicti conventus, fieret secularis et reformaretur de personis secularibus, certusque canonicorum secularium et prebendarum seu portionum distinctarum statueretur numerus in eadem, quodque monachi, qui esse impresentiarum in ecclesia ipsa noscuntur, in aliquo vel aliquibus locis congruis locarentur. Nos igitur, qui speciali devotione ipsam gloriosissimam virginem reveremur, per quam Cathaniensis civitas est a Domino sublimata, quique libenter condescendimus votis civium civitatis ejusdem, qui nuper ad nostra mandata et Romane Ecclesie redierunt, de tua provida et comprobata circumspectione confisi, faciendi auctoritate nostra et exequendi premissa, per te vel alium seu alios, et statuendi super ipsis et circa ea quod oportunum fuerit ac videris expedire, contradictores quoque per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, non obstantibus quibuslibet ipsius Cathaniensis ecclesie vel ordinis memorati contrariis consuetudinibus vel statutis, juramento, confirmatione Apostolica vel quacunque alia firmitate vallatis, aut quibuscunque constitutionibus, privilegiis vel indulgentiis Apostolice Sedis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que effectus presentium impediri valeat vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in vestris litteris habenda sit mentio specialis, seu si aliquibus comuniter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici vel excomunicari nequeant aut suspendi, et cetera, fraternitati tue concedimus plenam et liberam potestatem. Ceterum, ne propter absentiam dilecti filii fratris Gentilis, Cathaniensis electi, patiatur ipsa ecclesia in spiritualibus vel temporalibus detrimentum, volumus et per Apostolica tibi scripta mandamus quatinus, per te vel alium seu alios, quos ad hoc duxeris ordinandos, ejusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus et super receptione proventuum, ad electum ipsum seu episcopum Cathaniensem spectantium, sollicite curam geras, facturus de proventibus ipsis quod alias tibi duxerimus injungendum, non obstante quod dilectus filius noster Matheus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, per suas tibi litteras intimavit ut id, quod de hujusmodi proventibus per te vel tua fuerit auctoritate perceptum, electo transmitteres memorato. Quicquid autem super premissis per te fieri vel ordinari contigerit, significare nobis per litteras tuas comodis temporibus non omittas. Dat. ut supra.

3875 (VIIII) Vatican, 22 février 1300.

Indulgentia anni jubilei. (fol. 380 v° et 381.)

Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Antiquorum habet fida relatio quod accedentibus ad honorabilem basilicam Principis Apostolorum de Urbe concesse sunt remissiones magne et indulgentie peccatorum. Nos igitur, qui juxta officii nostri debitum salutem appetimus et procuramus libentius singulorum, hujusmodi remissiones et indulgentias, omnes et singulas, ratas et gratas habentes, ipsas auctoritate Apostolica confirmamus et approbamus, et etiam innovamus et presentis scripti patrocinio communimus. Ut tamen beatissimi Petrus et Paulus Apostoli eo amplius honorentur, quo ipsorum basilice de Urbe devotius fuerint a fidelibus frequentate, et fideles ipsi spiritualium largitione munerum ex hujusmodi frequentatione magis senserint se refectos, nos, de omnipotentis Dei misericordia et eorumdem Apostolorum ejus meritis et auctoritate confisi, de fratrum nostrorum consilio et Apostolice plenitudine potestatis, omnibus in presente anno millesino trecentesimo, a festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi preterito proxime inchoato, et in quolibet anno centesimo secuturo, ad basilicas ipsas accedentibus reverenter, vere penitentibus et confessis vel qui vere pe-

nitebunt et confitebuntur, in hujusmodi presenti et quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam et largiorem, immo plenissimam omnium suorum concedimus veniam peccatorum : statuentes, ut qui voluerint hujusmodi indulgentie a nobis concesse fore participes, si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis vel interpollatis et saltem semel in die ; si vero peregrini fuerint aut forenses, modo simili diebus quindecim, ad basilicas easdem accedant. Unusquisque tamen plus merebitur et indulgentiam efficatius consequetur, qui basilicas ipsas amplius et devotius frequentabit. Nulli ergo, et cetera, nostre confirmationis, approbationis, innovationis, concessionis, constitutionis, et cetera. Dat. Rome, apud Sanctum Petrum, VIII kal. martii, anno sexto.

(POTTHAST, 24917.)

3876 (X) Latran, 29 janvier 1300.

Provisionem ecclesiæ Eboracensis dispositioni Sedis Apostolicæ reservat. (fol. 381.)

Ad futuram rei memoriam. Pridem Eboracensi ecclesia per obitum bone memorie Henrici, Eboracensis archiepiscopi, solatio destituta pastoris, dilecti filii capitulum ipsius ecclesie — magistrum Thomam de Cordebruge, ipsius ecclesie canonicum, concorditer in Eboracensem archiepiscopum elegerunt. Cumque postmodum dictus magister Thomas in nostra fuisset presentia constitutus — in nostris manibus resignavit. Nos itaque, hujusmodi resignatione recepta, provisionem dicte ecclesie hac vice dispositioni Sedis Apostolice reservamus —. Dat. Laterani, IIII kal. februarii, anno sexto.

3877 (XI) Latran, 8 mars 1300.

Provisionem ecclesiæ Januensis sibi reservat. (fol. 381.)

Ad futuram rei memoriam. Dilectus filius frater P[orchetus], ordinem Fratrum Minorum professus, olim Januensis archiepiscopus, ex certis causis, oneri et honori archiepiscopatus Januensis, cui tunc temporis presidebat, in nostra et fratrum nostrorum presentia constitutus, in nostris manibus sponte cessit. Nos vero, cessionem admittentes et ad votivum statum et prosperum Januensis ecclesie paterne sollicitudinis studio intendentes, provisionem dicte ecclesie Januensis, hac vice, dispositioni nostre ac Sedis Apostolice reservamus. Dat. Laterani, VIII id. martii, anno sexto.

(POTTHAST, 24923.)

3878 (XII) Latran, 2 mars 1300.

Provisionem ecclesiæ Capuanæ sibi reservat. (fol. 381.)

Ad futuram rei memoriam. Capuana ecclesia —.

Ecclesiam Capuanam, vacantem per translationem L[eonardi], archiepiscopi, ad Albanensem, reservat hac vice Apostolica dispositioni.

Dat. Laterani, VI non. martii, anno sexto.

3879 (XIII) Latran, jeudi saint, 7 avril 1300.

Processus adversus Fridericum et Siculos. (fol. 381.)

Processus habitus in die Cene Domini contra Fridericum et Siculos. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Propter detestabiles —.

Processus adversus Fredericum et Siculos rebellos antea habitos memorat.

Licet autem ipsos Fredericum et Siculos et alios supradictos studuerimus a tam dampnate ac detestabilis perversitatis invio ad devotionem et gremium ipsius matris Ecclesie revocare, quia tamen ipsi, preter nonnullos qui ad devotionem et mandata Ecclesie redierunt, discernere lucem a tenebris contempnentes, adhuc in eorum malitia, contumacia et iniquitate perdurant, et a dampnationis semitis non declinant, quin immo excessus excessibus et culpas culpis cotidie cumulare nituntur, receptando etiam aliquos ex Columpnensibus, per nos et eandem Sedem damnatos, et sub certa forma expositos fidelium captioni, et tanquam hereticos puniendos, nec attendunt quanta per ipsorum Frederici et Siculorum rebellionem et contumaciam impedimenta proveniant negotio Terre Sancte, quam modernis temporibus celestis clementia miraculose quasi de Saracenorum manibus liberavit, in quo se fautores et adjutores exhibent hostium crucis Christi et inimicorum fidei christiane, nos, ut cumulatio hujusmodi excessuum et culparum, et contumaciarum augmentum eorundem pariat eis penarum cumulum et jaculum ultionis, omnes processus predictos, ac omnia et singula in illis expressa, tamquam nominatim et singulariter repetita, presente hac fidelium multitudine copiosa, quoad omnes et singulos, quos prefati processus impresentiarum obnoxios representant quosque adhuc super hiis ipsius misericordia Ecclesie non agnovit, ratificamus et approbamus, plenumque robur obtinere decernimus firmitatis, ac annotamus eos-

dem, et de novo predictos obnoxios, singulares personas videlicet eorundem, excomunicationis vinculo innodamus, et comunitates ac universitates predictas ecclesiastico subicimus interdicto; et, volentes nichilominus experiri plenius si forsan in eis ergo Deum et prefatam Ecclesiam aliqua devotionis et penitudinis scintilla remanserit, qua valeant ab hujusmodi eorum enormis erroris et dampnationis inviis revocari, Fredericum, Siculos et omnes obnoxios supradictos monemus, ut, se ad meliora consilia reducentes, ad nostra et ipsius Ecclesie mandata, infra dominicam festum Ascensionis Domini futurum proximo precedentem, quam eis pro termino peremptorio prefigimus, redire procurent, recepturi pro meritis, ac nostris et ipsius Ecclesie mandatis plenarie pariturі; alioquin, contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus: predicentes ipsis aperte quod, pretextu dilationis et termini prefixionis hujusmodi, que potius ex gratia seu misericordia quam ex juris necessitate procedunt, nolumus obstaculum interponi quominus, ipsa dilatione ac termini assignatione pendentibus, tam ex preteritis eorum contumaciis, excessibus et offensis, quam ex futuris, si quos eos committere fortasse contigerit, per nos et alios spiritualiter et temporaliter procedi valeat contra eos. Ut autem hujusmodi noster processus ad comunem omnium notitiam deducatur, cartas sive membranas, processum continentes eundem, in basilice Lateranensis appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, que processum ipsum suo quasi sonorio preconio et pa tulo indicio publicabunt, ita quod iidem Fredericus, Siculi et rebelles, et alii quos processus ipse contingit, nullam possint postea excusationem pretendere, quod ad eos talis processus non pervenerit vel quod ignorarint eundem, cum non sit verisimile remanere, quoad ipsos, incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Actum Laterani, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno sexto.

3880 (XIII) Latran, jeudi saint, 7 avril 1300.

Processus adversus Januenses. (fol. 381 v°.)

Processus contra Januenses. Ad certitudinem presentium et memoriam futurorum. Sicut ad multorum notitiam —.

Omnes et singulos de civitate Januensi ejusque territorio, et presertim de domibus Auriæ ac Spinulæ, qui contra prohibitionem Sedis Apostolicæ præstiterunt Friderico Siculisque auxilium, et nominatim Ubertum de Auria, Conradum de Spinula, et Conradum ipsius Uberti natum, qui est, adversus Ecclesiam et regem Siciliæ, prædicti Frederici publicus admiratus, excommunicationis sententia innodatos denunciat.

Actum Laterani, in die Cene Domini, pontificatus nostri anno sexto.

(POTTHAST, 24939.)

3881 (XV) Anagni, 1er mai 1300.

Suspenduntur usque ad festum beati Martini processus prius promulgati adversus Januenses. (fol. 382 v°.)

Ad perpetuam rei memoriam. Nuper in die Cene Domini, apud Lateranum, contra . . potestatem, . . capitaneum, . . abbatem aliosque rectores, consilium et comune civitatis Januensis, et nonnullas singulares personas, tam ipsius civitatis quam ejus territorii et districtus, et maxime de Aurie ac Spinule domibus, propter prestitum per eos vel eorum aliquos Frederico et Siculis rebellibus contra nos et Romanam Ecclesiam et carissimum in Christo filium nostrum C[arolum], Sicilie regem illustrem, auxilium, consilium et favorem, certos processus, monitiones, precepta, comminationes ac excommunicationis et interdicti et alias spirituales et temporales sententias, penas et mulctas continentes, exigente justitia, duximus faciendos, prout in nostris bullatis litteris inde confectis, que in archivo conservantur Ecclesie, hec et alia plenius continentur. Verum adhuc experiri volentes utrum in ipsis Januensibus devotionis scintilla remanserit, et per mansuetudinis gratiam possint ad matris Ecclesie gremium revocari, presertim cum detur nobis fidutia quod Januenses ipsi nostris se beneplacitis coaptabunt, omnes predictos processus habitos in die Cene predicto, et omnem eorum effectum, usque ad festum beati Martini proximo futurum, presentium auctoritate, omnino suspendimus de gratia speciali. Si vero aliquis vel aliqui de predictis aut ipsum comune Frederico et Siculis memoratis dederint aut dabunt etiam infra terminum supradictum contra nos, Ecclesiam et regem prefatos, consilium, auxilium vel favorem, hii qui sic fecerunt ipso facto relabantur et incidant in processus, penas et sententias prelibatos. Per hujusmodi autem suspensionem, que ex sola miseratione procedit, nequaquam differre vel abstinere proponimus quin, et ipsa suspensione pendente vel postmodum, tam ex preteritis predictorum offensis, contumaciis et excessibus, quam ex futuris, si quos eos committere fortasse contigerit, procedamus spiritualiter et temporaliter, prout et quando viderimus expediens contra eos. Dat. Anagnie, kal. maii, anno sexto.

3882 (XVI) Anagni, 7 mai 1300.

Hortatur ut super tractatu cum Carolo Siciliæ rege contrahendo se benevolos præbeant. (fol. 382 v° et 383.)

Dilectis filiis . . potestati . . abbati populi, antianis, consilio et comuni Januensibus. Ex sincere dilectionis affectu, quo vos et civitatem vestram prosecuti sumus hactenus excitati, ut vos in gratia matris ecclesie conservare decentius valeremus, pridem a vobis duximus cum instantia requirendum, ut pro habendis, ordinandis atque firmandis inter carissimum in Christo filium nostrum C[arolum], Sicilie regem illustrem, et vos tractatibus hinc inde dante Domino honorabilibus et accomodis solemnes ambasciatores vestros ad nostram presentiam mitteretis. Et quamvis hujusmodi vestros ambasciatores diu duxerimus prestolandos, missionem eorum huc usque attamen distulistis. Nuperrime autem, heri scilicet, sexto die mensis presentis, dilectos filios Fridericum Aurie, ac Johannem Salvaium, Stabilem Ottaviani et Philippum Quatuordecim, ambasciatores vestros ad nostram presentiam destinatos, benigne recepimus, et que nobis exponere voluerunt audivimus diligenter. Verum, ante hujusmodi vestrorum ambasciatorum adventum, inter dilectos filios Matheum de Adria et Landulfum Ayossa de Neapoli, milites et nuntios dicti regis, quos ipse ad requisitionem nostram ad nos duxerat destinandos, et dilectum filium nobilem virum Nicolaum Spinulam, concivem vestrum, in presentia Nicolai et Angelini Spinule, vestrorum concivium, qui ad nos se duxerant conferendos, tractari cum diligentia feceramus, tractatibus hujusmodi inter se habitis, nobis scientibus, Domino actore firmandis, qui jam iter assumpserant ad vos, cum hujusmodi tractatibus accessuri. Ut autem prefati vestri ambasciatores, expediti a nobis, redirent celeriter ad mittentes, prout ipsi etiam accelerationem hujusmodi cum instantia postulabant, mandavimus ambasciatoribus ipsis exponi que inter nuntios predicti Regis et Nicolaum prefatum tractata fuerunt, et nichilominus, cum eisdem ambasciatoribus tractatu habito, prioribus tractatibus sunt aliqua addita et aliqua immutata. Et ecce cum exemplo seu copia omnium tractatuum predictorum ambassiatores ipsi ad vos de nostro beneplacito revertuntur, ut super utrisque tractatibus memoratis salubriter, dante Domino, disponatur. Quocirca universitatem vestram, monemus, rogamus et hortamur attente, quatinus super dictis tractatibus sic vos ad concordiam promptos et benevolos prebeatis, sicque vos coaptetis ad devotionem et obsequia Ecclesie memorate, ac ad firmam et solidam benivolentiam et amicitiam dicti regis, quod Ecclesia eadem vos sibi devotos et gratos filios speciales agnoscat, ac vos et civitatem vestram gratiis et gratiosis munificentiis digne prosequi valeat, et prefatus rex, puram securamque fiduciam in vestra prudentia et dilectione consolidans, prompto et puro vobiscum consurgat animo et effectu pleno in mutua sinceritate conveniat, et ad ea, que vestros et predicte civitatis honores profectusque respiciant, se ac posse regium preparet merito et exponat. Decet quidem vos prudenter advertere, quod si, quod absit, ob culpas vestras contingeret vos ab ipsius Ecclesie gremio et gratia, favendo Frederico Siculisque rebellibus, damnabiliter deviare, maxima et irremediabilis fere inde vobis et civitati vestre predicte infamia cresceret, ad divine ultionis judicium et Apostolice Sedis provocationem et iram, et per consequens confusionis vestre dispendium, possetis non immerito formidare. Sed si, tangente Domino corda vestra, vos ad ipsorum Sedis et regis gratanter duxeritis beneplacitis exponendos, non est sub ambiguitate tenendum, quod divine retributionis premium, humane laudis preconium, et prefate Sedis benedictionem et gratiam abundanter et plene inde vestra devotio consequetur. Dat. Anagnie non. maii anno sexto.

(Potthast, 24950, sed non in totum.)

3883 (XVII) Anagni, 15 mai 1300.

Nominatio legati. (fol. 383.)

Dilecto filio fratri Porchetto, de domo Spinule Januensi, ordinis Minorum. Gerentes ab olim —.

Eum legatum pacis inter Carolum, Siciliæ regem, et Januensem rempublicam constituit.

Dat. Anagnie, id maii, anno sexto.

(Potthast, 24955.)

3884 (XVIII) Anagni, 15 mai 1300.

Constituitur episcopus Anconitanus legatus in Germania. (fol. 383.)

Venerabili fratri Nicolao, episcopo Anconitano. Ex parte tue circumspectionis industria, que in magnis et arduis provide novit attendere quod deceat, quod expediat, merito nos inducit ut tibi, in quo secure quiescimus, que grandis sunt etiam ponderis, committamus. Cum igitur, pro altis et arduis Ecclesie Romane negotiis

et cordi nostro plurimum insidentibus, ad Germanie partes cum specialibus nostris litteris destinemus, fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, illuc te personaliter conferens, et illis, quibus hujusmodi nostre littere diriguntur, eas provide representans, illa que pro quiete, honore et exaltatione, ac dilectionis et sinceritatis augmento inter eandem Romanam Ecclesiam, cunctorum matrem fidelium et magistram, ac Sacrum Romanum Imperium, et prospero statu mundi ac maxime Italicarum partium, tue circumspectioni committimus, sic diligenter et fideliter exequaris, nobis que super hiis feceris et inveneris provide relaturus, quod diligentie tue studium non habeatur inefficax, sed possis exinde merito commendari. Dat. Anagnie, id. maii, anno sexto.

3885 (XIX) Même date.

Pro eodem legato. (fol. 382.)

Littera de securo conductu. Bonifatius, et cetera, venerabilibus fratribus patriarchis, archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, prepositis, archipresbyteris, plebanis et aliis ecclesiarum prelatis et eorum vices gerentibus ac ecclesiis, personis religionis et secularibus, ecclesiarum et monasteriorum capitulis et conventibus, exemptis et non exemptis, Cisterciensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Premonstratensis, sancti Benedicti, sancti Augustini ac aliorum ordinum, nec non magistris et preceptoribus Militie Templi et Hospitalis Sancti Johannis et Beate Marie Theotonicorum et Calatravensis, ad quos littere iste pervenerunt. Cum venerabilem fratrem —. Dat. ut supra.

3886 (XX) Anagni, 27 mai 1300.

Committitur Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, rectoria Anconitanæ Marchiæ et ducatus Spoletani. (fol. 383 v° et 384).

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, Marchie Anconitane rectori. Dum imbecillitatis humane —. Sane — circa statum Anconitane Marchie eo majori reddimus attentione solliciti quo ipsam potiori diligere tenemur affectu, velut infra nostra et dicte Sedis bracchia constitutam, — ad te — utpote magnum et honorabile Romane membrum Ecclesie, multe probitatis, circumspectionis et sollicitudinis munere preditum, ac diversarum et grandium virtutum titulis insignitum, genere quoque nobilem ac de domo fidelium oriundum que viros produxit strenuos, Deo et Ecclesie predicte fideles, qui, pro honoris et exaltationis augmento ipsius Ecclesie, personas et bona eorum prudenter et prompte duxerunt oportunis temporibus exponenda, convertimus mentem nostram. De tua igitur multiplici probitate — fidutiam obtinentes, licet apud eandem Sedem necessarius habearis, nosque tua presentia inviti quodam modo careamus, tamen propter urgentem necessitatem illarum partium, rectoriam predicte Marchie, tam in spiritualibus quam in temporalibus committimus, per te et, cum expedire videris, per alium vel alios exercendam. Dat. Anagnie, VI kal. junii anno sexto.

(POTTHAST, 24960.)

In e. m. *eidem, ducatus Spoletani rectori.*

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, — universis quoque nobilibus, potestatibus, capitaneis, aliisque rectoribus, comunitatibus etc. per Anconitanam Marchiam constitutis.*

In e. m. *in ducatu Spoletano.*

3887 (XXI) Même date.

Constituitur legatus ad provincias Marchiæ Anconitanæ et Ducatus Spoletani pacificandas. (fol. 384.)

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diaconi cardinali, Apostolice Sedis legato. Ad altitudinem cordis, ut Deus exaltetur, accedimus, apponentes manum nostre possibilitatis ad operam, quam oportunam in terris novimus, et speramus fore placidam in excelsis. Celestis namque providentia terrarum orbem disposuit sub distinctione regnorum, illumque consulte dirigi voluit et salubri regimine gubernari, ne humane creature statum, que sui creatoris ymaginem et similitudinem representat, tempestose fluctuationes mundi confunderent, vel ejus quietis beatitudinem impedirent, quin immo ut, omnibus sub juris et honestatis regula limitatis, singuli vita pacifica viverent, et ab offensis alterutrum abstinerent, ac factorem suum naturali affectu cognoscerent, cognitum colerent et suo reverenter imperio subjacerent. Sane, licet christicolarum singule regiones, Deo et Apostolice Sedi devote, favorem Apostolicam mereantur, nosque ad eas nostre considerationis diffundamus intuitum, tamen Anconitane Marchie ac Ducatus Spoletani provincias atque partes eo [1] carius et perspicatius intuemur, eoque

1. *Ms* : et.

majori circa earum statum reddimur attentione solliciti, quo eas prosperari feliciter potiori zelari tenemur affectu, velut infra nostra et dicte Sedis brachia constitutas ac ad nostrum et ejusdem Sedis speciale domanium pertinentes. Cum igitur in aliquibus ipsarum provintiarum terris et locis, hostis humani generis, pacis emulus et zizanie seminator, turbationes et scandala suscitarit, satagens inibi, nedum terrestres sed et celestes, dulces amaricare delicias, ac, non solum earumdem sed et vicinarum partium, de novo inceperint viri sanguinum, viri pestilentes, hostes Dei et ejusdem Ecclesie suorumque fidelium, ausibus serpentinis insurgere, qui nequitie virus, quod modernis temporibus sub melle gestabant, nequiter effundentes, in totius regionis subversionem et scandalum, iniquo molimine pro viribus operantur, ut specialiter patet apertius in Eugubine civitatis angustiis, excidiis et ruina, quam hostes iidem variis discriminibus nuperrime subjecerunt, fideles cives ejusdem furore bellico lacerando, nonnullis ex fidelibus ipsis immaniter cede cesis, reliquis in exilium traditis sub doloris aculeis et miseria paupertatis, ac eadem civitate totaliter occupata, nos, ex hiis graves et amaras sentientes in corde, non sine magni doloris acerbitate, puncturas, et precavere volentes ne in ipsis provintiis talium persecutionum et nequitiarum olla durioribus flammis ebulliat, ne succensus ignis universaliter provintias ipsas exurat, consurgere providimus sub spe divine potentie ad nequam hostium molimina refrenanda, ad hujusmodi persecutionum et scandalorum faces per oportunum adjectionis aque remedium extinguendas, ad consolationis bonum afflictis fidelibus properandum, ut fidelium mentes condigna provisio in debita stabilitate corroboret, pacis et concordie dissidentibus viam pandat salutis, quietis, fertilitatis et prosperitatis, devotis incrementa conquirat, ad Dei laudem et exaltationem Ecclesie memorate. Verum, quia propter multa et varia multipliciter expedit ut tam clerus quam populus provintiarum earumdem ex parte Sedis Apostolice visitentur, nostramque presentiam illuc, ob multa et ardua negotia quibus assidue cum laboris immensitate distrahimur, dirigere non valemus, cum natura non patiatur humana ut ejusdem essentia corporis tota simul in diversis locis exhibeat se presentem, ac Sedes eadem illos in partem sollicitudinis ejus de latere suo nonnumquam assumit, quibus fore conspicit celesti dono provisum, ut in altis et arduis negotiis sciant et possint consulere provide ac utili consilio providere, ad personam tuam, quam scientiarum Dominus alte providentie munere, circumspectionis gratia, industrie claritate multisque virtutibus insignivit, convertimus mentem nostram ac nostros direximus fiducialiter oculos et fiximus cogitatus, ut tibi, quem tantarum novimus virtutum dono dotatum, licet apud eandem Sedem presentia tua careamus inviti, propter urgentem dictarum provinciarum necessitatem, super hoc onus nostre sollicitudinis imponamus, spe nobis indubia suggerente quod, tamquam vir magnificus sub graviori labore grandescens, difficilia viriliter aggrediens, opus Dominicum, sub nomine Domini, ad ejus laudem et gloriam, et exaltationem matris Ecclesie, ac dictarum provinciarum statum prosperum et tranquillum, virtuosus assumes, ac viriliter et laudabiliter prosequeris. Ideoque, de fratrum nostrorum consilio, te, cui rectoriam dictarum provinciarum in spiritualibus et temporalibus duximus per alias nostras litteras committendam, ad ipsas provincias tamquam pacis angelum destinantes, committimus tibi plene legationis officium in eisdem, ut evellas et destruas, dissipes et disperdas, edifices et plantes, ac facias auctoritate nostra quecumque ad honorem Dei et Ecclesie memorate ac felicem statum predictarum provintiarum videris expedire, concessa tibi, auctoritate simili, contradictores et rebelles quoslibet per excommunicationis, suspensionis et interdicti, vel amotionis aut depositionis sententias, aut alias per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi libera facultate. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus officium legationis hujusmodi absque difficultate suscipias, et illud juxta datam tibi a Deo prudentiam, sic sollicite, sic utiliter et laudabiliter exequaris, quod de tuis laboribus, divina faciente clementia, sperati fructus adveniant, tuque palmam glorie, que causam Dei gerentibus pro retributione rependitur, merearis. Nos enim sententias, quas tuleris, et penas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus, et faciemus, actore Domino, inviolabiliter observari; non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis vel litteris Apostolicis, quibusvis personis, dignitatibus, ecclesiis, monasteriis, capitulis et conventibus, seu comunitatibus et universitatibus, atque locis, generaliter et specialiter, sub quacumque forma vel verborum conceptione, concessis, de quibus quorumque totis tenoribus, seu de verbo ad verbum, aut de ipsorum nominibus propriis, in nostris litteris habenda sit mentio specialis, per que tui officii prosecutio possit quomodolibet impediri, aut si aliquibus, generaliter vel specialiter, sit a predicta Sede indultum quod interdici vel excommunicari nequeant, aut suspendi, per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Dat. Anagnie, VI kal. junii anno sexto.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis, et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac decanis, prepositis, archidiaconis, plebanis, capitulis, et aliis ecclesiarum prelatis, seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ac Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et Domus Militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus, comunitatibus et universitatibus, et personis secularibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per Anconitanam Marchiam et Ducatum Spoletanum constitutis,* et cetera, ut in alia, verbis competenter mutatis. Dat. ut supra.

3888 (XXII) Même date.

Neapoleonem, Sancti Adriani cardinalem, legatum in civitate et territorio Perusinis, simul ac in provinciis Anconitanæ Marchiæ et Spoletani Ducatus, instituit. (fol. 384 v°.)

Eidem legato. Licet christicolarum singula regiones, loca et civitates Deo et Apostolice Sedi devota, favorem Apostolicum mereantur, — tamen civitatem Perusinam ejusque diocesim, territorium et districtum, ac circumpositam regionem, eo carius et perspicatius intuemur — quo ea prosperari feliciter potiori zelari tenemur affectu, velut infra nostra et dicte Sedis brachia constituta. Cum igitur, in aliquibus illarum partium terris et locis, hostis humani generis, pacis emulus et zizanie seminator, turbationes et scandala suscitarit, satagens inibi, nedum terrestres sed et celestes, dulces amaricare delicias, ac non solum earumdem sed et vicinarum partium de novo inceperint viri sanguinum, viri pestilentes, hostes Dei et Ecclesie Romane suorumque fidelium, ausibus serpentinis insurgere, qui nequitie virus, quod modernis temporibus sub melle gestabant, nequiter effundentes, in totius regionis subversionem et scandalum iniquo molimine pro viribus operantur, ut specialiter patet apertius in Eugubine civitatis excidiis et ruina, quam hostes iidem variis discriminibus subjecerunt, fideles cives ejusdem furore bellico lacerando, nonnullis ex fidelibus ipsis immaniter cede cesis, reliquis in exilium traditis sub doloris aculeis et miseria paupertatis, et occupata totaliter ipsa Eugubii civitate, nos, ex hiis amaras sentientes in corde, non sine magni doloris acerbitate, puncturas, et precavere volentes ne in dictis partibus, et potissime in civitate Perusii, ejusdem diocesis, districtu et territorio supradictis, prefate civitate Eugubine contiguis seu vicinis, talium persecutionum et nequitiarum olla durioribus flammis ebulliat, ne succensus ignis universaliter patriam illam exurat, consurgere providimus, sub spe divine potentie, ad nequam hostium molimina refrenanda, ad hujusmodi persecutionum et scandalorum faces per oportunum adjectionis aque remedium extinguendas, ad consolationis bonum afflictis fidelibus properandum, ut fidelium mentes condigna provisio in debita stabilitate corroboret, pacis et concordie dissidentibus viam pandat salutis, quietis, fertilitatis et prosperitatis, devotis incrementa conquirat, ad laudem Dei et exaltationem Ecclesie memorate. Verum, quia propter hec et alia multipliciter expedit ut tam clerus quam populus predictorum Perusinorum civitatis, diocesis, territorii et districtus, in quibus ex affectu paterno multipliciter noster animus delectatur, ex parte ipsius Sedis Apostolice visitentur, nosque, ob multa et ardua negotia quibus assidue premimur, nostram illuc presentiam dirigere comode non valemus, ad personam tuam, quam Pater Omnipotens, alte providentie munere, circumspectionis gratia, industrie claritate multisque virtutibus insignivit, convertimus mentem nostram, ut tibi, quem tantarum novimus virtutum dono dotatum, licet apud eandem Sedem valde necessarius habearis, nosque tua presentia careamus inviti, super hoc onus nostre sollicitudinis imponamus. Ideoque, de fratrum nostrorum consilio, te, cui rectoriam Anconitane Marchie ac Ducatus Spoletani in spiritualibus et temporalibus ac in utrisque legationis officium per alias nostras litteras committenda duximus, illuc [1], tamquam pacis angelum, destinantes, etiam in eisdem Perusina civitate ipsiusque diocesi, territorio et districtu, de simili consilio, plene legationis officium presentium tibi auctoritate committimus, ut inibi noxia destruas et evellas, dissipes et disperdas, ac salubria plantes et edifices profutura, et facias auctoritate nostra quecumque ad honorem Dei et Ecclesie memorate, ac felicem statum, quietem et pacem Perusinorum civitatis, diocesis, districtus et territorii predictorum videris expedire; concessa tibi, auctoritate simili, contradictores et rebelles quoslibet per excommunicationis, suspensionis et interdicti, vel amotionis aut depositionis sententias, vel alias per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi libera facultate. Quocirca discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, officium legationis hujusmodi absque difficultate suscipiens, illud, juxta datam tibi a Deo prudentiam, sollicite, utiliter et laudabiliter exequaris, ita quod de tuis laboribus sperati fructus, dante Domino, colligantur, tuque palmam commendationis et glorie exinde merearis. Nos enim sententias,

1. *Ms* : illum.

quas tuleris, et penas, quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus et faciemus, actore Domino, inviolabiliter observari; non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis vel litteris Apostolicis, quibusvis personis et locis ecclesiasticis, dignitatibus et ecclesiis, monasteriis, capitulis et conventibus Cisterciensis, Premonstratensis et aliorum ordinum quorumcumque, generaliter vel specialiter, sub quacumque forma vel verborum conceptione concessis, de quibus quorumque totis tenoribus, seu de verbo ad verbum, aut de ipsorum nominibus propriis, in nostris litteris habenda sit mentio specialis, per que tui officii prosecutio possit quomodolibet impediri, aut si aliquibus, generaliter vel specialiter, sit a predicta Sede indultum quod interdici vel excommunicari nequeant aut suspendi per litteras, et cetera, usque : mentionem. Dat. ut supra.

In e. m. *venerabili fratri . . episcopo Perusino, et dilectis filiis abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac prepositis, archidiaconis, plebanis, archipresbyteris, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis sive rectoribus, ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, ad Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Domus Militie Templi ac aliarum domorum sive locorum magistris et preceptoribus, per civitatem Perusinam, ejusque diocesim, territorium et districtum constitutis.*

In e. m. *dilectis filiis universis nobilibus, potestatibus, capitaneis aliisque rectoribus, consiliis, communitatibus et universitatibus, et personis secularibus Perusine civitatis, et castrorum aliorumque locorum ejus diocesis, territorii et districtus.* Licet, et cetera.

3889 (XXIII) Même date.

Concedit facultatem puniendi episcopos, abbates et ceteros qui ipsi parere neglexerint. (fol. 385 v°.)

Eidem. Cum te ad Anconitanam Marchiam et Ducatum Spoletanum, tibi commisso inibi plene legationis officio, destinemus, puniendi, prout videris expedire, venerabiles fratres nostros. . episcopos, ac monasteriorum et prioratuum Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Camaldunensis, Vallisumbrose, sancti Benedicti, sancti Augustini et aliorum ordinum abbates, priores et quoslibet alios quarumlibet ecclesiarum et monasteriorum, tam exemptorum quam non exemptorum, prelatos, conventus, capitula sive collegia, necnon domorum Militie Templi, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, Sancte Marie Theotonicorum, et Calatravensium preceptores, magistros et fratres, ac quascumque personas ecclesiasticas tue legationis, cujuscumque conditionis seu status existant, que tibi, circa commissa tibi officium et negotia, vel in hiis que ad ea pertinere putaveris, parere neglexerint, ac ipsos episcopos, ceterasque personas ecclesiasticas, a spiritualium et temporalium administratione suspensos, ad Apostolicam Sedem mittendi, pro meritis recepturos, non obstantibus aliquibus indulgentiis Sedis ejusdem, cujuscumque tenoris existant, de quibus quorumque totis tenoribus oporteat in nostris litteris plenam et expressam mentionem fieri, et per que effectus concessionis hujusmodi impediri valeat vel differri, discretioni tue plenam concedimus, auctoritate presentium, facultatem. Dat. ut supra.

3890 (XXIIII) Même date.

Licentia exercendi censuram ecclesiasticam in injuriatores suos. (fol. 385 v°.)

Eidem. Cum te ad —. Dat. ut supra.

3891 (XXV) Même date.

Licentia privandi religiosos sibi non parentes. (fol. 385 v°.)

Eidem. Cum te ad —. Dat. ut supra.

3892 (XXVI) Anagni, 23 mai 1300.

Mittitur legatus in Lombardiam, Tusciam et alias septentrionalis Italiæ partes. (fol. 385 v° et 386.)

Venerabili fratri M[attheo], Portuensi et Sancte Rufinæ episcopo, Apostolice Sedis legato. Considerantes attentius et —.

Ob exaltationem Ecclesiæ ac desideratam quietem Lombardiæ, Tusciæ et Romandiolæ provinciarum, Aquileiensis et Gradensis patriarchatuum, Ravennatis, Mediolanensi, Januensis et Pisani archiepiscopatuum, Marchiæ Tervisinæ, Venetiarum, Bononiensis et Ferrariensis civitatum earumque diocesium et territoriorum, illuc eum, tanquam pacis angelum, mittit, eique in prædictis partibus plenæ legationis officium committit.

Dat. Anagnie, x kal. junii, anno sexto.

(POTTHAST, 24957.)

In. e. m. *venerabilibus fratribus . . patriarchis, archie-*

piscopis, episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus — ceterisque personis ecclesiasticis per Lombardie, Tuscie et Romaniole, Marchie Tervisine, patriarchatuum Aquilegensis et Gradensis, totarumque provinciarum Ravennatis, Mediolanensis, Januensis et Pisane, Bononiensis quoque, Ferrariensis et Castellane civitatum et diocesium, ac Venetiarum partes constitutis.

In e. m. *dilectis filiis nobilibus viris universis marchionibus, comitibus, baronibus ceterisque nobilibus, potestatibus quoque capitaneis, aliisque rectoribus, comunitatibus et universitatibus et personis secularibus civitatum, castrorum et aliorum locorum per Lombardie, et cetera.*

3893 (XXVII) Même date.

Licentia recipiendi procurationes a quibuscumque ecclesiasticis personis. (fol. 386.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3894 (XXVIII) Même date.

Licentia puniendi ecclesiasticos sibi non parentes. (fol. 386 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3895 (XXIX) Même date.

Licentia exercendi in injuriatores suos censuram ecclesiasticam. (fol. 386 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3896 (XXX) Même date.

Licentia privandi religiosos sibi non parentes. (fol. 386 v°.)

Eidem. Cum te —. Dat. ut supra.

3897 (XXXI) Anagni, 24 juin 1300.

Ut possit suspendere interdictum cui civitas Spoletana est supposita. (fol. 386 v°.)

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato. Gratum votis nostris advenit quod, sicut ex tua insinuatione percepimus,. . potestas, consilium, et comune, ac cives Spoletani, devote tibi et honorifice concurrentes, contra perfidos Eugubinos, qui civitatem Eugubii, ejectis inde fidelibus, detinent occupatam, obtulerunt se, pro Sedis Apostolice reverentia, juxta tuum beneplacitum processuros. Cum autem pro Spoletanis eisdem a nobis duxeris gratiam postulandam, nos — suspendendi, usque ad festum Omnium Sanctorum proximo futurum, in civitate Spoletana interdictum, cui civitas ipsa et comune ejus per nos, vel alium de mandato nostro, seu per rectorem in spiritualibus Ducatus Spoletani, occasione excessuum — illatorum per ea contra castrum et homines Montisleonis, Spoletane diocesis, aliaque castra, terras, loca et homines de montanis predicti Ducatus, noscuntur esse supposita, et absolvendi singulares personas civitatis ejusdem ab excomunicationum sententiis, — tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Volumus autem quod, nisi hujusmodi singulares persone infra dictum festum se super hiis, pro quibus excomunicate habentur, beneplacitis nostris duxerint coaptandas, statim post dictum festum eo ipso in easdem excomunicationum sententias relabantur. Rescribas autem nobis quicquid super hiis duxeris faciendum. Dat. Anagnie, VIII kal. julii, anno sexto.

3898 (XXXII) Anagni, 28 juin 1300.

Ut assignet conservanda cardinalibus Sanctæ Mariæ in Porticu et Sanctæ Mariæ Novæ castra quæ olim fuerunt quondam Anibaldi de Ceccano. (fol. 386 v°.)

Dilecto filio Guillelmo de Ceccano, capellano nostro. Cum tu et quondam Riccardus de Ceccano, frater tuus, capellanus noster, tunc vivens, roccas et castra Magentie ac Montisacuti, et certam partem castri Sancti Stephani, necnon molendina de Valle, que olim fuerunt quondam Anibaldi de Ceccano, fratris vestri, quibus fuit Anibaldus ipse, suis exigentibus culpis, per Apostolicam Sedem juste privatus, custodienda certo modo receperitis et tenenda, dictusque Riccardus viam sit postmodum universe carnis ingressus, discretioni tue per Apostolica scripta mandamus quatinus roccas, castra, partem et molendina prefata dilectis filiis nostris Matheo, Sancte Marie in Porticu, et Petro, Sancte Marie Nove diaconis cardinalibus, aut illi vel illis, quem vel quos ipsi ad hoc duxerint deputandos, statim per te, vel alium seu alios, assignare procures usque ad nostrum beneplacitum conservanda per eos, aut illum vel illos, quem vel quos ad hoc ipsi duxerint ordinandos. Dat. Anagnie, IIII kal. julii, anno sexto.

3899 (XXXIII) Anagni, 22 juillet 1300.

Ut possit procedere contra Florentinos sibi et Apostolicæ Sedi rebelles. (fol. 387.)

Venerabili fratri Mattheo, Portuensi et Sancte Rufine episcopo, Apostolice Sedis legato. Nuper ad Tuscie ac Lombardie provincias, et nonnulla loca et terras alia ipsis vicina, commisso tibi officio plene legationis in eis, pro ipsorum statu pacifico et tranquillo, te, de cujus industria et circumspectione plene confidimus, duximus destinandum, ut ea in devotione Sedis Apostolice conservares, in ipsis errata corrigeres, et que reformanda cognosceres reformares, et presertim civitatem Florentie, que parata videbatur ad scandala, ejus invicem dissidentibus incolis, et statu plurimum vacillante, ad statum reduceres pacificum et tranquillum, et inter nonnullos de majoribus civitatis ejusdem invicem discordantes pacis jactares semina, eosque ad concordiam revocares, a cujus civitatis statu uniformi et prospero bonus status fidelium et devotorum nostrorum ac Sancte Romane Ecclesie memorate provintia Tuscie multum noscitur dependere. Sed, proh dolor ! imissionibus factis per angelos malos, et presidentium, rectorum, priorum et aliorum officialium civitatis ejusdem, et aliquorum de civibus ipsis, sub quorum ducatu dicte civitatis in presentiarum gubernacula preferuntur, animis induratis et ostinatis in malo, postquam ad civitatem eandem te personaliter transtulisti, quamvis multas vigilias, anxietates plurimas et labores immensos adhibueris in agendis, tamen in hiis apud eos aut nichil aut modicum profecisti, ita quod, prout nostra ferebat intentio, inter cives ipsos nec pacis nec treuguarum federa sunt secuta, nec ad comunitatem et parilitatem regimen et status presidentium sunt reducta, neque de confinatis in quantitate et qualitate equalitas est servata, nec factum tallie est, prout erat expediens, ordinatum, ut illud notissimum omittamus, quam viliter tractatus es et tractaris ibidem, et quomodo cives ipsi se tibi, quin immo nobis in te, inobedientes et quasi rebelles notabiliter reddiderunt. Nos igitur, qui, secundum Apostolum, parati sumus omnem inobedientiam ulcisci, providimus saponis apponere acrimoniam ubi lenitiva non prosunt. Ideoque fraternitati tue per Apostolica scripta mandamus quatinus, a predictorum executione, ac aliorum que laudabiliter incepisti, necnon et eorum que expedire videris, non desistens, quin immo ea prosequens intrepide, viriliter et discrete, contra . . potestatem, . . capitaneum, priores, consilium et officiales alios, comune ac singulares personas civitatis ejusdem, qui tibi contradictores extiterint et rebelles, commissa tibi nostra, qua fultus agnosceris, auctoritate procedas; et nichilominus, ut commodius et efficatius valeas eorum et aliorum inobedientiam, contumatiam et proterviam conculcare, procedendi per te, vel alium seu alios, specialiter et expresse, ad confiscationem, publicationem et arestationem bonorum et jurium potestatis, capitanei, priorum, consiliariorum, officialium, comunis et personarum singularium predictorum, nec non societatum et earum specialium personarnm predicte civitatis ejusque territorii et districtus, et aliorum contradictorum et rebellium, ac inhibendi quibuscumque debitoribus eorumdem, aut alicujus aut aliquorum ex eis, in quibuscumque fuerint regnis, provinciis, civitatibus, terris et locis constituti, ut eorum alicui vel aliquibus in nullo respondeant de hiis in quibus tenentur eisdem, statuendi quoque quod super hiis ad respondendum ipsis nullatenus teneantur, neque ad id compelli vel coarctari quomodolibet possint vel debeant, et quod judices vel executores, impetrati vel impetrandi super hujusmodi debita faciendo exolvi, se super hoc nullatenus intromittant nec intromittere valeant, absque nostra vel tua licentia speciali, per nostras vel tuas patentes litteras apparente, facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de presentibus mentionem, privandi etiam potestatem, capitaneum, priores, rectores et officiales sepedicte civitatis, qui sunt vel erunt pro tempore, quocumque nomine censeantur, eorum officiis, et suspendendi ab executione ipsorum, et reddendi etiam inhabiles ad habenda; non obstantibus quibuscumque contractibus, conventionibus, promissionibus, obligationibus, pactis seu recognitionibus et submissionibus, penis spiritualibus et temporalibus, juramentis, confirmatione Apostolica vel quacumque alia firmitate vallatis, aut etiam privilegiis vel indulgentiis Apostolicis, specialibus vel generalibus, sub quacumque forma vel conceptione verborum factis sive concessis, per que tui officii prosecutio in hac parte possit quomodolibet impediri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum in nostris litteris habenda sit mentio specialis, liberam tibi concedimus auctoritate presentium facultatem. Dat. Anagnie, XI kal. augusti, anno sexto.

3900 (XXXIIII) Anagni, 19 juillet 1300.

Committit rectoriam Romaniolæ, civitatis et diocesis Bononiensium, atque comitatus Brittenorii. (fol. 387.)

Venerabili fratri M[attheo], Portuensi et Sancte Rufine episcopo, Apostolice Sedis legato, totius provintie Romaniole, civitatis et diocesis Bononiensium, comitatus Britte-

norii et pertinentiarum eorumdem rectori. Etsi exigente pastoralis —. Cum igitur te ad Lombardie, Tuscie et Romaniole provincias, ac nonnullas Italie partes et terras, pro urgentibus arduisque negotiis duximus cum plene legationis officio destinandum, nos, volentes ut eo plenius et efficatius commissa tibi negotia prosperentur quo majori per nos fueris auctoritate munitus —, rectoriam provincie Romaniole, civitatis et diocesis Bononiensium, comitatus Brittenorii et pertinentiarum predictorum in spiritualibus et temporalibus Apostolica tibi auctoritate committimus, per te aut alium vel alios exercendam —. Dat. Anagnie, xiiii kal. augusti, anno sexto.

3901 (xxxv) Anagni, 18 juillet 1300.

Super facto comitatus Melgorii. (fol. 387 v° et 388.) [1]

Regi Francie illustri. Recordare, rex inclite, progenitorum tuorum actus strenuos, meritaque preclara intuere, ac respice quod Deus, regnantium honor et gloria, beatum Lodovicum, avum tuum, regibus dedit in speculum, et populis in exemplum, quem ipsius nepos, quasi carissimus filius, imiteris; prudenter attendens quod tantam habuit conscientie puritatem, quod non solum scienter, sed nec ignoranter, dispendium aliis volebat inferre, causam quam ignorabat ad instar sancti Job diligentius investigans. Unde, cum super comitatu Mergolii, Magalonensis diocesis, nonnulla auribus instillarentur ipsius in tantum, ut ad quem pertineret comitatus hujusmodi hesitaret[2], nolens ex abrupto procedere, vel incerto, felicis recordationis Clementis pape IV, predecessoris nostri, quem super hoc putabat habere notitiam, requisivit consilium, tam humiliter quam prudenter, sicut ex tenore litterarum predecessoris ejusdem, quem presentibus tibi mittimus interclusum, colligere poteris evidenter. Post cujus predecessoris Clementis responsum Magalonensis ecclesia a regalium exactionibus conquievit, que ab olim tenuit et tenet in feudum ab Apostolica Sede comitatum eumdem, prout constat ex vetustissimis documentis, et ex iis que in ejusdem Sedis conservantur archivo, ac ex predecessorum nostrorum Romanorum Pontificum litteris, que de dicto comitatu faciunt mentionem. Quapropter dolemus, non immerito, et turbamur, si relatibus facta respondeant, quod, sicut accepimus, officiales tui venerabilem fratrem nostrum Gerardum, episcopum, et dilectos filios capitulum Magalonenses, super comitatu predicto et hominibus comitatus, immo nos et Apostolicam Sedem gravant, impetunt et molestant. Cum igitur Deus, per suam misericordiam, non sine multimodis nostris et Sedis ejusdem presidiis, adeo dilataverit funiculos et limites regni tui juriumque tuorum, ut nec tibi expediat ad occupanda bona aliorum et jura, presertim nostra et predictæ Sedis ac Magalonensis ecclesie memorate, super comitatu prefato, qui tenetur a nobis et Sede predicta, manus occupatrices extendere, circumspectionem regiam, tenore presentium, hortamur et rogamus attente, tibique paternis affectibus salubriter suademus, ut senescallis, officialibus, et balivis tuis districte precipias, quod de cetero a dictorum episcopi et capituli ac vassallorum super dicto comitatu molestatione desistant: exhortationes et preces nostras hujusmodi sic efficaciter impleturus, quod a Deo premium consequaris, nobisque et Sancte Romane Ecclesie, matri tue, te precipuum filium representes: quidquid super hoc faciendum duxeris nobis tuis litteris responsurus.

Ad hec premissis adjicitur grandis injuria, et amara querela, qua ad nostrum pervenit auditum, quod nobilis vir Amalricus, vicecomes Narbone, antiquorum progenitorum suorum, qui ecclesiam Narbonensem et alias eidem subjectas, quantum et quamdiu potuerunt, multipliciter impugnarunt, vestigiis inherens pestiferis, juridictionem et omnia, que dicta Narbonensis ecclesia tenet vel habebat in civitate ac burgo Narbone et pertinentiis eorumdem; et que indubitanter tenebat ac tenere debebat in feudum ab eadem ecclesia Narbonensi; queve parentes sui, a centum fere annis citra continue, archiepiscopis, qui pro tempore ipsi ecclesie prefuerunt, et pater istius vicecomitis, eodem presente, sciente ac intelligente, Narbonensi archiepiscopo, qui nunc preest, cum sacramento fidelitatis et homagio, presente quoque multitudine hominum, clericorum et laïcorum, nobilium et innobilium, copiosa, ante majus altare in ipsa ecclesia Narbonensi, ut moris erat predecessorum eorumdem, publice recognoverant, a dictis archiepiscopo et ecclesia Narbonensibus se tenere in feudum, ut indubitatis constat regum Francie predecessorum tuorum privilegiis, vicecomitum Narbonensium litteris, eorumdem vicecomitum sigillis signatis, et aliis etiam, luce clarioribus, documentis; et hec ipse idem vicecomes, procuratorio nomine patris sui, dum vivebat, in tua curia manifeste confessus, a paucis citra temporibus maligno ductus spiritu, in magnum contemptum, prejudicium et injuriam non solum prefate Narbonensis ecclesie, verum etiam ecclesiarum totius provintie Narbonensis a te

1. Legitur in margine : *Ista fuit missa clausa cum littera Clementis que sequitur.*

2. *Ms* : excitaret.

recognovit in feudum : et, in damnationis sue cumulum, et evidentius sepedicte Narbonensis Ecclesie nocumentum, non solum ea a te, ut predicitur, recognovit, sed, ut Gallicano utamur vocabulo, advoavit ; immo etiam ea a dicto archiepiscopo, et ecclesia Narbonensi deavoavit expresse. Fili carissime, talia mentem nostram amaricant et perturbant, et, ut ad apponenda remedia convertamur, excitant et instigant : nec possumus nec debemus tam grandia detrimenta ac exheredationem quodam modo Narbonensis ecclesie supradicte sub dissimulatione transire : nec talia pati debuerat dignitatis regie rectitudo, et prudentia circumspecta.

Ab olim Ecclesia, regum lactata mamillis, excrevit in potestatem, dignitatem, libertatem, celsitudinem et gloriam seculorum : nunc, proh dolor! a regibus eorumque officialibus premitur, ancillatur, spernitur, et multipliciter expugnatur. Hec, fili, tolerando in ecclesiis regni tui habes merito formidare, quod ulciscetur hec Deus, judicii dominus, et rex regum, ejusque vicarius finaliter non tacebit, ne forsitan audiat : Canis mutus latrare non valens ; qui, etsi patienter ad tempus expectet, ut locus misericordie non claudatur, tandem exsurget ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. Utinam saperes et intelligeres, et novissima provideres, ac plene discuteres immissiones, que quasi per malos angelos tibi fiunt, et susurronibus ac pravis consiliariis facilem non preberes auditum , et solerter cognosceres, quod, quasi mali prophete, loquentes placentia, vident tibi falsa et stulta, assumptiones falsas et ejectiones, nec attendunt, quod inter naturam et gloriam est media gratia, sine qua a prima ad tertiam non transitur. Caveas igitur, diligenter, ne ad stultum finem consilia talium qui adulatione decipiunt te deducant.

Nos nihilominus, ne tantum dispendium memorate Narbonensis ecclesie transeat impunitum, neve aliis prebeatur exemplum tam nefanda similia attemptandi, contra Almaricum ipsum et alios, quos negotium istud contingit, ex officio nostro et de Apostolice plenitudine potestatis deliberavimus procedere, summarie, de plano, sine strepitu et figura judicii, prout justitia exiget, et videbimus expedire ; ipsumque Almaricum mandamus sub certa forma ad nostram presentiam evocari. Ceterum excellentiam regiam volumus non latere, quod, ex quo stimulamur in tantum, nec blandimenta proficiunt, nec corriguntur errata, litteras, nostras, quas super talibus et similibus tibi dirigimus, jam ordinavimus regestari ad perpetuam rei memoriam. Quid autem ex eis et aliis, necnon ex illis, que nuperrime per solemnes nuntios tuos tibi significanda decrevimus, subsequetur effectus, novit Ille, qui secretorum est cognitor, et prescius futurorum. Dat. Anagnie, xv kal. augusti, anno sexto.

» Clemens, episcopus, servus servorum Dei, carissimo
» in Christo filio Ludovico, regi Francorum illustri, salu-
» tem, et cetera. Quia quidam ex ignorantia, quidam ex
» malitia veritatem interdum sepeliunt, interdum quibus-
» dam coloribus adulterinis obducunt, ideo, fili carissime,
» recte agis, si quoties tibi dubia offeruntur, quorum tibi
» expediat plenam habere notitiam, causam, quam nescis,
» diligentius investigas, quia sicut judicio cognita, sic in-
» cognita casu. Sane tua nuper a nobis serenitas requi-
» sivit quid de comitatu Melgorii, quem venerabilis frater
» noster.. Magalonensis episcopus possidet, sentiremus ;
» cum tue celsitudini sit suggestum, quod vel tibi, vel
» dilecto filio P. Peleti, domino Alesti, vassallo tuo, fiat
» injuria. Ad quod tibi breviter respondemus : prout cons-
» tat ex vetustissimis Apostolice Sedis documentis. co-
» mitatus predictus est feudum Romane Ecclesie cen-
» suale, quod juste tenuit, ut communiter dicitur, aliquo
» tempore bone memorie Bertrandus comes, abavus dicti
» P. ; sed et comites Tholosani, juste, ut ipsi dicebant, in-
» juste, ut plurimi sentiebant, illud diversis temporibus
» tenuerunt. Verum, cum comes Tholosanus, pater quon-
» dam comitis Tholosani, proximo jam defuncti, ex cau-
» sis ad judicium Apostolicum ratione fidei pertinentibus,
» per felicis recordationis Innocentium papam, predeces-
» sorem nostrum, terris suis et honore privatus, suis
» meritis congruentem sententiam excepisset ; bone me-
» morie P. de Benevento, subdiaconus et notarius pre-
» decessoris ejusdem, tunc in illis partibus Apostolice
» Sedis legatus, comitatum predictum, quem idem co-
» mes eodem tempore possidebat, ad jus Romane Ec-
» clesie, sicut debuit, revocavit. Quod, tempore proce-
» dente, R. Peleti, proavus dicti P., restitui sibi petiit a
» legato predicto : qui nolens, sicut nec debuit, eidem
» negare justitiam, auditore sibi concesso, Guillelmum,
» tunc Magalonensem episcopum, constituit ad jus Ro-
» mane Ecclesie defendendum, fuitque in eodem negotio
» eousque processum, quod, lite contestata, fuit ex parte
» procuratoris exceptum, quod idem comitatus libram
» debebat annuam Romane Ecclesie censualem, et erat
» ipsius dominio, quam non solverat multo tempore re-
» troacto. Quod idem actor fuit de plano confessus, et
» nihilominus ad probandum jus suum, quod fuerat a
» procuratore vexatum, testes produxit plurimos. Sed,
» quidquid in causa fuerit, remansit negotium indecisum ;
» sed, tempore consequenti, cum videret Romana Ecclesia
» dictum R. intentionem suam in judicio non fundasse,
» quod etiam si fecisset, sibi prodesse non poterat prop-
» ter cessationem diutinam annui canonis non soluti, rem-
» que litigiosam non esse perpendens, quam sine speciali

» mandato legatus memoratus non potuit deducere in
» judicio, dicto predecessori nostro placuit sepedictum
» comitatum Magalonensi episcopo et suis successoribus
» sub censu annuo in feudum concedere ; sicque ipse et
» ejus predecessores ex tunc pacifice possederunt, hoc
» salvo, quod defunctus ultimo comes Tholosanus Melgo-
» rium et quedam castra alia episcopo abstulit supradicto,
» sed, postmodum, ad cor rediens, ei reddidit liberaliter
» et libenter. Et hec, que de dicto legato premisimus, facta
» noveris antequam recordationis inclite pater tuus, Fran-
» cie rex effectus, negotium assumeret Albiense, immo et
» antequam pater, vivo crucis sacre suscepto caractere,
» civitatem adiens Tholosanam, potenter ac viriliter eam
» obsidione vallasset. Nos autem, qui dictum P. et prede-
» cessores suos sincere dileximus ab antiquo, hec omnia
» semper revolvimus, et fideliter laboravimus, in statu
» alio constituti, ut Magalonensis ecclesia aliquid eis da-
» ret, sed non potuimus obtinere. Nuper vero, ex quo,
» licet immeriti, Sedem conscendimus altiorem, ad ejus-
» dem P. devotam instantiam, venerabili fratri . . epis-
» copo Magalonensi dedimus potestatem aliquos ei reddi-
» tus assignandi. Ad quod nos induxit ejusdem P. domus-
» que sue dilectio jam prescripta, sed et honor ejusdem
» episcopi et utilitas, cui credebamus expediens, et ut pos-
» semus scrupulum conscientie, si quis erat, redimere,
» vulgi clamoribus satisfacere, omni juris necessitate ces-
» sante, et dictam domum satis sibi vicinam in sua gratia
» retinere. Quocirca, fili carissime, nemo tibi suadeat pre-
» judicium in iis omnibus, vel eorum aliquo, tibi factum;
» nisi forsan ad id se velint convertere, qui de Sede Apos-
» tolica male sentiunt, ut inquirant quomodo Romana
» Ecclesia in regno Francie feuda habere potuerit, sicut
» aliquos audivimus susurrantes. Quibus dicimus, quod
» licet, utique habet hec et alia, nec est aliquid quod im-
» pediat, cum nec regnum cum regibus natum fuerit, nec
» a solis regibus adquisitum. Et si veteres legant hysto-
» rias de Narbonensis adquisitione provincie, personales
» labores invenient Romanorum Pontificum et sudores,
» qui non tam regum fuerunt socii in victoriis, quam re-
» ges, nunc sequaces, nunc socios, habuerunt, tamquam
» negotii Narbonensis domini principales. Tuis ergo con-
» tentus finibus, et regni latitudine, quod virtute mirifica
» nostris temporibus Dominus ampliavit, dictum episco-
» pum, et in ipso Romanam Ecclesiam, non perturbes,
» nec susurronum sopniis irritatus, qui, quandoque lo-
» quentes placentia, credulis auribus fel mellitum ins-
» tillant, quod in te, fili, posse non credimus, tue dudum
» constantiam circumspectionis experti. Ceterum de mo-
» neta Miliarensi quam idem episcopus cudi facit, ut
» dicitur, in feudo Ecclesie, ei scribimus, quod etiam
» juri contrarium arbitramur, et Christiane inconveniens
» honestati. Dat. Viterbii, xvi kal. octobris, anno se-
» cundo. »

(Potthast, 24969.)

3902 (xxxvi) Anagni, 2 octobre 1300.

Donatio castri Nymphæ. (fol. 388 v° et 389.)

Dilecto filio nobili viro Petro Gaitano, nepoti nostro, comiti Casertano. Apostolice Sedis circumspecta —.

Ei castrum Nymphæ, Ostiensis et Velletrensis diocesis, in perpetuum feudum concedit, ea lege ut quasdam possessiones, in agro Urbevetano sitas, Ecclesiæ Romanæ cedat.

Dat. Anagnie, per manus Petri, Sancte Marie Nove diaconi cardinalis, et Sancte Romane Ecclesie vicecancellarii, vi non. octobris, indictione xiii, Incarnationis Dominice anno mccc, pontificatus vero domini Bonifatii pape VIII, anno sexto.

(Potthast, 24981.)

3903 (xxxvii) Latran, 27 avril 1300.

Donatio capellæ Sancti Egidii foris muros Urbis. (fol. 389.)

Dilectis filiis . . archipresbytero, . . priori et capitulo basilice Principis Apostolorum de Urbe. Venerandam sanctamque —.

Decedente nuper magistro Nicolao Johannis, canonico et cellarario prædictæ basilicæ, eis capellam Sancti Egidii foris muros Urbis, cum omnibus juribus et pertinentiis, ab omni jurisdictione exemptam, nonnullis tamen oneribus obnoxiam, addicit.

Dat. Anagnie, v kal. maii, anno sexto.

(Potthast, 24945.)

3904 (xxxviii) Latran, 20 octobre 1300

Ut eat Perusium, ad officium legati adimplendum. (fol. 389 v°.)

Dilecto filio Neapoleoni, Sancti Adriani diacono cardinali, Apostolice Sedis legato. Profecto grave fuit —.

Ei mandat ut se ad civitatem Perusinam personaliter conferat, ibique commissum legationis officium exsequatur, ne Perusinorum indevotio transeat aliis in exemplum.

Dat. Laterani, XIII kal. novembris, anno sexto.

(POTTHAST, 24983.)

3905 (XXXVIII) Latran, 23 octobre 1300.

Committitur infrascripto rectoria Patrimonii Beati Petri in Tuscia. (fol. 389 v° et 390.)

Dilecto filio nobili viro Urso de filiis Ursi de Urbe, militi, germano dilecti filii nostri Mathei, Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis, Patrimonii Beati Petri in Tuscia rectori. Licet de singulis —. Ad personam itaque tuam, probitatis, circumspectionis et sollicitudinis, ac aliarum virtutum titulis insignitam, genere quoque nobilem ac de domo fidelium oriundam, que viros produxit strenuos, Deo et Ecclesie predicte fideles, qui pro honoris et exaltationis augmento ipsius Ecclesie personas et bona eorum prudenter et prompte duxerunt oportunis temporibus exponenda, mentis nostre aciem convertentes, — rectoriam ipsius Patrimonii in temporalibus Apostolica tibi auctoritate committimus prudenter et fideliter exequendam —. Dat. Laterani, x kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *universis baronibus, nobilibus, potestatibus seu rectoribus, consiliis, comunitatibus et universitatibus, ceterisque personis secularibus civitatum et castrorum, aliorumque locorum per Patrimonium beati Petri in Tuscia constitutis.*

3906 (XL) Même date.

Bellum indicit adversus Guidonem de Sancta Flora, comitem palatinum in Tuscia, et ipsius complices, et constituit Ursum et Gentilem de filiis Ursi capitaneos ejusdem belli. (fol. 390.)

Dilectis filiis nobilibus viris Urso et Gentili de filiis Ursi de Urbe. Ne nimis excrescat temeritas superborum, qui contra nos et Ecclesiam Romanam in vicinis partibus interdum calcaneum rebellionis erigere, contra Deum et justitiam, in ipsarum partium turbationem et scandalum, non verentur, decet nos illam circa tales castigationis adhibere medelam, per quam, et ipsi se deliquisse condoleant, et alii, eorum exemplo flebili, attentare talia vel similia terreantur. Cum itaque Guido de Sancta Flora, comes palatinus in Tuscia, et nonnulli fratres ipsius, et Margareta, nata quondam Ildebrandini, comitis palatini, dicti Rubei, necnon civitas Suanensis, et nonnulla castra, ville, terre seu loca, que per eos, seu pro ipsis, [per] aliquem vel aliquos, aut pro aliquo seu aliquibus eorundem, detineri noscuntur, nobis sint et Ecclesie predicte rebellia, in turbationem et scandalum dictarum partium cornua erigendo, nos, hujusmodi temeritatis eorum excessum nolentes, sicut etiam nec debemus, conniventibus oculis pertransire, contra dictos Guidonem et fratres, et Margaretam eamdem, civitatem, castra, villas, terras et loca prefata, et detentores, habitatores seu incolas eorumdem, ac etiam contra ipsorum adjutores, fautores, complices et sequaces, velut contra nostros et Ecclesie predicte rebelles et hostes, donec ad nostra et Ecclesie sepedicte beneplacita et mandata redierint, viriliter et potenter, ac spiritualiter et temporaliter providimus procedendum, et guerram et bellum indicimus contra ipsa; sperantes igitur quod per vos, viros utique probitatis, circumspectionis et sollicitudinis, ac aliarum virtutum titulis insignitos, genere quoque nobiles et oriundos de domo fideli, que viros produxit strenuos, Deo et Ecclesie prefate fideles, qui pro ipsius Ecclesie honoris et exaltationis augmento personas et bona sua prudenter et prompte duxerunt oportunis temporibus exponenda, hujusmodi negotium, ad nostrum et Ecclesie prefate honorem et comodum, fidelium illarum partium quietem et statum prosperum, vestramque laudem, et predictorum rebellium et hostium depressionem et confusionem debitam, poterit fideliter promoveri, vos et quemlibet vestrum in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, sed, quod unus vestrum inceperit, alter possit prosequi, resumere et finire, capitaneos hujusmodi guerre seu belli in illis partibus pro nobis et Ecclesia memorata statuimus, auctoritate presentium et de Apostolice plenitudine potestatis, ut adversus eadem personas et loca rebellia, per vos ac alios, procedere, ac ipsa impugnare obsidione, exercitu et cavalcata, capere, detinere, destruere, punire, necnon ipsos, ea ac illa ex ipsis, qui ad nostra et Ecclesie prefate mandata redire voluerint, nomine nostro et ejusdem Ecclesie, ad hujusmodi mandata recipere, et ab ipsis obsides et quascumque cautiones exigere, ac alia prosequi et exercere libere valeatis, que ad predicta et eorum singula pertinere noscuntur, et esse poterunt fructuosa, prout, quotiens, et quando, et qualiter, ac ubi opus exegerit, ac vobis vel alteri vestrum videbitur expedire, sicut contra hostes

nostros et Ecclesie sepedicte, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, et specialiter dilectorum filiorum baronum, nobilium, potestatum seu rectorum, conciliorum, comunitatum et universitatum civitatum, castrorum, terrarum et locorum per Patrimonium Beati Petri in Tuscia constitutorum, et aliorum de quibus quivis vestrum viderit expedire. Quocirca nobilitati vestre per Apostolica scripta mandamus quatinus, prudenter attendentes grandem fidutiam, quam de vestre nobilitatis prudentia, legalitate ac strenuitate portamus, capitaniam hujusmodi devote ac cum reverentia assumatis, illamque sic prudenter, viriliter et intrepide prosequamini, quod ex vestris strenuis actibus nos et Ecclesia prelibata speratos fructus, dante Domino, colligamus, vosque, velut fideles et prudentes nostri et Ecclesie prefate pugiles intrepidi, de bono in melius in obsequiorum exhibitione crescentes, divine benedictionis premium, ac nostram et Apostolice Sedis gratiam uberius consequi valeatis. Ceterum, licet velimus inobedientiam et contumaciam predictorum, ut debemus, ulcisci, et ut ad nostra mandata redeant, voluntaria vel coacta, quodque Margareta prefata, civitas, castra, ville, terre et loca predicta et que hactenus per patrem ejus vel per eam detenta fuerunt, in posse nostrum et dicte Ecclesie per vestrum ministerium deducantur, nostre tamen intentionis existit nobilium puellarum Anestasie et Marie, natarum Margarete prefate, ac universitatum Urbevetane ac Senensis civitatum, et aliorum quorumcumque jurisdictiones et jura servare, que ipsis vel eorum aliquibus seu alicui competunt vel competere dinoscentur in dictis civitate, castris, terris seu locis, et in quibuscumque aliis civitatibus, castris, locis et terris, que per dictum patrem ipsius Margarete, seu per patrem dicti Guidonis, dum viverent, detenta fuerunt, et tam puellis et universitatibus quam et aliis supradictis, qui se fideliter habuerint et devote, nos et Ecclesiam ipsam reddere gratiosos. Dat ut supra.

3907 (XLI) Même date.

Mandat ut Ursus, rector in temporalibus Patrimonii Beati Petri in Tuscia, non possit ordinare officiales in eodem Patrimonio sine consilio et assensu Gentilis, nepotis ejus. (fol. 390 v°.)

Dilectis filiis nobili viro Urso, rectori Patrimonii Beati Petri in Tuscia, ac Gentili de filiis Ursi de Urbe. Cum nuper te, Ursum, rectorem Patrimonii Beati Petri in Tuscia, et vos ambos, capitaneos guerre seu belli contra certas personas et universitates comitatuum, quos quondam Ildebrandinus de Sancta Flora, et Ildebrandinus, dictus Comes Rubeus, palatini comites, dum viverent, tenuerunt, per alias nostras litteras duxerimus ordinandos, vobisque in officiis vobis commissis multa immineant onera expensarum, voluimus ut omnes fructus, redditus et proventus, quos ex predicte rectorie Patrimonii officio, quovis modo, ratione vel causa contigerit provenire, quos vobis concedimus [et] donamus, inter vos ambos equis portionibus dividantur; et licet te, Ursum, sicut provectioris etatis et maturioris sensus pretulerimus tibi, Gentili, in rectorie dicti Patrimonii officio, nomine et honore, ut tamen inter vos major caritas et amplior parilitas et unitas observentur, volumus et mandavimus ut tu, Urse, vicarios, judices, notarios, potestates seu rectores, castellanos, perceptores seu collectores fructuum, reddituum et proventuum predictorum, ceterosque officiales, quos in Patrimonio supradicto, roccis, castris, terris et locis duxeris ordinandos, de ipsius Gentilis ordines expresso consilio et assensu. Dat. ut supra.

In e. m. *dilectis filiis universis baronibus et nobilibus, potestatibus quoque seu rectoribus, capitaneis, consiliis, comunibus, comitatibus et universitatibus civitatum, castrorum, terrarum seu locorum per Patrimonium Beati Petri in Tuscia constitutis, nostris et Ecclesie Romane fidelibus.*

3908 (XLII) Latran, 28 octobre 1300.

Committit rectoriam in spiritualibus Patrimonii beati Petri in Tuscia. (fol. 390 v°.)

Magistro Henrico Manentis, canonico Spoletano, in spiritualibus Patrimonii Beati Petri in Tuscia rectori. Cum in Patrimonio Beati Petri in Tuscia in temporalibus de rectore duxerimus providendum, — tibi — jurisdictionem in spiritualibus in Patrimonio supradicto, in fulcimentum et auxilium temporalis jurisdictionis exercendam dumtaxat, et non in aliis, presentium auctoritate committimus —. Dat. Laterani, v kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *venerabilibus fratribus episcopis et dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus et conventibus Cisterciensis et aliorum ordinum, ac decanis, prepositis, archidiaconis, archipresbiteris, plebanis, capitulis et aliis ecclesiarum prelatis seu rectoribus ceterisque personis ecclesiasticis, exemptis et non exemptis, Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani et militie Templi magistris et preceptoribus, universis quoque nobilibus, potestatibus, rectoribus, commu-*

nitatibus et universitatibus civitatum, castrorum aliorumque locorum per Patrimonium Beati Petri in Tuscia constitutis.

3909 (XLIII) Même date.

Mandat ut castra Saturni et Marzani assignet Urso et Gentili, capitaneis guerræ adversus Guidonem de Sancta Flora. (fol. 390 v° et 391.)

Venerabili fratri Theoderico, episcopo Civitatis Papalis. Cum presentiam tuam ex certis causis penes nos habere velimus, per Apostolica tibi scripta mandamus quatinus, receptis presentibus, absque dilationis obstaculo, ad presentiam nostram redire procures. Ceterum, cum dilectum filium nobilem virum Ursum de filiis Ursi de Urbe, rectorem Patrimonii Beati Petri in Tuscia, et tam eum quam Gentilem de filiis Ursi, nepotem ejus, capitaneos guerre contra Guidonem de Sancta Flora, comitem palatinum in Tuscia, et nonnullos fratres ipsius, ac Margaritam, natam quondam Ildebrandini, dicti Rubei, comitis palatini, necnon civitatem Suanensem, et nonnulla castra, villas, terras seu loca, que per eos, vel pro ipsis, aut per aliquem vel aliquos sive pro aliquo vel aliquibus eorumdem detineri noscuntur, que sunt nobis et Ecclesie Romane rebellia, duxerimus statuendos, et castra Saturni et Marzani, que a prefata Margareta, certis modo et titulo, pro nobis et nostro nomine recepisti et tenes, sint ipsis capitaneis ad guerram hujusmodi oportuna, volumus, et fraternitati tue presentium tenore mandamus, ut castra ipsa eisdem capitaneis, vel certis eorum nuntiis ad hoc ab ipsis specialiter deputatis, assignes vel assignari facias, tenenda et custodienda pro nobis et nostro nomine usque ad nostrum beneplacitum et mandatum. Dat ut supra.

3910 (XLIII) Latran, 24 octobre 1300.

Declaratio quod feudum quoddam, in civitate Capuana situm, est possessio ecclesiæ Capuanæ et non Marini de Filmarinis, qui dictum feudum injuste detinebat. (fol. 391.)

Ad perpetuam rei memoriam. Cum ex injuncto nobis Apostolatus officio ecclesiarum omnium cura nobis immineat generalis, simusque omnibus in justitia debitores, decet nos erga dictas ecclesias illius providentie solertiam adhibere, per quam ipse in eorum juribus utiliter conserventur, et bonorum ac jurium suorum, que nonnunquam ab aliquibus que sua non sunt querentibus illicite detinentur, eisdem ecclesiis restitutio proveniat oportuna. Exponente siquidem nobis venerabili fratre nostro Alberto, archiepiscopo Capuano, quod olim venerabilis frater noster Petrus, patriarcha Aquilegensis, tunc archiepiscopus Capuanus, cui erat inter alia per litteras Apostolice Sedis indultum ut in occupatores et turbatores bonorum suorum et ecclesie Capuane, ubicumque infra regnum Sicilie consistentium, nisi ab eo canonice moniti hujusmodi occupata sibi restituerent infra competentem terminum quem eis ad hoc duceret prefigendum, posset, ratione previa, censuram ecclesiasticam exercere, quia ei plene constitit quod nobiles viri Marinus de Filmarinis et Nicolaus, ejus filius, milites Neapolitani, baroniam, feudum seu bona, que in civitate Capuana ac terra Cantie, Capuane, necnon et in Marano, Neapolitane diocesium, ad ecclesiam predictam spectantia, detinebant illicite occupata, et diligenter, juxta tenorem predictarum litterarum Apostolicarum, ab ipso moniti ea sibi et ecclesie predicte restituere infra terminum competentem, quem peremptorie prefixit eisdem, contumaciter non curarunt, in eosdem milites excommunicationis sententiam, exigente justitia, promulgaverat, quodque predicti milites, prefatam excommunicationis sententiam dampnabiliter contempnentes, eam sustinuerant per annum et amplius, et adhuc sustinebant animis induratis, baroniam, feudum seu alia bona predicta occupata nichilominus detinendo, in animarum suarum periculum et dictorum Alberti, archiepiscopi, et ecclesie prejudicium non modicum et gravamen, ac supplicante nobis ut oportunum super hoc adhibere remedium dignaremur, nos, predictos archiepiscopum et ecclesiam Capuanam a gravibus dispendiis, que ipsis ex hujusmodi occupatione ac detentione baronie aliorumque bonorum predictorum imminebant preservare, eisque in suo jure favorabiliter super hoc assistere intendentes, venerabilibus fratribus nostris . . Lectorensi et . . Aversano episcopis, nostris dedimus litteris in mandatis ut ipsi, vel eorum alter, per se vel per alium seu alios, eundem Marinum ex parte nostra peremptorie citare curarent, ut infra XV dierum spatium post citationem eorum, cum omnibus actis, juribus et munimentis suis, hujusmodi causam contingentibus, Apostolico se conspectui personaliter presentaret, facturus et recepturus super premissis quod ordo exigeret rationis, non obstante quod hujusmodi negotium non erat de sui natura ad Sedem Apostolicam devolutum, seu apud ipsam tractandum vel etiam terminandum, necnon et constitutionibus, tam nostris, quarum prima cavetur, ne quis, certis exceptis casibus, extra suam civitatem et diocesim, secunda vero, ne reus alterius diocesis ultra unam dietam a finibus ejusdem diocesis ad judicium evocetur, quam de duabus dietis in concilio ge-

nerali, et quibuslibet aliis, que a predecessoribus nostris forent edite in hac parte, quodque diem citationis, et formam, et quicquid inde facerent, nobis, per ipsorum litteras, predictarum litterum nostrarum seriem continentes, fideliter intimarent. Sane memoratus episcopus Lectorensis predictum Marinum ex parte nostra peremptorie, juxta hujusmodi mandatum nostrum, citavit ut infra xv dies post citationem suam se propter hoc personaliter Apostolico conspectui presentaret. Cumque comparuisset in judicio magister Raynaldus de Setia, canonicus Capuanus, procurator dicti archiepiscopi necnon et dilectorum filiorum capituli ejusdem ecclesie, pro ipsis archiepiscopo et capitulo, ac prefatus Marinus, pro se personaliter, in assignato eis hoc termino, coram nobis, idemque magister Raynaldus, procurator, baroniam, feudum sive bona predicta ad eosdem archiepiscopum et capitulum ac ecclesiam de jure spectare proponens, procuratorio nomine ipsorum archiepiscopi et capituli ac ecclesie, peteret illa ad ipsos pertinere per nos sententialiter declarari, et eadem eis adjudicari, dictumque Marinum condempnari atque compelli ad restitutionem baronie, feudi sive bonorum predictorum, cum fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt, eisdem archiepiscopo et capitulo ac ecclesie faciendam, dictoque Marino perpetuum imponi silentium super baronia, feudo seu bonis predictis, dicto Marino ex adverso respondente hoc fieri non debere, sibique, ex certis causis expressis ab eo, in dictis baronia, feudo seu bonis jus competere asserente, nos in hujusmodi causa, ne partes ex ipsius prorogatione fatigarentur laboribus et expensis, litigiorum anfractus et juris rimulas vitare volentes, de plano, sine strepitu et figura judicii, providimus procedendum, ac eisdem Marino et magistro Raynaldo, procuratori, mandavimus ut omnia acta, jura et munimenta sua, que in dicta causa intendebant producere, infra certum terminum, quem eis ad hoc peremptorie prefiximus, in nostra presentia exhiberent. Sicque prefatus Marinus et idem procurator hujusmodi acta, jura et munimenta sua, quibus in causa ipsa uti voluerunt, in prefixo eis termino nobis exhibere curarunt. Nos igitur, hiis que per eosdem Marinum et procuratorem super hoc fuerunt exhibita diligenter inspectis, ac visis et plenius intellectis aliis juribus et rationibus, que dicti Marinus et procurator coram nobis et fratribus nostris allegare, proponere ac dicere voluerunt, et deliberatione super premissis omnibus cum eisdem fratribus nostris prehabita diligenti, assignataque partibus hac die ad diffinitivam sententiam audiendam, ac Marino et magistro Raynaldo, procuratore, prefatis presentibus, per ea que vidimus et cognovimus, tam auctoritate Apostolica quam ex plenitudine potestatis, baroniam, feudum seu bona prefata ad archiepiscopum et capitulum ac ecclesiam antedictos pertinere, de predictorum fratrum nostrorum consilio, sententialiter declaramus, et ipsis adjudicamus eadem, dictumque Marinum ad restitutionem ipsorum baronie et feudi sive bonorum, cum fructibus inde perceptis et qui percipi potuerunt, eisdem archiepiscopo et capitulo ac ecclesie condempnamus, ipsi Marino super eisdem baronia et feudo sive bonis perpetuum silentium imponentes. Super tenimento vero Marani, cum de jure Neapolitane ecclesie coram nobis fuerit allegatum, nichil diffinimus ad presens, maxime cum venerabilis frater noster Philippus, Neapolitanus archiepiscopus, ad respondendum super ipso tenimento Marani citatus non extiterit coram nobis, sed, eo citato legitime, proponimus negotium tenimenti predicti, mediante justitia, diffinire. Nulli ergo, et cetera, nostre diffinitionis, declarationis et adjudicationis, et cetera. Dat Laterani, VIIII kal. novembris, anno sexto.

In e. m. *venerabilibus fratribus.. Aversano et.. Casertano archiepiscopis.*

3911 (XLV) Anagni, 10 septembre 1300.

Concedit Urso de filiis Ursi et heredibus ejus omnia quæ Columpnenses possidebant in civitate Nepesina et circumvicinis. (fol. 391 v° et 392.)

Ad perpetuam rei memoriam. Depositis ex rationabilibus causis Jacobo de Columpna et Petro, ejus nepote, olim Sancte Romane Ecclesie cardinalibus, et privatis omni cardinalatus comodo et honore, et tam ipsorum quam nepotum dicti Jacobi, fratrum dicti Petri, filiorum quondam Johannis de Columpna, fratris Jacobi memorati, bonis omnibus, mobilibus et immobilibus, ac juribus ecclesiasticis et mundanis, per Sedem Apostolicam confiscatis et publicatis, prout ex processibus et sententiis ipsius Sedis evidenter apparet, quos in suo robore volumus remanere, civitatem Nepesinam, quam ipsi, aliqui vel aliquis ipsorum, tenebant, vel pro eis, aliquo vel eorum aliquibus, tenebatur, congregato exercitu nostrorum et Ecclesie Romane fidelium, fecimus diutius obsideri, et specialiter per ministerium dilecti filii nobilis viri Ursi de filiis Ursi, militis, germani dilecti filii nostri Mathei, Sancte Marie in Porticu diaconi cardinalis : qui Ursus suam et filii, amicorum et vassallorum suorum personas periculis multis exposuit, et magna subiit onera expensarum, quousque civitas ipsa, situ for-

tissima, in nostram fuit et dicte Sedis deditionem adducta, dextera Domini faciente virtutem. Predicta igitur provida consideratione pensantes, et quod non solum ipsi Ursus et filius, sed et predecessores eorum, reverentiam et devotionem ferventem ad prefatam Ecclesiam habuerunt, et constanter adheserunt sibi, persecutionibus gravibus imminentibus, presertim nostris temporibus, contra ipsos depositos et filios prefati Johannis, fautores et adjutores eorum, dignum duximus ipsos de tot obsequiis munifica largitate respicere ac magnifice premiare, ut, et ipsi in devotionem ejusdem Ecclesie constantius perseverent, et alii, eorum retributionis exemplo, ad obsequendum ipsi Ecclesie ferventius animentur. Quapropter Apostolica auctoritate et de Apostolice plenitudine potestatis prefato Urso, et heredibus suis, de suo corpore legitime per masculinam lineam descendentibus, in perpetuum feudum concedimus, a nobis et Ecclesia prefata tenendum, quicquid proprietatis et possessionis, meri et mixti imperii, et jurisdictionis, aut cujuslibet juris, predicti depositi et Johannis filii, aliqui vel aliquis eorumdem, habuerunt et tenuerunt vel quasi, vel ipsi, aut eorum alicui vel aliquibus, competiit vel competere potest, sive ex emptione, conventione, pactione, donatione, traditione, pignoris vel hypothece titulo, obligatione, summissione, acquisitione, et ex quacumque alia causa, occasione, ratione seu contractu, vel modis aliis quibuscumque seu quomodolibet, in civitate, universitate et rocca Nepesina, domibus, criptis, casalinis, vineis, ortis, terris, pratis, canapinis, pascuis, silvis, stirpetis, intus et extra civitatem ipsam et ejus territorio, districtu ac pertinentiis omnibus, sive ad ea aliqua vel aliquod eorumdem, necnon omnia immobilia, jura et actiones ad dictam civitatem, universitatem, comune et speciales personas Nepesinas, vel alias quascumque quoquomodo spectantia seu pertinentia, que cecidissent in commissum vel de jure cadere possent dicte Sedi, vel ad eam seu quasvis ecclesias pertinere possent, spetialiter quia de bonis ecclesiasticis, quovis titulo, acquisita fuissent, vel contractus habiti super eis, vel ad ipsam Sedem essent devoluta vel devolvi possent ex quacumque culpa, offensa, inobedientia, contemptu, rebellione, occasione vel causa, et maxime propter auxilium, consilium vel favorem depositis et Johannis filiis memoratis, alicui vel aliquibus eorumdem, impensum, adjutoribus, fautoribus et receptatoribus eorum, aliquorum vel alicujus ex eis, ita quod omnia intelligantur in predicto feudo includi, exceptis terris, cultis et incultis, silvis, pratis et pascuis civitatis, Nepesine predicte, civium et incolarum ipsius, constitutis vel sitis versus castrum Stirpecappe et ripam maris, ultra stratam publicam qua itur de Serra Baccani ad burgum Montisrosuli et deinde Sutrium, salvis etiam juribus dilectorum filiorum, nobilium virorum, Petri de Vico, Urbis prefecti, et Manfredi, fratris ejus, si qua in premissis haberent aut aliquo vel aliquibus premissorum. Voluimus tamen quod ea que predicti prefectus, et frater ejus, aut ipsorum heredes, dictis depositis et filiis memorati Johannis, alicui vel aliquibus eorumdem, in quibusvis casibus refundere vel solvere tenebantur, illa refundant et solvant Urso predicto, vel ejus heredibus, et satisfaciant de eisdem; statuentes ut, heredibus predictis deficientibus, proximior vel proximiores masculi in eodem gradu, qui a quondam Gentili, patre ejusdem Ursi, per masculinam lineam legitime descenderunt vel descendent, in hujusmodi feudo succedant, quodque ipse Ursus et hujusmodi ejus heredes, semel in vita sua, Romano Pontifici et Ecclesie sepedicte, infra annum post adeptam hujusmodi feudi hereditatem, et postquam quartum decimum etatis sue annum exegerint, faciant ligium homagium et prestent fidelitatis juramentum, et quod hujusmodi feudum totaliter vel pro parte non transferant, aliquo alienationis genere vel contractus, in supradictos depositos, vel filios memorati Johannis, aut eorum posteros per masculinam vel femininam lineam descendentes. Ad hoc enim specialiter nostra fertur intentio ut per ipsius Ursi et premissorum ejus heredum potentiam, et ipsorum consanguineos et amicos, predictum feudum taliter defendatur quod in ipsos depositos et filios sepedicti Johannis, aut eorum aliquem vel ipsorum posteros, nullatenus transfferatur; et, si contra factum fuerit, illud decernimus irritum et inane. Statuimus quoque ac voluimus quod predicti Ursus et heredes ejus in predicto feudo teneantur rectori, qui est et erit pro tempore in Patrimonio Beati Petri in Tuscia, ratione feudi hujusmodi, ea facere et super illis respondere que comuniter barones, feudatarii dicti Patrimonii, ipsi rectori facere ac super quibus respondere tenentur, quodque nichilominus ipsa civitas Nepesina solitum censum et debitum annis singulis Ecclesie sepedicte persolvat, et faciat alia que ipsi rectori hactenus facere consuevit et debet; non obstantibus quibuscumque constitutionibus, prohibitionibus, ordinationibus vel statutis Romanorum Pontificum, et specialiter felicis recordationis N[icolai] pape III, predecessorum nostrorum, aut rectorum dicti Patrimonii vel civitatis Nepesine predicte, etiamsi juramentorum vel quarumcumque spiritualium et temporalium penarum fuerint adjectione vallata, per que possent effectus presentium impediri quomodolibet vel differri. Interpretationem autem et declarationem omnium et singulorum predictorum reservamus Sedi prefate, quandocumque et

quotiescumque expedire viderit faciendam. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, voluntatis, statuti, constitutionis et reservationis, et cetera. Dat. Anagnie, IIII id. septembris, anno sexto.

3912 (XLVI) Même date.

Concedit Matthæo, cardinali Sanctæ Mariæ in Porticu, et, post ejus obitum, Bertuldo de filiis Ursi, fratri, Gentili ac Romano, nepotibus cardinalis prædicti, castrum Riviputei, quod olim erat Columpnensium et fuerat a Sede Apostolica confiscatum. (fol. 392.)

Ad perpetuam rei memoriam. Depositis, et cetera ut supra usque : volumus remanere, nonnulla castra, terras et loca que ipsi vel aliquis eorum tenebant, aut pro eis, aliquo vel eorum aliquibus tenebantur, congregatis exercitibus contra ipsa in nostram et dicte Sedis deditionem venerunt. Nos igitur, attendentes labores, sollicitudines et expensas, quos contra predictos depositos et dicti Johannis filios dilectus filius noster Matheus, Sancte Marie in Porticu diaconus cardinalis, subiit, quodque nobiles viri Bertuldus de filiis Ursi, frater, et Gentilis, natus ejus, ac Romanus, ejusdem Gentilis filius, nepotes cardinalis prefati, contra ipsos depositos et filios memorati Johannis, ut predicta castra, terras et loca in nostrum et Sedis ipsius posse venirent, personas exposuerunt et bona, cum multis periculis, laboribus et expensis, et ad memoriam revocantes quod, non solum ipsi, sed et predecessores eorum, reverentiam et devotionem ferventem ad prefatam Ecclesiam habuerunt, et constanter adheserunt sibi, persecutionibus gravibus iminentibus, presertim nostris temporibus, contra eosdem depositos et filios prefati Johannis, fautores et adjutores eorum, dignum duximus tam cardinalem prefatum quam nobiles memoratos munifica largitate respicere et prosequi gratia speciali. Quapropter Apostolica auctoritate et de Apostolice plenitudinis potestatis eidem cardinali roccam et castrum Riviputei, Sabinensis diocesis, concedimus, quoad vixerit, cum mero et mixto imperio, omni jure, actione et proprietate, possessione, jurisdictione, vassallis, silvis, pratris, pascuis, terris cultis et incultis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, omnibus pertinentiis, territorio et districtu suis, et juribus quibuscumque, et cetera usque : ex eis. Post obitum vero cardinalis prefati, statuimus, ordinavimus et voluimus quod, in omnibus et singulis que ipsi cardinali ex presentium tenore concedimus, predictus Romanus, prefati Gentilis filius, ejusque heredes per masculinam lineam, et cetera usque : includi. Heredibus autem predictis deficientibus, voluimus quod proximior vel proximiores masculi in eodem gradu, qui a quondam Gentili, patre dicti Bertuldi, avi dicti Romani, per masculinam lineam de ejus corpore legitime descenderunt vel descendent, in hujusmodi feudo succedant, quodque ipse Romanus et hujusmodi heredes semel in vita sua et cetera usque : inane. Ceterum, in hujusmodi feudo nec venire voluimus nec includi fontem Montis Rotundi, seu quondam villarum de Campo Rotundo, vel jus patronatus in ecclesia Sancte Marie quondam dictarum villarum seu dicti Montis Rotundi, aut aliquod jus in eis, nec ad aliquod jus in aliquibus possessionibus sive terris, quas tenent heredes quondam Mathei de Monte de filiis Ursi patrui dilecti filii nostri N[eapoleonis], Sancti Adriani cardinalis, sed quicquid juris in ipsis ecclesia, fonte, possessionibus sive terris competiit dictis depositis et filiis memorati Johannis, alicui vel aliquibus eorundem, heredibus dicti Mathei de Monte et eorum posteris, tenore presentium, concedimus gratiose. Interpretationem autem et declarationem omnium et singulorum predictorum Sedi Apostolice reservamus, quandocumque et quotiescumque expedire viderit faciendam. Nulli ergo, et cetera, nostre voluntatis, concessionis, constitutionis, ordinationis, intentionis et reservationis, et cetera. Dat. ut supra.

3913 (XLVII) Même date.

Concedit Gentili de filiis Ursi in perpetuum feudum, castrum Normannorum quod olim erat Columpnensium et fuerat per Sedem Apostolicam confiscatum. (fol. 292 v° et 393.)

Ad perpetuam rei memoriam. Depositis, et cetera ut in proxima superiori. Nos igitur, attendentes quod dilecti filii, nobiles viri, Bertuldus de filiis Ursi, et Gentilis, natus ejus, ac Romanus, ipsius Gentilis filius, milites, cives romani, contra predictos depositos et filios memorati Johannis, ut predicta castra, terre et loca in nostrum et Sedis ipsius posse venirent, personas exposuerunt et bona, cum multis periculis, laboribus et expensis, quodque castrum Pozalie [1], necnon et Normannorum et Comunantie castra, de mandato nostro diruta, ac castrum Riviputei, Sabinensis diocesis, per ipsorum ministerium et sollicitudinis studium specialius in nostrum et dicte Sedis sunt posse deducta, et ad memoriam revocantes quod, non solum ipsi Bertuldus, Gentilis et Romanus, sed et predecessores eorum, reverentiam et

1. Hic fuit abrasum quoddam verbum.

devotionem ferventem ad prefatam Ecclesiam habuerunt, et constanter adheserunt sibi, persecutionibus gravibus imminentibus, presertim nostris temporibus, contra ipsos depositos et filios prefati Johannis, fautores et adjutores eorum, dignum duximus ipsos de tot obsequiis munifica largitate respicere et magnifice premiare, ut, et ipsi in devotione ejusdem Ecclesie constantius perseverent, et alii, eorum retributionis exemplo, ad obsequendum ipsi Ecclesie ferventius animentur. Quapropter, Apostolica auctoritate et de Apostolice plenitudine potestatis, prefato Gentili, ejusque heredibus de suo corpore legitime per masculinam lineam descendentibus, dictum castrum Normannorum dirutum, seu castellarium, in perpetuum feudum concedimus, a nobis et Ecclesia pre fata tenendum, cum mero et mixto imperio, omni jure, actione et proprietate, possessione, jurisdictione, vassallis, territorio et districtu, silvis, pratis, terris cultis et incultis, molendinis, aquis, aquarum decursibus, ac omnibus juribus, et cetera usque : ex eis ; ita quod omnia intelligantur in predicto feudo includi ; statuentes ut, heredibus predictis deficientibus, proximior vel proximiores masculi in eodem gradu qui a quondam Gentili, patre dicti Bertuldi et avo predicti Gentilis, per masculinam lineam de ejus corpore legitime descenderunt vel descendent, in hujusmodi feudo succedant, quodque ipse Gentilis et hujusmodi ejus heredes, semel in vita sua, et cetera ut supra usque : nostra fertur intentio ut per ipsius Gentilis et premissorum ejus heredum potentiam, et ipsorum consanguineos, predictum feudum, et cetera usque : irritum et inane. Interpretationem autem et declarationem, et cetera. Nulli ergo, et cetera, nostre voluntatis, concessionis, constitutionis, intentionis et reservationis. Dat. ut supra.

3914 (XLVIII) Même date.

Concedit Bertuldo de filiis Ursi idem castrum. (fol. 393.)

Ad perpetuam rei memoriam. Depositis, et cetera ut supra, ut in proxima superiori, usque : Quapropter, Apostolica auctoritate et de Apostolice plenitudine potestatis, prefato Bertuldo, ejusque heredibus de suo corpore, et cetera ut in eadem usque : seu quomodolibet, in ipsis rocca, castro, territorio, pertinentiis omnibus et districtis, et cetera usque : in eodem gradu qui a quondam Gentili, patre dicti Bertuldi, per masculinan lineam de ejus corpore legitime descenderunt vel descendent, in hujusmodi feudo succedent, quodque ipse Bertuldus et hujusmodi ejus heredes semel in vita sua, et cetera usque : fertur intentio ut ipsius Bertuldi et premissorum ejus heredum potentiam, et cetera usque in finem. Dat. ut supra.

3915 (XLVIIII) Anagni, 10 septembre 1300.

Concedit Francisco et fratribus ejus, natis quondam Matthæi de Monte, de filiis Ursi, in perpetuum feudum castra Communantiæ et Podii de Corresio, olim a Columpnensibus posesa. (fol. 393.)

Ad perpetuam rei memoriam. Illum erga filios Romana mater Ecclesia servat benignitatis affectum, ut, eorundem obsequiis, meritis et affectibus provida circumspectione pensatis, illis precipue dulcedinis materne sinus expandat, quos gratiores obsequiis, devotiores effectibus, et meritis invenit potiores, ut ipsi eo ferventius in devotionis constantia perseverent quo magis erga se materne retributionis munificentiam liberalem senserint excrevisse. Cum itaque quicquid proprietatis, possessionis et juris cujuslibet habuerunt, possederunt et tenuerunt vel quasi Jacobus de Columpna et Petrus, nepos ejus, olim Sancte Romane Ecclesie cardinales, nunc depositi, et Agapitus, Stephanus, et Jacobus, dictus Sciarra, Johannes et Odo, fratres dicti Petri et filii quondam Johannis de Columpna, fratris dicti Jacobi depositi, aliqui vel aliquis eorumdum, in castro Communantie, de mandato nostro diruto, seu ejus castellario, Sabinensis diocesis, juribus et pertinentiis suis, territorio seu districtu, aquis, aquarum decursibus, et molendinis seu molendinis prope ipsa, necnon in castro Podii de Corresio, ejusdem diocesis, ejus territorio, pertinentiis et districtu, et vassallis seu habitatoribus dicti castri Podii de Corresio, territorii et pertinentiarum ejusdem, sit ad nos et dictam Ecclesiam devolutum, sicut ex processibus et sententiis nostris seu nostra auctoritate factis, que in archivis dicte Ecclesie conservantur, evidenter apparet, illud dilectis filiis nobilibus viris Francisco et fratribus ejus, natis quondam Mathei de Monte, de filiis Ursi, eorumque heredibus, ex suis corporibus legitime per masculinam lineam descendentibus, in perpetuum feudum Apostolica auctoritate concedimus de gratia speciali et de Apostolice plenitudine potestatis ; ita tamen quod dictum castrum Communantie nullatenus reedificetur, vel reedificari possit, ubi fuit, aut in ejus pertinentiis seu territorio, nec in aliqua parte territorii, pertinentiarum seu districtus monasterii Farfensis, ad Romanam Ecclesiam immediate spectantis, ordinis sancti Benedicti. Et ad hoc specialiter nostra fertur intentio ut per Franciscum, et fratres predictos, et premissorum suo-

rum heredum potentiam, eorumque consanguineos et amicos, predictum feudum taliter defendatur quod ad ipsos Jacobum et Petrum, et fratres Petri ejusdem, et eorum posteros nullatenus transferatur ; et, si contra factum fuerit, illud decernimus irritum et inane, statuentes ut predicti Franciscus, et fratres, et hujusmodi ipsorum heredes, semel in vita sua Romano pontifici et Romane Ecclesie infra annum, et cetera usque : per masculinam vel femininam lineam descendentes. Interpretationem autem et declarationem omnium et singulorum predictorum Sedi Apostolice reservamus, quotiescunque et quandocumque expedire viderit faciendam. Nulli ergo, et cetera, nostre concessionis, constitutionis et reservationis, et cetera. Dat. Anagnie, IIII id. septembris, anno sexto.

3916 (L) Latran, 3 novembre 1300.

De beneficiis ecclesiasticis ad basilicam Principis Apostolorum de Urbe pertinentibus per Apostolicæ Sedis litteras non conferendis. (fol. 393 v°.)

Dilectis filiis . . archipresbytero et capitulo basilice Principis Apostolorum de Urbe. Vos et venerandam —.

Eis concedit ut personatus, dignitates, officia, hospitalia, ecclesiæ et alia beneficia ecclesiastica ad basilicam pertinentia memoratam, nemini per Apostolicæ Sedis vel legatorum ejus litteras conferri possint, nisi de indulgentia hujusmodi expressam fecerint mentionem.

Dat. Laterani, III non. novembris, anno sexto.

(POTTHAST, 24989.)

3917 (LI) Latran, 30 novembre 1300.

De decima solvenda Carolo, comiti Andegavensi. (fol. 393 v°.)

Littere decime concesse nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi, regis Francorum, comiti Andegavensi. Bonifatius, et cetera, venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis, ac dilectis filiis electis, abbatibus, prioribus, decanis, archidiaconis, prepositis, archipresbyteris et aliis ecclesiarum prelatis, capitulis, collegiis et conventibus Cisterciensis, Cluniacensis, Premonstratensis, sanctorum Benedicti et Augustini, Cartusiensis, Grandimontensis et aliorum ordinum, necnon Hospitalis Sancti Johannis Jerosolimitani, domorum Militie Templi, Beate Marie Theutonicorum et Calatravensis, prioribus, preceptoribus seu magistris, ceterisque omnibus personis ecclesiasticis, regularibus et secularibus, exemptis et non exemptis, per totum regnum Francie, necnon per Lugdunensem, Viennensem, Bisuntinam et Tarantasiensem civitates, dioceses et provincias constitutas, salutem, et cetera. Immoderata temporis moderni malitia, que in diversis mundi et potissimum Italie partibus, ex instigatione inimici humani generis, zizanie satoris, plus solito in Ecclesie matris injuriam et Terre Sancte dispendium invalescit, inducit nobis compassionis incendium, infert graves turbacionis angustias, et alias etiam nostris et ipsius Ecclesie humeris gravium onerum sarcinam et impulsus necessitatis imponit. Sane compatimur ecclesiis et personis ecclesiasticis, pio compassionis affectu, super earum omnibus gravaminibus et pressuris, et libenter ad relevationem ipsarum oportunam juvamina preberemus ; sed, proh dolor ! languescente capite ac undique perturbato, rebellantibus subditis et impugnantibus hostibus contra illud, dissidentibus quoque inter se cismarinis principibus et nonnullis aliis Christianis, qui deberent potius ad exterminium infidelium commoveri, et impedientibus ipsi capiti circa negotium ejusdem Terre Sancte votive prosecutionis officium, status ecclesiasticus, ad cujus quietem et pacem cederet, si seculares principes et persone a dissidendo quiescerent, nequit pacificus et suavis sub jugo levi manere Domini, sed experiri cogitur pressuras et onera, et procellarum turbinibus pro tempore fluctuare. Quapropter ipsa Mater Ecclesia, que universarum ecclesiarum caput esse dinoscitur et magistra, non absque gravibus, quin immo gravissimis, suis et membrorum suorum oneribus ac doloribus, mederi cogitur ut Christianitas cismarina quiescat, et contra turbatores pacis compellitur actibus bellicis implicari. Ecce quidem, fratres et filii, non latet in abditis, sed per diversos orbis angulos innotescit, qualiter, jam fere viginti annorum spatio, quondam Petrus, olim rex Aragonum, subdolus nequitie perpetrator, et, subsequenter, diversis temporibus, nati ejus, sibi succedentes in vitio, contra nos et eandem Ecclesiam et charissimum in Christo filium nostrum C[arolum], Sicilie regem illustrem, insulam Sicilie occuparunt et tenuerunt, et adhuc etiam pro majori parte detinent nequiter occupatam. Quarum occupationis et detentionis occasione et causa contigit olim perditio Terre Sancte ; set nec ei potuit opportunum ministrari subsidium de partibus cismarinis. Et quamvis, inopinatis auxiliis ac insperatis operibus, illucescente illi gratia Salvatoris, sit ipsi Terre Sancte via recuperationis, reparationis, inhabitationis et munitionis civitatum et locorum, dudum ibidem deperditorum, aperta, tamen ob induratam antiquate jam rebellionis nequitiam predictorum Siculorum

et Frederici, nati predicti quondam Petri, olim regis Aragonum, sub cujus devio in tenebris et umbra mortis obdormiunt, et propter alia scandala que insurgunt, prefata Mater Ecclesia in adhibendis opportunis eidem Terre Sancte subsidiis impeditur. Status insuper Tuscie impetitur admodum fluctibus scandalorum; civitates, loca et incole, ipsi Matri Ecclesie subjecta, rebellant, nequitie venena fundentia, et laborantia ingratitudinis vitio contra eam, et, nisi eorum insolentie compescantur, invalescent plurimum rebelliones ipsorum et periculose succrescent. Et ideo, non solum de prope sed etiam de longe, sub spe divine potentie, ad obviandum tot fluctibus, totque malis et periculis resistendum, et ad rebellantium superbiam edomandam, auxilium, juvamen et fortitudinem invocare compulsi, dilectum filium nobilem virum Carolum, comitem Andegavensem, clare memorie Phylippi, regis Francorum natum, virum utique nobilitatis et generis excellentia prefulgentem, potentia preditum, exercitatum in armis et Ecclesie prefate devotum, per quem speramus et credimus honores et comoda ipsius Ecclesie in hac parte posse viriliter, potenter et feliciter promoveri, et satisfieri utiliter votis nostris, advocare providimus in opportunum auxilium et juvamen ipsius Ecclesie matris sue: ordinato jam, ut decuit, cum eodem, ut usque ad festum Purificationis Beate Virginis proximo futurum iter arripiat, cum magna et honorabili armatorum, militum et equitum comitiva, venturus continuatis dietis, et intraturus personaliter in Italiam, ac mansurus in ipsius Italie provinciis sive locis, de quibus Apostolica Sedes duxerit ordinandum, ut ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, adventus et mora ejus, Domino auxiliante, persistant, et, tranquillato statu Sicilie, aliisque Italie rebellibus subjugatis, ac ad nostra et dicte Sedis mandata redactis, de oportuno ipsius Terre Sancte succursu possit utilius et efficatius provideri, et universalis occidentalis ecclesie sabatum procuretur. Et, quoniam adventus dicti comitis, cum tanta et tam nobili comitiva, et tam solemnis et vigorosa sic ardui negotii prosecutio, absque magno profluvio et immensa voragine expensarum, fieri aliquatenus non valerent, nos, desiderantes ut idem comes eo validior, fortior et animosior possit reddi ad hujusmodi negotium utiliter prosequendum, quo ad id pinguior et abundantior subventio sibi fiet, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum totius regni Francie, nec non Lugdunensis, Viennensis, Bisuntine et Tarantasiensis civitatum, diocesum et provinciarum, per unum annum, imponendam duximus, et propter hoc ipsi comiti concedendam; annum et terminos solutionis, et collectores ipsius decime, exprimendi, statuendi et deputandi, ac declarationes, et moderationes, et colligendi formam, et modum faciendi et ordinandi, reservata nobis plenaria potestate. Universitatem itaque vestram attente monemus, affectuose rogamus, et obsecramus in Domino Jhesu Christo, vobis nichilominus per Apostolica scripta mandantes, et in remissione peccaminum injungentes, quatinus magnam et instantem necessitatem negotii memorati, quod multam accelerationem promotionis exposcit, maxime propter non modicam prefate indigentiam Terre Sancte, diligentius attendentes, et compatientes ab intimis laboribus, dispendiis, injuriis, oneribus et pressuris ejusdem Ecclesie matris vestre, ob divinam et ipsius Ecclesie ac nostram reverentiam, vestrorum omnium ecclesiasticorum reddituum et proventuum regni, civitatum, diocesium et provinciarum predictorum, decimam, ut premittitur, per annum hujusmodi, liberaliter et integre hujusmodi collectoribus deputandis a nobis, et in prefigendis per nos anno et terminis, persolvatis, cum illis exceptionibus et moderationibus quas in aliis nostris litteris exprimemus; non obstantibus quibuscunque — valeatis. Ceterum clericos illos ad prestationem ipsius decime teneri non volumus, quorum ecclesiastici redditus et proventus septem librarum turonensium parvorum summam annis singulis non excedunt. Dat. Laterani, II kal. decembris, anno sexto.

(POTTHAST, 24992 sub erronea data 21 novembris.)

3918 (LII) Même date.

Conceditur per unum annum decima omnium reddituum ecclesiasticorum totius regni Franciæ nec non Lugdunensis, Viennensis, Bisuntinæ et Tarantasiensis provinciarum. (fol. 394.)

Dilecto filio nobili viro Carolo, nato clare memorie Phylippi, regis Francorum, comiti Andegavensi. Habet ecclesia mater tua in te, sicut in filio benedictionis gratieque, fidutiam, et nos de tua plurimum in ipsius agendis Ecclesie devota probitate confidimus. Hanc quidem fidutiam consideratio multiplicis rationis inducit, quam et tu, progenitorum tuorum, christianissimorum principum, qui Ecclesiam ipsam ejusque honorem et felicitatis augmentum devotis affectibus promptisque studiis ac summa diligentia coluerunt, laudanda vestigia prosequens, a tue juventutis auspiciis grata demonstratione corroboras, et ex hoc indubie spei judicio te carum, immo carissimum, in ipsius Ecclesie matris visceribus efficis, tibique in ejus gremio ampla sedilia preparas, celestis numinis et ejusdem matris plenam gratiam, si, quod innuis, sequeris, si, quod in te conjicitur, impleas, percepturus.

Ecce quidem, fili, quod ab olim a te nobis firma data fiducia de progrediendo magnifice, potenter et viriliter in Italiam, ad procedendum in manu forti et brachio extento juxta predicte dispositionem Ecclesie, adversus rebelles et hostes, qui Petri naviculam periclitari nequiter sitientes, ventis illam flagitare turbinum et obducere procellarum fluctibus moliuntur. Nosque, nuper tuis receptis nuntiis, et habito super hiis diligenti colloquio cum eisdem, quia tuus adventus, condicta et sperata comitiva stipatus, sicque arduii negotii prosecutio, absque magno profluvio expensarum, fieri non valerent, preter alia que tibi gratiosa (*sic*) premisimus, decimam omnium ecclesiasticorum reddituum et proventum totius regni Francie, necnon Lugdunensis, Viennensis, Bisuntine et Tarantasiensis civitatum et diocesum et provinciarum, per unum annum, et insuper medietatem totius quod restat nobis exolvi de decima, quam nonnulli prelati et persone ecclesiastice dicti regni nobis pro necessitatibus et oneribus ejusdem Ecclesie concesserunt, tibi, in subsidium prosecutionis hujusmodi tui adventus et memorati negotii, duximus per alias nostras litteras concedendum, annum predicte annalis decime, ac utriusque terminos solutionis, et collectores decime exprimendi, statuendi, et deputandi, ac declarationes, et moderationes, et colligendi formam, et modum faciendi et ordinandi reservata nobis plenaria potestate. Latere autem te nolumus nostre omnino voluntatis et intentionis existere, quod, nisi usque ad festum Purificationis Beate Virginis proximum futurum iter arripueris, cum magna et honorabili armatorum, militum et equitum comitiva, venturus continuatis dietis, et intraturus personaliter in Italiam, ac mansurus in Italie predicte provinciis sive locis de quibus Sedes eadem ordinabit, ad ejus beneplacitum et mandatum, hujusmodi impositio annalis decime per nos habita et tam ejus quam predicte medietatis alterius decime a nobis tibi facta concessio nullius sint roboris nullumque prorsus sortiantur effectum ; advertens tu itaque diligentius in premissis quid deceat, quid expediat, quidve tibi possit impingi ulterius ad indecentiam in eisdem, sic te studeas circa hoc Deo gratum et eidem tue matri Ecclesie utilem exhibere, quod in te virtutum dona et semina sata fructificent, tuque divine retributionis premium ac ipsius uberiorem matris gratiam et humane laudis preconium exinde plenius consequi merearis. Dat. ut supra.

3919 (LIII) Même date.

Conceditur comiti Andegavensi medietas decimæ, nondum solutæ, concessæ olim Sanctæ Sedi a prelatis et personis ecclesiasticis regni Franciæ. (fol. 394 v° et 395.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ad obviandum tempestuosis partium Italicarum fluctibus, et scandalorum nephandis ausibus resistendum, quos contra sanctam matrem Ecclesiam, et in grave Terre Sancte dispendium, temeritas prava rebellium hostiumque producit, dilectum filium nobilem virum Carolum, natum clare memorie Phylippi, regis Francorum, comitem Andegavensem, in oportunum auxilium et juvamen ipsius matris Ecclesie duximus advocandum, ordinato jam, ut decuit, cum eodem, quod usque ad festum Purificationis Beate Virginis proximo futurum iter arripiat cum magna et honorabili armatorum, militum et equitum comitiva, venturus continuatis dictis, et intraturus personaliter in Italiam, ac mansurus in ipsius Italie provinciis sive locis, de quibus Apostolica Sedes duxerit ordinandum. Verum, quia ejus adventus, cum tanta et tam nobili comitiva, absque magno profluvio expensarum fieri non valeret, nos, desiderantes ut idem comes eo validior, fortior et animosior reddi possit ad hujus negotium utiliter prosequendum, quo ad id pinguior et habundantior [subventio] sibi fiet, manus nostras ad hoc porrigere sibi providimus largiores, de hiis etiam que prompta subditorum devotio nobis, pro iminentibus oneribus et necessitatibus ipsius matris Ecclesie, duxerat hactenus concedenda, volentes potius in nobis ipsis egere ut ad hujusmodi prosequendum negotium locupletior ipse fiat. Cum igitur nonnulli prelati et persone ecclesiastice regni Francie, inducti reverentia filiali et zelo devotionis accensi ad nos et Ecclesiam memoratam, attendentes prudenter sollicitudines, amaritudines et labores, expensas innumeras et importabilia onera, que, postquam fuimus ad apicem Apostolice dignitatis assumpti, subivimus pro pacificando Christianitatis statu, nunc hinc, nunc inde, proh dolor! turbato scandalis, convulso guerris et dissidiis lacessito, et specialiter pro negotio regni Sicilie, in quo, nedum nostro, sed etiam diversorum nostrorum predecessorum temporibus, Ecclesia ipsa inexplicabiles sumptus subiit, molestias et dampna portavit, decimam suorum ecclesiasticorum reddituum et proventuum nobis, in hujusmodi onerum et expensarum subsidium, liberalitatis proprie deliberatione prudenti, dudum duxerint concedenda, quorum aliqui jam decimam ipsam solverunt nobis totaliter vel pro parte, reliquis vero aut totaliter aut pro parte remanentibus ad solvendum, nos eidem comiti, in subsidium prosecutio-

nis hujusmodi sui adventus et negotii memorati, medietatem hujusmodi nondum solute decime duximus auctoritate presentium concedendam, ita tamen quod, ut premittitur, idem comes usque ad prefatum festum Purificationis iter arripiat cum magna et honorabili armatorum, militum et equitum comitiva, venturus continuatis dietis, et intraturus personaliter in Italiam, ac mansurus in ipsius Italie provinciis sive locis, ad ipsius Sedis beneplacitum et mandatum ; alioquin hujusmodi concessio facta sibi nullum prorsus sortiatur effectum. Hujusmodi autem decimam nondum solutam colligi volumus per collectores deputatos a nobis vel imposterum deputandos ; set nichil inde volumus eidem comiti vel ejus procuratoribus quomodolibet assignari, nisi prius comes ipse ad Apostolicam Sedem iter arripuerit veniendi, predicta comitiva stipatus, nosque collectoribus ipsis, super solutione facienda dicto comiti de decima memorata, nostras miserimus litteras speciales. Dat. ut supra.

3920 (LIIII) Latran, 3 janvier 1301.

Donatio quorumdam castrorum et prædiorum. (fol. 395.)

Dilectis filiis Mattheo, Sancte Marie in Porticu diacono cardinali, . . archipresbytero, ac . . priori et capitulo basilice Principis Apostolorum de Urbe. Ante assumptionen nostram —.

Eis castra ac prædia aliquot, ære proprio coemta, concedit et donat, ac transfert in eandem basilicam.

Dat. Laterani, III non. januarii, anno sexto.

(Potthast, 25001.)

3921 (LV) Latran, 3 janvier 1301.

Pro reformatione et augmento capituli basilicæ Principis Apostolorum de Urbe. (fol. 395 v° et 396.)

Ad perpetuam rei memoriam. Ante assumptionem nostram —.

Basilice Principis Apostolorum de Urbe canonicorum numerum usque ad tricesinum adauget, tres beneficiatos ac viginti clericos beneficiatos ministerio in eadem addiciendos noviter instituit, et congrua eisdem stipendia assignat.

Dat. Laterani, III non. januarii, anno sexto.

(Potthast, 25002.)

3922 (LVI) Latran, 12 avril 1300.

Donatio loci ubi fuit Penestrina, Castrinovi etc. (fol. 396.)

Venerabili fratri Theodorico, episcopo Civitatis Papalis. Grandia tue probitatis —.

Propter fructus et redditus mensæ episcopalis tenues et exiles, situm seu locum ubi fuerunt olim civitas, damnati nominis, Penestrina ejusque castrum, quod dicebatur Mons, et rocca, et etiam Civitas Papalis, postmodum destructa, cum suis territorio et districtu, necnon Castrum novum, Tiburtine diocesis, etc. de gratia speciali concedit.

Dat. Laterani, II id. aprilis, anno sexto.

(Potthast, 24942.)

3923 (LVII) Anagni, 26 septembre 1300.

Ut collocet in aliis monasteriis ordinum Cisterciensis et sancti Benedicti moniales monasterii Sancti Petri de Paliano, et in hoc monasterio monachos ponat (fol. 396.)

Dilecto filio Roberto, tituli Sancte Pudentiane presbytero cardinali. Paterna requirit affectio ut circa monialium statum, que, mundanis relictis divitiis et voluptatibus abdicatis, honeste vite continentiam et paupertatem voluntariam elegerunt, benignius intendentes, illas de locis ad loca, prout necessitas exigit et animarum ipsarum salus exposcit, uberiora transferamus. Sane dilectas in Christo filias . . abbatissam et moniales monasterii Sancti Petri de Paliano, Cisterciensis ordinis, Civitatis Papalis diocesis, certis suadentibus causis que digne ad id nostrum movent animum et inducunt, amoveri ex dicto monasterio, et ipsas in aliis dicti Cisterciensis, et ceteris sancti Benedicti ordinum, monialium communiter habitum album ferentium, monasteriis decrevimus collocari. Quia igitur, a prime tue juventutis initio in religione nutritus, et in magnis et arduis officiis versatus, agnoscis quid in hiis religio exigat, et in quibus locis abbatissa et moniales predicte proficere magis poterunt ad salutem, nos ob hoc in hac parte precipue de tue circumspectionis industria confidentes, discretioni tue amovendi de dicto monasterio abbatissam et moniales omnes ibidem degentes, et ex eis, de quibus tibi videbitur, in Sancti Benedicti et Sancti Mathei Ferentinatibus, Sancti Petri Alatrino, Sancti Luce de Guarceno, Sancte Marie de Cannis et Sancte Marie Magdalene de Insula Martana, ejusdem sancti Benedicti, Alatrine, Anagnine, Terracinensis et Viterbiensis diocesum, in singulis eorum videlicet unam, et reliquas omnes in aliis dicti Cisterciensis ordinum monialium monasteriis, ubilibet in Italia constitutis, de quibus tibi expediens visum

erit, auctoritate nostra faciendi recipi in monachas et sorores. in monasteriis ipsis dum vixerint moraturas, et sincera in Domino caritate tractari. Et insuper, ut per te predicto monasterio Sancti Petri de Paliano salubriter consulatur, hac vice ponendi in ipso monasterio Sancti Petri competentem monachorum et conversorum numerum, et preficiendi inibi personam ydoneam in abbatem, Cisterciensis ordinis memorati de quibus tue discretioni videbitur, ita quod predictum monasterium Sancti Petri cum personis in ipso degentibus[1] et omnibus juribus et pertinentiis suis remaneat de filiatione monasterii Casamarii, ejusdem Cisterciensis ordinis, Verulane diocesis, sicut prius, ac omnibus privilegiis et indulgentiis dicto Cisterciensi ordini ab Apostolica Sede concessis et concedendis libere gaudeat et utatur, et ab hujusmodi positione et prefictione per te faciendis in antea celebretur in ipso monasterio abbatis electio, juxta predicti Cisterciensis ordinis instituta, ac agendi cetera que ad premissa expedire moveris et tibi utilia videbuntur, et invocandi etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilium brachii secularis, necnon contradictores et rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendi, per te vel alium seu alios; non obstantibus de certo ipsorum monasteriorum monialium numero, et quibuslibet statutis, consuetudinibus contrariis, juramento, conventione Sedis Apostolice, vel alia quavis firmitate vallatis, ac nostra et qualibet alia constitutione contraria, aut si dictis monasteriis vel eorum ordinibus seu personis eorum a predicta sit Sede indultum quod ad receptionem alicujus vel aliquarum monialium sui vel alterius [ordinis] minime teneantur, et ad id compelli non possint per dicte Sedis litteras non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, plenam auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem quod a data presentium tibi sit plena in hac parte attributa jurisdictio, illudque robur illamque firmitatem obtineat, ac si per citationem aut alium quemvis modum perpetuata legitime extitisset. Dat. Anagnie, VI kal. octobris, anno sexto.

3924 (LVIII) Latran, 22 novembre 1300.

Agnoscit se recepisse ab eis pecuniam, libros et jocalia quæ fuerant olim Loffridi, dicti Monachi, prepositi Bariolensis ecclesiæ, et quæ ab archiepiscopo Aquensi receperant. (Fol. 396 vº et 397.)

Bonifatius, et cetera, *dilectis filiis Gerardo Hugonis, Johanni Grandonis et Tutio Cotto, de Florentia, ac ceteris aliis sociis de societate Spinorum, nostre camere mercatoribus*, salutem, et cetera. Dudum ad notitiam nostram fide digna relatione perducto quod quondam Loffridus, dictus Monachus, olim prepositus Bariolensis ecclesie, ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Forojuliensis diocesis, in partibus illis decesserat intestatus, quodque pecunia, libri, jocalia et alia bona ejus, que ad ipsum pertinebant, et ab eo possidebantur tempore mortis sue, a nonnullis de illis partibus occupata erant seu etiam arestata, venerabili fratri nostro . . archiepiscopo Aquensi petendi, exigendi et recipiendi, per se vel alium seu alios, nostro et Ecclesie Romane nomine, pecuniam, libros, jocalia et alia bona predicta concessimus, per alias nostras sub certa forma litteras, facultatem. Dedimus quoque ipsi archiepiscopo per alias nostras litteras in mandatis ut predicta omnia, que contingeret ipsum recipere, vobis Gerardo, Johanni et Tutio nominatim, vel vobis aliis, eorum sociis, nostras deferentibus litteras, eodem nomine, sublato cujuslibet difficultatis obstaculo, assignare curaret. Prefatus autem archiepiscopus, commissionem et mandatum nostra hujusmodi exequendo, de pecunia, libris, jocalibus et bonis predictis, exactis exinde postmodum et receptis auctoritate litterarum hujusmodi, per eundem penes te, Tutium, infrascripta bona, juxta formam predictarum litterarum, duxit cautelis debitis, sicut in instrumentis publicis per Raymundum de Conchinis, notarium publicum, inde confectis continetur plenius, deponenda, prima vice videlicet : octingentas quinquaginta libras coronatorum Milgoirentinorum (*sic*) et Turonensium parvorum antiquorum, bonorum et legalium, et quatuormilia et ducentos Turonenses grossos argenteos, et septingentos sexaginta Milgoirenses argenteos grossos, ac mille sexcentos quadraginta Valansanos argenteos, et triginta libras Viennensium, in quibus triginta libris fue(run)t nongenti Aiglentini parvi argentei, valens quilibet octo denarios Viennenses, detractis tamen de dictis pecuniarum quantitatibus viginti libris coronatorum parvorum novorum pro expensis utilibus et necessariis, tam pro notario quam (al)iis negotii memorati; et postmodum, secunda vice, Summam Gaufridi in jure canonico, que incipit in quaterno et capitulo : *ultimo* et in ultimo : *unde*; item volumen completum in jure civili, quod incipit in secundo quaterno : *radicis*, et incipit in penultimo : *quibus modis*; item Codicem cum apparatu ordinario, qui incipit in secundo quaterno : *retinere*, et incipit in ultima petia ejusdem : *annona*; item Roffredum in utroque jure, qui incipit in secundo quaterno : *michi*, et incipit in ultima petia : *pactum*; item quoddam volumen de diversis lec-

1. *Ms* : degentis.

turis, quod incipit in secundo: *ex refectione*, et incipit in penultima linea : *solutio*; item quandam aliam lecturam super libro Codicis que incipit: *habeat unusquisque*, et incipit in ultimo folio : *precita ratione*, item casus Bernardi super decretalibus, qui incipiunt in primo qua terno: *rex pacificus* et incipiunt in ultima carta : *fiat*, item Librum Sententiarum qui incipit in secundo quaterno : *esse Deum*, et incipit in ultimo folio : *disserandum* (*sic*) ; et deinde tertia ultima vice ducentas et sex marchas argenti, minus media uncia, ad marcham civitatis Aquensis extimati et appretiati ad valorem sterlingorum, in qua quidem vaysella erant triginta sex scyphi, in quibus erant tres coperti; item due rote argentee; item decem poti argentei; vigenti una tacie, quadraginta octo scutelle, sex salseria, viginti quinque coclearia, due conque argentee, duodecim broche argentee. Cum igitur omnia et singula supradicta, pecuniarum summas, libros, jocalia et vasa argentea, penes te, Tutium, deposita, ut prefertur, dilecti filii Symon Gerardi et Johannes Mathei, socii vestri, in curia nostra morantes, tam suo quam omnium vestrum et prefate societatis nomine, nobis recipientibus nomine nostro et Ecclesie memorate, duxerint integraliter assignanda, nosque ab eis illa receperimus cum effectu, in vos et quemlibet vestrum ac predictam societatem, de hiis omnibus et singulis nobis taliter assignatis, absolvimus tenore presentium et totaliter liberamus; facientes vobis, nomine nostro et ejusdem Ecclesie, plenariam quietationem, refutationem, ac promissionem de ulterius non petendo; ita quod ad aliam restitutionem faciendam vel reddendam etiam rationem nullatenus teneamini, nec ad id possitis quomodolibet coartari. Dat. Laterani, x kal. decembris, anno sexto.